


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg. 114

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [4] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [5] - -

PUBLIC DOMAIN

Aventini, Johannes
d. i.
Turmair, Johann

Hoc volumine insunt

Aventini Annales Bojorum,
et
Pilibaldi pirckheimeri opera.

V. ILLVSTRIS

BILIBALDI PIRCKHEIMERI,

CONSILIARII

QVONDAM

DD. MAXIMILIANI I. ET CAROLI V. IMPP. AVGG.

Equitis Aurati, Senatoris & Patricij Norimbergensis

OPERA

POLITICA, HISTORICA, PHILOLOGICA

ET EPISTOLICA, CVM

ALBERTI DVRERI, CIVIS NORIMBERGENSIS, VVLGO *Apellis Germanici dicti, figuris AEneis.* EXSCVLPTI

ADIECTIS OPVSCVLIS PIRCKHEIMERI

auspicio concinnatis:

CLARÆ PIRCKHEIMERÆ ABBATISSÆ, CHRISTOPHORI SCHEVRLI,
CONRADI CELTIS, EOBANI HESSI,
IOHANNIS STABII, EPISTOLÆ VARIÆ VARIORUM

eius ævi doctissimorum quorum que virorum ad Pirckheimerum.

VNA CVM CVNRADI RITTERSHVSII IC. ET ANTECESSORIS *Altorphini Commentario de Vita & Scriptis Pirckheimeri.*

OMNIA NVNC PRIMVM EDITA EX BIBLIOTHECA PIRCKHEIMERANA

V. N. IOHANNIS IMHOFII, Patricij Norimbergensis, collecta, recensita ac digesta

à

MELCHIORE GOLDASTO HAIMINSFELDIO.



FRANCOFORTI,


Excudebat Ioh. Bringerus, impensis Iacobi Fischeri.

M. DC. X.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [7] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [8] - -

PUBLIC DOMAIN

ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, PRVDENTISSIMIS, AC SPECTABILIBVS

DN. CHRISTOPHORO FVERERO AB HAMMENDORFF, EQVITI, &c.
DN. PAVLO HARSDORFERO,
} Duumviris:

DN. CHRISTOPHORO TVCHERO,
DN. IODOCO FRIDERICO TETZELIO,
DN. MARTINO HALLERO AB HALLERSTEIN,
DN. IOANNI NVTZELIO,
DN. IACOBO STARCKIO.
} Septemviris:

Nec non

D. D. N. N. CONSVLIBVS, TOTIQ. SENATVI, POPVLOQ. IMPERIALIS REIPVBLICÆ NORIMBERGÆ,

Dominis & Amicis suis obseruandissimis

S. P. D.

MELCHIOR GOLDASTVS HAIMINSFELDIVS.

SÆPENVMERO queruntur de conditione sua Ciuitates quædam Imperiales, quod Equestri Ordini contemptæ, & insolentiis potentium atque iniuriis expositæ sint. Nimis, quomodo harum rerum arbitratoribus nequaquam imperitis videtur, inconsiderate: quem contra reputando nec maiores alios nec præstabiliores amicos, quam Principes ac Equites vicinos inueniant: magisque nonnullis Ciuitatibus moderationem Ciuium, quam vici-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [9] - -
PUBLIC DOMAIN

nis Proceribus voluntatem & amicitiam deesse. Etenim dux & gubernatrix vitæ Ciuilitas ipsa est, quæ vbi ad fauorem & amicitiam virtutis via grassatur, satis pollens potensque est ad demerendos sibi ac deuinciendos Principum animos, nec auræ fortunatioris eget, quippe quæ vana, ventosa, subtesta & inanis opera sit; virtutem, amoris constantiam, ceterosque Principum fauores nec dare cuiquam Ciuitati nec eripere possit. Sin Ciuitatis populus, captus prauis incitationibus & cupidinibus, ad fastum & imperandi voluptatem pessumdari se passus est, & perpernicioſa libidine pauliſper ad inferendas iniurias abusus: per imprudentiam & prauitatem, Principū in sese animos concitauit, & ex amicis fecit inimici vt essent, Equestris Ordinis inuidia accusatur. Suam quippe culpam autores more humani ingenii ad alienos transferunt. Quum meminisse debeant, quod iure constitutum est, vt quis damnum, quod sua voluntate coactus suffert, sentire non videatur. Quod si Ciuibus obseruantiæ erga Principes, officii ad Ordinem Equestrē, hospitalitatis in exteros, & aduersum peregrinos incolas humanitatis tanta cura esset, quanto studio contrarias artes ac nihil profuturas, multumque etiam periculosas, petunt, eò magnitudinis procederent, vt & Ciuitates priuilegiis, se ipsi honoribus adaugerent, & in Procerum Curiis grati acceptique haberentur. Nunc Ciues nonnunquam de vicinis Principibus haut multo honestius, quam de Turco aliquo tyranno aut Tartaro, impune & sentiunt & loquuntur. Audiui ego sæpe Magnates Rerumpublicarum, & qui prudenti exemplo atque cauto ceteris præire debebant, ne in ipsa quidem turba à contumeliis abstinere. Iam vnus aliquis ex circulo, leuis ciuis & inopia laborans, gratiam & præmiolum forte aucupaturus, eos sermones ad Domesticos Procerum & familiareis defert. Inde simulates, odia, rixæ, cœdes sæpius & ipsa bella orta sunt: Iam quid de inciuilitate erga hospites commemorem? De priscis illis Germaniæ Ciuitatibus scribit Paulus Orosius, auctor certissimus & D. Augustino æstimatus: *Hospitem violare fas non putant: quique qua de caussa ad eos venerint, ab iniuria prohibent, sanctosque eos habent, hisque omnium domus patent, victusque communicatur.* Et ante eum Corn. Tacitus, qui anno post natum Christum centesimo præter propter Germaniam, quum etiamnum barbaris & paganis moribus obsita iaceret, perlustrauit, de maiorum nostrorum moribus: *Quemcumque mortalium*, inquit, *arcere tecto nefas habetur. pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecerit, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii & comes, proximam domum non inuitati adeunt, nec interest: pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad ius hospiti, nemo discernit. &c.* Hæc moribus illis antiquis, quibus res Germana probius stetit: at nostris nostrarum quarundam Ciuitatum, quæ quia Christo nomina dederunt, & in eius præcepta adactæ sunt, ad eorum normam cultiores humanioresque esse debebant, statutis & consuetudinibus hospitem recipere, vt nefas, interdicitur; tractare, vt ambitiosum improbatur; affari, vt abiectum, neglegitur. Id fors

fors est, vt alius quispiam barbariei & inhumanitati attribuat: ego vero imprudentiæ & peregrinorum morum haut scio experitiæ dicam an insolentiæ: quippe vbi Ciuium Nobilitas

Non mores hominum multorum vidit & vrbes;

Et in suaCiuitate, quę est quorundā fastuositas, ceu gallinaceus in fimo, præ sese cunctos mortaleis contemnunt, atque in ipsum adeo Iouem sese imperium tenere autumant. Cuius rei ego maxima documenta hæc habeo, quod fere magnarum diuitiarum & fortunæ bonorum modo æstimantes sunt, quarum tamen vti initium, sic finis est, animi incorruptas dotes atque æternas, quibus Respublicæ sustinentur, flocci faciunt, iisque deditos spernunt ac auersantur. Commemorare possem nuperis & recentissimis exemplis Ciuitates, quas iniuriarum hospitibus per contemptum illatarum vehementer pœnituerit, ni ea res nimis odiosa foret. Quippe illi postea Imperatorum, Principum atque aliorum Procerum gratiam sortiti sæpe contumeliarum pœnas in Ciuitates expetierunt, earumque precibus & supplicationibus, in Comitatu Cæsaris aut Principum Curiis, impedimenta obiectauerunt. Adeo verum est verbum illud vetus:

Consilio pollet, cui vim fortuna negauit.

Quin & fax ab iis inter ipsos persæpe Ciueis inflammata est, vt in partes distracta Ciuitas intus ac in ipsis visceribus incommodaretur, vicinisque Principibus tentandi ac audendi occasio in manus præberetur, nimirum sciebant, periculosiores esse inimicitias ac seditiones iuxta libertatem, vt de hisdem illis Germanis nostris prudens scriptor Tacitus obseruauit.

Queis mihi Ciuitatibus vestra Respublica, Patres Conscripti, veluti instar quoddam, à fabricatore illo mundani operis & rerum vniuersitatis, data ac proposita videtur, vt eius imitarentur exemplum. Namq; ea nō in Germaniæ tantum meditullio, sed in ipso orbis centro ac vmbilico sita, ceu lumen quoddam Solare inter Rerumpublicarum sidera elucet atq; eminet. Nonne vestra hæc perpetua laus, vestra virtus fuit, & vt sitis aliis exēplo, faciatis? Siue n. publicā administrationē considéremus, seu in priuatorum vitam oculos coniiciamus, perfectissimarum astra virtutum relucere vndique ac radiare cernuntur. Quid? ipsa Respublica numnam non ad eam formæ præstantiam ac eximietatem constituta est, vt super eius luculentitate vel cum Athenis, Lacedæmone, atque ipsis adeo Venetiis, à quibus tamen, exemplo veterum Romanorum, præcepta eius conformandæ petere non erubuistis, in certamen minime ambiguū descendere audeatis? Sed de hac, quia omniū sermonib. prędicatur, omniū scriptis cōcelebratur, dicere apud vos, sit mero meridie facē in foro vestro velle allucere. Propriora quędā vobis, & in alias Ciuitates minus nota, vt habeant, vnde sibi æmulandi specimina sumant, pace vestra liceat, quā breuissime potero, paucis exsequi.

Maiores vestri, à quibus laudatissimam hanc Rempubl. accepistis, à Principe Principum quæsiti, ecquanam ratione tantam multitudinem ad pacis otium & quietis rectam habere possent? sapienter ac prudenter optimi senatores responderunt; **Mit guten worten vnd harter straff** / *verborum mansuetudine & rigore pœnarum.* Quo dicto haut dubie innuere bonorum præmia & pœnas malorum voluerunt; quæ duo in omni Republica bene præclareque instituta primas obtinere non Philosophi, sed ipsi etiam quoque Imperatores ac Reges sanciuere. Iam vestra autem in Principes, Comites & Barones obseruantia, vestrum in Ordinem Equestrem officium, vestra erga hospites humanitas, tanta sunt, quanta verbis possunt ne illi quidem, in quos ea facilis, condigne satis extollere. nempe neminem splendore natalium & dignitate paulò præstantiorem sine honorario aliquo ciuili à vobis dimitti temere patimini. Cuius ego rei non modo testis oculatus & arbiter cottidianus, sed nonnunquam etiam particeps fui. Quid de ipsorum Ciuium, eorum quum maxime, qui sunt in numero Patriciorum, officiositate erga aduenas commemorem? quos illi tanto studio, tanta alacritate, tanto officiorum cumulo certatim demereri nituntur, vt satis declarent, se in Mercurii schola ciuilitati operam dedisse, hoc est, procul à patria hominum mores ac vitam induisse. Quis enim angulus in toto terrarum orbe est, quo nobilissima vestra iuuentus non penitrauerit? quæ religio, in cuius causas atque rationes non cum summa accuratione inquisiuerit, summoque iudicio discreuerit? quæ Respublica, cuius leges, mores & viuendi instituta, pace bellique, non sollicite ac industriose inuestigauerit? quæ Regio, quæ Ciuitas paullò amplior & frequentior ad quam non accesserit, viuerit, & substiterit: In hac apodemia, in qua non dicis aut voluptatis caussa iuuenes vestri huc atque illuc vectantur, sed in illustrissimo tamquam gymnasio, hoc proficiunt, vt quum domum reuenerint, ostentent, se inter homines esse, id est, naturæ sese variantis ingeniis, moribus atque linguis accommodare: se cum maioribus decenter, pudenter, cum inferioribus vrbane gratioseq; conuersari: se Principum consilia prudenter, patriæ negotia perite, rem domesticam caute amministrare: se denique non ea modo, quæ ante pedes sunt, videre, sed etiam quæ futura sunt prospicere, multis rerum exemplis atque argumentis edoctos didicisse. Hinc est, quod Norimberga vestra hanc præ ceteris Imperii Rebuspublicis laudem sibi propriam quodammodò fecerit, quod Imperatoribus Comites, Regibus Adsessores, Principibus Consiliarios, Aulis Equites, Palatiis Milites, & antiquitus produxerit, & nunc producat, & productura cum Deo in posterum sit. Præterea quis adeo hospes in litteris est, cui Baumgartnerorum, Hallerorum, Furerorum, Pfintzingorum, Nuzeliorum, Imhofiorum, Geuderorum, Tucherorum, Kressiorum, & qui omnium instar esse possunt, Pirckheimerorum nomina sint incognita, omnibus omnium

nium paginis sic celebrata? Quis rerum omnium in tantum imperitus, vt nescire debeat, Patritios vestros Dei beneficio & virtute sua ab Imperatoribus & S. Romani Imperii Ordinibus impetrasse, vt in Equestrem Franconiæ Ordinem cooptati, iisdem priuilegiis eademq; libertate, quibus ceteri Aurati in Germania Equites, vterentur fruerentur, & Equestria Ordinis Torneamenta, quibus, nisi cingulo militari & torque maiorum claris, interesse nemini contingebat, liberrime frequentarent, & tyrocinia sua inter primæ Nobilitatis viros exercerent ac ostenderent? Hisce viris, horum moribus, horum virtutibus Ciuitas vestra tantum debet, quantum Respublica salutis auctoribus, patria liberatoribus, ciues conseruatoribus sese debere ingenue fatentur. Quotiens namque Ciuitas vestra per eos in Comitatu Cæsaris ab oppressoribus, in Aulis Principum à calumniatoribus, apud Ordinem Equestrē ab inuidis propugnata atque defensa fuit? Quos inter minime postremum locum obtinet BILIBALDVS PIRCKHEIMERVS, Sacræ Cæsareæ Maiestatis Consiliarius, & Reipublicæ vestræ Senator. De cuius amplissimis laudibus & omni prædicatione nostra maioribus quo minus in præsentiarum exsequar, Cunradus Rittershusius, vester Consiliarius & Antecessor, Doctor meus sempiterna memoria colendus, in luculentissimo suo, de vita eius commentario, cui addi à me nihil posse video, insuper habere iubet.

Eius autem Opera, ab eodem Rittershusio collecta, & fidei meæ à Nobilissimo viro Iohanne Imhofio, eiusdem Pirckheimeri ex filia pronepote, Reipublicæ vestræ Patritio, & vtilitatis publicæ promouendæ studiosissimo, commissa, in summis licet & incredibilibus meis occupationibus, quibus districtus teneor, recensere tamen, emendare, disponere, in eum, quem videtis, ordinem redigere labriosa nimis & ærumnabili opera nisus sum, vt omnibus contestatum facerem, quāto amore & obseruantia Rempublicam vestram prosequar, cuius gratificandæ & iuuandæ caussa nullus mihi labor tam grauis vel etiam cum periculo coniunctus offerri possit, quem non modo non detrectare, verum lubens merito susципere gestiam. Est etiam caussa, qua de caussa officii huius necessitatem mihi impositam existimare debeam; eaque omninò duplex, publica & priuata. Quotiens enim maiorum vestrorum merita, & vestra ipsorum officia, suauissimæ patriæ meæ in extremis ac periculosissimis tēporibus præsto fuerunt? Quotiens amicitia, societas, confœderatio ac fides vestra Heluetiis meis affulsit & saluti fuit: Quotiens opes vestras cum aliarum Imperii Ciuitatum viribus, aduersus communis libertatis hostes, coniunxistis? Omnia vestra beneficia, quæ à vobis priuatim in patriæ meæ vtilitatem ac salutē profecta sunt, enarrare nihil necessum est: ea, quæ ipsi populares mei longa explicant serie, satis erit strictim recensere. Namque vt inde occipiam,

cipiam, iam anno Christi nati M. CCC. LXXXV. Ciuitas vestra, in Tiguri, Bernę, Soldori, Tugii, &c. liberarum Imperii apud Heluetios Rerumpublicarum subsidium, cum Argentina, Moguntia, Wormatia, Spira, Basilea, Ratispona, Francofordia, Hagenovva, Wissenburgo, Wetzflaria, Fridbergo, Seleſtadio, Oberneheimo, Pfercersheimo, Sæltzio, Augusta, Vlma, Constantia, Esselniga, Rutlinga, Rotvvila, Wila, Buchorna, Vberlinga, Memminga, Biberaco, Rauenspurgo, Lindovva, Sanctigallo, Campoduna, Kaufbura, Luthkircho, Isna Wanga, Gmunda, Halla, Heilprunna Wimpfa, Nordlinga, Dinckelspuhelo, Rotenburgo, Wintzheimo, Winsperga, Aulena, Bopfinga, & Gienga, contra publicum libertatis omnium ac singulorum hostem, Leopoldum Austriæ Ducem, coniunctis animis atque viribus fœdera pepigistis? Anno postea M. CCCC. XLIII. Ciuitatis vestræ cum primis & Episcopi Constantiensis opera concinnatum fuit, vt Tigurini cum ceteris Heluetiorum Confœderatis, inter quos accerrimum bellum incruduerat, componerentur. In Conuentu denique Constantiensi (vt nunc de inuidia, quam bello postremo apud Cæsarem patriæ meæ caussa sustinuistis, nihil memorem, quod eam satis ipse Pirckheimerus amoliatur) quem pro transigendis Heluetiorum controuersiis anno M. CCCC. XLVI. Electores Rhenani, Palatinus, Moguntinus & Treuirensis indixerant, ex Ciuitatibus præsentibus inter primas prima vestræ Reipublicæ diligentia atque cura excelluit. Quorum beneficiorum non immemores nec ingrati populares mei, quadriennio post, quum Ciuitati vestræ bellum à Marchione Brandenburgio & Ottone Baioatiorum Duce indictum esset, auxiliareis vobis copias octingentorum militum transmiserunt; inter quos cognatorum meorum Gæchusiorum virtus cum primis enituit, si qua fides est Annalium vestrorum testimoniis.

Etenim, vt ad priuatam meam caussam tandem aliquando perueniam, Gæchusius in bello Brādenburgico eam vobis operam præstitit, vt dignam iudicaretis ac idoneam, quæ annuis muneribus etiam in posteros eius compensaretur, & ipsa munera in castro eorum Kesvvila ad lacum Potamicum sito à vobis præsentarentur. Quæ ipsi me meliùs meminisse potestis, quippe qui non semel ad patrem meum Henricum, pię memoriæ, & post eius obitum, quum me anno M. D. LXXIX. defunctis necdum trimulum reliquisset, ad auunculum itidem meum Iohannem Scheigenvvilerum ab Hicob, cuius filius Iacobus nunc Kesvvilam possidet, missitare aut Norimbergæ numerare soliti estis, quemadmodum dicti patris mei acceptilationes in acta publica relatæ apud vos loquuntur. Ea omnino de re Iohannes à Gæchus in Kesvvil, consobrinus meus, quum ante septennium ad Sereniſſimum Sueciæ Regem Carolum, cui cum patre operam militarem condixerat, profe-

profecturus mihi vt valediceret, in ditionem Hohensaxiam ad radices summarum Alpium positam, veniret, quod me Pontificiorum machinationibus apud Confœderatos ac calumniis circumscribi intellexerat, plurimis verbis beneuolentiã vestram extollens me cohortatus est, ad vos vti commigrarem, & communem simul sanguinem attestatus obsecrauit, vt parentum memoriam, quam Danicis bellis ac Suedicis implicati ipse & pater perseuerare nequirent, apud vos renouarem, amicitiamque vestram, quantum mea tenuitas ferret, quam diligentissime ac studiosissime colerem, sua fide esse iubens, eam mihi & rebus hisce meis afflictis nonnulli solatio futuram.

Videtis ergo, Patres Conscripti, vestrum mihi patrocinium quasi testamento quodam (nam num adhuc Gæhusius viuat, & an auris vescatur æthereis, ambigimus) legatum ac commendatum esse. Quod vos spero suscepturos esse ea animi lubentia ac voluntate, qua meorum fidem, constantiam, officia ac benemerita in vestram Rempublicam & publicitus prædicare, & priuatis insuper donis ac honorariis, quam vos ea non ingrata neque irrita habueritis, testari voluistis. Quum autem nulla vsque occasio expromendæ ac declarandæ meæ erga vos latentis obseruantiæ sese offerret, eam vltro mihi in manus dedit ille, quem paulo ante memoraui, amicus ac beniuolens meus, Iohannes Imhofius, qui, quo est in patriam animo, litteraria hæc Pirckheimeri monumenta in ius ac potestatem meam hac conditione emancipauit, vt ea amplitudini ac honori Reipublicæ vestræ consecrarem, & ceu æternam patriæ dignitati aram statuerem. Quod ego vel eo nomine libentius recepi, quia mihi faciundum putaui, vt aliquam grati etiam animi significationem vobis exhiberem. Vos enim estis, qui me partim in vrbe, partim Academia vestra suburbana supra ipsum quadriennium studio tutelari fouistis, vos me omnibus egregiis disciplinis atque artibus, quibus nunc præcipue ad Rempublicam iuuandam vtor, imbui per vestros liberalium artium & scientiarum Professores fecistis.

Quod beneficium tametsi mihi cum quam plurimis atque adeo magna Europææ iuuentutis parte, qui inclutum vestrum Gymnasium frequentarunt, sit commune, tamen priuum esse ac proprium mihi duco, vtpote in quem tanto largius benigniusque ipsi Doctores, sempiterna nobis memoria colendi, redundare docuerunt, quam me vobis nexum magis vadatumque fore probe intellexerunt.

Cuius rei caussa vobis, Patres Conscripti, Reipublicæ, Senatui Populoque Norimbergio sacrum hoc monumentum in honorem ac memoriam immortalem (præfiscini id dixerim) lubens merito dico, consecro, offerro, & ex solemni formula pono atque statuo: Deum

Deum Trinum veneratus, vt salutaria vestra consilia regat atque fortunet ad Religionis Catholicæ Orthodoxæ propagationem, salutem sacri Imperii, vtilitatem patriæ, & emolumenta ciuium simul ac vicinorum. Valete, & feliciter perennate. Dat.
Francofordiæ ad Mœnum, à. d. VI.
Kalen. Iulii, Anno C. N.
M. D. X.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [16] - -
PUBLIC DOMAIN

CAPITA, QVÆ IN HOC TOTO VOlumine continentur.

CVnradi Rittershusij IC. & Professoris Altorphini Commentarius, de vita Pirckheimeri. fol. 1.

Elogia de Pirckheimero & Durero, & Imperatorum Diplomata. 40

PIRCKHEIMERI OPERA HISTORICA.

De Ratione scribendæ historiæ Commentarius Lat. ex Græco Luciani versus, cum MAXIMILIANI Imp. ad Bilibaldum Epistola comprobatoria & eucharistica. 51

Historiæ Belli Suitensis siue Helvetici, libri II. 63

Maximiliani Imp. Epist. de Historia Ioannis Monachi, ad Pirckheimerum. 93

Fragmentum Historicum de origine, antiquitate & euersione atque instauratione vrbis Treuerensis, cum figura ænea. 93

Germaniæ ex variis auctoribus perbreuis explicatio ad Hermannum Comitem de Nuwenar. 94

Francisci Irenici locus de nobilitate, præstantia ac politia Norimbergensium. 113

Conradi Celtis Protucij de origine, situ, moribus & institutis Norimbergæ libellus. 116

Hely Eobani Hessi vrbs Norimberga illustrata carmine heroico. 141

POLITICA.

Currus Triumphalis, honori & memoriæ immortali D. Maximiliani I. Imper. dicatus, cum figuris æneis Alberti Dureri. 172

Iohannis Stabij Consiliarij & Historiographi Cæsarei Porta Honoris, eidem Imperatori dicata, cum figuris æneis eiusdem Dureri. 176

Mausoleum D. Maximiliani I. Imp. Oeniponte in Aula noua conspiciendum. 191

Portæ Triumphales aliæ Carolo V. & Maximiliano II. Impp. erectæ à S. P. Q. Norico. 193

Ducis & Senatus Venetorum Epistola ad S. P. Q. Norimbergensem. 197

Oratio ad Carolum V. Imp. in Legatione pro Rep. Norimbergensi. 197

Oratio ad S. C. Maiestatis Locumtenentem Generalem in Legatione pro Repub. Norimbergensi aduersus eam infestantes. 198

Senatus Norimbergensis Scriptum ad Generalem Ordinis Fratrum Heremitarum sancti Augustini. 199

Bil. Pirckheimeri & Laz. Spengleri Scheda Appellationis ad Leonem X. P. M. 199

Censura de Germaniæ Rebuspublicis ad Egnatium Venetum. 201

Interpretatio quarundam litterarum Ægyptiacarum ex Oro Niliaco. 202

Apologia seu laus Podagræ. 204

Theophrasti Characteres à Pirckheimero illustrati. 212

PHILOLOGICA.

Dissertatio siue Ἀναπλοῦς de Maria Magdalena, quod falso à quibusdam habeatur pro illa peccatrice seu μοιχαλίδι. 220

Tractatus de re nummaria veterum, quo pacto cum valore aureorum & argenteorum Norimbergensium conueniat. 223

EPISTOLICA.

Epistolarum Dedicatoriarum liber vnus. 230

Epistolarum Familiarium liber miscellus, continens varias variorum epistolas, theologicas, politicas, historicas & philologicas, maxime vero Erasmi, Cuspiniani, Reuchlini, Venatorij, Spiegelij, Melanchthonis, Oecolampadij, Iulij Pflugij, Vlrici Hutteni, Alex. Schweizij. Bapt. Egnatij, Hen. Glareani, Vdal. Zasij, Petr. Mosellani, Io. Cochlei, Vinc. Obsopœi, & aliorum, cum CAROLI V. Imper. rescripto ad Erasmum de negotio Lutheri. 251

ADDITIO I.

CHARITATIS PIRCKHEIMERÆ, Abbatissæ Norimbergensis Epistolarum liber vnus. 339

ADDITIO II.

CHRISTOPHORI SCHEVRLI, IC. & patricij Norimbergensis Commentarius de vita & obitu Antonij Kressen, Præpositi Norimbergensis ad S. Laurentium. 349

Eius-

Eiusdem Defensorium Sacerdotum variis ac iucundis historiis refertum. 356

ADDITIO III.

De Orandi modo. 371
Epistola de motibus in Germania per Dominicanos & horum complices excitatis, & de occasione Lutheranismi. 372
Epistola ad Melanchtonem, continens querelas de Monialium vexatione. 374
Epistola ad Abbatissam S. Clarę. 375
Oratio Apologetica, Monialium nomine scripta, qua vitę ac fidei ipsarum ratio redditur, & emulorum obtrectationibus respondetur, petiturque, ne per vim è Monasterio extrahantur. 375
De Persecutoribus Euangelicę veritatis, eorum consiliis & machinationibus Commentatiuncula. 385
Dialogus contra ineptam & inanem amici pro amico solicitudinem, & nimiam credulitatem tumusculorum, & suspicionum vanitatem. 386
Consilium Iuridicum de vi & effectu Quietantię seu Apochę generalis, quam Nobilis Franconię dedit Episcopo Wirceburgensi, &c. 388
Appendix Epistolarum familiarium. 393

LITTERÆ CÆSAREO-PROMOTORIALES AC DEFENSIONALES, DOMINO BILIbaldo Pirckheimero, ipsiusque hæredibus Clmentissime traditæ.

NOs Carolus, Dei gratia, Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hispaniæ, vtriusque Siciliæ, Hierosolymæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Comes Habspurgensis, Flandriæ ac Tyrolis, &c. omnibus & singulis, litteris hisce notum facimus, quod Bilibaldum Pirckheimerum, Nostrum & Imperij fidelem dilectum, propter Eruditionem, quam ipsi attribuimus, in numerum Consiliariorum nostrorum adoptauerimus, indubie etiam eundem, virtute & efficacia harum litterarum, ad munus hoc, susscipimus, ita nimirum, vt sit imposterum Consiliarius noster, commodum ac vtilitatem nostram promoueat, Secreta nostra ad se perlata, ad mortem vsque fileat, faciatque insuper omnia, quæ fido Consiliario, domino suo præstari conueniunt, & ad quæ singula iureiurando se nobis obligauit. Et cum prænominatus Pirckeimerus, Sereniſſimo Principi, Imperatori Maximiliano, Domino & proauo nostro dilectissimo, laudatissimæ memoriæ, hactenus etiam Nobis & sacro Imperio sese debita obedientia ac seruitio semper subiecerit: imposterum etiam idipsum, prout potest, Nobis & Imperio præstet. Commoti sumus, collatione istorum, & ex aliis causis, istum speciali hocce priuilegio insigniuimus: Eundem etiam vna cum hæredibus suis in casibus & causis accidentalibus iurique & æquitati consentaneis, omnium illorum corpora, bona mobilia & immobilia in nostram & sacri Imperij singularem gratiam, fidem, protectionem ac tutelam recepimus & susscipimus, eaque omnia ex Romana Cæsarea potestate, plenitudine, præscientia & efficacia harum litterarum: Mandamus etiam & volumus dictum Pirckheimerum Consiliarium nostrum: Eiusdemve hæredes omnium libertatum, priuilegiorum, honorum, dignitatum, prærogatiuorum, constitutionum ac consuetudinum imposterum esse participes, quodque iisdem gaudeant, vtantur ac fruantur, vt & alij nostri Consiliarij, & qui sub nostra & Imperij singulari gratia, fide, protectione ac tutela sunt, viuunt iisdemve vtuntur & fruuntur, de iure & consuetudine, absque vllius interdicto. Mandamus igitur omnibus & singulis Electoribus, Principibus, Ecclesiasticis & Secularibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Nobilibus, Capitaneis, Eparchis, Vicedominis, Toparchis, Curatoribus, Officialibus, Præfectis, Prætoribus, Iudicibus, Consiliariis, Ciuibus & Communitatibus, ceterisque omnibus Nostris, & Imperij subditis & dilectis, cuiuscunque sortis ac conditionis isti sint, proper allegatam Cæsaream Potestatem hisce litteris, seuere iniungentes, vt prænominatum Bilibaldum Pirckheimerum vnum ex Consiliariis nostris agnoscant, honorent & reuereantur; illum etiam eiusque hæredes, præfatis Nostris & Imperij protectionibus, fide ac tutelis, omnibus fidem prædictis immunitatibus, libertatibus, honoribus & dignitatibus, prærogatiuis, constitutionibus & consuetudinibus secure vti, frui, & in totum possideri permittant, hisce contrarium quiddam non attentent, molestia aut grauamine alio non afficiant, nec aliis idem facere molientibus nulla ratione concedant, sub cautela Nostra, & Imperij grauissima indignatione, & addita pœna, nempe viginti marcarum auri puri, quas quilibet, quotiens pertinaciter contrarium facere deprehensus fuerit, semipartem Nostræ & Im-

& Imperij Cameræ, partem autem reliquam citato Pirckheimero, ipſiuſque hæredibus irremiſſibiliter ſoluere tenebitur. Idipſum hiſce litteris, manu Noſtra ſubſcriptis & Cæſareo ſigillo munitis ſeuere volumus & iniungimus. Dabantur in ciuitate noſtra Granata, 25. menſis Nouembris, anno Chriſti Saluatoris noſtri milleſimo quingenteſimo viceſimo ſexto, Imperiorum noſtrorum vtpote Romani octauo, & reliquorum omnium vndecimo.

CAROLVS

Ad mandatum Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis proprium.

Alexander Schweiz.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [20] - -
PUBLIC DOMAIN

AD IOAN. HIERONYMVM NOB. ET AMPL. VIRI, DOMINI IOHANNIS IMHOVII FILIVM.

* Materni, D. Hieronymi Baumgartneri.

INgenium claras Hieronyme cultè per artes,
Magni & nomen * aui referens, quem Norica dudum
Terra, velut clarum inbar aſpiciebat olympi,
Baumgartneriaden; paucis te verſibus horter
Edita ad illa virum doctrinâ templa ſerena.
Nec mihi præceptis multis ſcio, nec mihi dictis
Eſſe opus aureolis, quibus eſt conſperſa ſupellex
Cecropiæ pariter Sophiæ, pariterque Latinæ.
Sola tibi ante oculos per me ſtatuetur imago
Nobilis, & nullo morituri tempore clara
Pirckameri, vnde genus longo de ſtemmate ducis,
Quem te imitari aueo, quem te reſſerre decorum,
Quaque potes, totum ſelici exſcribere mente.
Ille tibi morum exemplar, tibi regula recti,
Normaque ſit vitæ cunctis in rebus agendis.
Aſpice, quanta oris probitas, & lumine quanto,
Tempora Palladiâ iuuenilia cinctus oliuâ,
Virtutum ex oculis claros oſtentet honores!
Arcanoque ſui ſpectantes ducat amore!
Multa illi, fateor, naturæ munere largo
Affluxêre bona, & diuûm arriſêre fauore.
Inprimis vero patriæ in cunabula tantæ
Qua nihil in toto lampas Hyperionis orbe
Pulcrius illuſtrat, nihil omni laude, opibuſque
Conſilioque magis ſapientûm, atque ordine florens.
Sed quocunque loco olim natus Pirckamer eſſet,
Ipſe ſibi ingenio præſtanti, atque indole celsâ
Fortunam facturus erat: licet inuia famæ
Inſula, deſertâ puerum tenniſſet arenâ.
Non latuere diu tam fauſti pectoris ignes:
Ante omnes Phœbi ſe candidus extulit ardor,
Et iuueni ſummam primo circumdedit æuo
Doctrinæ famam omnigenæ, variaſque per oras
Diſtulit. hinc magno multum dilectus Eraſmo,
Huttenoq; acri vixit: quem Francica tollit
Nobilitas, Getico muſas qui iungere diuo
Aggreſſus, geminam princeps tulit inde coronam.
Nec minor illo autem, ſed ſi fas dicere, (ſed fas)
Maior annus tuus ille fuit. Sic muſica namque
Otia dilexit, ſimul vt fera munera, & ingens
Militiæ tolleret onus, lituosq; ſonantes
Adderet imbelli citharæ. clariſſima teſtis
Helvetia eſt, dûmque patus Acronia belli.
* Maxim. I. Cæſaris. Inclyta magnanimi cum * Principis arma ſecuto
Paruit ardenti legio Germana Tribuno.
Nec ſua defuerunt numeroſæ præmia laudi.
Cætera prætereo, atque aliis memoranda relinquo;
Præcipue Rittershuſio, quem Phœbus Apollo
Omnes per ripas, atque antra virentia ducit,
Præſtantesq; animas æterno carmine inſſit
Eripere immiſſæ Lethes liuentibus vndis.
At non Cæſareæ ſileam ſanctiq; ſenatus
Ornatum titulis ſummarum ponderaverum
Æquali cepiſſe animo patriæq; ſalutem,
Imperiique decus, linguæ aſſeruiſſe potenti:
Immortalibus & ſcriptis, cedroq; linendis
Acceptam genti potuiſſe refundere lucem

* Clari-

Clarificæ. qualem alterno Nereïa fluctu
Vnda vicem reddit, gratumque reciprocat æstum.
At non illa etiam possum sine crimine magno
Excelsi studia ingenij, atque opera alta silere.
Namque his vidi oculis (cum splendida in atria patris
Illa tui nuper, patre inuitante, venirem,
Musarumque & Mnemosynes penetralia sancta
Lustrarem, dulcisque animum perfunderet horror)
Insignes minio pluteos, librosque decoris
Dispositos forulis, librorum & dædala texta;
Quos ille impenso pretio, curaque calenti
Vsque colorata Nili de gente parauit.
Illic & veterum pulcherrima signa virorum
Apparent, quos ære cæa, vel marmore viuo
Expressere manus Phidiæ, reor, aut Agesandri.
Ante alios animumque & hiantem ad singula visum
In se conuertit, sæuorum præda draconum,
Laocoon. veras lacrimas te cernere credas,
Audire & veras, saxo moriente, querelas.
Illic & Macetum, Graiæque nomismata gentis
Argento è puro quiuis miretur, & auro:
Sed magis Æneadûm facies, splendente metallo
Incusas. Vt me nuper commouit acuti
Vulticulus Bruti, atque auersa in parte refulgens
Pileus, & geminus demissâ cuspide mucro!
Quo male libertas repetita est sanguine magni
Cæsaris effuso, Parthos meditantis & Indos,
Massagetasque feros Latiæ inclinare securi.
Quid pictas memorem tabulas, aliasque figuras,
Artificum summorum opera, & diuina reperta,
Antiqui nostrique ævi? quos eminet inter
Durerus, natura opifex prope doctior ipsa.
Cuius amicitia, & iucundo Pirkamer vsu
Floruit, & doctis vrbs Norica certat Athenis.
Talia cotidie cum spectes, pectora, Imhoui,
Non tibi virtutis pulchro accenduntur amore?
Non fratrem, ingenij studio florentis, vt annis,
Vincere conaris? chari promissa parentis
Illa memor retines? Doctrinæ hæc præmia sunto
Omnia. Vter vestrum luce efflorescet honoris
Latius, hæc sibi præcipiat ditissima dona,
Pirkameri laudumque hæres, gazæque superbæ.
Ergo age, & affiantem cursu ne respice anhelo
Germanum, interiorque volans ad candida calcia,
Aufer honorato dignam certamine palmam.

Scipio Gentilis IC.

IN EFFIGIEM SVMMI SENATORIS, AB EXCELLENT. PICTORE ALB. DURERO elaboratum, ἐπίγραμμα.

Germanus Xenophon PIRCKEIMERUS *Bilibaldus*
Vt fuit: Albertus sic & DÜRERUS *Apelles*
Germanus dici meruit cognomine vero.
Non aliâ pingi dextrâ quàm debuit istâ
Ille, cui nec erat vitâ coniunctior alter.
Magnus Alexander Lysippo fingi ita ab vno
Sculptore, ab solo & pingi se edixit Apelle.

Conr. Rittershusius IC.

ALIVD.

Mirandam faciem BILIBALDI *& pectus honestum*
Patricio PIRCKEIMERÛM *de sanguine creti*

Noricus

Noricus en pinxit Zeusis super æthera notus
DÜRERUS. *Verùm dotes genij ingeniique,*
Facundámque viri linguam, meditatáque dicta,
Mentem admirandam, & quæ cætera summa fuêre,
Historico melius quis dicere chromate, dic, quis
IMHOFIO *pronepote queat? cui credere fas est,*
Namque bonâ comperta fide producit in auras.
Quod pietatis amor te iussit soluere, ? ANE
Ritè exoluisti: meritò hæc tibi Sparta relicta est.
G. Remus IC.

IDEM REMVS.

IN EMBLEMA BILIBALDI PIRCKHEIMERI, CÆSAREI QVONDAM CONsiliarij, & Senatoris Reipubl. Norimb.

MIRÆ *quid hoc rei? Ecquid*
Acheronte nata proles,
Plutique neptis ATE,
Cor sorpice hac tenaci
Vorsans terit per igneis,
Triplicique malleo instans
THLIPSIS *laboriosè*
Tundit, retundit, ictus
Geminans, nihilque cessans,
Adeò vt fatiscat incus;
Speránt ne rumpere hoc cor?
Cuius rei hæc figura est?
SPECVLO *videmus istoc,*
Quid sufferant malorum,
Quantum ferant laborum,
(Hic occupante & illic
Tyrannidem maligno
Liuore) quotquot vsquam
Agunt Boni, & per orbem
Rari quidem superstant.
Tundi, premique & vri,
Mediásque sæpè flammas
Transire nos necessum, &
Cædi calumniarum
Turpi pios flagello.
BENE *est habet. quiescens*
Obdurat, atque vincit
TOLERANTIA *omne durum.*
Nam SPES *adest ab æthrâ,*
Spes alma, nata cœlo,
Subnixa magno ?ESU,
Qui Gratiæ benignos
Irrorat vnius imbreis.
Hæc SPES *(viden'?) triumphat,*
Suos locans Olympo.

I.

ALIVD IN EIVSDEM EFFIGIEM.

HÆc *augusta (viden'?)* WILIBALDI *illius imago est,*
Qui PIRCKEIMERÆ *gloria gentis erat.*
ALBERTUS *toto notissimus orbe* DURERUS:
Cui nec Parrhasius par, nec in arte
Heroam potuit sculpendo effingere frontem:
Mentis at heroæ quis potuisset opes?
Cæsaribus, magnisq; viris, regnisq; dynastis
Teutonici; patriq; hæ patuere fuo.

Quæ quantæ fuerint; testantur opuscula: per quæ
Sicut adhuc vivi spirat imago viri.
At quamvis tantæ fuerint: quin maior & alter
Parrhasio, & nulla parte Myrone minor:
Abstulit infelix nihilo mors secius ambos:
Quæ tamen infamam nil modo iuris habet.
Virtuti horum igitur qui insistet, & ipse perennans
Auferet à serâ posteritate decus.

II.

ANAGRAMMATISMVS.

WILIBALDVS PIRCHÆIMERVS S.

HIC VIR SEMPER LAUDABILIS USU.

SEu fera fulminei tractare et pila Gradiui:
Iura laborifero seu daret æqua foro:
Siue peregrinas Orator viseret aulas,
Et sua mellifluis solueret ora sonis:
Emicuit quouis HIC VIR LAUDABILIS USU
SEMPER, *& excelsum nomen vbique tulit.*
Dum Pegnese fluues igitur; LAUDABILIS HIC VIR
SEMPER, *& illustri nomine clarus erit.*

III.

ALIVS, CVM EXPLICATIONE EMBLEMATIS.

WILIBALDVS PIRCHEIMER.

I, I! PULCHERRIME LAUDIBUS.

QTacunque occiperet, numen WILIBALDUS *amicum*
Sensit, & arcanis insinuare modis:
PIRCKHEYMERE *bonis* PULCHERRIME LAUDIBUS, I, I!
Quò tua te virtus, quò pia fata vocant.
Nil furor inuidiæ te terreat: illa decorum
Insequitur pleno, corpus vt vmbra, gradu.
Exere cœlitibus cognata semina mentis;
Atque inde auxilium si tonat aura, pete.
Nil metuat curæve, sibi mens conscia recti;
Sed locet in Domino spem, tolerétque suam.
His Genij tacitis animatus vitè susurris,
Pectore firmato quæque sinistra tulit.
Liuor ei triplicem quamuis induceret hostem;
Versaréque feris forcipe cordarogis:
Malleo *& instaret vehemens* afflictio *trino,*
Ingeminans ictus ictibus vsque nouos.
Sustinuit tamen, & diuinæ fultus opis spe
Porrexit medium fortiter his digitum.
In Domino pariter qui fidit; despicit hostes,
Gaudétque in tacito, sorte tonante, sinu.

Bern Prætorius, Reip. Synd. f.

IN NORIMBERGAM.

ALcibiadas, Pericleas, Demosthenes,
Suosq; Miltiadas, Aristidas suos
Cimonas & Cononas, & quos non viros,
Platonas atque Socratas iactant suos
Cecropiæ Athenæ. At vrbs Quiritium suos
Fabros, Catonas, Cæsares & Tullios,
Hortensiosq;: tum Metellos, Regulos
Scipiadas, hem Fama perennis cymbala,
Heroas ostentat. Recentius suos
Veneti Sadoletos, suosq; Barbaros
Bembosq; venditant. SIT *illis laus sua,*
LVMINIBVS *(absit) mœniæ vrbis* NORIDOS
Carevit suis. Sed vnus instar omnium
BILIBALDE PIRCKHAIMERE *nobis sis,* DECVS
Et fidus orbis Teutonum, Nil amplius
Addam. Inuidete, quotquot estis ô viri
Magni virum istum maximum vrbi maximæ
Cultissimaq;: Ocellus hic fuit virum
Illustrium: vrbium hæc ait est illustrium.

G. Remus F. COM.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [24] - -
PUBLIC DOMAIN

COMMENTARIVS DE VITA BILIBALDI PIRCKHEIMERI, VIRI INLVSTRIS: AVCTORE CVNRADO Rittershusio, Iurisconsulto, & Antecessore.

REM non nouam, neque insolitam aggredimur, cum vitam describere conamur Bilibaldi Pirckeimeri. Ab antiquo receptum, vti magnorum atque inlustrium virorum, qui de Republ. deque communi patriâ tàm belli, quàm pacis tempore, præclarè sunt meriti, & à Deo egregiis donis animi præ aliis decorati fuerunt, res gestæ, quibus se commendabiles fecerunt, literarum monumentis commendentur, & ad posteritatem, quæ exemplum ad imitandum inde capiat, transmittantur. Nam & veteres sæpenumerò non solum aliorum vitam: sed etiam proprium curriculum descriptum reliquerunt: idque eo consilio ac fine, vt ipsorum egregia facinora, tanquam in speculo aliis proposita, imitandi studium prouocarent, quatenus quidem ex virtute & officio vixissent egissentque: Si quid autem sequiùs patrassent, & si quibus dedeti fuissent vitiis aut flagitiis, vt ea ab aliis vitarentur. Magna est enim exemplorum in vtramque partem vis, plurimumque refert vt quisque in aliis spectet, sibi quod vsui sit, laudabilia quidem & decòra sequens, atque ad vsus suos accommodans: his contraria fugiat ac declinet. Sic enim est ingenium omnium ferè mortalium, vt multò citiùs & acutiùs in altero quisque cernat, quid ipsi desit; aut quid ipsum dedeceat, quàm in semetipso suos defectus ac næuos animaduertat. Officit enim vnicuique amor sui, quam Græci φιλαυτίαν appellant, & animi oculos obscurat atq; impedit, quò minùs quid in se desideretur deprehendat: Longè interim procliuior ad aliorum scrutinium & examen. Hoc igitur fine etiam hæc à nobis suscepta est scriptio, quam sperato fructu neutiquam carituram esse confidimus. Eius enim viri memoriam celebramus, cuius vitam iure appellauerim omnium palæstram virtutum, & speculum Senatorium. Ceterùm ne quis fortè miretur, vnde nobis, qui à vitâ Pirckeimeri centum propè annis remoti sumus, tanta rerum ipsius noticia comparata sit, vt de illis etiam librum scribere ausi simus: ante omnia illud constare lectori volumus, nihil eorum, quæ hîc afferentur, à nobis confictum, sed omnium eorum plenam fidem nobis factam certissimis documentis, quæ vel ex ipsiusmet commentariis, vel ex aliorum fide dignissimorum hominum, adde summorum principum & doctorum virorum literis, nec non archiuis publicis & libris iam auorum nostrorum memoriâ editis deprompsimus. De quibus si quis dubitare velit, is in rem præsentem à nobis deductus refelli poterit, vt dubitare pòst illa desinat, ipsis rerum argumentis abundè conuictus. Neque post, quòd quisquam de hac βιογραφίᾳ tam sinistrè suspicetur, quasi vel in odium cuiusquam, vel in aliorum fauorem, & in fomentum ambitionis, aut ad inanis gloriæ titillationem ea fuscepta sit: Sed verè testari possumus, illum quem paulò antè dixi scopum hîc nobis propositum fuisse. Qui secus rem interpretabitur, is maligno animo suo morem geret, inclementer nobis dicens aut faciens: Nec dissimilis erit viroso araneo, qui ex floscŭlis fragrantibus & salubribus, vnde apiculæ fauos suos stipant suauissimo melle, merum virus & venenum delibat & attrahit. Nouimus quidem eam esse multorum peruersitatem & prauitatem animi, vt nihil tàm dextrè dici, scribi aut fieri possit, quin sinistrè acceptum detorqueri possit. Veruntamen vir honestus & intelligens non ob id deterreri debet à bono proposito, vt, quę honesta esse nouit, abiiciat aut intermittat. Quin potius strenuè in eo pergere debet, quod Deo & bonis viris se probaturum confidit. Omninò oraculi instar habent versus, quos subiiciemus acceptos ab amico nostro beatæ memoriæ Ioachimo Camerario Medico Reipubl. Nurembergensis præstantissimo & optimo viro, qui crebris eos vsurpare sermonibus solebat:

Sit malus interpres, nunquam bona verba iuuabunt:
Sit bonus interpres, nunquam mala verba nocebunt.

Quamquam quid est quod metuamus inuidiam, quæ vel Pirckeimerum vel alios ex eâdem familiâ comitetur & afflet, etiamsi de ipsis maxima quæque, verissima tamen prædicentur? Iam enim ferè secŭlum est ipsum ex quo illi vixerunt, tametsi per gloriam perpetuò viuere intelligantur. *Mortuorum verò laudi nemo inuidet*, vt ait Thucydideus Pericles: *Sed defunctis beneuolentia sine obtrectatione*

præstatur: &, *Inuidia viuentes tantùm exercet*. In quam sententiam Ouidij quoque notissimus est versus:

Pascitur in viuis liuor; post fata quiescit.

Sed ne nimium immoremur procœmio, ad rem ipsam adcedemus, & præcipua eorum, quæ de personâ & rebus gestis Bilibaldi Pirckeimeri comperta habemus, & ex supra dictis documentis colligere potuimus, simplici stylo, neglectis Rhetorum coloribus & pigmentis describemus. Postulabat quidem is de quo agimus, pro summâ suâ quâ pollebat eloquentiâ, etiam talem vitæ suæ scriptorem, qui hanc narrationẽ omnibus orationis luminibus illustrare posset. Verumtamen dum alius nemo se tàm longo tempore obtulit, qui hoc officio fungeretur, nostram quoq; vt speramus, operam non aspernabitur, quam ipsius excellentis virtutis admiratione impulsi suscepimus, simul etiâ studio grati faciendi eius pronepoti ex filiâ Ioanni Imhofio, Patricio Noribergenti, Bibliothecæ Pirckeimerianæ conseruatori & possessori, qui, vt aliis sæpè studiorũ amatoribus, ita & nobis aditum ad illum thesaurũ suum perbenignè patefecit: permisitq;, imo & rogauit, vt dispersas hasce reliquias scriptorum proaui sui materni, quas hoc opere comprehensas in lucem damus, colligeremus, & in aspectum hominum vtilitatemq; publicã proferremus. Quis igitur quantusq; vir fuerit Pirckeimerus, etsi ex ipsius iam olim editis operibus, & aliorum quoq; mentione clarissimorum virorum obscurum non sit, ex nostro tamen hoc libello manifestius cognoscetur.

Gens Pirckeimera à multis retrò seculis clara & nobilis fuit, ac Nurembergæ illis familiis patriciis iam olim adnumerata ex quib. Senatores leguntur, per quos ea Resp. quam Aristocraticam esse constat, gubernatur. Inter omnes enim Germaniæ ciuitates cũ paucis propè hæc sola optimatum paret imperio, quum reliquæ ferè populari siue Democratico regantur atq; administrentur consilio. Ex hâc igitur clarâ & antiquâ familiâ noster Bilibaldus Pirckeimerus natus est; quam tamen si liberis masculis conseruare ac propagare non potuit (ipse enim inscrutabili consilio ac voluntate Dei vltimus fuit in quo illa defecit extincta; est: quod quidem & aliis sæpe magnis viris & familiis in lustribus contigit, vt insignia maiorũ idem tumulus, qui ipsorum corpora obrueret) tamen à Deo Opt. Max. quasi satcire volente illum defectũ aliis præstantissimis donis ingenii & eruditionis multiplicis, insigniter muneratus & decoratus fuit: quibus hoc consequi potuit, vt præclara facinora partim ipse perficeret, partim ab aliis perfecta describeret: ac vel alterutrâ viâ, nedum vtrâq; ad immortalitatem nominis honestissimi peruenire, quo etiam superstes est, eritq; semper, dum hæc mundi machina stabit. Atq; haud scio an genus & nomen suũ magis propagare potuerit, numerosissimâ licet sobole masculâ procreatâ; & relictâ, quàm nunc fecit, cum sine omnibus masculis decessit. Nimirum in ipso quoq; probari debuit veritas illius sententiæ, quam ex ipsâ sumptam experientiâ, cum alii sapientes tum Homerus vatum maximus sempiternis carminibus celebrauit: *Deum vnt hominꝫ non dare omnia, sed alijs alia partim concedere, partim denegare*. Filios per quos familiæ conseruantur, Bilibaldo nostro Deus nullos superstites esse voluit: sed interim pauci omnibus temporibus repetri sunt, quibus tanta charismata indulserit, quanta in Bilibaldum nostrum contulit, quod ex sequenti narratione, quantumuis non penitùs comptâ ac simplici, manifestum euadet. Quid enim? An, non hoc ipsum primò magnum satis est beneficium ex tali familiâ oriundum esse, quæ à multis seculis opibus, honoribus, dignitatibus, quæq; longâ serie protulerit viros præstantes, multis principibus gratos & patriæ commodis procurandis maximè idoneos? Habuit hoc præcipuum semper hæc ipsa familia Pirckeimerorum, vt quamplurimis ornata fuerit non solum viris, sed, quod mirère meritò, mulieribus etiam doctissimis. Nam quemadmodum Bilibaldi atauus Ioannes Pirckeimerus, qui ante ducentos annos primarius senator floruit, omnes illius temporis Nurembergenses diuitiis superasse creditũ fuit: ita proauus Cunradus præ cunctis ciuibus suis doctrinâ enituit. Huius vestigia filius Ioannes Bilibaldi nostri auus insecutus eruditione nequaquam patre inferior fuit. Sed inter omnes maximè Bilibaldi pater Ioannes excelluit. Nam præterquam quòd Iuris vtriusq; peritissimus, omnimodaq; eruditione insignis, præcipuè apud multos Germaniæ principes inclaruit, magnam adeptus auctoritatem. Ac primum quidem cum Doctorarum vtriusq; Iuris solidâ cũ laude consecutus esset, atq; ad lucem Reip. aularumq; splendorẽ natus esse videretur, ab Episcopo Areatino (vulgò Eystatensem vocãt) qui inter Germaniæ Principes nequaq̃ postremum obtinet locum, in numerũ consiliariorum cooptatus, & ad maximarum deliberationẽ rerum expeditionemq; adhibitus fuit. Quo in munere aliq̃ multis annis ita se gessit, vt Albertus Bauariæ Dux, Princeps illo æuo non minus prudẽtiâ, quàm potentiâ inclutus Bilibaldum singulari clementiæ suæ fauore complecti ac prosequi cœperit, summisq; virib. in id incubuerit, vt ab Episcopo clementer dimissum in suam traduceret aulam. Quod cũ vix ab Episcopo multis impetrasset precibus: suis deinde consiliis ipsum admouit, aucto etiam vltra duplũ stipendio, q̃ ab Episcopo perciperẽ solebat, omninòsq; magno in honore & carissimũ hunc nouum consiliarium habuit. Hoc igitur patre Doctore Ioanne Pirckeimero (cuius mentionẽ oportuniore loco, ex Cũradi Celtis testimonio in mediũ prolato, faciemus) Bilibaldus noster natus est Eystadii anno salutis nostrę millesimo quadringẽtesimo septuagesimo. hunc. n. natiuitatis eius annũ ex ipsiusmet cõsignatione didicimus, & pro certo habemus. Ex quo

obiter

obiter corrigẽdus est crassissimus ἀνιστορησίας error in Iconib. clarorum virorum Basileæ & Francofurti impressis, à nonnullis commissus. Adscribunt enim ipsius natalem Anno millesimo quingentesimo primo, & tamen anno trigesimo primo mortuum esse volunt: quod de morte nos quoque fatemur, (initio quippe eius anni obiit) sed de natali pernegamus tàm constanter quàm verè. Ex ipsorum quidem ἀναγραφῆς annotatione sequeretur, Bilibaldum tantum triginta annos compleuisse viuendo, quod manifestò falsum sapit: nam & temporis ratio, & omnes rerum ab ipso gestarum circumstantiæ euincunt ac demonstrant clarissimè, alterum tantum vitæ tempus, atque ita sexaginta annos ipsum exegisse, vt nunc illam priuatam scripturam omittamus, quæ tamen & ipsa, vt fide dignissima, rem totam conficit. Comperimus enim Bilibaldum duas habuisse sorores Caritatem & Claram: quarum vtraque literis probè exculta fuit, & non tantum Latinam linguam, sed etiam sacram Scripturam egregiè calluit, vt non tantum cum fratre suo Bilibaldo, verum etiam aliis illius æui doctissimis viris, non sine omnium admiratione & literas Latinas cómutarint, & sermones de rebus arduis contulerint. Quâ quidem eruditione sua hoc sunt consecutæ, vt aliquot libri & tractatus, qui adhuc extant, ipsis nuncuparentur atq; inscriberentur. Nam & Cunradus ille Celtes paulò antè nominatus, (qui primus in Germaniâ Poeta Friderici III. Imperatoris Aug. manib. coronatus est) carmina ipsis dedicauit: & frater ipsarum Bilibaldus alteri opera Beati Fulgentij & Maximi, Plutarchi quoque librum de serâ Numinis vindictâ, aliaque huiusmodi pulcherrima scripta, alteri verò sententiosa capita sanctissimi Episcopi & Martyris Nili, quæ ex Græcis Latina fecerat, inscripsit. Quin etiam extant epistolę Doctoris Sixti Olhafij, & Doctoris Christophori Scheurlij Iurisconsultorum quasi ante hos centum annos Nurembergæ impressæ & sororibus Pirckeimeri nostri dedicatæ: ex quibus illa quam D. Christophorus Scheurelius de claritate familiæ Pirckeimerianæ scripsit, huic vitæ descriptioni proximè subiicietur. Fuit autem non solum illis temporibus, sed etiam aliis ferè omnibus perrarum atque admirandum, aliquas ex illo sequiore sexu ad tantam peruenisse eruditionem: cuius raritatis causam hanc esse existimamus præcipuam, quod ingenia fœminarũ literis non excoluntur. Arcentur autem à studiis ideò ferè, quia persuasum est vulgo, fœminas studiis literarum & multarum rerum peritiâ ad curiositatem atque luxuriam incitari & in pudicitiæ discrimen adduci. Cui timori peruulgatæ opinioni vir Clarissimus & optimus Iohannes Ludouicus Viues in libris de disciplinâ Christianæ fœminæ fortiter contradicit, eamque firmissimis argumentis confutat. Quâ de re quid quisque sentiat, per nos integrum esto. Illud certè negari non potest, vixisse multas honestissimas matronas, quibus literarum peritia nullum pudoris periculum aut detrimentum attulit; cuius rei exempla præbent Cornelia Gracchorum mater, quæ Romæ suos liberos ipsa domi eruditos, nec parum institutione domesticâ, ad illam eloquentiæ laudem, quâ postea Gracchi in Rep. sunt consecuti, contulisse existimatur. Filiæ item Lælij & Hortensij, Eudoxia quoq; Imperatrix & Sulpicia, cuius de temporibus Domitiani Satyram hodieque admiramur: & Proba Falconia Poëtria (vt nunc priscas illas Poëtria Sappho, Erynniam, Sibyllas, & alias omittamus) Paulamitem & Eustochium, quas D. Hieronymi amicitia epistolis illius celebrata & pietas singularis nobilitauit: denique Olympia Fuluia Morata, quæ nostrâ ferè memoriâ vixit, & in quâ eruditio cum pietate certauit. Nihil nunc dicam de potentissimâ & celeberrimâ Angliæ Reginâ Elisabethâ singularis exempli fœminâ, quæ ante paucos annos obitu suo viduatum regnum successioni Iacobi regis Scotiæ patefecit, & occasionem præbuit vniendo Britanniæ regno, prius per multa secula in Scotiam & Angliam distracto. Nihil de aliis eruditis fœminis dicam, quarum prolixum catalogum, si id agerem instituere possemus. Ad Bilibaldi nostri sorores reuertimur, quibus sua literarum eruditio & bonarum artium cognitio, tantum abest, vt vllo pacto illibatum florem virginitatis ac pudicitiæ ipsarum imminuere aut deterrere potuerit, vt potius ad illius conseruandam integritatem plurimum quoque momenti habuerit. Nam vt Nurembergæ nunc quoque notissima fama est, ambæ in Cœnobio S. Claræ institutum sequente vixerunt: in quo maior natu Caritas principem conuentus sui locum obtinuit (Abbatissam vulgò nuncupamus) altera eiusdem cœnobij virgines alias in literis ac moribus informauit. In illo vitæ genere, ad extremum vitæ terminum permanserunt, Deoq; pro modo talenti sibi concessi, fideliter ac seriò inseruierunt.

Verùm vt ab hac digressione siue exorbitatione, non iniucundâ, vt puto, neque infrugiferâ, quasi in viam & ad Bilibaldum nostrum reuertamur. Quamprimùm ille per ætatem doctrinæ capax fuit, & literis ad humanitatem informari potuit, à patre studiis bonarum artium admotus fuit: vbi consessim non vulgaris ingenij specimen, sed excellentis indolis indicia præbuit. Deinde posteaquam primùm ad eam peruenit ætatem, vt equitando patrem sequi posset, in diuersis legationibus ad magnos principes obeundis illi adhæsit, nec vnquam à latere eius discessit. Erat enim pater non solum Bauariæ Duci à Consiliis, vt supra dixmus: verùm etiam Archduci Sigismundo Austrio principi optimo, qui suo tempore vnus ex potentissimis principibus habebatur: cumque esset inter illos principes summa necessitudo & amicitia sæpiùs conuenerunt: eaque occasione Bilibaldi pater Ioannes an Archiducis Sigismundi noticiam peruenit: qui quidem adeò eius prudentiam atq; eloquentiam admirari cœpit, vt modis omnibus instantissimeque laboraret in eo ad se traducendo. Verùm

cum Albertus vehementer reluctaretur, & hunc ſuum cõſiliarium dimittere recuſaret, eò tandẽ res deuenit, & hoc inuentum eſt remedium, quo vtriq; principũ nonnihil ſatisfieret, vt ambob. pariter â conſiliis eſſet D. Ioan. Pirckeimer, ſemeſtri in aulâ Monacenſi, altero Oenipontanâ verſaturus. Ab his igitur duob. potentiſſimis principib. ad varios Reges ac Principes legatus miſſus ſemper filium ſecũ duxit, ita vt non ſolũ varios hominũ mores & vrbes multas ac regiones perluſtraret, ſed patris ét quotidiano exemplo atq; domeſtico maturè ad decus laudemq; virtutis incitaretur & cõtenderet. Nam vt optimus ait auctor: A teneris aſſueſcere multũ eſt: imò non dubitat princeps Philoſophorũ affirmare, in hoc eſſe omnia, quo pacto quiſq; à primis annis informetur & aſſuefiat. Interim tamẽ nunq; pater ab eo inſtituendo ac bonis artib. imbuendo ceſſauit, aut quicq; deeſſe paſſus eſt. Præcipuè verò in arte Muſicâ & inſtrumentis Muſicis tractandis edoctus fuit diligentiſſimè, cũ in eo ſingularis quẽdã propenſio naturæ, ad modos muſicos, & capacitas ingenii ad eos addiſcendos deprehenderetur. Quod quidem bonæ indolis inter cetera non minimum fuit argumentum. Cui ignotum quanta vis ſit artis muſicæ & cum animis humanis cognatio? Vnde & Pythagoras aliiq; ſapientiſſimi Philoſophi plurimum ei tribuerunt, eâq; ad animorum contemperationem & tranquillitatem libentet ſunt vſi. Cum verò adoleuiſſet Bilibaldus â patre aulæ Eyſtadienſis Epiſcopi mancipatus fuit, non ſolum vt aulicorum cognoſceret mores, ſed etiam in militiâ & artibus bellicis ſe exerceret, eò enim naturâ quodammodo ferebatur. Accidit eo tempore, vt Epiſcopus ille à quamplurimis vrgeretur hoſtibus, qui latrocinando & prædas agendo improuiſas potius, quàm iuſtum ac indictũ bellum inferendo prouinciam ipſius quotidianis incurſionibus infeſtarent & deuaſtarent. Ibi ſe Bilibaldus equeſtri militia per bienium ita exercuit, vt nõ minus apud hoſtes cognitus, quam Epiſcopo domino ſuo charus atq; acceptus eſſet. Nullo enim ſe defatigari labore permittebat, non vigiliis, non inediâ, nullum declinabat onus, nullum periculum: ſed quicquid iniungeretur alacriter ſuſcipiebat & ſtrenuè obibat, ea quoq;, à quibus alii difficultate deterriti, refugiebant. Quâ tamen in re ita ſe gerebat, vt nihil temerè, nihil inconſideratè, ſed omnia circumſpectè & maturo conſilio ageret atq; perficeret. Vnde fiebat, vt tàm præfectis, quàm gregariis militib. acceptus eſſet. Illis namq; omnibus in rebus obſequentem ſe præbebat: hos verò multis ac variis demerebatur officiis, itaq; omnium, minimorum, maximorum fauorem prouocabat & conſequebatur. Neminem præterea offendebat nullí ſe præferebat, ab omni detractione aliorum abſtinebat, atq; in id ſolum incumbebat, quomodo traditas ſibi partes rectè impleret. Ita virtute in obſequendo, verecundiâ in prædicando & extra inuidiam nec extra gloriam erat. Eo tempore omnia armorum genera peritiſſimè tractare didicit, vt nõ minus pedeſtri quàm equeſtri militiæ aptus & idoneus fieret. Ac tametſi ſtaturâ altior eſſet, equitando tamen perquam agilis erat ac viribus corporis ita robuſtus, vt luctâ, iactu, curſu omnes ſuperaret æquales: Saltu verò ita leuis, vt altiſſimos etiam equos perquàm facilè tranſiliret. Cum verò iam vigeſimo appropinquaret ætatis anno, pater illum in Italiam mittere decreuit, vt ibi ſtudia aliquandiu intermiſſa recoleret atq; continuaret. Quæ res magnoperè tunc quidem animum ipſius offendebat, & permoleſta ei accidebat. Inualuerat enim ea tempeſtate hæc praua atq; peruerſa opinio, literas hominibus militaribus & aulicis dedecori atq; ignominiæ eſſe. Multò igitur maluiſſet in militiâ & equeſtribus exercitiis perſeuerare, atq; in inferiorem Germaniam eo nomine proficiſci. Ibi enim eo tempore inter Maximilianum I. Cæſarem ac Gallorum Regem maximum erat bellum. Tanta Bilibaldi animum gloriæ militaris cupiditas intrauerat. Verũ cum pater illi oſtenderet, quantum literæ præſtarent armis & togatâ vitâ militari, commodaq; & incommoda ambarum ob oculos poſuiſſet: incenſum ac flagrantẽ animum iuuenis facilè ſuâ prudẽtiâ coërcuit, patriq; , vt qui plus intelligeret, parère pius filius æquũ eſſe duxit. Itaq; primò Patauium ſedem ac magiſtram ſtudiorum profectus, per triennium ibi legibus operam dedit. Quod tametſi princeps ipſi ſtudium eſſet: tamen interim humanitatis quoq; ſtudia, ad quæ naturâ ferè procliuior erat, haud quaquã omiſit. Cum n. eo tempore Patauii Græcus quidã Creticus nomine vir doctiſſimus literas Græcas ſtipendio publico magno auditorũ concurſu doceret: Bilibaldus ſingulari illarũ amore accẽſus eſt. Cũ igitur animum ad Græcitatis ſtudiũ applicuiſſet, breui tantũ profecit, vt & Græcus ipſe eius doctor admiratione duceretur. Verum cũ pater Bilibaldi hũc filij conatũ intellexiſſet, ſeriò ipſum abſtraxit atq; inhibuit, nõ alio colore quâ hoc, literas Græcas tametſi fortaſsis ornamento eſſent homini, parũ tamen ei poſſe, cũ è diuerſo iura, ſiue Cęſarea, ſiue Pontificia vltra commodum perq; etiam neceſſaria ſint reb. inuitâ cõmuni expediendis, atq; ad conſeruationẽ ſocietatis ciuilis magnoperè pertineant. Deſiſtere igitur aliquãtulũ in Græcis à propoſito coactus, nõ ſine animi indignatione, Patauio derelicto, Ticinũ profectus eſt: vbi eâ tẽpeſtate præſtantiſſimi I C. florebant, & cum ingenti concurſu atq; applauſu leges profitebãtur Iaſon Maynus, Ioh. Paulus Lancelotus, & Philip. Decius, quorũ egregia opera hodie extant, & in quotidianâ praxi forenſi merito ſuo fiunt maximi. Ibi per 4. ann. ferè, omnib. aliis ſtudiis interim dimiſſis ac ſepoſitis, legib. & harũ Interpretib. ſolũ incubuit. Præcipuũ verò illi hoc tẽpore, q; Patauij atq; Ticini trãſegit, cũ Italici generis hominib. cõmercium fuit: ex quo factũ, vt à Germanis qui ibidẽ viuebant, in inuidiam vocaretur, & aliquando malè audiret: quã tñ meleuolorũ & imperitorum

torum hominum obtrectationem parum curare ſolebat. Sed Italici generis hominum cõſuetudine, moribus & ingeniis idcirco potiſſimum delectabatur, quòd ipſi eorum ciuilitas, temperantia & eruditio maxime probaretur: cum è contrario à luſibus aleæ, comeſſationibus, potationib. & heluationibus atq; immodicis & inanibus ſumptibus luxuriâq;, quib. rebus alios deditos videbat, toto pectore abhorreret. Nec minus & ipſe Italis carus & iucundus erat, nõ ideo ſolum, quod eorum ſermonibus & ingeniis probe ſe accommodare poſſet, ſed etiam quia ipſum tanta præditũ humanitate comitateq́ue & facilitate morum cernebant, quantam haud facile in aliis deprehenderant. Maxime vero Muſicæ in eo peritiam ac præcipue organorũ ac lutenarum (vt nunc appellant vulgo) tangendarum dexteritatem admirabantur. Qua re illud quoque conſecutus eſt, vt quotidianâ cum Italis vitę conſuetudine linguã Italicam exacte diſceret: cuius quidem vſu poſtea ſemper delectatus eſt iuxta vernaculam Latinam & Græcam linguas. Ac tametſi, vt paulo ante dictũ eſt, à ſtudio Græcæ linguæ per patrem (ex neſcio quo opinionis errore, quo etiam nunc multi ſunt faſcinati, exiſtimantes cognitionem eius parum prodeſſe, imo plane inutilem eſſe Iuriſconſulto & politico futuro) propemodum detentus plane que abſtractus fuiſſet: id tamen non penitus neglexit, aut à ſe abdicauit totum: ſed poſteaquam ſui iuris factus eſt, &, vt Iuriſconſultorum verbo vtar, in ſuam tutelam peruenit, tanto vehementius in id exarſit, multaq́ue Græcè ſcripta & lectitauit creberrime, & in alias linguas, puta latinam & Germanicam tranſtulit. Veriſſime enim dictum eſt à poeta: *Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.* Nec minus interim præter Iuriſprudentiam aliis quoque diſciplinis, ſublimi & erecto ingenio dignis, vt Theologiæ & Mathematis, vt inprimis Geographiæ & Aſtronomiæ, vt Hiſtoriis, & quod miteris, etiam medicinæ operam dare ſolebat. In quibus vniuerſis ac ſingulis adeo verſatus ac peritus fuit, vt cum quouis, qui in aliqua iam enumeratarum artium ſola totum fere æuum contriuiſſet, & artifex haberetur, eximius certare ac paria facere, multos etiam longe ſuperare poſſe videretur. Nec ſupra modum hæc à nobis extolli, aut falſa de ipſo prædicari facile apparebit ex libris & commentariis ipſius partim impreſſis ac editis, partim adhuc ineditis. Vnde non ſine ſumma admiratione colligimus & æſtimamus, quam præclarum & capax ingenium, quamq́ue heroicus animus atque intellectus in hunc virum à Deo Optimo Max. collatus fuerit: cum non ſolum Reipubl. & officij ſui politici, ſed etiam aliis plurimis negociis occupatus tam multa in tam variis ac multiplicibus ſtudiis, nec minus belli quam pacis temporibus præſtare & perficere potuerit. Sed his de rebus infra plenius tractabitur, vbi ad virilem ipſius vigorem ætatis, & perſonam, quam in Republ. ſuſtinuit, nos huius ſeries narrationis deduxerit. Adhuc enim de Bilibaldi adoleſcentia agimus, & vita ſcholaſtica, in qua non ſecus atque in florente & fœcunda arbore maturè apparuit, quam preſtantes atque egregij fructus inde cum ad maturitatem peruenisſet expectandi forent. Cum igitur Bilibaldus per omnem honeſtarum artium cultum pueritiam adoleſcentiamque tranſegiſſet, inq́ue Italia non ſolum quinquennium (quod tempus Imperator Iuſtinianus ſtudioſis Iuris legitimum præſtituit) in hoc quod dixi præcipuo ſuo ſtudio, magna cum diligentia, aſſiduitate, vtilitateq́ue exegiſſet, ſed fere ſeptennium in ea florentiſſima regione commoratus fuiſſet, ac tam multos præſtantes Iuriſconſultos ſedulo docentes audiuiſſet, & quiddam non pœnitendum ſub tantis Doctoribus ipſe tanta indolis & ſtudij eminentia præditus profeciſſet, tandem à patre D. Ioanne reuocatus in patriam rediit. Nec abſurde fecerit, qui Bilibaldum cum mercatore aliquo locuplete comparauerit, qui poſt complurium annorum peregrinationem, qua terras & maria obiuit, variasq; regiones peragrauit, atque ex vnoquoque loco precioſiſſima κειμήλια & gemmas aliasq́ue ſelectiſſimas merces ſibi comparauit & collegit, tandem domum valde ditatus reuertitur, magnam neceſſariis ſuis gaudij ſegetem ac materiam apportans, quibus cum fructum longinqui ac diuturni itineris ſui per omnem vitam volens ac lubens partitur. Circa id tempus pater eius, vtpote iam pertæſus vitæ aulicæ & ſatur indefinentium ac multiplicium curarum & molis negotiorum, quibus illa referta eſt, à principibus ac dominis ſuis cum bona gratia dimiſſus ac velut rude donatus Norembergam redierat, vt ad vitam quietiorem tranquillioremq; velut in portum quendam ex illa iactatione ſe reciperet. Accedebat, quod pater ipſius eiuſdem cum filio Ioanne nominis (Bilibaldi noſtri auus) qui tum etiam ſuperſtes erat, ſed tanto confectus ſenio, vt per vires rei familiari ſuæ ampliùs præeſſe, vt par erat, non poſſet, huic oneri velut alium quendam Atlantem, qui ſibi ſuccederet, depoſcere videretur: itaque Ioannes ob patris ſui ſenectutem res familiares paternas tractare cogebatur. Quæ occupatio etſi per ſe minime leuis erat, tamen pro publicis illis curis ac negociis, quib. antea diſtinebatur, quietis & ocij inſtar fuit. Hic facile cuiuis coniicere, quantum fuerit beneficium, & quantum gaudij argumentum, quod Bilibaldus noſter, cum iam viginti ſeptem annos natus eſſet, non modo patrem, ſed & auum ſuum ſuperſtites habuit: quæ felicitas pauciſſimis contingit noſtro præſertim ſeculo, quo ferè homines non tam propter deficientes atque exhauſtas naturæ vires, quam ob crapulam & cibi ac potus & libidinum intemperantiam non amplius ad tantam ætatem perueniunt, quanta maioribus noſtris obtigit, qui quod fere magis ſobriè temperanterq́ue viuerent, hoc quoque (niſi fallimur) adiumento ad longè maiorem ſenectutem Dei conceſſu ac munere peruenerunt. Qua de re nunc non eſt quod piuribus diſputemus. Reuerſus igitur domum Bilibaldus poſt aui ſui mortem cum patre de-

liberabat, quodnam deinceps vitæ genus instituere t. Quæ quidem consultatio iam olim à sapientissimis Philosophis & Oratoribus difficilima & maximi momenti habita fuit: neque id sanè immeritò. Notum est omnibus exemplum Herculis Prodicij in bivio constituti, de quo est apud Xenophontem, Ciceronem, & alios auctores. Extant quoque eiusdem argumenti versus pulcherrimi ex Græcis Epigrammatibus Latinè translati, quos ex ipsius Bilibaldi autographo descriptos neutiquam indignos putauimus, quos huic libello per occasionem istam insereremus velut pulchrum quoddam Emblema. Prius autem epigramma, quod Posidippo, & ab aliis Crateti Thebano adscribitur, vituperationem continet variorum in vita humana ordinum: posterius eorundem commoda & laudes persequitur. Græca qui volet ex libro primo anthologiæ, tit. x i i i. petere potest: nos hîc latina, vt in aduersariis Bilibaldi nostri inuenimus, subiiciemus:

I.

Quem vitæ cursum teneat quisquam? omnia tandem
Aut labor, aut metus, aut cura perennis habet.
Dissundit turpes temeraria concio voces
Clamosoq; strepunt iurgia sæua foro.
Vlrices penetrant secreta cubilia curæ:
Assiduus vincit vix tamen arua labor.
Turgida disserdunt audaces æquora nautæ:
Alternat geminum vita quieta malum.
Diuitias, metus est, casus ne perdat acerbus:
Si nihil est, dolet hoc iam nihil esse domi,
Nupseris? æ rumnæ comites sine fine sequuntur:
At sine coniugio est dimidiata domus.

II.

Qualemcunque viam carpas, tibi consulo vitæ,
Magnum duorum est spernere dona nefas.
Concio nobilitat linguas facunda disertas,
Clamosum teritur non sine laude forum.
Suscipiunt dominos, per gratam tecta quietem,
Annuus à cultis est tibi fructus agris.
Turgida si terrent audaces æquora nautas,
Spes lucri extinguit multiplicata metum,
Diuitiæ rebus sunt ornamenta secundis:
Paupertas tacito tutior ipsa viro est.
Nupseris? æternos germen tibi durat in annos:
Expers coniugij est vita onerosa minus.
Fœcundos ornat natorum turba parentes:
Non rodit steriles anxia cura domos.
Arma vigens tractant multa cum laude iuuenta
Consiliis gaudet sexa senecta suis.
Non ergo optanda est de binis altera rebus,
Nam nasci, & natum morte perire licet.

Horum versuum ex Græcis liberius translatorum auctorem suspicari licet ipsum Bilibaldum, qui in aduersaria sua eos retulerat sicut diximus. Nam præter aliarum omnium hominc ingenuo dignarum artium peritiam quam probè etiam Poeticam percalluerit, quamq; facili & eleganti vena scribendi carminis præditus fuerit, cum ex aliis multis documentis facilè intelligitur, tum ex pulcherrimo carmine, quo Alberti Dureri abitum prosecutus est, suumq; ipsius summum desiderium pulcherrime expressit. Sed vt ad narrationis seriem reuertamur. Constituerat Bilibaldus Doctoratus gradum in vtroq; Iure suscipere, & Cæsaris Maximiliani I. aulam sequi. Ceterum ab hoc proposito per patrem Ioannem se dimoueri passus est, cum vir sapiens, & plurimarum in vita rerum experiens ad memoriam filio reduceret varia aulæ incommoda, pericula, & immensos labores, quos & ipse aliquandiu exantlasset. Fidem enim seni conciliabat propria experientia, & erga filium paterna affectio, quæ vel Papiniano nostro teste, semper melius consilium pro liberis capere præsumitur. His igitur rationibus motus Bilibaldus consilium mutauit, & cogitationes de Doctura & Aula deposuit, præsertim cum & diuitiis abundaret pater, à quo amplissimã poterat expectare hereditatem. Porro cum pater ei suaderet coniugium, vxorem sibi elegit puellam è patricia gente nobilis. Rieterorum, nomine Crescentiam, non minus honestam & probam, quàm locupletem virginem. Hanc autem præstantissimam matronam, & singularis exempli seminam, quam ardêter amauerit, quot ex eâ liberos susceperit, quàm grauiter molesteq; tulerit ac deplorârit præmaturum ipsius obitum, vt deniq; in ipsius memoriam & honorem ipsos xxvi. annos viduus permanserit, in-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [30] - 6
PUBLIC DOMAIN

ferius commemorabitur pluribus. Vix maritus iam factus erat Bilibaldus, cum mox in Senatum lectus est, ad quem Nurembergæ cœlibem vitam agentibus non patet aditus. Ibi ille campum scilicet nactus, in quo egregia sua virtus decurreret, ac theatrum amplissimum, vbi se qualis quãtusq; esset, ostenderet. Ciuilia negotia eâ diligentiâ ac dexteritate tractare cœpit, & cordi sibi habuit, vt primo statim anno Senatoriæ suæ dignitatis in causis grauissimis legatus ad varios Principes à Nurembergensibus Reip. nomine mitteretur: Qui honor non facilè cuiquam alii tam cito contingit: Cum alias ad eiusmodi causas maioris momenti ac legationes illi maximè deligi consueuerit Senatores, qui aliquandiu illâ dignitate præditi fuerunt, multarumq; rerum longiore vsu experientiam sibi comparârunt & prudentiam collegerunt. In illo itaq; vitæ genere etsi minimè otio abundabat, sed, vt facile est colligere, plurimis subinde negotiis prægrauabatur: nequaquam tamen vel sic Musis valedixit, aut studia litterarum intermisit: Sed quantum omninò ei per occupationes publicas licebat, aut quantum ab his dabatur vacui temporis (quod ipse sibi potius suffurabatur) id totum studiis impendere solebat. Alias autem oblectationes, quibus ferè indulgetur, ipse in totum negligebat, vtq; adeo, vt ab amicis nonnunquam hoc nomine reprehenderetur, nonnunquam etiam deteretur & sannis exciperetur, vt qui studia sua comessationibus, conuiuiis, nugis, spectaculis, aliisq; id genus vulgaribus & corporeis voluptatibus tam pertinaciter anteponeret. Cum iam triennium eodem vitæ tenore perseuerasset, accidit vt cruentum ac difficile bellum inter Cæsarem Maximilianum & Heluetios (quos Bilibaldus cum aliis Suitenses quoq; appellabat) exardesceret. Ibi tam Norimbergenses quam alii ordines Imperii à Cæsare moniti, ac per edictum euocati, auxilia Imperialia ex veteri consuetudine mittere sunt coacti. In eâ expeditione adornandâ, cum vndiq; circumspicerent, quemnam præfectum ac ducem suarum copiarum R. P. Norimberg, ad Cæsarem mitteret: Tandem summa ea dignitas Bilibaldo Pirckeimero, nec ambienti, ac ne cogitanti quidem, vltrò etiam delata est. Quod officium sicut minimè ipse exambiuerat, ita nec recusandum sibi aut respuendum existimauit, quantumuis etiam amici pleriq; omnes id ei propositâ magnitudine periculi summoperè dissuaderent, eumq; deterritum à grauissimâ expeditione illâ domi retinere cupierunt, consulentem potius suæ tranquillitati ac securitati & suorum paruulorum atq; vxoris, quâ cum non diu vixisset, curam ac tutelam gerentem. Sed huiusmodi amicorum voces parum in ipsius animo flectendo valebant, ac nihil apud eum perficiebant: quin potuis

Vicit amor patriæ laudumq; immensa cupido.

Vt diuinus Poeta fecit de generosis eiusmodi & heroicis ingeniis, quale etiam in Bilibaldo nostro, ipsis rerum argumentis edocti agnoscimus. Sic enim secum ratiocinabatur, venisse iam illud tempus, quo specimen atq; experimentum præberet eorum, quæ in suâ adolescentiâ partim in aulâ Episcopi Eystadiensis (quam primis annis cum laude sectatum fuisse suprà diximus) partim in itineribus variis cum patre suo confectis, partim deniq; in Academiis & vrbibus Italiæ celeberrimis, inq; libris & aliunde didicisset, vidisset, cognouisset. Quare cum intelligeret sibi iam aperiri portam ad theatrum honoris & gloriæ, in quo suam ostenderet virtutem ac peritiam ad Reip. suæ amplificandam dignitatem: Magno ac forti animo diuinâ fretus ope, præfecturam illam subiit. Ita commissas sub fidei copias, (quæ cum primum constarent quadringentis peditibus & Sexaginta equitibus, posterius ad eum auctæ sunt numerum, vt ad alterum tantum adscenderent) ad Cæsarem produxit, vnà cum sex colubrinis cannis, & maiori tormento puluerario, octo præterea curribus militaribus, quibus veherentur arma, puluis tormentarius, tentoria, commeatus, aliaq; ad expeditionem necessaria. Adiungebantur autem Bilibaldo præter alios complures Nobiles quidam Eques Auratus Ioannes à Bayersdorff, qui vir famâ celebrabatur strenuus & multarum palmarum bellator. Nec minus & ceteri magistri equitum, centuriones, aliiq; officiales probè exercitati & experientissimi erant milites. Pedites, qui omnes erant veterani, eâdem formâ vestium induti erant, rubris videlicet tunicis: Cuius coloris panno currus quoq; omnes tecti erant, quæ res ad ornatum selectissimarum copiarum non parum conferebat. Cum ergo iam Bilibaldus cum suis copiis ad eum ferè peruenisset locum, vbi Cæsar castra metatus fuerat, Maximilianus, cognito eius aduentu, misit ipsi obuiam cum mandatis, vt ad se veniret Terteraugiam, quod oppidum ad lacum Acronium situm Comitatu Montforrensi. Quo statim Bilibaldus perrexit. Vt autem Cæsar recentes copias aduentantes eò melius oculis vsurpare posset, in campum processit eques, nec parum lætitiæ ex conspectu pulcherrimarum copiarum percepit, quantum ex serenitate vultus Imperialis colligi potuit. Non solum enim ex milite veterano selectissimo & omnibus modis ornatissimo illæ constabant: Sed etiam multò maxima pars ipsi Cæsari, vt cuius sub signis iam complures annos in variis bellis militassent, & præclara suæ strenuitatis experimenta sæpè dedissent, nota erat & recognoscebatur: Præcipuè verò capitanei & centuriones aliiq; officiales: Quos quidem Cæsar ipse clementissimo salutabat alloquio. Ac tametsi non ignorabat Cæsar, sed multoties audierat criminationes & obtrectationes quorundam maleuolorum, qui antequam Norimbergensium copiæ aduenirent, ex hoc bello ingentia acceperant damna, iamq; illarum copiarum, in quibus aliud nihil carere aut desiderare posset, solam exiguitatem traducebant, easq; hoc nomine extenuabant; tametsi nihil

nihil motus illorum sermonibus ac dicteriis, neq; Norimbergensibus vel minimum indignatus (quod illi tamen maximè quærebant) missum sibi auxilium clementissimè benignissimeq; accepit. Aiebat enim, *malle se tot veteranos & exercitatos milites, quam alterum tantum numerum tyronum.* Erant in hoc laudatissimo Imperatore cum aliæ excellentissimæ virtutes, quas decantant historiæ, tum illa quoq; non minima neq; postrema, quod calumniatoribus ac susurronibus non facile aures patefaciebat, aut locum dabat, aut fidem adhibebat: Sed innocentiam eorum, qui nullius dum criminis aut culpæ conuicti essent, omnibus modis tutabatur. Meminerat quippe, *legum principem propugnatorem bonorum & defensorem esse oportere, qui salutem quærat alius: Vt nobilis aut historicus.* Meminerat item sententiæ Iuliani Imp: *Ecquis innocens esse poterit, si accusasse sufficiet?* Ita enim ille ex tempore saneq; prudenter respondit acerrimo oratori Delphidio vehementer impugnanti Numerium Narbonensis prouinciæ paulo ante præsidem: Quem negantem, cum conuincere non posset, destitutus probationibus exclamauerat: Florentissime Cæsar ecquis nocens esse poterit vsquam, si negare suffecerit. Quod nisi Cæsar ea virtute sic vt diximus præditus fuisset, minimè profecto mirum erat, si Norimbergenses tunc temporis omni gratiâ ipsius excidissent, tot calumniatorum & maleuolorum artificio, à quibus in ea expeditione tam vehementer appetebantur, & tam indignis modis traducebantur. Quicquid enim aduersi acciderat, siue minimum, siue maximum, aut vbicumq; res malegesta erat, id totum Norimbergensibus imputabatur. Imo quicquid ad prægrauandos ac deprimendos innocentes excogitari, aut confingi poterat, id omne in ipsos immeritissimos conferebatur: Deinq; quicquid alii sua culpâ, temeritate atq; imperitiâ neglexerant aut corruperant, id ipsis impingere atq; adscribere conabantur: sed falsò & ex mera inuidia atq; odio, cum dolentes cernerent Norinbergenses tanta apud Cæsarem gratia florere. Sed neq; Bilibaldo ipsorum stratego parcebatur, quem similiter suis calumniis licet innocentissimum flagellabant vexabantq;. At is apud Cæsarem bis coram multis Principibus & Consiliariis eiusdem imperterrito animo tam egregie se suosq; purgauit atque defendit, vt in ipsius apologia Cæsar clementissime se acquiescere diceret, ipsumq; bono ac securo animo esse iuberet, quo ad cantam cognouisset. Se enim cuiq; ius redditurum pollicebatur. Cumq; simul ista dicens subrideret, facile animaduerti ex hoc ipso poterat, quo animo esset, quamq; parum moueretur eiusmodi obtrectatorum voculis & sermonibus, quamq; illis nihil tribueret. Quo loco etiam Bilibaldus aliàs apud hunc max. Imperatorem & quanta in gratia esset, multis indiciis ipse declarauit, non solum durantis illius belli difficillimi tempore, verum etiam illo per transactionem sopito atq; compositio, dum in consiliariorum suorum numerum eum cooptauit, eiq; grauibus de rebus sæpe clementissime scriberet, nunc latine nunc Germanice sub propriæ manus annotatione ac signo: Ex quibus pauscas pro specimine edidimus. Binæ autem maximè sunt memoratu dignæ, quarum vnis latinè perscriptis Cæsar Bilibaldo gratias agit pro dedicatione tractatus De historia recte conscribenda, collaudata ipsius opera: In alteris id ei dat negotii, vt Græcum quendam historicum, qui de Rebus gestis Impp. scripserat, nec dum erat editus, vertendum latinè suscipiat. Erat enim Cæsar Maximilianus cum aliarum liberalium artium omnium amator maximus: tum magno historicos in pretio habebat, & libenter lectitabat, neq; hoc solum: sed etiam exemplo C. Iulii Cæsaris ipsemet rerum ab se gestarum commentarios conscribere instituerat, & quidem Latinâ linguâ, quam præter vernaculam & alias exoticas disertissimè callebat. Facit horum Commentariorum Imperatoris Maximiliani mentionem Continuator Chronici Abbatis Vrspergensis Conradi à Lichtenau in paralipomenis rerum memorabilium (pagina 436.) his omnino verbis, quæ idcirco etiam tanto libentius hic subiiciemus, quia ad vitam Bilibaldi nostri illustrandam plurimum pertinere videntur. Ita igitur ille, quisquis est Continuator, quem sane bonum & eruditum fuisse virum apparet: MAXIMILIANVS Imper. Cæsar ait, multa egregia bella gessit. Primum in Flandria & Brabantia, vbi præclarè multa egit. Aliquorum meminit Albertus Krantz in Saxonia. Optandum vero esset vt editus aliquis magnifica facta & consilia prudentia inclyti herois colligeret & conscriberet. Bilibaldus Pirckeimer Norimbergensis Philippo Melanchthoni aliquando dixit: Maximilianum ipsum suas res gestas aliquot annorum descripsisse. Nam se nauigio vectum cum Maximiliano à Lindau ad Constantiam, & cum in naui otium haberet Imperator, vocasse ad se scribam, dictasseque illi res gestas vnius anni, idque variis consiliis & circumstantiis. Et cum Pirckeimerus putaret agi secreta quædam, secedere voluit, ibi Imperator eum manere iussit, & auscultare. Ad vesperam curauit vt dictata legerentur Pirckeimero, rogans vt ei placeret equestre latinum? Dicebat vero optimus Princeps, se percupere paucis complecti res gestas, vt eruditi qui vellent describere & historiam parare, ex autographis certa haberent. Testatus autem est Pirckeimerus de perspicuitate huius scripti, & quod à morte Maximiliani id nisus sit, sed non potuerit assequi. Ex quibus verbis non hoc solum datur intelligi, quanti fecerit Cæsar Maximilianus, & quo loco habuerit Bilibaldum nostrum, vt cum quo tam familiariter nonnunquam colloqui dignatus fuerit; sed etiam in promptu est inde conicere, ipsum Bilibaldum res gestas illius Imperatoris post eius mortem historico stylo persequi voluisse, si illorum, quos dixi Commentariorum, quos apud Cæsarē ipsum degustârat, compos fieri potuisset. Credi-

Credibile namque est, ad hunc vsum tam diligenter eum indagasse exemplar illorum, vt in suo quod mente agitabat opere historico filum ac ductum ipsius Cæsaris sequeretur: Quod si factum esset procul dubio pulcherrimum quoddam opus nobis reliquisset. Porro huius nauigationis in la-cu Boramico, quæ Bilibaldum nostrum eâdem cum Imperatore Maximiliano I. naui sociauit, ipsemet quoq; facit mentionem libro secundo de bello Heluetico: quo loco memorabile simul exemplum singularis magnitudinis animi refert, quod in illo Imperatore coràm arbitratus sit & obseruârit. Cum enim magnus Magister aulæ Cæsareæ temeritate suâ tanquam alter Terentius Varro prælium commisisset cum hostibus, in quo quadringenti desiderati sunt, eamque cladem Cæsar Lindauii cognouisset: eo quidem die toto clausis aulæ foribus neminem mortalium in conspectum suum admisit, seque domi continuit solus. Vesperi verò iterum apertis portis in propatulo cœnauit seseque conspiciendum præbuit. Ibi tanta in ipso eluxit animi moderatio ex ipso vultu ac omnibus gestibus, dictis factisq;, vt ne minimum quidem vllius mœroris aut perturbationis indicium deprehenderetur à quoquam. Cœnâ peractâ & sublatis mensis cum nox ingrueret, consurgens de mensâ Cæsar ad fenestrâ concessit, vt prospectans sidera contemplari posset: de quorum naturâ, viribus ac proprietatib. totoq; cœli motu ac reuolutione, vt erat illarum rerũ studiosissim⁹ ac peritissimus multa cũ circumstantibus, inter quos Bilibaldus quoq; erat, contulit. Ita eiusdẽ etiam diei vesperâ, quo die tantæ cladis nuntiũ acceperat, facilè in ipso animaduerti potuit, q̃ minimè aduersæ fortunæ generosus animus succũberet aut deiiceretur, frangeretúrve vllis calamitatibus, sed nõ secus ac pelagi rupes immota resistit fluctibus, ipse quoq; malis non cederet. *Sed cõtrà audentior iret.* Omninò.n. talem se omnib. rebus exhibuit, quasi acceptam cladẽ iam pridem obliuione obtruisset. Quæ quidem *non minima est pars felicitatis infelicib. euentib. nõ perturbari, nec facile aduersis casib. superari, rerumq; irrecuperabilium optimã ducere obliuionem.* Pridie postquam Constantiam nauigantem Cęsarẽ comitatus est Bilibaldus, nec plus tristitiæ aut perturbationis vllius in ipso quã pridie deprehendit. Sed omnia potius alia. Totum.n. illũ diem hilarẽ in naui sumpsit Cęsar, colloquiis familiaribus, sæpè & iocis indulgens. Neq; tunc solum, sed aliàs quoq; non rarò circa Imperatorem fuit Bilibaldus, sæpè ab illo clementissimè accersitus, quæ omnia minuatim persequi nihil attinet. Vnicũ hîc referam congressum, qui prope Friburgũ Brisgoiæ contigit. Cum.n. Bilibaldus omnes suas copias, quę nouis submissis auxilijs ac supplementis ad octingentos supra equitatũ pedites iam auxerant, vnà cũ decem tormentis bellicis sub Cæsaris conspectũ eduxisset, nõ parũ Cęsar illo apparatu delectari visus est, adeò quidem vt nõ recusaret inuitatus à Bilibaldo, quin velut in certamen descenderet explodendorũ tormentorũ, quæ peritissimè tractare nouerat, & libenter eiaculari solebat. Tum quoq; de equo descendens, postquã omnia debito ordine ac modo disposita erant, id quod omnium erat maximũ, ad scopũ destinatũ direxit atq; explosit, omnesq; artifices tormẽtarios iaculandi peritiâ lõgissimè superauit, non sine lætitiæ signis inde conceptæ. Eam occasionẽ nacti Norimbergenses, qui cum Bilibaldo aderant Cæsari, minimè negligendã sibi existimârunt ad se ei purgandos. Quare submissè orarunt Cæsarẽ, ne maleuolorũ & inuidorum suorum criminationib. fidem haberet, sed rem omnem cognosceret propius, ac prout comperisset, in vnumquenq; ex merito suo statueret atq; decerneret: quorum defensionem Cæsar benignissimè præbita ipsis audientiâ admisit. Inprimis verò vnus ex capitaneis prodiit in medium, qui ratione satis vehementi instructus, ad Cęsarem eloquentissimè pro homine militari tum verba fecit, præsentib. quoq; multis ex obtrectatorum quos perstringebat numero: qui licet ab illo oratore vel ad verba vel ad manus etiam conserendũ prouocati tamen mussabant metu, neq; se ei opponere, aut quid desiderarent palàm proferre audebant. Quam Apologiam lector qui voler, ex ipso Bilibaldo petat. Is.n. diserte ac luculenter descripsit libro altero de bello Heluetico. Cæsar hanc orationẽ ita accepit, vt diceret: se nihil in ipsis desiderare, tantũ pergerent quomodo cœpissent, atq; ad finem perseuerarent: Sibi ipsorum fidem & obsequia paratissima probè constare, & in illis clementissimè acquiescere. Præterea tàm Pirckeimerum, quàm auratum illum Equitem Iohannem Beiersdorffium, cuius supra quoque meminimus, donationib. militaribus honestatos à se dimisit, & Lauffenbergũ pergere iussit, vt si id oppidum fortè ab Heluetiis cingeretur aut infestaretur, pacis tractatione non succedente, strenuè fortiterq; præsidio suo defenderent, ac propugnarent. Sed de belli illius & origine & progressu & exitu hîc plenius tractare alienum & intempestiuum. Bilibaldi enim describere vitam & res gestas præcipuas commemorare instituimus: quod tamen ipsum quoque plenè facere non potuimus, quin simul etiam hoc bellum attingeremus, cuius aliqua pars etiam ipse fuit, vt sciremus non solum quâ occasione Bilibaldus & implicatus fuerit, sed etiam qualem in eâ expeditione sese præbuerit, quæ tamen omnia plenius ipse in eius belli descriptione, quam huic operi inserendam curabimus principe loco, persecutus est, quæ inde peti poterunt à lectoribus. Ad summam ita se inibi gessit Bilibaldus, vt factâ iam pace & dimissis copiis suis, quibus apud Friburgum stipendia persoluit, magnâ cum gloriâ in patriam ad suos reuerteretur: vbi Senatui amplissimo rationes rerum à se gestarum & relationem plenissimam redderet, ab eodem Amplissimo Ordine solenniter ob rem benè gestam laudaretur, & munere satis splendido donaretur. Secutæ sunt non multò post etiam literæ Cæsaris, qui-

ris quibus & ſenatui Norimbergenſi pro miſſis auxiliis Imperialibus gratiæ clementer agebantur, & Bilibaldi fidelis opera magnoperè collaudabatur & prædicabatur. Priuſquam in deſcriptione vitæ Bilibaldi pergamus, non poſſumus facere, quin hoc loco nonnulla commemoremus, ex ſupra dicto ſecundo commentario belli Heluetici. Eò namq; iſta pertinebunt, vt intelligamus quàm ſæpè in ſummo vitæ diſcrimine per eam expeditionem verſatus ſit, & quanta ipſi conſtiterit ſua, quâ apud Cæſaream Maieſtatem & apud Ampliſſimum ordinem pollebat gratia & honeſtum nomen apud ceteros homines. Rectè enim hoc à Terentio dictum eſt: *Profectò non ſit ſine periculo facinus magnum & memorabile:* Et ab Ouidio:

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Et ante hos à Pindaro.

Μέγας δὶ κίνδυνος ἀνάλκιν ἀ λαγχάνει φάτιν.

Quid quod Ariſtotelis etiam hoc eſt ſcitum: *Virtutem circa difficilia verſari.* Erat in exercitu Cæſaris magna commeatus inopia, vſq; adeò, vt famis eſſet diſcrimen metuendum. Multi enim ex militibus per aliquot dies ſæpè non viderant panem, nedum comederant. Vt igitur huic malo occurreretur, faciendum viſum eſt, vt in ditionem Mediolanenſem, quæ vallis Telinæ nomen habet, aliquot milites mitterentur, petendi cauſa commeatus, quem Dux Mediolanenſis Ludouicus Sforcia, is qui paulò poſt à Rege Galliarum captus, omniq; ditione exutus eſt, Cæſareanis ſe præbiturum promiſerat. Erat in medio obiectus mons excelſus & aſper, quem regionis eius incolæ Braium vocabant, qui omninò tranſeundus erat, quod non ſine ſummo labore & periculo fieri poterat, tum quia nimis arduus ac præceps erat, adde etiam lubricus, tum quia præaltis niuibus coopertus, quæ tum propter anni tempus (erat enim iam menſis Iunius) diffugientes viatorum veſtigia non amplius ferre poterant. Hanc igitur difficilimam & periculoſiſſimam profectionem, quam ceteri omnes recuſabant, Bilibaldus cum parte copiarum pedeſtrium, quibus ipſe præiuit pedes, ſuſcepit, atq; ad Imperatorem Maximilianum cum ducentis contendit. Ab hoc cum ad radices montis veniret, vocatus erat, quo et Cæſar ſe aduenturum dixerat, nihil tamen præſignificans eorum quæ animo agitaret, aut quid à Bilibaldo fieri vellet. Inter vias triſte ac miſerabile ſpectaculum Bilibaldo noſtro obiectum eſt, quod & ipſe refert in ſecundo ſupra laudati operis de Bello Heluetico, & nos quoq; hic replicandum duximus, vel ideò, vt miſerias bellorum ſæpius & pluribus etiam locis ob oculos poneremus, & ab eorum cupiditate, quâ multi etiam inter Chriſtianos nimium ardent, aliquos ex his, qui iſta forte legent, deterreremus. Tranſeundum erat Bilibaldo cum ſuis militibus per vicum quendam ingentem incendio conſumptum, cuius ad portam duas anus conſpexit, cum permixto grege puerorum ac puellarum quaſi quadraginta, quem illæ ante ſe, non ſecus ac paſtor aliquis pecudes, minabant. Erant autem omnes fame ita exhauſti ac propemodum confecti, vt nihil niſi oſſa atq; pelles viderentur præ macritudine: quin inter ipſos & cadauera, nihil præterea motum ac tenuem anhelitum, quo hæc deſtituuntur, diſtabat: Omninoq; erat ipſorum horribilis & teter aſpectus. Sciſcitanti itaq; Bilibaldo, qui in hunc cœtum hominum non hominum & viuorum ac ſpirantium cadauerum fortè inciderat, quo tenderent: reſponderunt aniculæ tremulâ atq; exili voce (vix enim ora præ mœrore, fame & laſſitudine aperire valebant) breui ipſum quo tenderent viſurum. Vix hæc protulerant, cum ecce in pratum portæ proximum ſe conferunt, & ibi in genua agminatim pro ſe quiſq; procumbunt, herbaſq; & gramina pecudum brutarũ more & ritu depaſci & decerpere incipiunt. Hoc ſolum intererat, quod quæ ore prono carpunt beſtiæ, illi manum miniſterio euulſa humo ori admouerent. Diſcernere quoq; iam infelici ſcientia & vſu grex ille puerilis didicerat, inter ſalubres & noxias, dulces & gratas guſtui atq; amaras & ingratas herbas; inq; primis acetoſa delectabantur, quam illicò præ ceteris agnitam inuolabant & arripiebant. Ibi aniculæ: Videri iam inquiunt quo puerile & miſerum iſtud agmen egerimus? quidue quæſitum huc venerimus? Vides, inquiunt, vitam morte quauis duriorem. Vides turbam infelicium puerorum, quibus erat melius nunquam naſci, aut ſtatim denaſci ab vtero materno, quàm ad has tantas miſerias reſeruari. Vides orphanos quorum patres hoſtilis hauſit gladius: Matres fames ac penuria abegit: Bona in prædam conuerſa & abrepta: domos & caſas flammis abſũptas & in cineres redactas. Nos miſeras hîc commorari coëgit grauis & mala ętas atq; imbecillitas: Remanſimus igitur, vt infelicem hanc terq; quaterq; iuuentutem inſtar pecoris paſtum agamus, & graminiuoros atq; herbiuoros, quamdiu dabitur à morte defendamus. Sed dabit Deus his quoq; finem tantis ærumnis, quibus ſola mortis celeritas remedium ac ſolatium afferre poterit. Ea & nos vti ſperamus, & iſtos his malis breui liberabit. Erat enim paulò antè horum numerus duplo maior. Sed ita ſubitò decreuit, vt ad iſtam paucitatem ſit peruentum, in dies ſingulos aliquibus fame extinctis & conſumptis, qui quidem celeri morte, quàm iſti & nos longiore vitâ, multò ſunt beatiores cenſendi. Obſtupefactus primò atq; attonitus hoc tam diro partim ſpectaculo partim ſermone Bilibaldus, vt penè ſui oblitus atq; extra ſe raptus videretur, tandem in lacrymas ſolutus eſt largiter. Adeò quippe tangebatur, commiſeratione famelicæ atq; infelicis turbæ: ſimul etiam indignatione commouebatur aduerſus bellicum furorem, ex quo tales tantæq; miſeriæ pullulant, atq; proueniunt.

Reuocabat

Reuocabat ergo sibi ad animum, quàm verè à scriptore egregio dicta esset Belli fœda facies. Memi-
nerat quoque versuum Homericorum, quibus ille sapientissimus & maximus vatum descripsit bel-
lorum sobolem miseriam omnimodam: qui quidem versus omnibus seculis in admiratione fue-
runt, & hîc quoque legi merentur:

Ἀνδρες μὲν κτείνυται, πόλιν δ' ἤ τε πῦρ ἀμφιδάηκε.
Τέκνα δὲ τ' ἄλλοι ἄγεται βαθυζώνους τε γυναῖκας.

hoc est: *Cæduntur iuuenes: vrbem depascitur ignis:*
Abducunt alij natos matresq; decoras.

Quæ cum ita sint, idem summus vatum non immerito detestari furorem bellicum nos docet, hisce
sempiternis carminibus:

Ἄφρητορ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἑκεῖνος,
Ὅστις πολέμου ἔρατος ἐπιδήμιος ὀκρυόεσσης.

hoc est: *Extorris patriâ sine amicis pessimus esto*
Qui serit atque sitit dirum & lacrymabile bellum.

Etalibi votum pulcherrimum nobis præit hoc versu:

ὡς ὄφελες ἐκ πρὶν ἔτ' ἀνθρώπων ἀπολέσθαι.

hoc est: *Rara virtam à cœtu Diuumq; hominumq; procul sit.*

Qui affectus in Oppiano quoque viguit, hoc eius illustri versu expressus, quem primo Cynegetico
inseruit:

Οὐκ ἔμοιγε πόλεμος σῖτος ἐΰδματος ἔργα κάκιστα.
Non mihi bella placent, non crudi opera horrida Martis.

Quod quidem votum tanto pluris facere & nobis commendatius habere debemus, quia & à Daui-
de rege & vate sanctissimo vsurpatum legimus, Psal. LXVIII. vbi magno cum affectu sic exclamat:
Domine dissipa gentes, quæ volunt bella? Vnde & nobis sic facere licet:
Ab pereant quos arma iuuant, queis prælia cordi.

Huiusmodi cogitationum etiam Bilibaldo materiam præbuit spectaculum illud, quod modo com-
memoratimus. Nunc ad propositum reuertamur. Cum igitur Cæsar paulò post superueniens Pir-
cheimero ad radices montis cum suis copiis præstolanti imperasset, vt in territorium Mediolanense
cõmeatus petendi causâ sese conferret: miles ipsius initiò hoc iter inire recusabat pertinaciter, quòd
dicerent non solum per se difficile ac periculosum id esse, sed etiam suam paucitatem causarentur, &
hostilis multitudinem, quib. vndiquaq, cincti essent, nihil se iam dicere de viæ iniquitate maximâ,
nihil de mõtis altitudine asperitateq;. Præterea alios omnes, adeoq; Cæsareanos ipsos hoc oneris re-
cusare ac detrectare. Sed neq; signa sua adesse, sine quibus se pergere velle pernegabant. Tandẽ post
longam disceptationem & controuersiam eò res deducta est, vt se proficisci velle assentirentur, non
aliâ tamẽ lege, quàm si suus Præfectus Bilibaldus ipse secũ iret. Ibi ille ne qua in se mora esset, his au-
ditis de equo desiliens arma equestria è vestigio deponit, & peditis assumto habitu milites suos hor-
tatur, vt sua sequantur vestigia. Quod illi quidẽ fecerunt, cum iam vix quatuor diei horæ superessent
ante noctem. Sed via adeò lubrica, lutosa laborisaq; erat, vt vix inde eluctari atq; emergere posse vide-
rentur. Ita ergo vsq; ad mediam noctẽ, non sine maximo labore & molestiâ iter fecerunt, vel potiùs
cũ luto &niuib. coluctati sunt. Non enim vlla ipsis apparebat interim domuncula aut diuersorium,
vbi paulisper, lecto succedentes & se receptantes, interquiescerent, & corpora exhausta reficerent.
Tandẽ ad tuguriolum quoddã peruenerunt: in quod, tametsi non omnium capax esset, sese abdide-
runt ad capiendã exigui temporis quietem, verum adeò miseram, vt fame, frigore & lassitudine penè
deficerent. Tum ante lucẽ surgentes primum montem sub ortum solis superarunt, & aquas calidas,
quæ ex radicibus montis scaturiebant, reperierunt, quibus nonnihil se refecerunt. Circa meridiem
demum fumelici & lassi Burmium peruenerunt, vbi commeatus copiam aliquam se inuenturos spe-
rabant. Quæ spes tamen ipsos fefellit. Neque enim Dux Mediolanensis promissis suis Cæsari factis
steterat. Itaque vix quinquaginta equos commeatu ibi recepto onerare potuerunt: inaudiuerant
quoque magnam eo loci multitudinem confluxisse; itaq; eo die inter maximos metus ibidem sub-
siterunt, omnium rerum dubij atq; incerti. Postridiè festinantes abierunt, & ad Cæsareanos, qui in
vallem Engadinensem sese contulerãt, perrexerunt. Erat autẽ in medio alius mons altissimus, quam
omniò superare cogebantur. Hunc cũ ascendissent in arcẽ munitissimam, quę in cacumine montis
erat sita, inciderunt, quã Dux Mediolanensis præsidio munitã obtinebat. Per eam arcem necessariò
transeundum erat ipsis, quòd nullum aliud iter pateret, nullusq; exitus. Scala arci nomen erat, quia
per scalam siue gradus in eam ascẽdendum erat, tàm equis quàm viris, propter summã eius altitudi-
nem, & abruptum præcipitium loci: cuius ingenium pluribus luculenter describit Bilibaldus dicto
libro 2. belli Heluetici, vt & rationem stupendam, quâ vtendum fuerit in equis eò perducendis,
quasi in aëre pendulis, non sine incredibili discrimine ac sudore, adde etiam terrore. Sed vt *In-*
ter virtutis nulla est via, sic & hanc Bilibaldus cum suis superauit, & quò destinauerat, peruenit,
cum commeatu ersi longè minore, quàm pro expectatione. Itaque fames & penuria in exerci-
tu planè sedari aut expleri nondum potuit, tametsi à rusticis Italis, qui in confinio erant, non conte-

mnenda

mnenda vini copia in castra perueheretur: in quam milites vtpotè multorum dierum inediâ emaciati & languidi irruentes admodum se inebriarunt, vnde ad rixas, vt fit, & arma cædesque mutuas processerunt. In viâ passim Bilibaldus vicos ac pagos ab hostibus incensos & conflagrantes eminus vidit: nonnunquam etiam collabentium fragorem ædificiorum audiuit. Parùm quoq; abfuit, quin hostis transitum ipsi cum suis intercluisset, deiecto incensoq; ponte, per quem flumen trâseundum erat. Quo facto (vt iam fieri cœptum erat) omnibus non tàm ferro quàm fame pereundum fuisset. Nec dum finis erat scandendi excelsos montes. Restabat enim & alius quē incolæ Bufalauram nuncupant, quem vix ante solis occasum superare potuerunt. Ita tandem ex hostico euaserūt, & ad suos commilitones se receperunt: multis tamen ex suo numero desideratis, qui in viâ defecerant fame & lassitudine confecti. Vsque adeò enim fames inualuerat, vt inter eundum milites Bilibaldi herbas & terrâ euulsas vorarent instar pecorum. Cernere quoque erat, nonnullos diuturnâ fame in rabiem actos. Nec tàm diu durare potuissent à morte remoti, nisi passim aquas dulces, quæ ex radicib. montium scaturiebāt reperissent, quarum vsu nonnihil vires reparabant. Referam hoc loco & aliud memorabile exemplum, ex quo appareat quanta sit famis violentia. Nam cum Bilibaldus Pfuntium tenderet, quo loci tunc Cæsar commorabatur, obuiam habuit rusticum quendam cum ingēti dolio vini. In hoc certatim milites irruebant, pro se quisque inde ad satietatem hauriendi gratia. Subsistit ibi Bilibaldus, vt videret, quomodo se in vini partitione milites gererent, tum alius bipenni, alius hastâ, alius aliis instrumentis, quæ ad manum erant, perforato vase galeâ suppositâ vinum excipere, alii quibus morā hæc molesta erat, etiam globulis & bombarda emissis dolium petere: Vt iam vsq; quaq; aperto foraminibus vase vinum effluueret, atq; in terram effunderetur. Hinc tantâ iracundiâ inuicem exardescere & tumultuari milites, vt in illo tumultu et rixâ vinaria ad quinquaginta trucidati, & plusquàm centum vulnerati fuerint. Ita enim promiscuè ab omnibus in omnes læuiebatur, tantaq; erat confusio, vt inter amicum & aduersarium nemo vllum faceret discrimen, cœcosq; ictus inter se & inferrent & exciperent, Andabatarum in tenebris pugnantium more. Quin etiam nonnulli, quibus vini hausfus aliquis obtigerat, supra occisorum cadauera potare (horrendum dictu!) conspiciebantur. Cumq; tàm horribilem tumultum Bilibaldus intuens, compescere nullo modo posset (venter enim auribus carens imperium omne aspernabatur, & furor iraq; mentem præcipitans ad omnia cœcos ac surdos reddiderat) liberas illis permisit habenas (quid enim aliud faceret?) quoad rabies illa tandem satiata vltrò conquiesceret. Ita postquam & ipse ferè inediâ & lassitudine confectus erat, tandem Cæsaris castra attigit: quæ & ipse valdè perturbata inuenit. Nam milites inopiâ rerum necessariarum laborantes, imperium omne aspernabantur, dilabentes eò, vbi quisq; quod comederet se inuenturum sperabat. Quâ re Cæsar, à suis ferè omnibus desertus, Landeckum primò, deinde Lindauium proficisci coactus est, magnâ acceleratione. Ne tamen ipsius discessus fugæ speciem haberet, non solùm ignominiosè, verùm etiam periculosè, néve Heluetij ad ipsum persequendum & vrgendum inuitarentur: Consiliarij eius Pirckeimerum rogarunt, ne rectâ cetcros sequeretur, sed cum suis copiis alia via per montem Arlenium proficisceretur, eo consilio, vt hoilis hoc cognito plures quoque milites in ea regione relictos suspicaretur, atq; à cupiditate persequendi Cæsarem reuocaretur. Quorum desiderio & postulatis Bilibaldus locum dedit, quantumuis magno discrimine difficultateque septum se intelligeret. Ita cum residuis copiis suis aliâ viâ, eaque non solum longinquiore, sed & asperiore ac duriore Lindauium ad Cæsarem contendit, currus & tormenta bellica per montem altissimum nō sine periculo secum vehens. Ex quâ commemoratione facilè intelligi à quouis potest, quantis & quàm multiplicibus periculis Bilibaldus in hac expeditione obiectus fuerit, & quàm sæpè nō solùm in discrimen vitæ, sed & honoris à maleuolis & calumniatoribus vocatus fuerit: Ex quibus tamen omnibus Deus ipsum clementissimè conseruauit, illæsum atq; incolumem tàm à morbis, quàm à virulētis calumniatorum morsibus, patefectâ vbiq; & ipsi Cæsareæ Maiestati probatâ contestataque ipsius innocentiâ & fidelitate: Tandemq; reduxit domum, & suis liberis, coniugi, & senatorio loco restituit: Quæ omnia latius describuntur in Commentariis de bello Heluetio, vnde hæc saltuatim excerpsimus, cum ad vitam Pirckeimeri illustrandam non parùm facere viderentur. Nec mihi tempero, quin hîc etiam referam recreandi causâ lectoris festiuam historiolam, de puellæ cuiusdam Helueticæ animositate & responsationibus, quas ipse coràm in illo bello audiuit Bilibaldus. Cum tanta esset vtrimque animorum tamque vehemens exacerbatio, vt ne quidem amplius vterentur fecialibus aut internunciis, sed vel per aniculas vel immaturas iuuenculas mitterent, quæ literas vltrò citroq; ferrent ac referrent: Factum est vt aliquando Heluetij ad Cæsarem literas (quarum tenorem ex secundo libro belli Heluetici cognoscere licebit) per puellam quandam mitterent. Hæc dum in aulâ responsum & dimissionem præstolabatur, à satellitibus cincta Cæsareanis interrogabatur, Quid Heluetij in castris suis agerent. Respondit illa: Nónne palàm videtis, quod vestram impressionem expectent? Cum pergerent illi scisitando de ipsorum numero: Respondit puella: Tot sunt quot satis esse possunt, ad vos repellendos atque ad resistendum vobis. Cum vrgerent illi, diceret absq; morā & tergiuersatione, Quot tandem essent numero: atqui inquit illa, credo vos nuper eos numerare potuisse, cum nō procùl Constantia vobiscum velitatione

facta

factâ vos in fugam conuersos terga dare cogerent, nisi fortè oculos vestros fuga occœcauit. Alio porro scisciante, numquid haberent quod ederent: Quo pacto, inquit illa, vitam producere possent, si non haberent quod ederent ac biberent? Quæ omnia cum à circumstantibus cum risu pariter & admiratione audirentur: Vnus satellitum è numero necem ipsi minabatur, iamque capulum gladii quasi eam obtruncaturus apprehendebat, magnam ipsâ torui tate vultus præ se ferens fœuitiam seueritatemq;. Puella verò ne sic quidem territa vel minimum, magnus enimuerò, inquit, tu heros es, & vir fortis, qui mihi imbelli puellæ mortem minitaris. Quod si tanta in te bellandi & dimicandi cupiditas est, quid cessas hostilia castra aut hostium manum inuadere, tuique similes appetere? Inuenis profectò ibi quem quæris, quique, vt par est, ferociam tuam excipere ac retundere possit. Verùm facilius est puellam inermem atque innocentem infestare, quàm cum viro forti & armato inter hostiles turmas manum conserere, vbi non verbis sed fortibus factis res geritur. Sic puella Heluetica ad miraculum vsque animosa tum militibus Cæsareanis respondebat: Quæ paulò post sine responso ad suos remissa fuit.

Ad hucc um Bilibaldo nostro in ludo militari (vt sic loquar) commorati sumus, ipsiusque præclara facinora quædam conspeximus. Cetera ex fontibus suprà indicatis petere licebit: Nunc tempus postulat, vt cum eodem ex tam periculoso itinere Domum reuertamur, & quatenus fas erit, cum ipso in scholam (vt sic appellem) ciuilem siue in curiam ingrediamur, & inibi qualem se porrò præstiterit, quid egerit, quidve perpessus sit, cognoscamus atque arbitremur. Dictum est suprà, vt Bilibaldus à Cæsare Maximiliano in Consiliariorum numerum cooptatus fuerit: Quam dignitatem postea etiam Nepos Maximiliani Carolus Quintus beatissimę & laudatissimę iuxtà cum auo suo memoriæ Imperator, motu proprio clementissimè confirmauit ipsi, imò & pluribus priuilegiis, immunitatibus, præeminentiis atque prærogatiuis accumulauit. Sed hæc omnia non tàm Bilibaldo ipsi, quàm ipsius patriæ, Reipublicæ inquam Norinbergensi, bono fuerunt, eiusque & gloriam & commoda auxerunt. Quotiescunque enim postea Bilibaldus à Senatu amplissimo Legatus ad Cæsarem missus fuit, non tantum apud vtrumque Cæsarem clementissimè admissus est ad audientiam: Sed etiam maturè dimissus cum concessione & impetratione eorum ad quæ missus erat. Ex quo facile est intellectu, quantum sæpè sit momenti in vno aliquo prudenti ac præstanti viro, & quantoperè vnus sæpè toti ciuitati, populo, aut regioni commodare suâ operâ possit, & quantum boni Deus opt. Max. sæpè toti populo siue communi, aut ciuitati aut regioni conferre soleat: Sicut è contrario sæpè vnius improbi hominis causâ tota aliqua multitudo aut consociatio hominum afflgitur atque ipsius culpas luere cogitur: Quod iam olim Hesiodus quoque agnouit, & hoc versu nobilissimo testatum fecit:

Πολλάκι τοῦ κακὰ ἔργα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπαυρεῖ.

hoc est: *Sæpè mali malefacta viri populus luit omnis.*

Quid autem nominatim vnoquoque tempore apud Cæsaream Maiestatem vel proposuerit ac petierit singulari cum gratiâ ornatu & eloquentiâ, quid item impetrauerit, quóve pacto vel clementissime auditus vel dimissus sit votorum compos, nihil attinet (sed neque fas sit) hoc loco pluribus & in specie referre. Accedit quod lectoris beneuolentiâ non videatur nimis diu abutendum, sed fastidium, quod ex nimis longâ narratione oboriri posset, cauendum sit. Dictum quoque est suprà, quo pacto reuersus domum Bilibaldus rerum à se gestarum rationibus liquidò redditis, Amplissimo ordini plenè satisfecerit, solenniter ab eodem collaudatus (vt & per literas à Cæsare ad Senatum missas) & præmio seu donatiuo muneratus. Verùm vt solet *virtutis indiuiduus comes esse inuidus*, quæ gloriam sicut vmbra corpus sequitur: Ita Bilibaldum quoque hæc bestia infestare cepit. Ipsius enim felicitas & gloria rerum gestarum multis oculos perstringebat, eorumque animos, qui pariâ cum ipso facere non poterant, ad inuidiam concitabat, vsque adeò, vt nunquam non ipsum pungerent, & quibuscunque poterant modis premere, imò etiam è medio tollere conarentur. Quæ qualia fuerint, hîc distertius exprimere intempestiuum foret, tametsi non esset nobis defutura copiosius de his referendi materia ex ipsiusmet Bilibaldi autographis commentariis. Quanquam autem hac ratione Bilibaldus à viâ virtutis & rectis sanisque consiliis, quorum probationem se cuilibet intelligenti & præiudiciis vacuo reddere posse confidebat, minimè sese dimoueri patiebatur: Tandem tamen tot molestiarum, quas ipsi creabant maleuoli sui, pertæsus (quis enim non frangeretur tandem?) cogitare cœpit de vitâ priuatâ & tranquillâ instituendâ: quantumuis hæc consilia ipsi maximoperè disuaderent amici, vt qui probè nossent, quantum Bilibaldus in commune prodesse posset, quantumque in eo situm esset. Verùm eos tandem, allegatis sufficientibus rationibus, ita in suas partes traduxit & flexit, vt quod contradicerent, non haberent. Incidit in illud tempus mors patris eius, D. Iohannis Pirckheimeri, qui pridem abdicatis à se omnibus negotiis mundanis, ordinem clericalem quo magis Deo absque impedimentis seruire posset, amplexus fuerat. Inde sumptâ occasione Bilibaldus commodè onus senatorium se excutere posse existimauit. Cum enim iam tota reifamiliaris administratio, amplissimo sibi delato patrimonio, ipsi vni incumbere cepisset, iamque non immeritò dicere posset:

Tota domus cepit nunc onus esse meum.

(Vnicus enim erat filius, & vnicam habebat sororem, Iulianam, quæ Martino Geudero primario senatori, & Reipublicæ Nurinbergensis Triumuiro, nupta erat: Ceteræ enim, quarum nomina superiùs retulimus, in sanctimonialium numerum ascriptæ, & mundo velut mortuæ fuerant) dimissionem ex Senatu petiit, & tandem instantissimè hanc vrgens egrè impetrauit, plerique enim ipsius operâ Senatoriâ, quam & Reipublicæ necessitas exigere videbatur, diutius vti maluissent. Igitur ciuilibus negotiis & occupationibus Senatoriis liberatus; & otium cum dignitate nactus, quod & Cicero, & alij sapientes sæpenumerò sibi contingere optârunt: In Bibliothecam suam denuò se recipiens, ac velut in gratiam cum Musis ac studiis rediens, libris sedulò incubuit, & præter Iurisprudentiam in Græcâ linguâ plurimum studij atque operæ posuit. Optimos enim eius linguæ autores & editiones pulcherrimorum librorum, qui in omnis generis disciplinis & artibus in lucem emittebantur, sibi comparabat, neque hic vlli vel sumptui, vel labori parcebat, quin quamprimùm in Italiâ, siue Romæ seu Venetiis, siue Mantuæ, siue Florentiæ, siue Mediolani aut Veronæ, siue aliis in locis pulchrum aliquid opus prodiisset, operam dabat, vt eo potiretur, quouis etiam vel maximo pretio. Erant enim tunc temporis talia opera admodum cara: sicut hodieque si haberi possint, pro thesauris meritò asseruantur, & inprimis ea, quæ impressit Aldus Manutius Romanus, quem iure decus & ornamentum totius artis impressoriæ appellare possumus. Eiusmodi igitur pulcherrimos libros magno numero ac pretio Bilibaldus sibi coëmebat, non ostentationis causa, aut vt vir doctus videretur potiùs quam esset (qualis ille olim fuit indoctus multos libros coëmens, quem festiuè admodum describit atque exagitat Lucianus, & qualis fuit alter, cuius Bibliothecam ingressus vir doctus, falsè irridens; non ipsum, sed eius libros sine Doctore saluere iussit, significans malle se Doctorem sine libris, quàm librorum ingentem apparatum sine Doctore, qui illis vti sciat) sed ad vsum, & vt in illis perdius & pernox habitaret. Est enim adhuc ante oculos ipsius incredibilis diligentia, quam in illis lectitandis collocauit, tàm annotandis passim illis, quæ occurrebant memorabilia, siue vt græco vtamur verbo, ἀξιομνημονεύτα, quam excerpendo ex illis, quæ ad vsum suum conuerteret. Sed neque impressis libris satiari potuit Bilibaldus: Quin & manuscriptos pari diligentiâ venaretur & inquireret. Quæ manuscripta exemplaria maximè græca, tunc temporis in priuatorum hominum Bibliothecis perquàm rara erant. Ita sibi comparauit ex græcis (neque enim de latinis auctoribus, qui multò plures sunt, nunc dicemus) Epistolas sanctorum Patrum atque Episcoporum, Basilij Magni, & Gregorij Nazianzeni, quibuscum etiam Nili capita gnostica: Item Iohannis Damasceni quædam, & Maximi Confessoris: Quæ omnia ante aliquot centenos annos in ipsâ Græciâ scripta sunt, nec vnquam antè viderant lucem, quàm ab ipso fuissent edita. Sic manuscriptas nactus est vitas Philosophorum à Diogene Laërtio decem libris græcè conscriptas: Nec non totum Euclidem græcum, qui Conradi Celti Protucij amici ac familiaris Pirckeimerani dum vixit, fuerat: Præterea Claudij Ptolomæi de Geographia libros octo: De quo auctore Bilibaldus præclarè, si quis alius, meritus est, partemque eius ipsemet latinam fecit, & annotationibus illustratam, in lucem emisit, plura etiam in eodem præstare paratus, si vitam ipsi Deus longiorem concessisset. Adhæc pleraque operum excellentissimi Ecclesiæ Christianæ Doctoris Gregorij Nazianzeni, exceptis Poëmatibus, ex græcâ in latinam linguam transtulit, quod ante ipsum nemo ne conatus quidem fuerat, quod & Erasmus in præfatione Nazianzeni fatetur. Quæ opera partim ipso viuente & procurante editionem, partim verò mox post obitum eiusdem, & proximo quidem anno per generum ipsius Iohannem Straubium adminiculante desiderio Erasmo Roterodamo (qui complures annos optimus & fidelissimus Bilibaldi amicus fuerat ex omnibus exteris viris doctis) in lucem sunt edita: Quod quidem volumen idem Erasmus præfatione luculentâ exornauit, & dedicatione præfixâ Illustrissimo Saxoniæ Duci Georgio consecrauit, in quâ & beatum Bilibaldi ex hac vitâ excessum, & virtutes ac dotes præstantissimas commemorauit, ac pro eo, vt merebantur, orationis luminibus illustrauit: Quamobrem etiam eandem præfationem huic nostræ descriptioni proximè subiiciemus, vt sit instar luculenti atque idonei illarum quas dixi rerum testimonij.

Similiter etiam Xenophontis septem libros, de rebus gestis græcorum primus omnium latinè interpretatus est. Quod opus pulcherrimum Reuerendus & Doctissimus vir Thomas Venatorius, qui & ipse perueteri ac fideli amicitiâ Bilibaldo iunctus fuerat, altero post obitum interpretis anno in lucem emisit, inscriptum duobus Martini Geuderi Senatoris suprà quoque laudati filiis ex sorore suâ Iulianâ susceptis, Sebaldo & Gregorio, quos pulcherrimâ præfatione allocutus est. Nec verò mihi temperare possum, quin ex eadem aliquot memorabiles sententias, quas ex ipsius ore Bilibaldi excepit Venatorius, descriptas hic inseram, tùm quod ad laudem Bilibaldi nostri plurimùm pertineant, tùm quod ista ἀπομνημονεύματα non mediocrem beneuolo Lectori voluptatem vtilitatemque allatura esse videantur: Simul etiam vt hinc æstimetur, qualia cum amicis colloquia vir summus miscere solitus fuerit. Sic igitur ibi Venatorius: *Credite mihi: Tantus est quisq; in Republicâ, quantum sese virtutibus ostendit. Et quisquis præficitur aliis tanquã commune aliorum*

ciuium

ciuium spectaculum constituitur: Quem nemo facile præcipientem audiet, nisi illud, ad quod euectus est, fastigium suis quodammodò virtutibus reddat ornatius. Animi ornamentis opus est, quæ quidem à virtute proficiscuntur, vbi magistratus dicto audientes velint habere ciues. Cuius vos rei præsens atque adeò domesticum habetis exemplum, parentem vestrum, virum senatorem: qui Dei primò benignitate, deinde suâ ipsius industriâ per omnes gerendæ Reipublicæ gradus ascendens, nullam tamen virulente & optima semper carpentis linguæ rabiem pertimuit vnquam. Quid dicã de auunculo vestro, Bilibaldo illo Pirckeimero, viro ex æquo & Græcè & latinè doctissimo? Quid vnquã enim fecit ille Reipublicæ gratia, in quo non omnia generosi animi indicia perspecta sint? Quando vnquam non fuit sollicitus ille, vt benè esset patriæ? vt tranquillè inter se agerent ciues? Nemo illum vidit vel gratiam, vel beneficium vendere vnquam. Et quemcunque ad gratiam dicere aut scribere sententiam intellexisset, indignum esse censebat, cui puniendi flagitiosos delegaretur prouincia. *Nam pauci sunt, inquit, qui non se, ne puniantur, redimere queant, si manus ad munera expositas inuenire liceat ipsi. Hinc summam peccandi licentiam arripere vulgus, & sacrosanctas patriæ leges ab improbis rideri habitoque ludibrio, ac tandem etiam apud posteros contemptui futuras. Vnde eos præficiendos aliis dicebat, qui nihil per gratiam, nihil per vim aut odium agerent, sed semper iuxta inculpatæ iustitiæ oculum omnia recte & sancte vel damnarent vel absoluerent.* Quo circa Chrysippi ingenium sæpè commendabat nobis, qui iustitiæ imaginem expressuris, luminibus oculorum vt actoribus, ita etiam rectis & immotis pingere studuerit: Quo nimirum significaret *magistratum nullius gratiam præferre debere iustis legibus, sed in improbos seuerum & inexorabilem; in probos mitem & mansuetum esse oportere*: Hac enim vti, inquit, dum ingrederentur, maiores olim nostri aduersus multas simulac motas aut suspectas immutationes rerum, & se & ciuitatem hanc suam muniêrunt, seruâruntque. Ceterum ne ad formandos optimos cuique mores recta desint studia, vtque non tàm priuatam quàm publicam patriæ quoque salutem tueri contendant ciues, ac subinde nouam semper patriæ gloriam comparare studeant: *ad ea duntaxat adiuciendus est animus studia, quæ bonorum omnium consensu ad virtutem sunt accommodatissima*: Quo in ordine vel primas obtinet historia, ex qua tanquam Oraculo ciuilia pertenda censemus instituta. Et paulò pòst: Nemo bonus fidem & sedulitatem auunculi vestri Bilibaldi Pirckheimeri virî incomparabilis & rectissimi iudicii, iure improbare poterit: Quando in hoc vnum respexit, vt labore suo prodesset multis, vt ad virtutes, animi ornamenta, inuitaret quamplurimos. Hæc delectatio illius, hoc gaudium, hoc desiderium fuit.

Hæc totidem verbis Venatorius loco supradicto retulit, quæ nobis hîc quoque visa sunt silentio non prætereunda. Quid præterea librorum scripserit, quæ Platonis, Plutarchi, Luciani aliorumque veterum Græcorum vtilissima scripta latinè transtulerit atque ediderit Bilibaldus noster, hoc loco singulatim enumerare nimis longum foret: Cum præsertim id ex Conradi Gesneri, Iosiæ Simleri, aliorumque bibliothecis siue librorum catalogis, nec non ex Nicolai Reusneri, & Iohannis Iacobi Boissardi Iconibus virorum litteris illustrium, publicè extantibus, cognosci possit, vt etiam ex hoc ipso, quod nunc ex ipsius bibliotheca Pirckeimeri vtcunque inter alias occupationes congestum togatu bonorum virorum emittimus, apparebit. Inter propriæ quidem inuentionis opuscula Bilibaldi inprimis iucundum lectu ac festiuum est illud, quo Podagræ apologiam quandam attribuit, quia se à iudicio capitis liberaret; quod scriptum Iacobo de Bannissis Decano Tridentino, S. Cæs. Mai. Secretario dedicauit. Nam cum inter cæteras vitæ molestias hanc quoque Bilibaldus experiri cogeretur vt delicatæ istius Reginæ aulicus fieret, cui seruitia sua diu præstaret, descriptionem ipsius laudum aggredi voluit, si fortè hanc dominam eâ ratione placatam erga se clementiorem reddere posset: Aut certè, vt sibi ipsi leuamentum inde peteret, ac tempus eruditis eiusmodi nugis falleret. Erat enim vir ille non solum, vbi opus erat, grauis & seuerus, verum etiam in loco & oportunè iucundus, comis, hilaris & iocosus, duasque res quæ haud facile concurrere aut misceri solent, etiam Nazianzeno teste, sic aptè temperauit, vt simul & perquam amabilis & gratissimus esset: sic vt Nazianzenus loquitur, ὥστε ὁ αὐτὸς ἐφαμιλλώσατό τι ἅμα χαρίεις καὶ σεμνὸς καὶ ἁλιτρὸν ἐμφύτευε σωφρονισμόν. Quod is de socero suo Iulio Agricola scribit Tacitus: Tempora curarum remissionumque diuisa habuisse; vbi conuentus ac iudicia poscerent, grauem, intentum, seuerum, & sæpius misericordem; vbi officio satisfactum, nullâ vltra senatoris persona, tristitiam & arrogantiam & auaritiam exuisse: nec illi (quod est rarissimum) aut facilitatem deminuisse auctoritatem, aut seueritatem amorem: idem de Bilibaldo quoque verissimè dici ex aliquot documentis cognouimus. Nec minus festiuus, facetus ac vtilis est libellus, qui inscribitur Theophrasti Characteres Ethici, quem libellum à Comite Mirandulano, Iohanne Francisco Pico, ex Italiâ nactus græcum, latinâ interpretatione suâ illustratum primus edidit, inscriptum familiari suo Alberto Durero. Neque hîc industria atque indefessa diligentia Bilibaldi substitit aut conquieuit, satisve habuit, multos pulcherrimos & vtilissimos libros atque tractatus de græcis latinos fecisse: Verùm etiam cum animaduerteret, apud multos falsam quandam & erroneam opinionem inualuisse, quæ etiamnum in quorundam animis viget, quasi nullo modo fieri possit, vt vel ex latina vel ex Græca linguis in vernaculam nostram

aliquid ita transferatur interpretatione, vt à Lectioribus intelligi queat: Vt hominibus huic erroneam ipso facto adimeret, aliquot scripta saluberrimis referta doctrinis ac sententiis in germanicam linguam conuertenda suscepit: Quorum nonnulla etiam nunc supersunt, ex Nilo Damasceno, Isocrate, Cicerone, Sallustio & Plutarcho transtata: Quæ nuper libello comprehensa in vsum iuuentutis edidimus, Cui titulum præscripsimus, *Theatrum Virtutis & Honoris*. Nec dubium est quin plura huiusmodi documenta daturus fuisset, si tempus & otium ipsi non defuisset. Quàm rotundè verò, eleganter ac perspicuè talia transtulerit, aliorum quibus talium rerum cura intelligentiaque est, iudicium esto. Iam sicut pro Excellentiâ ingenij ac prudentiæ suæ Bilibaldus bonorum librorum optimus arbiter fuit; ita etiam aliarum antiquitatum eruditarum, vt Græcorum & Romanorum numismatum, item statuarum atque imaginum non minùs peritus & intelligens fuit æstimator. Pulcherrimam quoque & liberalibus artibus proximam pingendi artem magno in pretio habuit. Ex quo factum est, vt cum Apelle Germanico, omniumque pictorum velut parente ac magistro supremo, Alberto, inquam, Dürero, intimam coluerit amicitiam, & penè quotidianam vitæ consuetudinem habuerit: quem etiam omnibus modis adiuuit ac promouit, quo melius atque commodius artem suam excolere, & ad tantum fastigium perducere posset.

Ad numismata antiqua quod attinet, non contemnendus illorum thesaurus penes ipsum repertus fuit (tametsi ab ipsius nepote Bilib. Imhofio non parum locupletatus, vt infra dicetur): Quorum etiam valorem ac pretium summâ diligentiâ & curâ inquisiuit, deditque operam, vt scire posset, quo pacto ea congruerent cum Norimbergensi eius temporis vsitata moneta, aut certè ad hanc quàm proximè accederent. Extat hâc de re peculiaris ipsius libellus, quem ipsius domesticus quidam Andreas Ruttelius post mortem patroni sui & hospitis in lucem edidit sub hoc titulo: De priscorum numismatum ad Norimbergensis monetæ valorem æstimatione libellus: Quem etiam huic operi inferendum curauimus. Sed nec in Theologiâ panca scripsit, quibus pro eâ sententiâ, quam ipse veram agnoscebat, acerrimè propugnauit: Quæ scripta cum adhuc in medio sint, quisque quo volet loco habeat. Liberum enim vnicuique de his rebus iudicium relinquimus, neque nobis id sumimus. Iam triennium Bilibaldus in hâc vitæ priuatæ dulcedine & quiete diu exoptatâ exegerat, cum interea coniuge suâ carissimâ Crescentia orbatus est, quod fuit anno Christi millesimo quingentesimo & quarto. Is annus graui vulnere animum domumque eius afflixit, posteaquam per septennium in matrimonio satis fœcundo cum eâ vixisset, & quinque filias ex ea procreasset. Sed puerperium sextum, quo filiolum enixa erat, piæ, honestæ, ac probæ matronæ, tanquam alteri Racheli finem vitæ, quam fœtui suo ipsa dederat, attulit: Ita vir optimus simul & filio in subsidium ac solatium breue auctus est, & priuatus vxore. Qui acerbissimus casus cùm aliis ipsius propinquis flebilis fuit, tùm maximè ipsius marito amantissimo acerbus & luctuosus extitit. Nec mirum quod viro suo maximum reliquerit sui desiderium. Erat enim huius fœminæ virtus, vt non immeritò decus & ornamentum sui sexus appellari posset. Ob quas insignes dotes maritus eam vnicè diligebat, mitaque concordiâ cum ipsâ vixerat, perque mutuam caritatem se inuicem hi coniuges anteponere soliti fuerant. Imprimis cara viro fuerat Crescentia ob probitatem & animi ac morum minimè fucatam honestatem, meritoque de illâ vsurpare poterat Homericam hanc, quæ & Salomonia dici potest, sententiam: ὃ ῥᾳδίως ἀνὴρ γνοίη ἀγαθὸς ἀνὴρ λαῖφος ἐσθλὸς κρείσσων: quam ipse in oratione Nazianzeni de obitu patris latino hexametro isto expressit.

Nihil homini melius contingit coniuge castâ.

Et istud Taciti: *In bonâ vxore, tantò maior laus, quantò in malâ plus culpæ est.* Vidimus priuatum quoddam monumentum, apud Iohannem Imhofium, Bilibaldi pronepotem ex filiâ, in cuius Epigraphe maritus ipse hoc defunctæ coniugi suæ testimonium perhibet, quod ab ipsâ nunquam vel minimâ in re offensus fuerit aut turbatus, præterquàm cum moreretur. Est autem priuatum illud monumentum ab Alberto Dürero in tabellâ artificiosissimè depictum, tale: Iacet in lecto moribunda puerpera, beatam expectans animi à corpore resolutionem: Maritus ad summitatem lecti astans, faciem lacrymis oppletam abstergit, & ex parte velat, à conspectu amantissimæ coniugis animam agentis interstitio intermediorum asserum submotus: Circumstant & alii vtriusque sexus, & in his clerici atque sanctimoniales, preces pias ipsi præeuntes ac dictantes, & extremo viatico cœlesti eam instruentes. Huic picturæ aureis literis subscriptum est Elogium funebre, quod Pirckheimerus ipse, vt ex ipsius autographis, quibus id primùm delineauit, compertum habemus, conscripsit ad hunc modum: MVLIERI. INCOMPARABILI. CONIVGIQVE. CARISSIMÆ. CRESCENTIÆ. MEST. BILIBALDVS. PIRCKHEIMER. MARITVS. QVEM. NVNQVAM. NISI. MORTE. SVA. TVRBAVIT. MONVM. POSVIT. MIGRAVIT. EX ÆRVMNIS. IN. DOMINO. XVI. KL. IVNII. ANNO. SALVTIS. NOSTRÆ. M. D. IIII.

Neque hoc solùm elogio demonstrauit Bilibaldus, quanti suam Crescentiam fecerit, quamque in ipsius animo ardens fuerit storge & amor coniugalis: Verumetiam eo ipso facto, quod in ipsius honorem inuiolatum ac memoriam sempiternam (quanquam & aliæ subesse causæ potuerunt, quibus moueretur) nunquam ad secundas transire nuptias voluit, sed perpetuam coluit viduitatem: Nec ipsum à proposito dimouere potuerunt, vel amicorum crebræ cohortationes ad iterandas nuptias, vel ipsius ætas (nondum enim plusquàm triginta quatuor annos natus erat) vel denique quòd vltimus ipse esset familiæ suæ futurus, nisi aliâ vxore ductâ, & masculâ susceptâ prole illam instauraret ac propagaret. Verisimile quoque est aliquid apud ipsum valuisse iudicia sapientissimorum virorum de secundis nuptiis, quæ apud Nazianzenum suum, & Chrysostomum, nec non apud Tertullianum legerat: Ex quibus Chrysostomus homilia secunda ad Titum: *Omnes enim*, inquit, *secundas nuptias, quamuis contrahi legibus non prohibeantur, tamen multis vituperiis ac reprehensionibus esse obnoxias.* Et idem Chrysostomus homilia septima, in posteriorem Pauli ad Timoth. huius effati rationem reddit: *Nam si non nubere omninò, melius est quam nubere, melius quoq; erit semel tantum, quam sepius nupsisse.* Ibidemque ait, *mulieres non contentas priore matrimonio, iterumq; nubentes, torum mariti prioris maculare, & memoriam eius violare.* Nec aliter de viris quoque ad secunda vota transeuntib. iudicat Basilius Seleuciæ Episcopus, qui Chrysostomo coëtaneus & familiaris fuit. Sic enim scribit homiliâ antepenultimâ: οἱ μὴ τὸν τελευτήσαντα τῶν γυναικῶν ἑτέραις συζευγνύμενοι, ὥσπερ πεπόνηκότες καὶ ἀπηλλαγκότες τῆς ἐπιθυμίας, hoc est, *Qui post mortem vxorum cum aliis commiscentur, à multis vituperatur, tametsi eares pœnam nullam habeat propositam.* Nec mirum sic censuisse sanctos patres in Ecclesia (quorum magnam fuisse morum seueritatem, vitęq; austeritatem constat) cum ipsorum etiam Ethnicorum extra Ecclesiam Dei grauissima fuerint de secundis nuptiis iudicia. Sic enim de Romanis veteribus testatur Valerius Maximus lib. 2. c. 1. *quæ vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur.* Existimabant enim, eum præcipuè matronæ sincerâ fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile pudicum egredi nesciret: Multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes. Possent hoc loco multa commemorari exempla hominum vtriusq; sexus, qui à secundis nuptiis abhorruerint. Sed de his qui volet D. Hieronymum legat lib. 1. aduersus Iouianum posterioribus aliquot capitibus. Illud memorabile est, quod benedictio sacerdotalis, quæ in Ecclesiâ primò nubentib. adhibetur vetustissimo ritu, de quo & Ignatius meminit Epistolâ ad Polycarpum, & Tertullianus in lib. de pudicitiâ, & lib. 2. ad vxorem, & alii, secundis nuptiis denegatur. Sic enim & Ambrosius, commentario in 1. ad Corinth. *A Deo*, inquit, *primæ nuptiæ sunt: Secundæ verò permissæ sunt: Deniq; primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter: Secundæ autem & tertiæ præsenti carent gloriâ.* Idemque in priorem ad Timotheum cap. 3. *Homini*, inquit, *vnam vxorem decreuit Deus. Nemo enim cum secunda benedicatur.* Epiphanius paulo clementius aliis iudicat, cum aduersus hæresin Catharorum ita scribit: *Licitum est populo, vt propter imbecillitatem seratur, & vt qui non possunt primâ vxore contenti esse, secundæ post mortem primæ coniungantur. Et qui quidem vnam habuit, in maiore laude, & honore apud omnem concionem habetur: Qui verò non potuit vnâ mortuâ contentus esse, ob aliquam causam, scortationem aut adulterium, aut separatione ob aliquam malam causam factâ, eum diuina scriptura non accusat, si aut vir secundæ coniugatur vxori, aut vxor secundo viro: Neque ab Ecclesiâ & viâ abdicat, sed suffert propter debilitatem: non vt duas vxores simul habeat, alterâ adhuc superstite, sed vt ab vnâ separatus secundæ (si ita contingat) lege copuletur, diuina scriptura & sancta Dei Ecclesia eius misereatur: maximè si aliàs talis sit pius, & secundum legem Dei viuat. Etenim alioqui non dixisset Apostolus viduis: Nubant, liberos pariant, familiam gubernent.*

Hæc & huiusmodi grauissimorum virorum iudicia de secundis nuptiis, credibile est Bilibaldum quoque in suâ viduitate cogitantem ab illis abstinuisse, noluisseque post primum, vt sic loquar, naufragium denuò istud mare tentare & vela ventis permittere. Sic enim censet antiquus Epigrammatarius Anthologia prima, eum qui priore amissa coniuge ducat alteram, idem facere quod is, qui semel facto naufragio non dubitet iterum fragilem committere pelago ratem:

ὅστις ἄπαξ γάμοιο πάλιν δ' ἔπλευσε λέχεσσι δεύτερα,
ναυηγὸς πλώειν δεύτερον ἐγχείρεῖ.

Coniugium repetens defunctâ coniuge primâ,
Naufragus se iterum coniicit in pelagus.

Noluit hoc facere Bilibaldus noster, quanquam, vt faceret, crebris apud ipsum hortatibus instarent amici.

Iamque ille triennium priuatus vixerat, eamque vitæ litteratæ dulcedinem degustare cœperat, (etsi eam ipsam subamaram fecerat carissimæ comparis obitus) cum denuò in Senatum cooptatus est, nihil ipse quidem tale cogitans, aut appetens, imò etiam inuitus ac repugnans, suisque ingratiis; sed non sine omnium bonorum gratulatione atque lætitiâ. At tametsi Bilibaldus planè decreuerat ab administratione Reipubl. abstinere atque refugere, ideoque omnes vias ac rationes meditabatur, quæ ad se illo onere liberandum conducere viderentur: Propinqui tamen & amici eius multis

multis apud ipsum argumentis instantes, omnesque ei precum & cohortationum machinas adhibentes, tandem hoc effecerunt, vt mutato pertinaci proposito, iterum ad Reip. munera sese pertrahi, sibique grauissimum istud onus imponi pateretur.

Venit mihi hoc loco in mentem celebertimæ sententiæ, cuius Platonem fuisse perhibent auctorem, à quo & alij sapientissimi viri eam hauserunt: *Multò melius agi cum Republ. si munera & honores potiùs fugientibus ac repellentibus, quàm illis qui ambiunt atque appetunt, seq; inferunt & intrudunt, deferantur.* Sic Alexandrum Seuerum scribit Lampridius fecisse quendam præfectum Prætorio, (quam summam fuisse dignitatem constat) qui ne fieret, etiam fugerat: cum diceret Imper. opt. & sapientiss. *Inuitos, non ambientes, in Rempublicam collocandos.* Necaliter censuerunt Valentinianus & Martianus Impp. quorum hæc sunt aurea verba in Nouella siue Edicto quodam: *Felicem fore Rempublicam si à nolentibus, & actus publicos repulsantibus regatur.* Ideoque se multa remediorum genera crebrâ cogitatione inuenientes, & ipso rerum vsu monstrante, dum prouincialibus siue subditis suis prospicere gestiant, venalem iudicum ambitum radicitus amputasse, & ad res priuatas vel publicas sincerissimè gubernandas, homines spectandos atque consultos traxisse inuitos. Neque verò hoc in muneribus ciuilibus ita obtinet, & non obtinet etiam in Ecclesiasticis officijs, vt Episcopi & aliorum, imò verò in his etiam æque & multò etiam fortasse magis valet: vt ex sancti Ambrosij, Basilij, Nazianzeni, Chrysostomi aliorumque testimoniis S S. Patrum didicimus: qui potiùs inuiti ad eos, quos cum summa dignitate & vtilitate Ecclesiæ gesserunt, honores pertracti sunt, quàm per ambitum obrepserint.

Posteaquàm igitur Bilibaldus loco suo senatorio volentibus ac applaudentibus omnibus bonis redditus erat, è vestigio nomine suæ Reipublicæ cum alio quodam ex Amplis. Ordine Colonium legatus ad Cæsarem, anno M. C. XII. missus est, qui bellis maximis & difficilimis confectis, ea in vrbe Comitia celeberrima indixerat. In illis Comitiis causam Reipublicæ Norinbergensis ita præclarè atque vtiliter egit, vt eius operæ vberrimum fructum toto iam seculo illa Ciuitas senserit, atque vt porrò sentiat, Deum veneramur. Per aliquot deinde annos summâ cum laude, nec minore diligentia, ad varias Diætas (quas vocant) & conuentus plurimos, nunc Imperij Germanici totius, nunc Confœderationis, nunc Circulorum, qui vel à Cæsare, vel à confœderatis ac sociis, vel à ceteris Principibus indicebantur profectus Orator siue Legatus, negotium egit Reipublicæ suæ, facundissimeque semper ac disertissimè perorauit, non sine maxima audientium admiratione. Non solùm enim robusta ei ac virilis vox erat, & benè firma latera, sed etiam bonæfidei memoriâ ac penè stupendâ præditus erat, qua hoc assequebatur, vt nunquam hallucinaretur aut deficeret, quamuis sæpè numerò sexaginta aut pluribus etiam aduersariorum querelis è vestigio respondendum haberet; nec pauciora interim ipse aliis capita obiiceret, quæ à Reipublica sua in mandatis accepisset. In his ergò publicorum munerum functionibus talem ille se gessit, vt merito suo carus & honoratus esset omnibus, quicunque de excellenti virtute iudicare sincerè ac verè poterant. Sed non deerant alij, qui quoniam se paria cum ipso facere non posse animaduertebant, vt fit, degeneres animos inuidiæ tradiderunt. Hos igitur ita transfossos egit liuor atque in odium ipsius impulit, vt quacunque ratione possent, eius pulcherrimis virtutibus detraherent, & factis obstare, eique incommodare niterentur. Secretis cum criminationibus infamabant ignarum, & quo incautior deciperetur, palàm laudabant. Neque enim nouum est, vt summa petat liuor, & habenti obrepat. Nec vlla tàm modesta felicitas est, quæ malignitatis dentes vitare possit; vt Valerius Maximus ait: Insitaque mortalibus natura recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo videre: vt sapientiss. & grauiss. ait historiæ Aug. scriptor. Præterea obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur, quia vitium paruis magnisque ciuitatibus est commune, Ignorantia recti & Inuidia: vt eiusdem vtar verbis. Ea res noua Bilibaldo occasionem præbuit petendi dimissionem, & ab officio publico liberationem: quam tamen eo tempore, vt maximè graues allegaret petitionis suæ causas, impetrare neutiquam potuit: sed inprimis à Senatu, deinde & ab amicis suis persuasus est tandem, variis adhibitis tractatibus ac remediis, vt operam diuturniorem patriæ nauaret. Facta est tum ad ipsius salarium non pœnitenda accessio extraordinaria, Senatusconsulto ei decreta: gratia quoque facta est ipsi necessitatis obeundarum longinquarum Legationum, quas & ingrauascens iam ætas, & valetudinis ratio commodè ferre amplius non poterat. Ita per aliquot etiam annos Senatorio munere laudatissimè perfunctus est, à Legationum oneribus exemptus, præterquam quòd vnam etiam sibi imponi passus est, quæ ipsius potissimùm operam requirere videbatur. Nam cum Respublica Norimbergensis à quibusdam inquietis hominibus infestaretur, vt horum factionibus occurreretur, in Heluetiam profectus, eò rem adduxit, vt illi quiescerent. Ex eo difficili itinere domum reuersum, podagra inualescens, durius quàm antea affligere & vexare cœpit, ipsique necessitatem attulit deinceps sæpius equo quàm pedibus Curiam adeundi. Neque verò hic morbus, qui alioquin delicioſorum & voluptuariorum hominum familiaris esse vi-

plurimùm consueuit, ipsi ex intemperantia & crapula extiterat. Nam & domi suæ temperanter vi-

uebat,

uebat,& à conuiuiis ferè abstinebat)quod olim & Zenonem Philosophum fecisse solitum memorat historiæ) & toto septennio,de consilio Medicorum, à vini vsu penitùs abstinuerat, quanquam hoc ipsi factu fuit perdifficile, vt qui Cæsarem, cui à consiliis erat, sæpè sequi cogeretur, per talia loca proficiscenti,in quibus neque cereuisia haberetur, & aqua non rarò insalubris ac noxia bibentibus esset.Non igitur,vt dicebam,crapula ei hunc morbum concilauerat;sed potiùs curæ assiduæ pro Republ.exantlatæ,& vehementiores animi generosi commotiones. Etsi enim in ipso tanta erat animi magnitudo, per quam casus humanos despicere posset, nec facilè frangeretur aduersis: tamen quia hominem non planè exuerat,fieri aliter non poterat,quàm vt nonnunquam indignitates & aduersationes tàm crebræ ipsum angerent atque percellerent,& animum morderent. Neque enim ἀπάθειαν quandam Stoicam profitebatur; sed tantam sapientiam, quæ supra hominem videretur, aliis relinquebat.Ipse tamen sese aduersus eiusmodi insultus pulcherrimis sacrarum literarum sententiis, præcipuè verò Psalmorum Danidicorum dictis, consolari efficaciter & erigere fortiter didicerat: quod eum facere solitum fuisse compertum habemus ex ipsiusmet consignatione, quâ plurima huiusmodi loca, quæ ad confirmandos & consolandos animos in causâ iustâ iniquè oppressos adhiberi,plurimumque valere solent,in suum sibi vsum selegit. Nec parum ei roboris addidit rectè consultorum factorumque conscientia; deinde & patientia atque ἀνεξικακία, & spes diuini auxilij ac liberationis.Vt autem eiusmodi salutares cogitationes tantò familiariores sibi faceret,probeque infigeret animo, pulcherrimum & artificiosissimum Emblema excogitauit, & artificibus in æs incidendum atque exprimendum dedit, anno vel biennio ante obitum, idque in chartâ impressum, pluribus libris suis vel in frontispicio, vel in calce inseruit.Argumentum eius sanè dignissimum iudicauimus,quod huic narrationi pro insigni ornamento quodam insereremus.Est autem id,omissis pictorum pacergis, tale stat in mediâ tabellâ incus, cuius anticâ pars insculptum profert insigne gentilium Pirckeimerorum,quæ est Betula. Incudi subiacet femina,caput brachio suffulciens dextro, omnesque incudi intentatos atque impactos ictus,sine vllâ impatientiæ significatione sufferens: cui à re ipsâ nomen TOLERATIA adscriptum est. Ad vnum incudis latus alia adstat mulier, rixanti non dissimilis,& indignabundæ, cui à tergo adscripta est vox INVIDIA, hæc forcipe comprehensum cor flammæ supra incudem excitatæ imponit. Ei ex aduersò ab alterâ incudis parte tertia consistit femina, ambabus manibus comprehensum tenens triplicem malleum, quem altè sublatis magnâ vi brachiis intentat cordi, quod incudi impositum ab INVIDIA teneri diximus. TRIBVLATIO ei nomen est, quo supra caput adscriptum habet. Inter has duas, non tàm feminas quam feras bestias,media adstat quarta, vultu anxietatem simul & tranquillitatem animi præ se ferens, sublatis in cœlum oculis, eodemque exserrum erectæ manus dextræ indicem intendens. SPES ei nomen est, supra caput annotatum. Ante huius vultum decidit ex alto,eque serenâ ac lucidâ nube longa quædam floccorum series siue niuium, siue guttarum imbris, ad ipsum vsque cor pertingens, tanquam id in summo æstu atque ardore,afflictionum refrigerandi recreandique causa cœlitùs demissa. Quâ ingeniosâ picturâ inuentor eius Bilibaldus procul dubio significare voluit, quânam potissimùm consolatione suas sibi ærumnas leuare, & animum contra eas erigere soleret, vnde item expectaret & expeteret auxilium & liberationem: Proinde quasi diceret cum Dauide: Auxilium meum à Domino,qui fecit cœlum & terram. Quæ quidem spes minimè ipsum fefellit, aut pudefecit. Nam, vt de futura beatorum gloria nunc nihil dicamus, cuius participem eum fore non dubitamus, in hac quoque vita expertus est, quantum bona spes valeret, qua boni viri, si nulla alia re, improbis potiores sunt. Quicquid enim supra nominatæ bestiæ Inuidia & Tribulatio, in eius perniciem incumbentes, contra ipsum molirentur, nihil tamen proficere eive nocere potuerunt: quin potiùs integritatis illius fulgor, ac sol, vt ita loquar, protinùs calumniantium, qui nomini illius nescio quid nebularum conati sunt offundere, fumos dispulit,resq; prorsus in diuersum cessit. Nam ipsi fumo suo sunt tincti, qui fumos offundebant, & Bilibaldi virtus effulsit clarior: vt D.Erasmus eleganter atque emphaticè de eo scribit.

Sed priusquàm in vita Bilibaldi describenda & ad extremum quasi actum illius pergamus,nõ erit alienum,aut Lectori ingratum,si ἐκφρασιν metricam, quã præstantes duo viri,in vrbe Norimbergensi litterarum & virtutum variarum laude clari,Georgius Remus & Bernardus Prætorius,amici nostri, supra dictum Emblema Pirckeimeranum,hæc dum conscribo,illustrarunt,hîc subiecerimus. Igitur Remus hoc fecit anacreonticum:

Mira quid hoc rei? Ecquid
Acheronte nata proles,
Plutiq, nepti ATE*,*
Ate calumniatrix,
Cor forcipe hac tenaci
Vorsans terit per ignes;
Triplicig, malleo instans
THLIPSIS*, laboriose*

Tundit, retundit, ictus
Geminans, nihilq; cessans,
Adeò vt fatiscat incus;
Sperant ne rumpere hoc cor?
Cuius rei hæc figura est?
SPECVLO *videmus istoc,*
Quid sufferant malorum,
Quantum ferant laborum,
(Hic occupante & illic
Tyrannidem maligno
Liuore) quotquot vsquam
Agunt boni, & per orbem
Clari quidem superstant.
Tundi, premiq; & vri,
Mediasq; sæpe flammas
Transire nos necessum, &
Cædi calumniarum
Turpi pios flagello.
BENE *ast habet. quiescens*
Obdurat, atq; vincit
TOLERANTIA *omne durum.*
Nam spes adest ab æthrâ,
Spes alma, nata cœlo,
Subnixa magno Iesu,
Qui gratiæ benignos
Irrorat vnus imbreis.
Hæc SPES *(viden?) triumphat,*
Suos locans Olympo.

Prætorius autem hanc Elegiam Pirckeimerano nomini condonauit, inserto simul eidem venustissimo hoc anagrammate:

I, I: PVLCHERRIME LAVDIBVS.

Quæcunq; occiperet, numen WILIBALDVS *amicum*
Sensit, & arcanis insinuare modis:
PIRCKHEYMERE *bonis* PVLCHERRIME LAVDIBVS, I, I!
Quò tua te virtus, quò pia fata vocant.
Nil furor invidiæ te terreat: illa decorum
Insequitur pleno, corpus vt vmbra, gradu.
Exere, cœlitibus cognatæ semina mentis;
Atq; inde auxilium, si tonat aura, pete.
Nil metuat, curétve sibi mens conscia recti;
Sed locet in Domino spem toleretq; suam,
His Genii tacitis animatus ritè susurris,
Pectore firmato quæq; sinistra tulit.
Liuor ei triplicem quamuis induceret hostem,
Versaretq; feris forcipe corda rogis:
Malleo & instaret vehemens afflictio trino,
Ingeminans ictus ictibus vsq; nouos.
Sustinuit tamen, & diuinæ fultus opis spe
Porrexit medium fortiter his digitum.
In Domino pariter qui fidit; despicit hostes,
Gaudetq; in tacito, sorte tonante, sinu.

Cum autem bilibaldus longo iam tempore Reipub. fidelissimè inseruiendo corporis pariter & animi vires impendisset, ac ei tempestiuum videretur, vt suæ senectutis & inualetudinis ratione habitâ, rude tandem & quiete donaretur, podagræ præsertim doloribus subinde magis ac magis recrudescentibus, & officia publica negotiaq; impedientibus: seriò atq; instar denuò missionem à Senatu petiit. Quam etsi ægerrimè, tandem tamen hâc lege Seniores, quorum ea cura esse solet, ipsi concesserunt, dummodo domi suæ, quandoquidem in Curia non posset, Reipub. Consiliis suis adesset, constituto sibi pro illâ consiliarii operâ certo salario annuo. At Bilibaldus, ne cui videretur pecuniam

pecuniam captauisse, nequaquam in hanc conditionem consentire voluit. Dicebat enim, satis se per Dei gratiam esse locupletem, & gratuitam operam dare pro virili paratum esse consulendo amicis, maximeque pauperibus & miserabilius personis: quod sicut hactenus fecisset quà publicè, quà priuatim, ita in posterum quoque ex summis opibus, vbicunque vsus ferret, præstiturum pollicebatur, Deo benè fortunante, & vires conseruante. Quod si quid etiam in Reipublicæ negotiis fortè eiusmodi incideret, vbi suæ aliquæ partes requirerentur, nunquam se patriæ necessario eius tempore re, operâ, consilio, auxilioque (quatenus sua quidem ferret tenuitas) defuturum, neque impositum sibi onus detrectaturum. Ceterum quod sibi hoc nomine offeratur stipendium, id se constanter recusare. *Hoc enim viri boni ajebat præcipuum esse officium* (ipsius vtimur Bilibaldi verbis, ex ipsius autographo fideliter exceptis) *vt patriæ commodum propriæ etiam præferat vtilitati: & nequaquam decere, vt pecuniæ gratiâ amicorum deserat patrocinium; longè minùs pauperum & personarum miserabilium.* Id enim non solùm coram mundo inhonestum, sed apud Deum etiam impium esse. Male igitur Senatui operam suam gratuitam exhibere, quàm acceptâ pecuniâ amicis & iniustè oppressis in tàm pio officio deesse. O memorabilem magni viri vocem! ô factum non modò commendatione prædicationeque, verùm etiam imitatione posteritatis dignissimum! Ad hunc igitur modum impetratâ non solùm causariâ, sed & honestissimâ missione, quieti & sibi ac suis Musis redditus Bilibaldus, domi se quotidiè studiis oblectabat, animumque publicis curis defessum recreabat. Eumq; vitæ tenorem vsque ad illius extremum finem conseruabat. Interea verò ea, qua diximus, ratione consulendo scribendoque inseruiebat & commodabat amicis, maximeque iniquè oppressis, pauperibus, qui ad ipsum velut ad portum, ad aram & ad ancoram sacram necessario suo tempore confugientes, opem eius implorabant. Nonnunquam etiam factum cognouimus, vt ipsius domus quasi in curiam conuerteretur, dum videlicet sæpè interioris Consilij Senatores Reipubl. nomine se ad ipsum conferebant, & in grauissimis negotiis ac deliberationibus ipsius consilium exquirebant, vt viri experientissimi, & multorum arcanorum conscij. Hoc nimirum erat habere domum, qui dici posset totius oraculum ciuitatis. Eaque res non minùs Senatui & Reipublicæ salutaris, quàm Bilibaldo gloriosa fuit. Sed nec Senatus quicquam, quod ad referendâ ciui tàm vtili ac salutari gratiam pertineret, in se passus est desiderari. Nam (vt hoc loco vnicum referamus exemplum grati animi ergà ipsum solenniter declarati) cum aliquando Bilibaldus in causâ quâdam grauissimâ & maximi momenti consilium suum Senatui prudenter ac fideliter impertiuisset, quod ipso comprobante euentu inprimis vtile Reipubl. ac salutare fuerat: Senatus collaudarâ ipsius operâ luculento munere eum affecit, rogauitque, vt pari fide in posterùm etiam bonum publicum sibi curæ haberet ac procuraret: quod quidem ille se vltrò facturum & gratis recepit; munera verò non est aspernatus, ne cui vel nimis rigidus Cato, vel superbus & arrogans videretur.

Dictum est hucusque ferè tantùm de eâ parte vitæ Bilibaldi, quæ ad Rempublicam eiusque munia & officia pertinuit: & vidimus, qualem se præstiterit, quatenus publicam sustinuit personam: quid vel foris, vel domi, belli pacisve gesserit temporibus: quantoperè tàm armis, quàm litteris & politicâ scientiâ excelluerit præ ceteris, adeò, vt paucos habuerit pares. Profectò rarum quiddam & admiratione dignum est, res & facultates tàm varias, multiplices ac diuersas, quasdam etiam in speciem contrarias atque pugnantes, in vno eodemque subiecto concurre-re, simulque consistere, & in eâdem, vt sic loquar, sede montis morari. Nam ab omni seculorum memoriâ perpauci sunt reperti, qui tot tantisque virtutibus atque dotibus coniunctim essent præditi. Extant quidem in historiis exempla quorundam, qui in certo quodam genere artium aut disciplinarum præstantes fuerint: alius in re militari, alius in pacis artibus, & scientiâ Reipublicæ in pace gubernandæ; alius in hac, alius in illa arte excellens atque eximus fuit. Sed vnum hominem omnia ferè, quæ ab homine sciri possunt, & hominem ornant, vel etiam necessaria sunt, vt sibi aliisq; commodet, animo scientiaq; complexum fuisse, id verò rarissimum ab omni æuo fuit. De Catone Maiore siue Censorio memorant historici, simul & Imperatorem bonum fuisse, & Senatorem & Oratorem, & Patremfamilias. Perhibetur quoque idem Cato, cum iam grandis natu, adeoque octogenarius esset, Græcas litteras didicisse: à quibus tamen filium suum dehortatus est, ne eas diceret. Iam quid harum rerum Bilibaldo nostro defuerit, equidem nescio: quem non modò fortem, atq; egregium militem agnouit aula Eystadina, sed & bonum Imperatorem seu ducem militum probauit Cæsar ipse in bello cum Heluetiorum fortissimâ gente gesto: & Senatorē sapientem ac grauem fuisse patriæq; amantem, testatur Curia Norinbergensis & Ordo Amplissimus, qui eum quàm libenter in suum numerum aliquoties cooptauit, tàm ægrè atq; inuitùs dimisit eiusque operâ caruit: & I C. bonum, ac velut alterum quendam Seruium Sulpitium aut Papinianum, arguunt tot patrocinia & clientelæ, amicis, pauperibus, & aliis miserabilibus personis præstitæ: & Oratorem bonum, dicendi peritissimum, quique in animis auditorum tanquam alter Pericles aculeos efficacissimos relinqueret, eosq; quoquò voluisset flectere, nihilq; non, quod instituisset, flexanimâ illâ Suadâ eloquentiæ suæ impetrare posset, loquuntur adhuc tot legationes ab ipso obitæ. Historicum & Philologum bonum atq; indefessæ diligentiæ, omnis eruditæ antiquitatis studiosum gnarum ac peritum,

tum, probant scripta ipsius: quæ quidem etiam perfectiora & plura nobis dedisset, si aut in seculum cultius atq; felicius incidisset, aut ad elaborandum, quæ susceperat, plus otii vel à Reipub. curatione, vel à morbis, vel à morte deniq; ei datum esset: Veruntamẽ sic quoq; tantæ illa opera perfectionis esse potuisse, cum primùm in Germania renascerentur literæ, & ipse tot aliis curis obrueretur, non immeritò miramur: & Patremfamilias diligentem ac peritum fuisse, ex ipsius diariis, atq; annotationibus cognouimus. Theologus autem quantus fuerit, quamq; peritus rerum diuinarum, cùm alia sunt argumento, tùm quod eum sibi Latinum ex Greco faciendum sumpsit auctorem, qui cognomentum Theologi ob excellentiam suum ac proprium fecit: dico Gregorium Nazianzenum, à cuius translatione Erasmus ipse, quem Phœnicem litterarum appellârunt, deterritum se semper fuisse summâ rei difficultate, ingenuè profitetur; vt nihil nunc de ipsius aliis scriptis sacris, quæ edidit, dicamus.

Ex quibus omnibus apparet, si quis Bilibaldi nostri cum Catone Censorio comparationem instituere velit, tantum abesse, vt vllâ in re ille hoc inferior fuerit, vt in nonnullis ipsum etiam superârit. In eo etiam dispares fuisse non negauerim, quod Cato quidem extrema demum senectute Græcis litteris, raro quodam exemplo, dare operam cœperit: Bilibaldus autem eas in ipso adolescentiæ flore adamârit vehementissimè, & in illis, cum esset Patauii, tantum profecerit, vt etiam Græco nato doctori suo admirationi esset. Nec non in eo disparitatem inter ambos adnoscere licebit, quod Bilibaldus amorem suum, quo flagrabat erga linguam eius gentis, à quâ omnis fluxit humanitas, in alios quoq; quamplurimos quaqua ratione posset, transfundere studebat (meminerat quippe, quod & florentissimus Adagiorum scriptor iam olim censuit, *Græcarum litterarum imperitiam, omnium bonarum disciplinarum fuisse πανολεθρίαν*: nôrat idem, *Linguarum, & cum primis Græcæ cognitionem vel maximam esse partem solidæ eruditionis*: & si quis citra linguarum cognitionem conetur hanc eruditionem comparare, hunc *ἀδύνατα ζητεῖν*: quæ ab amicorum Pirckeimeranorum coryphæo & alpha, proauorum nostrorum memoria verissimè pronunciata, nuper suo quoq; calculo comprobauit maximus ætatis nostræ Philologus Isaacus Casaubonus, cum sic scripsit in Notis ad historiæ Augustæ auctores (pag. 192) sine Græcarum literarum studio nulla potest esse eruditio solida:) Bilibaldus ergo, vt qui hæc, quæ de græcarum litterarum vtilitate ac necessitate obiter attuli, probè sciret, earundem amorem ac studium in aliis quoq; sedulò excitabat, & exemplo & voce suâ. Perplacet enim quod superioribus conuenienter scripsit ad Hieron. Emserum in præfatione Rhetoris Lucianici, quem latinum à se factum eius nomini inscripsit: Tametsi Græc. litterarum studium à nonnullis reprehendi & contemni soleat: nemo tamen sanæ mentis inficias ire poterit, magnas ac nequaquam vulgares vtilitates ex illarum cognitione ortum habere. Cato autem suo quodam consilio vsus, & odio laborans gentis Græcanicæ, & hanc & linguam eius filio suo alisq; exosam atq; inuisam reddere conabatur: quâ in re & pater Bilibaldi Catonianum quiddam sapiebat ac patiebatur, vt iam supra attigimus. Etsi autem suis quibusdam rationibus ductus Iohannes Pirckheimerus filium ab eo helleniſmi studio abstrahere conatus fuerat: tamen Bilibaldus postea tantò ardentius id resumpsit atq; excoluit, eidemq; ad finem vsq; vitæ perpetuò constanterq; addictus mansit, semper vlterius proficere contendens: vt cum Solone posset verè hoc profiteri.

γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος.
Quotidie addiscens multa, senesco lubens.

Aut cum I C. Iuliano, iam octo & septuaginta annos nato: *Ego discendi cupiditate, quam solam viuendi rationem optimam duxi, memor sum eius sententiæ, qui dixisse fertur:* Κἂν ὑπὸ γήρως πόδα τις ἐπὶ θανάτῳ ἔχῃ, ἐσόμαθεῖν τι ἐθέλειμι, *h. e. Quamuis alterum pedem in sepulcro haberem, addiscere aliquid vellem.* Nôrat enim illud Ambrosianum, quod est initio librorum eius de officiis: Quantumlibet quisq; profecerit, nemo est qui doceri non egeat dum viuit. Ordo postularet, vt hoc loco etiam de priuata Bilibaldi vita disciplinaq; domestica, & de pulcherrimis quæ in ea eluxerunt virtutibus separatim quædam diceremus, nisi metuendum esset, ne hæc βιογραφία præter decorum & voluntatem nimis in longum extenderetur, si omnes ac singulæ huius viri virtutes pro dignitate describendæ ac pertractandæ essent, suisq; vt sic dicam coloribus illustrandæ. Reliquum enim esset, vt ageremus de insigni ipsius erga Deum pietate, de beneficentiâ erga pauperes & commemorabili liberalitate (cuius duos esse accepimus maximè probabiles fontes, verum iudicium & honestam beneuolentiam) de singulari fide, prudentiâ, dexteritate, diligentiaq; qua in omnibus rebus vti solitus fuerit (quo vno diligentiæ vocabulo plures alias virtutes contineri scripsit Cicero) nec non de temperantiâ ipsius, & castitate (quâ remotâ nullam aliam virtutem in se quicquam ornamenti habere olim dixit Bacchylides, non magis, quàm si de statua ceteroquin pulchra caput auulsum, reliquo corporis trunco quicquam decoris relinquit) de amore deniq; maritali, paterno & fraterno, quo sincerè & constanter dilexerit vxorem, filias & generos, sororesq;, & alias charitates, atq; necessitudines, amicos item quos ei, si non sanguinis propinquitas, at communium studiorum societas & morum similitudo bonorum conciliauerat. Tot certè ac tantis amicitiis ille floruit non solum in suâ patriâ & Germaniâ omni, verùm etiam in Italia, Hispania, & aliis exteris regionibus, quas litterarum beneficio diligenter

diligenter & assiduè conseruare solebat, vt non facilè quisquam eâ tempestate inueniri posset, qui ex quouis hominum genere, summorum inferiorum & medioximorum tot sibi studia voluntatès-que & amicitias adiunxisset. Cumque sciret, Amicos magnum esse viri politici & ornamentum & præsidium in rebus vel secundis vel aduersis, multos sibi passim locorum honestis rationibus comparauerat & deuinxerat, adeò vt quicquid incidisset, tàm ipse fidem eis præstaret, & auxilium non subtraheret suum, quàm ab ipsis quoque mutuas operas & fidem sibi polliceri posset. Quibus enim officiorum & honoris vinculis eorum animos obligârat, iisdem quoque eos retinebat, non ignarus scilicet, quòd non modò imperium facilè iisdem artibus conseruetur, quibus & paratur atque acquiritur, verùm etiam amicitia. Alcibiadi olim probro datum fuisse accepimus, quod in comparandis amicitiis quàm in retinendis vir melior fuerit. Sed ab hoc crimine longissimè Bilibaldus aberat: quippe qui meminisset Isocratici huius præcepti, ab aliis etiam sapientibus inculcati: *Amicos non facile neque temerè sibi quemque adiungere debere; sed quos semel sibi adiunxerit, non facilè deserendos esse, quam potius constanter amandos.* Potuit igitur Bilibaldi domus illo æuo non immeritò vocari HOSPITIVM seu DIVERSORIVM ERVDITORVM. quo sanè elogio. Conradus Celtes in præfatione quâdam ad Cæsarem Maximilianum I. illam ornauit. Hæc enim ei verba subscripsit, non parùm facientia ad laudem & domus & domini: *Ex Norembergâ diuersorio nostro literario edibus Vilibaldi Pirckamer, Patricij & senatorij ordinis, viri humanissimi, & vtriusque linguæ, Latinæ & Græcæ, non mediocriter docti.* Sic idem Celtes in Descriptione vrbis Norimbergæ, (quæ vbi ante ipsos centum & quatuor annos primùm in lucem edita est) sub finem capitis XII. Bilibaldum hospitem suum honoris causâ vocat; quo loco Celtes D. Iohannem Pirckheimerum eo nomine prædicat, quod Amplissimo Senatui Norico auctor extiterit constituendi publici professoris, qui Oratoriâ & Poëticâ facultate pollens salario publicitùs præbito ad morem Italicarum vrbium quarundam doceret. Concludit autem his verbis: *Eius erectionis & stipendii auctor apud Senatum genitor hospitis mei, Iohannes Pirckhamer, vtriusque Iuris professor fuit.* Vbi hoc obiter Lectorem volumus monitum de vocabulo Professoris, cum id patri Bilibaldi nostri adscribit Celtes, non hoc eum velle, quasi in Academiâ aliquâ Iuris professionem gubernârit (quod de eo ne per minima quidem vestigia indagare potuimus. quanquam si publicè alicubi Iura docuisset, Professor Academicus, vsque adeò nihil ea res de familiæ ipsius dignitate claritateque detraxisset, vt potiùs eam magnoperè adauxisset atque illustriorem reddidisset, cum nemo paulò humanior sit qui nesciat, multos & in Italiâ & in aliis regionibus Comites ac Principes nobilesque genere & prolapiâ viros, vel Iura vel etiâ Philosophiam & bonas litteras publicè docuisse, idq; sine vllâ diminutione ordinis ac dignitatis familiæ suæ) sed hoc solum vult Celtes professoris titulo, Doctorē legum fuisse: id quod verisimile est. iam suprà indicauimus, trium Principum consiliarium fuisse hunc Ioannem, tandemque ingrauescente ætate vltrò se à negociorum turbis fluctibusque ciuilibus subduxisse ac remouisse, & religionis cultui q; diuini amore & pio studio (vt tunc erant tempora) habitum induisse clericalem.

Sed vt de amicitiis Bilibaldi, quod cœperā pertexam, suâ ille humanitate, comitate & affabilitate sibi tàm multos comparauit ac deuinxit amicissimos ex quorumlibet ordinum hominibus, vt si omnium aciungulorū nomina recensenda essent, prolixus nobis catalogus nasceretur. Nā cum in variis artibus, nec minus in re militari, siue armis pariter ac litteris in vtrumq; paratus, excelleret: factum est, vt cum vtriusque & togatæ inquam & armatæ militiæ hominibus notitia ipsi atque amicitia intercederet. Similitudo enim, cuius rapax est natura, mater esse consuevit & conciliatrix & nutrix amicitiæ: veteréque verbo, Pares cum paribus facilimè congregantur. *ἀεὶ γὰρ τὸ ὅμοιον ἄγχι πρὸς τὸ ὅμοιον.* Ac tametsi inter amicos Bilibaldi nō pauci reperirentur, longè ipso inferiores genere, dignitate atq; experientia: ipse tamen omnes bonos ac honestos viros, amicos præsertim, pro paribus atq; æqualib. habebat, meminerat quippe, *Amicitiam pares aut accipere aut facere.* Quia verò, vt diximus, omnium nominā amicorum Pirckeimeranorū hîc persequi, nimis longū ac tædiosum foret, ne tamen nullos nominemus, præcipuorum quorundā hîc nomen laturam, eamq; Lectorib. fortasse nō iniucundā, subiicere visum est. Inprimis igitur quatuor hosce comites numerare licebit, Ioh. Franciscum Picum, Mirandulæ Comitē & Concordiæ Dominum, nepotē ex fratre magni illius Ioh. Pici, qui pro naturæ miraculo habit⁹ fuit ob ingenij quandā diuinitatem & eruditionis profunditatem: deinde Hermannum comitē Nuēnarium, tunc Nouæ Aquilæ, qui præposit⁹ fuit Colonienſis: præterea Ioh. Baronem Schwartzenbergium magistrū Aulę, (si rectè memini) Bauaricę: cui Germanica quędā ex Plutarcho ab se conuersa, de vtilitate ab inimicis capiendā, inscripsit. & Vlricum denique Comitem Helffenstei-nium, cui Plutarchi libellum de Curiositate latinè redditum dedicauit. Atq; hi quatuor omnes doctrinā litterarum exculti fuerunt; sed maximè hâc laude excelluerunt primi duo: quorum eximiam eruditionem libri olim ab ipsis editi hodieque attestantur. Et Picus quidem Bilibaldo primùm ex Italia misit Theophrasti Caracteres Ethicos; qui libellus anteà nunquam Alpes transierat; à Bilib. autem latinus & iuris publici factus est, Alberto Durero ab ipso nuncupatus. Deinde idem Picus grauissimam orationem suam, quam de reformandis moribus scriptam Leoni X. & Concilio Lateranensi destinauit, nomini Bilibaldi nostri inscripsit, & in lucem proferri passus est, Haganoæ cum aliquot

cum aliquot Hymnis sacris edita. Ex quo facilè apparet, quantum Picus Bilibaldo tribuerit, cui nec aliter quàm suo scribere literas solebat. Accedebat his Galeatius vicecomes Mediolanensis: cuius mentionem, vt veteris amici, facit ipse Bilibaldus lib. 2. de bello Heluetico, memorans simul, quid petenti denegârit, cum id alienum ab officio sibi visum fuisset, quod petierat Galeatius. Dicerat quippe Bilibaldus, ad aras vsque amicus esse, & qui personam Reipubl. induerit, quam ille tunc sustinebat in eo bello, eum deponere debere priuatam, nec amicitias aut necessitudines illas tanti putare, vt illi posthabeat publici officij rationes. Verùm hoc cuiusmodi sit, cum ex lectione nominati iam libri 2. facilè ab vnoquoque intelligi possit, hîc non persequar pluribus, præsertim ne videar ab instituto catalogo amicorum Pirckeimeranorum longius diuagari. Hunc igitur vt pertexam, cum præcipuis aulicis Cæsareanis Bilibaldus amicitiam coluit, & literas subinde commutauit, amicitiarum pararias, interpretes atque altrices: ex quibus nunc succurrit nominandi, Huldricus Varenbüler, Regiminis Cæsareani Cancellarius: Alexander Schweiss, & Iacobus de Bannissis, Tridentinæ Ecclesiæ Decanus, ambo Secretarij Cæs. Maiest. quorum alteri, Bannissio, libros quoque inscripsit. His meritò proximè adiungentur, Iohannes Cuspinianus præstantissimus ille Historiographus Cæsareus, & Iohan. Stabius, excellens Mathematicus, qui PORTAM HONORIS pulcherrimam excogitauit atque edidit, perpetuæ Maximiliani I. Cæs. gloriæ consecratam. Sed intimam ferè cum illo seculi sui Phœnice, Des. Erasmo Rotherodamo, amicitiam per annos plurimos integram illibatamq; coluit: adeoque mihi interdum legenti Erasmianas ad Bilibaldum literas ita visum est, quod olim Ciceroni fuit Atticus, hoc Pirckeimero nostro Erasmum fuisse. Quod quidem clariùs multò apparebit, si, quàm multæ cõseruatæ sunt Erasmi ad Bilibaldum litteræ, tàm multæ etiam huius ad illum haberi possent. Verùm hunc fuisse morem Bilibaldo nostro didici, vt vix vnquam suas epistolas iterum describeret, aut describendas daret, retento sibi (quod sæpè optandum erat, ab ipso factum esse) aliquo earum exemplo: ac potiùs plerasque omnes, quales scripserat, tales mittere ad amicos solebat: quod vel occupationum multitudo ipsum facere coëgit, vel ἀλογωρία quædam suarum epistolarum: quas etsi erant prudenter ac grauiter scriptæ, nec parùm prodesse poterant ἐμμελετημάτιον atque adseruatæ, tamen ipse tanti non faciebat, vt de illis in volumen redigendis vnquam cogitaret, id quod nunc factitare videmus, qui suis subinde in lucem prolatis superbiunt, & nouam interadolescentes, (quibus sordet, nihilque nisi rus merum & nauseam olet præ nouis hisce magistris, non dicam Erasmus, aut Budæus, sed ipse Cicero) sectam constituunt, seu volentes, siue etiam inuiti. Nec tacendus inter amicos Bilibaldi est Iohannes Trithemius, stupendæ vir scientiæ, qui vt Bilibaldus noster, Maximiliano Cæsari familiaris fuit. Non item prætereundus Iohannes Capnio, Herculeles ille Germanicus ἀλεξικάκος, & monstrorum domitor innumerabilium, quæ ipsi Ignorantia Malitiaque barbarorum quorundam & obscurorum virorum obiiciebat. Erat enim tunc genus hominum, quod sicut vespertiliones, noctuæ & bubones, aliæque infaustæ aues, lumen solis ac lucida tela diei (vt cum Lucretio loquar) ferre non possunt, ita & ipsi, quoniam tenebris barbariei assueuerant diutissimè, lucem renascentium litterarum, linguarum, & artium bonarum, quam rectis intueri oculis non poterant, auersabantur: ideoque in illarum studiosos & instauratores, infestis animis, minis & armis insurgebant, & clausis (quod dicitur) oculis incursabant, atque aduersum hos depugnantibus magnis illis viris, Capnioni & Erasmo, fidelem ὑπηρέτην, ac socium præbebat Bilibaldus: Capnionis etiam honori asserendo insignem illam Præfationem, quam Luciani Piscatoribus præposuit, Latinè à se conuersis, destinauit: eidemque in exilio suo reifamiliaris inopiâ nonnunquam laboranti, & opem amici imploranti promptè liberaliterq; succurrit, quo tempore Capnio ex Wirtenbergicâ ditione Ingolstadium Bauariæ concesserat, velut Διονύσιος ὁ Κορίνθιος τὸ γραμματοδιδασκαλεῖον, (vt ipse de se iocari opt. senex solebat) ex aulico honoratissimo & politico viro scholasticus effectus, ludumque fortunæ expertus. Atque vt tantò magis appareat, quàm fuerit Bilibaldus de Capnionis salute solicitus, quo tempore ille cum Gigantibus quibusdam & terræ filiis controuersiam habuit grauiss. placet inserere hoc loco Epistolam ipsius hac de re Bononiam scriptam ad Vlrichum Huttenum Eq. Franc. qui tunc ibi degebat. Ea ex autographo Bilibaldi à nobis descripta sic habet:

NOBILI AC CLARISSIMO VIRO VLRICHO HVTteno, viro præstantissimo Bononiæ.

SAlue Reuchliniſta optime. Cur enim non optimus, cum Reuchliniſta? arguis me timiditatis, & rectè quidem. Timeo ſiquidem optimo illi viro, non quod non ſim tam timidus, qui martis fuerim ſatelles, ſed quia longâ experientiâ didicerim, auro loquente cuncta ſilere. Atqui & te quoque nonnihil timere intelligo, quamuis ſis fortiſſimus. Sic enim de venali illo ſcribis Decimo, vt maximè dubitare videaris, quamuis antea benè ſperare iuſſeris. Nunquam enim ad innocentiam confugiſſes, niſi illam minus tutam fore ſubhabitaſſes. Verùm nõ ideò virum optimum derelinquemus, ſed cunctis viribus illi opem feremus, eiſi non ignoramus, multos ſub innocentiæ ſcuto periiſſe. Hogoſtratus cum ex capitulo per Nurenbergam iter feciſſet, vemulti quibuſdam ſilentium ambabus partibus indictum eſſe. Id ſi ita eſſet, victoria quoque noſtra exiſteret. Oſten-

Ostendit obiter breue vt appellant, Apostolicum, non tamen in forma autentica, quo excommunicantur ementes, vendentes & legentes obscurorum virorum Epistolas. Mutandus itaque titulus, & pro obscuris clari viri erunt inscribendi, vt rursus Nebulones pecunias dilapidare cogantur. Planè enim confessi sunt, ob breue illud bellè auro se emunctos esse. Hogostratus enim quibusdam aliis cum serò applicuisset summo abiit manè, à quodam vt insidias caueret, prænonitus. Verum nec sic quidem Reuchlinistarum euasisset manus, nisi Marchionis saluo conducto à persequentibus tutus fuisset. Sed Deus, qui procul dubio in partibus fuit, virumq; innocentem ex ore Leonum & Draconum eripuit, ille sibi vindictam reseruauit, quam suo tempore grauius fulminaret. Ideo etiam sine Reuchlinistarum vindicta impij peribunt. Benè igitur sperauit. Erasmus Antuerpiæ est. Edidit iam Commentaria super Pauli Epistolas, quæ nunc Basileæ imprimuntur. Donatus est à Carolo rege pingui (vt vocant) beneficio. Magno animo susurrones illos, qui quotidie ei minantur, contemnit, imo deridet. Haud credo Nebulones aliquid contra illum ausoros. Iam enim temeritatis suæ pœnam dedère, & ille aculeum habet. Salutabo hominem, vt iussisti, verbis tuis. Tyrannus ille non solum pacta non seruat, verùm contra Imperatorem quoque pertinaciter agit. Nec iniuria. Ita enim gratias referre solent improbi cum contra iustitiam tutati fuerint. Non quod Cæsari talia obiiciam, (nam optimus est princeps: verùm natura sua ab improbis frui non permittitur) eripuit Tyrannus ille, vt nosti, arcem quandam Ericho Comiti de Leyningen, Hartenberg (si benè memini) appellatur. Illam iam Francisco de Sickingen tradidit, vt illac refugium habeat. Audiuisti præterea, quo pacto arcem & prædia Comitis de Helffenstein igne vastauerit. Nunc verò (vt aiunt) multos Bauaris incendiarios submisit. Quin Zeysolfum de Rosenberg, Ludouici de Hutten cognatum, quem proculdubio nosti, submissis quibusdam improbis, magno damno affecit, ac prædia fermè omnia ipsius incendio euertit. Scribis, te non exhorrescere periculum esse: & rectè quidem. Nouit enim ille, te orationes acerbissimas in eum conscripsisse. Nec dubitat, fratres illos, qui te auctorem obscurorum esse clamitant, illum contra te instigare. Nouit enim quid scribant. Nam ipsi scelera sua occultare nequeunt. Caue igitur ne eorum consilio tibi quoque percussorem submittat, quod Deus auertat. Piscatorem impressoribus tradidi. Cum impressus fuerit, ad vos ibit. Ridebis, in præfatione Sophistas haud penitus esse neglectos. Capnionem, quo animo in eum sis, certiorem reddam. Prudenter agis, quod ad eum non scribis, ne eum innocentem ac nolens in periculum trahas. Nôsti enim Tyrannorum animos. Hæc fuère quæ scribenda erant, si quid aliud, præcipuè in causa Gentilium tuorum emerserit, quamprimùm te certiorem reddam. Cupio enim tibi, vbicunque potero, rem gratam facere. Vale felix. Ex Nurenberga XXVI. Iunij, anno M. D. XVII.

Tuus

Bilibaldus Birckeimerus.

Capnioni meritò proximum adiungimus Philippum Melanchtonem, Capnionis cognatum, cui non exigua aut vulgaris cum Bilibaldo fuit amicitia: Et huic Martinum Lutherum, cuius fidus ac perpetuus Achates Melanchton fuit: & Ioachimum Camerarum Pabebergensem, Varronem illium Germanicum, & eximium litterarum græcarum & latinarum parentem: & Beatum Rhenanum Selestadiensem, cui historia rerum Germanicarum, & boni auctores, inque sacris scriptoribus Tertullianus, plurimum debent: & Conradum Peutingerum I C. Augustanum, ipsum quoque Cæsaris Consiliarium & insignem antiquarium, qui & Alciato, & aliis quà exteris, quà ciuibus viris Christianissimis magno in pretio habitus fuit; Et Vdalricum Zasium, Iurisconsult. Archigymnasij Friburgensis professorem, qui hoc Germanis fuit, quod Iason Italis, aut quod Alciatus Gallis pariter & Italis: (quem quanti Bilibaldus faceret, cùm aliis declarauit argumentis, tùm hoc potissimùm, quod ei Nazianzeni Apologeticum siue Orationem de Episcopi officio nuncupauit, grauissima ei libro planeque censoria præfatione addita, qua iam fini vitæ propinquus (vix enim superuixit annum editioni huic) summam fidei suæ & spei salutis que, quæ in se esset, simùl complecti voluit: Et Henricum Glaceanum, P. C. Historicum ac Mathematicum excellentem. His accedant Iurisconsulti & Consiliarij duo Norimbergenses, de Republica optimè meriti Christophorus Scheurle (cuius de familiæ Pirckeimeranæ laudibus Epistolam infrà dabimus) & Christophorus Gugel, qui per quinquaginta, & quod excurrit, annos Reipublicæ consulendo fidelem nauauit operam, tandem honoratissima senectute ætatis anno duo de octogesimo exacto, Christi verò septuagesimo septimo supra mille quingentos, vita excessit. Alberto Durero, non solùm pingendi summo artificiter vsus fuerit Bilibaldus, suprà iam attigimus. Quanti verò ipsum fecerit viuum, & quanto luctu desiderioq; prosecutus fuerit mortuum, ex hac eius Elegia, quam per occasionem hîc subiiciam, liquidò apparebit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [49] - 25
PUBLIC DOMAIN

ELEGIA

BILIBALDI PIRCKHEIMERI, IN OBITVM ALBERTI DVRERI, EX AVctoris litturis descripta.

QVi mihi tàm multis fueras iunctissimus annis,
Alberte, atque meæ maxima pars animæ:
Quo cum sermones poteram conferre suaues,
Tutus & in fidum spargere verba sinum:
Quur subitò infelix mœrentem linquis amicum,
Et celeri properas non redeunte pede?
Non caput optatum licuit, non tangere dextram,
Vltima nec tristi dicere verba vale?
Sed vix tradideras languentia membra grabato,
Quum mors accelerans te subitò eripuit.
Eheu spes vanas! heu mens ignara malorum!
Quàm lapsu celeri cuncta repentè cadunt!
Omnia pro merito dederat fortuna secunda,
Ingenium, formam, cum probitate fidem.
Omnia sed rursus celeri Mors abstulit ausu:
Tollere sed laudes improba non valuit.
Virtus namq; manet DVRERI, *atque inclita fama;*
Splendebunt donec sidera clara polo.
I decus, i nostræ non vltima gloria gentis,
Ductore & Christo cœlica regna pete.
Illic non vano gaudebis semper honore,
Pro meritis felix præmia digna ferens:
Dum nos hic fragiles erramus mortis in vmbrâ,
Et cymbâ instabili labimur in pelago.
Tandem quum annuerit clementis gratia Christi,
Nos quoque idem te post ingredimur iter.
Interea mœsti lachrymas fundemus amico,
Nil quibus afflictis dulcius esse potest:
Accedentq; preces summum placare Tonantem:
Quæ possint, quicquam si pia vota valent.
Et ne quid tumulo desit, spargemus odores,
Narcissum, violas, lilia, serta, rosas.
Felix interea somno requiesce beato,
Dormit enim in Christo vir bonus, haut moritur.

Epitaphium Nobilis Viri Bernhardi Adelmani.

Frangere si possent artes crudelia fata
Virtus, nobilitas, ingenium, probitas,
Non iusses pede tam celeri, Bernharde sub vmbras,
Nec tot fudissent lumina tam lachrymas.
Sed quod non nostrum est naturæ inuertere leges,
Labitur & cunctis non reditura dies.
Quod datur, hoc solum mœsta nunc mente precantur:
Cum Christo exultes: adnumerêre pijs.

Aliud.

Terra mihi exilium est. fratrem ne plangite amici,
Non morior firmam sed propero ad patriam.

Aliud.

Non tua, sed potiùs sors est lugenda malorum,
Funera nihil censent talia non lachrymas.

Allusio ad nomen Adelmannorum.

Et generis & nomen quamuis mihi nobile quondam:
Nobilior multum sed mea vita fuit.

Bilibaldus Pirckeimer amico benemerenti.

Epita-

Epitaphium Aldi, autore Bilib. Pirckh.

Posset vbi tandem concepta Academia condi,
Nullus in hoc Aldo cum locus orbe foret,
Seclum, ait, insipiens, tellusq; indigna valete,
Atque opus ad campos transtulit Elysios.

Epitaphium Alb. Dureri, autore Bilib. Pirckh.

Albertus postquam pingendo ornauerat orbem,
Arteq; tàm lepidâ cuncta repleta forent.
Nunc restat, cœlum, dixit, pingatur vt altum:
Mox terram linquens, sidera clara petit.

Aliud.

Ingenium, probitas, candor, prudentia, virtus,
Ars, pietasq;, fidesq;, hîc tumulata iacent.

Aliud ab eodem.

Per lachrymas posset si vita, Alberte, reduci,
Non tuum in hac corpus contegeretur humo.
Sed quia non lachrymis nec flendo fata mouentur,
Mœrendo saltem soluere iusta licet.

Amicitiam quoque porrò cum Bilibaldo coluerunt, Henricus Stromerus Aurbacensis, Medicus Lipsicus, & Archidiater Moguntinus, Conradus Cordatus, Theologus verè cordatus, (quod ex iis Epistolis nouimus) Ecclesiastes Budensis primùm, deinde cum in Turcæ potestatem Buda venisset, etiam Germanicus: Wenceslaus Linckius, & Augustinus Lupsius, Augustinianum professus ordinem, qui tres Theologiæ Doctores fuêre, Ioachimus item Vadianus, Sancti Galli in patriâ suâ Consul eximius & Theologus & Cosmographus: nec non Simon Lazius, & Paulus Rizius historici, & Laurentius Behaim, Iuris Doctor, & Canonicus Bambergensis, cui nuncupata est à Bilibaldo pulcherrima illa pro Capnione Apologia Piscatorib. Luciani præfixa, & Norimbergæ iam olim typis diuulgata, cuius suprà quoque meminimus: & Iohannes Hessus, I C. Episcopi Vratislauiensis Cancellarius, & Iohan. Alexander Brassicanus, I C. Historicus & Poëta. His accedat Clariss. ille Germ. Poëta Hel. Eobanus Hessus, qui dum Norinbergæ scholam haberet, iuxtaq; cum Ioach. Camerario bonas litteras stipendio Senatus doceret, Bilibaldo inprimis gratus ac familiaris fuit: cumq; Eobanus ei superuixisset, mortem ac laudes Bilibaldi pulcherrimo Epicedio celebrauit: quod inter Illustrium virorum Epicedia Eobanica in farragine operum eius hodieque legitur cum vtriusque laude & gloriâ. Nihil autem nocuerit fortassis, idem hîc quoque insertum, in nouâ luce apparere simul cum altero Epicedio, quo fidum Pirckeimeri Achatem Durerum, eximius Poëta ornauit.

EX EOBANI HESSI POETÆ GERMANI EPICEDIIS VIRORVM ILLVSTRIVM,

pag. 164. Farraginis prioris operum eius.

CLARISSIMI VIRI BILIBALDI PIRCKHEIMERI PATRICII NVrenbergensis ac Augustalis Consiliarij, qui mortuus est anno M. D. XXXI. mense Ianuario, Epicedion.

Bilibaldus Patriam alloquitur.

QVid iuuat assiduis incessere fata querelis,
Sæpius & nimio dura fuisse queri.
Viribus æternis manet immutabile robur,
Quod sibi fatales constituêre Deæ.
Quare agè ne nostro lachrymas in funere funde
Patria, nec longi signa doloris habe.
Non ego lugentes abij velut exul ad vmbras,
Altera te potior patria nacta mihi est.
Quàm benè conditio vitæ est mutata prioris,
Quæ, mihi si quis ad hanc conferat, vmbra fuit.
Creditius interiisse tibi, nunc viuere primùm
Incipio, & verè muneris esse mei.
Nec tu cinc tuo te orbatam credere debes,
Qui nunc non minus est, quàm fuit ante, tuus.

Cuius ab exequiis tibi maior imago resurgat,
Fama quidem viuis esse maligna solet.
Omnia mors aperit detersō nomina fuco,
Nube sub inuidiæ quæ latuêre priùs.
Quanquàm ego non latui, quanquàm mea clara fuerunt
Nomina, splendescent nunc tamen illa magis.
Nam tibi multa & magna satis monumenta reliqui,
Illa meo quiddam corpore maius habent.
Corpus iniqua quidem morbis attriuerat ætas,
Ingenij semper gloria firma stetit.
Non hoc pestis atrox, non hoc declinior ætas,
Excusso potuit dissoluisse statu.
Mansit, & extremos firmum peruenit ad annos,
Hoc mors non potuit cogere sæua mori.
Nec tibi profuerat corpus quod inutile fecit,
Mille modis ætas, crux data mille modis.
Profuit hic animus tibi patria, proderit idem,
Dum decus ingenij corpore maius erit.
Quanquàm dum solidas vires animosa senectus
Sufficeret, miles non tibi turpis eram.
Nec te credo mei pōst tot benefacta pudebit,
Vtilis ēst virtus nunc quoque nostra tibi.
Etsi permittis de me mihi dicere, post quàm
Inuidiæ stimulis gloria vera caret:
Plus tibi præstiterant solidæ mea nomina laudis,
Quàm foris aut vires diuitiæq; domi.
Ipse tuam foui per regna externa salutem,
Ipse tui vindex semper honoris eram.
Pro te sæpè tuli discrimina maxima, pro te
Sæpè steti supplex Cæsaris ante thronum.
Maximus eximiis me laudibus Æmilianus
Cæsar honoratum iussit habere locum,
Nec me Cæsareâ potior fuit alter in aulâ
Consiliis, rerum fructibus, ore, fide.
Nec mihi defuerant virtutes militiai.
Bellica sunt ductu signa relata meo.
Sed poterant de me speciosius ista referri,
Pluraq;, quæ prohibet dicere facta pudor.
Hæc tibi si quæ potēst existere caussa querendi,
Abstulit hæc duræ mortis auara manus.
Nec mihi profuit ingenuas cumulata per artes,
Gloria, quo caderet corpus inane minùs.
Non sacra magnorum mysteria cognita vatum,
Quicquid & arcanum littera sancta docet,
Omnia non sacri lustrata volumina Iuris,
Non quicquid medicæ cura salutis habet.
Omnia non facili tenuisse mathemata sensu,
Quodq; aliquis magnos Rhetoras inter eram.
Non operata diu duplicis fastundia linguæ
Denique non quicquid Pallas amare potēst.
Hæc mors cuncta tulit, nihil horum ingrata reliquit,
Si spectes miseri corporis officium.
Si verò æternæ, quod debes, nomina famæ,
Talia cum vellet tollere dona, dedit.
Sicut enim corpus consumit auara receptum,
Sic dona ingenij splendidiora facit.
Parte igitur meliore mihi tibi chara superstes
Sum patria, hac nunquam mortuus esse ferar.
Tu monumenta stude nostri retinere fauoris
Si sapis, vt maneant quàm diuturna tibi.

Finis

Inde mei ſimiles multos vt habere labores
Admonitum & memorem te ſatis eſſe velim.
Ne placidis tantum ſpectes commercia lucri
Rei non indignæ ſi tueare modum.
Quod ſi diuitias ſtudiis ſapientibus ornes,
Æquari nullâ laus tua ſorte queat.
Sicut enim flores rerum moderamine lato
Sic arteis debes læta fouere bonas.
Atque animum ſtudiis tantò magis addere, quantò
Sordeſcunt iſto tempore ſpreta magis.
Quòd ſi non facies, neque credes iſta monenti,
Quo te pœniteat iam tibi tempus erit.
Nec procul illud erit tempus, niſi cautè futuri,
Præuenias cladis triſtia damna tuæ.
Quâ facere id poſſis, nec tu neſcire videris,
Nec decet hic manes conſuluiſſe tibi.
Quanquam conſiliis mens libera corporis æſtu
Plus valet, & propiùs cunctaq; ſeq; videt.
Tu mihi ſi qua voles impendere præmia honorum
Fac cineri ſoluas omnia iuſta meo.
Hic vbi Pegneſius pulchram vagus alluit vrbem,
Quæ de Teutonica Noride nomen habet.
Hic mihi conſtitues clari monumenta ſepulchri
In quibus abiecti corporis oſſa cubent,
Et poſitum in viridi ſignabis cæſpite marmor
Siue hoc, ſiue alio carmine ferre voles.
Nuper in hâc reliquum Bilibaldi condidit vrnâ
Quam ciui poſuit patria grata ſuo.
Hunc mihi tu ſtatues tumulum: monumenta per orbem
Ipſe mihi feci non peritura. Vale.

Ex eodem libro, pag. 150. & ſeqq.

IN MORTEM CONSVMMATISSIMI PICTORIS ALBERTI DVRERI Nurenbergenſis Epicedion ad Ioachimum Camerarium.

POne coronatæ luſus Ioachime Camenæ,
Sume dolorificæ triſtia plectra lyræ.
Per breue lugendum tempus tibi donec amico
Sic merito triſtes ſolnimus inferias.
Occidit & ſuperas rediit Durerus in oras
Non niſi de cœlo tam bona vita fuit.
Nunc tibi plorantes lugubria carmina muſæ
Nunc triſtis querulum dicet Apollo melos.
Nam iacet humana pertæſus lumina vitæ,
Quo nemo ingenio, nec prior arte fuit.
Occidit heu noſtri pictorum gloria ſecli,
Cui par ſperari nulla futura poteſt.
Occidit heu, quis enim impia fata queratur?
Artifice Albertus maior Apelle manu.
Sicut enim Cous ſua tempora vicit Apelles,
Æmula poſteritas nec tulit vlla parem.
Sic ab eo ſerie ſeclorum Alberte ſecundus,
Diuinæ fueras artis honore prior.
Nam rudis illa prior fuit & ſine cultibus ætas
Queis ſuperant noſtri tempora priſca dies.
Artibus & lucem ſuffecit Græcia mendax,
Quâ ſine laus rebus parua futura fuit.
Hic tot pingendi præſtantibus arte per orbem,
Innumeri ſolus quod meruere tulit.

Cumq; videretur iam plena, nec altius iret,
Nobilis ars, capta solus in arce stetit.
Non quia non habeant quibus hæc quoq; tempora possint
Priscorum ingenijs eripuisse decus.
Sed quia primus erat, quia primum hunc esse ferebat,
Quisquis eà clarum nomen ab arte tulit.
Dij quam felici pingebat hic omnia dextrâ,
Linea quàm pulchrum nulla fefellit opus.
Dij quales vultus, dij qualia lumina fecit,
Spirabat viuo factus in ore color!
Quascunq; effigies hominum diuumq; peregit,
In tabulas credas, currere, stare, loqui.
Picta colorati frondere toreumata ramis,
Ferri undas, flammas vrere, saxa iaci.
Gratia nobilibus fuberat tam viua parergis,
Quodcunq; effinxit penè creabat opus.
Nunc iacet informi manus illa infecta colore,
Subdita cui ratio tota coloris erat.
Nunc digiti pallent, qui cum libuisset habebant,
Quas ebori possent imposuisse rosas.
Quis nunc ô Alberte tuas tetigisse tabellas?
Successor quis erit qui queat esse tibi?
Interitum natura tuum lugere videtur,
Quam poteras doctâ penè referre manu!
Ipsas tuos casus opera intermissa queruntur,
Quæ nunc morte tuâ mortua tota iacent.
Dicerit nunc tabulæ tristes spirantia signa
Dicite, quo, qui vos tam benè fecit, abit?
Nunc etiam lugent pictæ tua vota tabellæ,
Atque ars artificem plorat abiisse suum.
Et qua te viuo viuentis ridebat imago,
E sicco quasdam lumine fundit aquas.
Et merito, quis enim tales vel euntibus annis,
Vel casu ablatas restituisse queat?
Sicut enim nemo Venerem perfecit Apellis,
Sic Alberte tibi nemo secundus erit.
Ite Cupidinibus tristes narratæ Camœnæ,
Non sitterum tali viuere posse manu.
Dicite Cypriadi cecidit Germanus Apelles,
Cum quo penè etiam mortua forma tua est.
Vos quoque conscissis charites lugete capillis,
Interiit vestri verus Apollo chori.
Siue suis dictas iussit considere in hortis,
Sanguinis in vobis quàm propè sensus erat.
Siue choros iunctis iuuenes ducere Nymphas,
Nostra morabatur lumina forma salax.
In primis tamen Aonides lugete puellæ,
Ad vos præcipuè pertinet iste dolor.
Nam quæ vos celebri faciitis pulcherrima cantu,
Ille manu tantum non meliora dedit.
Astra, polos, terras, ventos, mare, nubila, flammas,
Carmine vos canitis, pinxerat ille manu.
Et quæ difficile est vestro quoque dicere cantu,
Affectus animi pingere doctus erat.
Quid loquor affectus? animos quoq; pinxit, & illis
Vultus & formam quamlibet ipse dedit.
O quoties aliquem pictæ bona forma tabellæ
Cœpit, & è tabulâ pellice venit amor.
Sic vt iam Venerem Gnidiæ puduisse figura,
Posset, & hac pictam se voluisse manu.

Nec

Nec tantum eximiæ summum decus attigit artis,
Ingenij mirâ dexteritate fuit.
Omnia præscriptâ ratione mathemata nouit,
Cognita nec Siculo plura fuêre seni.
Fortia ductilibus circumdare mœnia vallis
Aptatis docuit ponere castra locis.
Ille operâ aptauit varias instructâ per artes,
Queis procul à muris pelleret hostis opes.
Instruxit peditum cuneos, equitumq; phalangas,
Pila, acies, turmas, cornua, signa, globos.
Nec minùs hæc pinxit, fieri quàm posse docebat,
Præsentem faciunt publica signa fidem.
Heu quia quæ superi bona congestis in vnum,
Vna simul fato perdidit hora nocens.
Heic quia non redeunt quæ tàm bona grata fuerunt,
Nec tàm difficiles spes leuat vlla moras.
Intereunt herbæ, flores moriuntur adulti,
Sed redeunt vtam restituente Deo.
Nos rerum Dominos, naturæ opera optima matris
Cum semel occidimus fata redire negant.
Prætereà floret breue ver mutabilis æui,
Quod sumus hoc vitam dicere penè pudet.
Tot vetulæ durat cornicis vita per annos,
Secula tot ceruos viuere posse ferunt.
Igne suo Phœnix onerantes exuit annos,
Exuuias reparens corporis inde noui.
Inuida cur non hoc homini natura dedisti,
Viuere nempe feris dignior ille fuit?
Postquàm dura semel Dureri fata subisti,
Tu quoq; perpetuâ nocte sepultus eris.
Nec spes vlla tui similem, aut te posse reuerti,
Heu vbi Pytagoræ vana palingenesis?
Ergo tuos lugent obitus quicunq; per artem,
Millia tot nostro tempore nomen habent.
Lugebunt quicunq; tua sunt arte futuri
Illustres, honor est debitus ille tibi.
Nunc etiam luget te patria clara, tuoq;
Sparsa caput nitidum funere mœsta sedet.
Te nemus Hercinium, te Norica mœnia lugent,
Te liquidis flêrunt marmoreiq; lacus.
Te iuuenes, te turba senum, te fleuit & omnis
Artibus vrbs nuper nobilitata tuis.
In lachrymas abeunt Latices Pegnesidos vndæ,
Ipse sua mœret tristior omnis aqua.
Stant circùm, mœstæq; stupent tua funera Nimphæ,
Nunc primùm miseras nil nisi flere iuuat.
Sic Phaetontiades fratrem luxêre iacentem,
Dum patrios audax non bene iunxit equos.
Memnona sic flêrunt volucres ad busta volantes,
Præpes in herbosis vallibus Eure tuis.
Sic sua cum Nymphis extinctum mater Achillem,
Fleuit ab Iliaco diuà profecta mari.
Denique vt exemplis verum propioribus edam,
Fleuit vt artificem patria quæq; suum.
Aequoreâ vt magnum Cos olim fleuit Apellem,
Protogenem variâ nobilis Rhodos.
Parrhasium præclara Ephesus quam luxit ademptum,
Sicut Aristitem regia Cadme tua.
Tristibus vt lacrymis pereuntem Zensida flêrunt,
Quæ vetus Alcidæ mœnia nomen habet.

Taliter extinctum deflete Norica pubes,
Huius enim nuper tu decus vrbis eras.
Seruatura tuâ tamen est in imagine vultus,
Grata tuis meritis officiosa manus.
Quos olim spectans aliquis, tua gloria dicet,
Viuit, & æternos est habitura dies.
Illa quidem viuit non vlli obnoxia morti,
In matrem rediit patre cadauer humum.
Parte igitur meliore tui clarissime pictor,
Viuis, at hâc longè deteriore iaces.
Quàm benè apud superos morimur virtute relictâ,
Pars melior vitæ talis habenda fuit.
Non moritur quicunq; sui monumenta reliquit,
Ingenij, & laudem posteritatis habet.
Quæ quoniam de te iam millia multa supersunt,
Corporis & tantùm vita peracta tui.
Sed quia vita etiam nos corporis illa trahebat,
Longiùs hanc quærimur non potuisse trahi.
Atque ideò ante tui vix dum noua busta sepulchri,
Has vbi funebres soluimus exequias.
Viue vale nostri pictorum gloria secli,
Et tua Cœlestes inuolet vmbra plagas.
Nos meliore tuas laudes depingere cultu,
Heu quantus dolor est non potuisse, vale.

SOMNIVM DE EODEM.

Inuida Durerum quo tempore fata tulerunt,
Et tantum terris eripuere decus.
Iam ter quinque ierant à nato secula Christo,
Et quater in cursu septimus annus erat.
Vellera Phryxææ pecudis iam Phœbus obibat,
Florida natiuis tempora veris erant.
Obtulit haud dubio mihi talia somnia monstro,
Quæ mox fatalem est prima secuta diem.
Vera loquor, nihil affingam, si mentiar autem,
Summa sit hæc in quâ mentiar hora mei.
Fessa soporifero prostratus membra cubili
Totus in extremâ parte quietus eram.
Nostra videbatur Durerus lumina vultu,
Hoc illo ingressus, quomodo viuus erat.
Extimui, non ignarus paulò antè sepultum,
Et tamen officij nomine fortis eram.
Assedit, vultuq; parùm linguaq; moratus
Murmure de hinc tremulo dicere visus erat.
Hesse meos nuper non vltimus inter amicos,
Nunc decet officij te meminisse tui.
Nam si verus eras, vt eras, viuentis amicus,
Idem defuncti manibus esse velis.
Et mea perpetuæ describere Nomina famæ,
Addere & in tumulo verba legenda meo.
Finierat, paucis mihi respondere paranti,
Attonita exanguis venit in ossa tremor.
Nam quia præterita pallentem morte videbam,
Vix potui timidâ talia voce loqui.
O decus ætatis Durere & gloria nostræ,
Quod petis è nostro carmine iuris habes.
Sponte daturus eram, si non etiam ipse petisses,
Tam tibi perpetuò hæc constat amice fides.
Multò plura etiam tibi nos debere fatemur,
Paupere possimus quàm dare dona manu.

Verbo-

Verba, videbatur capite annuere ista loquuto,
Toto ipse vt fugerem corpore nixus eram.
Iamq; idem conantem motis ad inania membris
Somnus, deseruit plena labore quies.
Frigidus in toto manabat corpore sudor,
Qui iam gratus erat terruit ante labor.
Protinus aurora cœlum petière iugales,
Et nitidum claro lumine mane fuit.
Quassabam calamos, digitosq; in verba coegi,
Quæq; vides subitò scripta labore dedi.
Sed licet ipse neges oraculum hæc visa fuisse,
Hoc tamen Alberti nomine carmen ama.

AD PICTORES NE DVRERI laudibus offendantur.

NOmen Apellæas quibus est & fama per artes,
O bona pictorum turba, sacerq; chorus:
Ne ergo succensete meis vtcumq; camœnis,
Dum nimis Alberto laudis honore fauent.
Non hac laude decus vestrum minuisse volebant,
Sed quem laudatis vos quoq; laude vehi.
Nunc quoq; de vobis non ignoramus haberi,
Qui possint summis laudibus esse pares.
Sed quia summa dies virtutem liberat omni
Inuidiâ, nihil hic suspicionis erat.
Et quæ de viuis pudor est dixisse, licebat
Post cineres lingua liberiore loqui.
Quamuis hos velent mendacia nulla colores,
Offendisse tamen pectora praua queant.
Ergo bonos omnes volui hac in parte rogatos,
Istud iniquo animo ne paterentur opus.
Si sit ab hac aliquis vestrum ratione canendus,
Quod nolim meritis laudibus ipse feram.
Nam si est, vt perhibent, similis pictura poesi,
Illius hæc meritò debuit esse comes.

Epitaphium in Albertum Durerum.

Quo situs Albertus tumulo Durerus, eodem
Picturæ ratio tota sepulta iacet.

Aliud.

Artis & ingenii laudem si fata morentur,
Certum est Durerum non potuisse mori.
Ergo sub hoc nondum totus iacet ille sepulchro,
Ingenii famam viuus ad astra tulit.

Aliud.

Quid properas? subsiste parùm lectore viator,
Hic sita Dureri molliter ossa cubent.
Est operæ pretium talem spectare ruinam,
Cum quâ picturæ concidit omnis honor.

Aliud.

Quid vitam coluisse iuuat quascunq; per artes.
Quando ea momento pars rapit atra breui?
Par fuit Alberto pictorum nemo sed illum,
Fata diu summum non potuêre pati.
Præscidit ergo viri vitam mors falce malignâ,
Et dixit moriens, sic quoq; non moreris.

Verùm ad alios Pirckeimerianos amicos pergamus, ab hoc velut diuerticulo in viâ reuersi. Nec mihi prętereundi hic erunt duo non minùs eruditione quàm natalibus splendidi Equites Germani, Vlrichus Huttenus, & Bernhardus Adelmānus ab Adelmāsfelden; alter Francus, Sueuus alter: quorum ille pro mirifica magnitudine ingenii acerrimè se corruptelis, quas in præcipuis vitæ ordinibus notaue-

notauerat, oppoſuit; verùm ad ætatem non magnam peruenit: alter Aureatenenſis, & Auguſtanæ Eccleſ. cathedralis canonicus, & ſummus litterarum cultor fautorque fuit. Quem proinde ſuperſtes ei Pirckeimerus epitaphio iſto honeſtiorem eſſe voluit. Sed & in hunc catalogum referri merentur Petrus Moſellanus, Benedictus Chelidonius, & Thomas Venatorius atque Franciſcus Irenicus, docti & præclari ſuo ſeculo viri: quorum primus in Academia Lipſica, poſtrenatas in Germania Eraſmi auſpiciis bonas litteras, princeps Eloquentiam & Græcam linguam docuit: alter pulcherrimis odis & ſpiritu plenis carminibus picturas hiſtoricas, quas ex Nouo Teſtamento deſumptas edidit Alb. Durerus, illuſtrauit: tertius præter alia renouauit ac in lucem protulit etiam Archimedis opera, Ampliſſimo ſenatui Norimbergenſi dedicata: quod etſi aliquot poſt Bilibaldi obitum annis factum eſt, tamen dum is vixit, pro Theſeo ipſi fuit, ſuisque eum conſiliis inſtruxit, quò magis tantum onus ſuſtinere poſſet. Erat enim minimè inuidum Bilibaldi ingenium, ſed κοινωνικώτατος & liberale cum primis, & ſi quid penes ſe haberet, quod ad publicam vtilitatem rectè proferri poſſe iudicaret, cui tamen ipſe vacare non poſſet, id aliis libenter concedebat, & prolixè deferebat, memor ſcilicet illius Platonici, ὅτι ὁ φίλος ἐξ ἴσου τῷ θεῷ χρῆται: quodque ſint ἀφθονοι καὶ μεσοῦν ἥρωες. Sic enim & Vincentio Opſopæo, viro de Græca litteratura non malè merito, amico ſuo, ex bibliotheca ſua cùm alios auctores perbenignè conceſſit, tùm Epiſtolas Græcas S S. Baſilij Magni, & Gregorij Nazianzeni, quas & in lucem protulit Vincentius, & amico illi magno atque εὐεργέτῃ ſuo grati animi ergò inſcripſit. Sic & Franc. Irenicum (quem quartum ſuprà nominabam) in conficiendis XII. libris Exegeseos Germaniæ (ἀνατηγησιν vocaſſent veteres Coſmographi) non parùm adiuuit & direxit Bilibaldus, quod & ipſe alicubi ingenuè profitetur Irenicus, non ſine inſignibus Elogiis in benefactorem collatis, quæ inferiùs proferentur. Omitto hîc Fridericum Nauſeam IC. Hieronimum Emſerum, Iohannem Cochleum, & Michaëlem Humelburgium, Theologos: omitto complures alios, quibus cum à multis annis Bilibaldus amicitiam coluit. Tandem enim concludendus eſt hic catalogus amicorum Pirckeimeranorum, ne lectorem nimis diu remoretur.

Quia verò Imhoforum Bilibaldi affinium comitate beneficioque factum eſt potiſſimùm, vt Bibliotheca ipſius & ſcriptorum reliquiæ aſſeruatæ ſint in hunc vsque diem, & patricij viri Iohannis Imhofij hodierni eius Bibliothecæ domini impenſis hoc opus inde ad vtilitatem publicam profertur, qui & nuper in libellos Germanicos, ſub titulo Theatri Virtvtis Et Honoris editos, pulcherrimisque Emblematis picturarum exornatos, non exiguos fecit ſumptus: non valdè alienum eſſe duxi ab inſtituto, ſi Imhoforvm etiam quorundam hoc loco meminiſſem, quibus cum non modò amicitiæ, ſed etiam affinitatis neceſſitudo fuit Bilibaldo conſtituta. Tres autem tunc in viuis erant fratres coniunctiſſimi, nec meritis in Rempub. quoquam inferiores aut poſtremi, Andreas Senior, Gabriel & Iohannes Imhofij: De quorum primo & vltimo pauca mihi dicenda ſunt, cum ille intimus Bilibaldi amicus, hic etiam gener fuerit. Igitur Andreas Imhofius (cui ſenioris poſtea datum eſt cognomentum) Iohannis Imhofij & Catharinæ Muffelinæ ab Eſchenaw filius fuit, Anno Chriſtiano M. CCCCXCI. in vigiliâ ſiue profeſto Die S. Andreæ Apoſtoli natus. Hic anno ſtatim ætatis XIII. in Italiam à patre miſſus eſt. Commodum tunc Patauij erat, cum eam vrbem, quæ in poteſtate Cæſaris Max. I. aliquamdiu fuerat, Veneti ſtratagemate quodam, (quod Pet. Bembus Cardinalis, & Franc. Guicciardinus commemorant) recuperârunt. Confugerat autem Andreas cum aliis Germaniæ nationis adoleſcentibus in cœnobium quoddam, qui velut in aſylo quopiam tutiores ſe futuros ab hoſtium impetu confidebant. Capti tamen ſunt à militi Veneto, quamuis tandem ſine lytro dimiſſi. Tandem verò hic Andreas Imhofius poſt XX. annorum varias, longinquas & ſæpè periculoſas peregrinationes (è quibus tamen præſentiſſ. & clementiſſimâ Dei ope ſemper incolumis euaſit:) domum reuerſus matrimonium contraxit, primum quidem cum puellâ gentis Schlaudersbachicæ, deinde verò cum Reichiâ, ex quâ octo ſuſcepit liberos, in quibus & Andream Iuniorem, & Iacobum: (quorum vterque ſecretioris conſilij Senator ſiue Septemuir, ille verò etiam Duumuir poſtea fuit, tametſi breuiori tempore quàm eius pater) Ita nouus maritus D. Andreas Imhofius Senior in Senatum allectus eſt, Anno M. D. XXII. in quo poſteaquàm per annos nouem ipſius induſtria, fides ac prudentia ſingularis in grauiſſimis ſæpè deliberationibus atque negotiis ſpectata fuiſſet, anno M. D. XXXII. interiori Seniorum ordini adſcriptus, tandemque duodecimo anno pòſt, videlicet M. D. XLIIII. ſupremus vrbis Capitaneus, & Duumuir creatus eſt, qui quidem apex eſt dignitatum in Republica Norimbergenſi. His ille duobus ſummis muneribus totos triginta quinque, Senatorio autem officio etiam quinquaginta ſex annos perfunctus eſt (quod nemini vnquam ab vrbe Norimbergâ conditâ contigiſſe nouimus) inſigni cum auctoritate & dexteritate, vtilitateque patriæ, cui difficilimis eius temporibus magnum in hoc viro præſidium fuit. Quantam enim molem negotiorum ille in Repub. princeps Senatus cum aliàs in tàm longo tempore ſuſtinuerit, tùm verò inprimis anno M. D. LII. quando & vrbs durâ & iniquâ obſidione preſſa, & regio tota miſerè vaſtata afflictaque fuit: facilius Lector prudens ac peritus cogitatione, quàm ego verbis, aſſequi poterit. Et tamen hic tantis negotiorum cumulis prægrauatus vir, tàm clementer à Deo protectus, & animi corporisque viribus confirmatus fuit, vt

fuit, vt cum octogesimum octauum ætatis annum ferè complêsset (quinq; enim hebdomadæ dierum tantùm ad eius complementum deerant cum moreretur) placidissimo obitu vitam honorarissimam concluserit. Fuit hoc die XXIV. Octobris anni MDLXXIX. cum ad meliorem pacatioremq; vitam ex his turbinibus emigraret. Quanquàm autem ad tantam ætatem raro exemplo ac propè singulari peruenerat, plurimumq; in Remp. meritorum & commodorum contulerat in illum longo æuo: tamen magnum sui desiderium reliquit tàm Ordini Amplissimo, (qui caput iam suum & præcipuum apicem ornamentorum suorum in hoc viro amiserat:) quàm vniuersis ciuibus, apud quos gratiosiss. fuerat, maximeq; pauperibus ac tenuioribus, quos & Eleemosynis largissimè erogandis & aliis beneficiis conferendis arctissimè sibi deuinxerat. Ita, dum plurimos mortales benemerendo sui memores fecit, non minùs immortalitati nomen suum commendauit Andreas Imhofius, quàm Bilibaldus Pirckeimerus, tametsi diuersis quodammodo itineribus vterq; ad gloriam famamq; nominis sempiternam grassatus sit. Vt autem tantò magis de summa quæ inter amicos fuit, animorum coniunctione Lectori constare possit: inseram hoc loco epistolam quandam memorabilem, quam ad hunc Andream Imhofium Bilibaldus scripsit Germanica lingua, & nos latinam fecimus in hunc modum.

Dilecte Affinis, Andrea Imhofi. Lectis litteris, quas ad te dominus & amicus meus Ioannes Baumgartnerus dedit, tibi indicium meum requirenti respondeo, Me istiusmodi rerum non magnam habere peritiam atq; intelligentiam, neq; libenter de talibus vsurpare sermones consueuisse. In vulgus enim ferè contemnendi ludibrio habentur. Verum, vt tibi & ipsi videar me gratificari cupere, sic habeto. Cometæ neq; subitò ac velut in momento existere, neq; illicò euanescere solent, tametsi alius alio diutiùs vel breuiùs apparerat. Vnde fit, vt etiam beneficio instrumentorum astronomicorum inuestigari possit, sub quo signo cœlesti consistant: ac pro illius qualitate & conditione signi deinde iudicium de eo fieri potest, quid vnusquisq; Cometa portendat. Sed & magna est inter Cometas differentia, coloris, figuræ, splendoris & magnitudinis. Ex quo etiam non vnum omnes effectum, neq; vires easdem habent. Illud certum est, Nihil boni eos præsignificare, sed semper aut bella, aut famem, aut pestilentiam, aut magnorum ac principum virorum mortes. Ad illud autem, de quo quæritur, phasma seu meteoron, quod attinet, quoniam adeò celeriter disparuit atq; euanuit, Cometa fuisse non potuit. Sed huiusmodi species in aëre non raro apparent: quæ quid sibi velint, soli Deo cognitum esse arbitror: Homines quidem certè nihil ferè aliud inde colligere atq; coniectare possunt, quàm graue aliquod & maximi momenti negotium certo consecuturum: idq; euentus sæpenumerò comprobauit, quod exempla docent, quæ historias legenti crebra occurrunt. Quid? quod & ipse vnà cum aliquot meis amicis talem quandam speciem in cœlo septentrionem versus ostensam conspexi, ea ipsa nocte, quæ proximè excepit diem illum, quo Rex Scotorum ab Anglis occisus occubuit. Multi quoq; supersunt, qui meminerint, quæ ignita phasmata hic conspecta fuerint paulò ante prælium Norimbergense. Nec est quod quisquam dubitet, hanc ipsam speciem (si modo quod perhibent verum est, Pabeberge etiam & Rotenburgi ad Tubarim conspectam esse:) memorabile & ingens quiddam portendere: quod tamen quale aut quid in specie futurum sit, Deus nouerit: mortalem equidem arbitror scire posse neminem, priusquàm euentus fuerit secutus. Nam, vt dixi, propter celeritatem dispartitionis breuitatemq; durationis obseruari satis non potuit. Ac tametsi mala, quibus vndiq; vrgemur, satis multa & magna sint: tamen orandus est nobis Deus, ne plura quoq; & maiora ingruant. Gloriamur quidem omnes, valdè nos Euangelicos esse, & probam agere vitam; sed fructus non aly consequuntur professionem nostram, præter quos in ore & lingua ferimus. Metuo autem ne Deus, qui cor, non os cuiusq; intuetur, tandem nostram verborum iactantiam & garrulitatem nihil curet, sed tantò grauiores de nobis sumat pœnas, quantò minùs respondent vita scientiæ & professioni nostræ, & si quæ recta esse nouimus, opere non compleuerimus. Decem iam sunt anni, cum ingentes illi motus, quibus iam Italia concutitur atq; affligitur, quibusdam indicaui: qui tametsi nunc eam prædictionem rursus exceperint, iam tamen vident & agnoscunt, quantas res Deus Opt. Max. per sidera efficiat. Iam pridem quoq; Papæ ruinam, legum mutationem, Regis Galliarum captiuitatem, Vngariæ calamitatem, & Rusticorum seditionem (quæ nunc omnia oculis nostris obuersantur) prædixi, semperq; his vsus sum verbis. Hoc fore diluuium quoddam, quo omnia passim inundentur. Id multi ex me audiuerunt, qui iam ipsi rerum argumentis, & a magistro stultorum euentu edocti vident, virum errauerim nec ne. Sed sua vaticinia, quæ prædixi, nondum omnia euenerunt: quæ tamen, quin tandem etiam ipsos apprehensura sint, cum Iupiter diphtheram inspexerit, minimè dubito. Det Deus, vt qui ciuitates incolimus Imperiales, ita absq; grauiore pœna euadamus, & vt hæc malorum mera sit.

Quanquam autem non ignoro, reperiri homines, qui dicant se quoq; fortuitò quid prædicere ac hariolari velle aut posse (qui suo sanè sensu, per me licet, abundent) tamen scio me non fuisse hariolatum, sed meas prædictiones ex certis Astrologiæ principiis desumpsisse. Atq; vtinam non tam certus meis prognosticis responderet euentus. Deus omnia ad sui nominis gloriam dirigat. Baumgartenero meis verbis salutem, quæso, dicas, & officia mea offeras, quæ tibi quoq; semper paratissima constabunt. Vale.

Nomen meum nosti iam ante, tametsi nullius dixero.

Hactenus

HActenus Bilibaldi epistola ex autographo Germanico fideliter descripta atq; expressa, cùm alias ob causas huc relata, tùm vt argumentum præberet summæ atq; arctissimæ inter Bilibaldum & Andream Imhofium coniunctionis. Alter Andreæ frater Iohannes Imhofius fuit, cui filiam suam natu maximam, Felicitatem, Bilibaldus in matrimonium collocauit. Hic etsi per temporum infelicitatem, & quod occasionibus destitueretur commodis, non diu studiis operam dedit, sed præmaturè à litteris abstractus, aliisq; rebus adhibitus fuit: tamen sic quoq; historias, aliasq; bonas artes non vulgari amore semper complexus est, atq; vt hunc expleret, multis libris vernacula lingua libenter & magna diligentia conscriptis incubuit lectitandis. Sed & sua manu omnes sui soceri Germanicas translationes, quarum iam quædam in luce publica versantur alio in libro editæ, ipse diligenter in membranis descripsit, proq; thesauro habuit pretiosissimo: Easdemq; ad filium suum Bilibaldum, & per hunc ad nepotem Iohannem Imhofium (quem hoc tempore illius bibliothecæ Pirckeymeranæ dominum esse diximus) hereditario iure transmisit.

Nec plura nunc de Iohanne Imhofio: cuius de filio quoq; Bilibaldo Hieronymi fratre vnico pauca dicenda sunt, in gratiam & honorem hospitis nostri amantissimi & benignissimi Iohannis Imhofii, quem is vnà cum Philippo & Carolo ex Anna Harsdorfferina suscepit. Bilibaldus igitur, aui sui materni Bil. Pirckeymeri nomine insignitus, quanquàm in litterarum studiis vestigia sui aui non est persecutus, ac neq; Senatoriis muneribus adhibitus fuit (quod iam ante duo ex gente Imhofiorum essent in Senato, nec plures eodem tempore admitti mos ferat patrius, (vt nunc de longinquis ipsius peregrinationibus, in quibus sæpè diu à patria abfuit, taceamus) tamen ceteroqui vir honoratus, probus, prudens atque integer fuit; quæ ipsius dotes etiam nunc in multorum ciuium Norimbergensium aliorumq; notitia conscientiaq; versantur, illi vera me prædicari testabuntur. Multis igitur grauissimis controuersiis, ob insignem peritiam, prudentiam, fidem atq; integritatem, adhiberi solebat arbiter, quas tanta cum dexteritate componebat, vt ipsius amicabili operâ, & illi, qui paulò antè vehementer dissidebant animis, & inter se contendebant, amici & benevolentes discederent, & ipse magnam prudentiæ & integritatis opinionem laudemq; inde reportaret, multosq; sibi suis benemeritis deuinceret. Hanc ei prudentiam dexteritatemq; tractandorum negotiorum, præter insitam naturæ ingeniiq; bonitatem ac vim, (quam ἐυφυΐαν vocant Philosophi) attulerant variæ, quas diximus, peregrinationes, quas per XX. annos obiit grauissimas atq; difficillimas, in Galliis pariter & Hispaniis. Ex quibus hoc insuper est assecutus, vt Gallica & Hispanica lingua, quas adolescens in illis regionibus didicerat, non minus ei familiares essent, quàm vernaculâ suâ ac maternâ vtebatur. Sed & liberalium atq; ingenuarum artium insignis fautor & amator fuit: inprimis autem Historiarum studiosissimus & auidiss. erat lector. Præterea magnam habuit peritiam antiquorum & numismatum & aliorum huiusmodi operum: quotum accessione haud pœnitenda Pirckeymeranam bibliothecam & cetera armaria eius adauxit. Quicquid enim huius generis ex peregrino orbe conquiri poterat, non sine magnis impendiis comparabat: adeò, vt longè lateq; paucos reperires, qui paria cum ipso facerent. Hinc fiebat, vt etiam principibus viris gratus & in pretio haberetur: Ex quibus Albertus Bauariæ Dux, posteaquàm eius hospitio cum vxore & liberis Illustrissimis altera vice vsus fuerat, tanti eum fecit, vt Monacum clementissimè accerseret, rogaretq;, vti κειμήλιον illius celebratissimi armarii siue Thesauri Ducalis in ordinem meliorem redigere vellet: quod cum Bilibaldus Imhofius magna cum dexteritate perfecisset, ab illustrissimo potentissimoq; illo Principe liberaliter ac per benignè habitus, domum dimissus ac muneratus est. Nec minùs etiam pictoriæ artis amans & peritus æstimator fuit idem Bilib. Imhofius. Erat tunc temporis egregius Norimbergæ pictor, Iohannes Hofmannus, qui artificiosissima vestigia Alberti Dureri tàm accuratè insistebat & obseruabat, tamq; ad ipsius excellentiam accedebat propè, vt quoties opus aliquod Durerianum imitando expressisset, difficillimè id ab archetypo discerni posset. Hunc Hofmannum & aliis rebus plurimùm promouit, & Cæsari Maximiliano II. laudatissimo principi, Bilibaldus Imhofius commendauit: qua in aula vitam quoq; finiuit eximius artifex, cuius opera, tanquam perfectioni proxima, magno in pretio hodieq; habentur.

Sed iam satis de nonnullis Imhofianæ gentis præstantibus viris, qui cum vel affinitate vel vt etiam cognatione Pirckeymero nostro iuncti fuerint, non debuerunt inter amicos eiusdem tacitè præteriri. Nunc ad institutum reuertamur. Sicut autem Imhofiorum prosapia affinitate vel vt etiam fuit Bilibaldo per Iohannem Imhofium: ita & Geuderorum ab Heroltsperga nobiliss. familia eadem necessitudine ipsum attigit, per Martinum Geuderum Reip. N. duumuirum, cui soror Bilibaldi Iuliana fuit nupta. In huius prædio, quod Neopaganum vocat, secessum & hospitium quæsiuit Bilibaldus atrocissimæ pestis grassantis tempore, & Dialogos aliquot Platonicos ex græcis latinos fecit, emisitq; in lucem, inscriptos Bernh. Adelmanno, luculenta præfatione & Topographia addita, qua situm & commoditates eius loci pulcerrimè describit, omnibusq; orationis luminibus depingit. Etsi autem summa gratia etiam apud magnos principes floruit Pirckeymerus, quos etiam ipse subiectissima veneratione colebat: tamen ipsorum conditionis atq; ordinis excellitas, & fortunæ splendor non patitur, vt illi quoq; catalogo huic adscribantur amicorum, quibus Bilibaldus noster

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [60] - 36
PUBLIC DOMAIN

noſter carus fuit, alioquin niſi illa quæ dixi obſtarent, etiam legerentur hîc duo maximi & potentiſſimi Imperatores, Maximilianus I. auus, & Carolus V. nepos, quorum acceptiſſimus conſiliarius & miniſter Bilibaldus fuit, quo vnà cum aliis pro inſtrumento boni ſeculi vtebantur: legeretur hîc Illuſtriſſimus Saxoniæ Dux & Septemuir creandis Impp. Rom. Fridericus, qui Sapientis cognomentum meruit: legerentur & alter Saxoniæ Dux Georgius, & Cunradus Herbipolenſis Epiſcopus, Franciæque Orientalis Dux: legerentur & alii plures Dynaſtæ, qui Bilibaldo noſtro optimè factum voluerunt, & carum inter primos habuerunt, ob inſignes eius dotes, quibus omnes in ſui amorem admirationemque rapiebat. Quoscunque autem ſibi virtute, doctrinâ prudentiaque ſuâ propè diuinâ conciliâſſet amicos, eos perpetuò conſtanterque retinebat. Eſt enim veriſſima ſapientum illa ſententia, quam vno ore celebrant Plato, Iſocrates & Ariſtoteles, aliique inde repetiuerant: Amicitias eas, quæ ex virtute ortum habent, ac probitate conſtantes ac perennes durare; Quas verò aut lucri vtilitatisque cupiditas, aut voluptates copulauerint, eas vtpote firmo ſolidoque deſtructas fundamento, fluxas atque euanidas eſſe, non aliter quàm nix radiis expoſita ſolaribus, reſolutas ocyùs diffluit; aut ædificium ſuper arenoſo extructum ſolo, corruit. Nam & vtilitatum rationes ſæpè commutantur, & voluptates fugaces ſunt: Virtus autem conſtans, clara, æternaq; habetur: quod etiam in monumento Pirckheimerano, in cœmiterio ad S. Iohannis prope mœnia vrbis Norinbergæ viſitur tabellæ æneæ inſculptũ, his omninò verbis: VIRTVS INTERIRE NESCIT. Eandemq; ſententiam inſinuat etiam verſus Iconi eiusdem, quam in ære expreſſam dedit Alb. Durerus, ſexto ante Bilibaldi mortem anno: VIVIT VR. INGENIO. CETERA. MORTIS. ERVNT. Quid: quod etiam ſacræ Hebræorum litteræ idem habent, pſalmo CXII. In memoriâ æternâ erit Iuſtus: quo loco Iuſti appellatione, ex idiomate linguæ ſanctæ, is denotatur, qui omnibus virtutibus dat operam, maximeq; timore Domini præditus eſt: quomodo etiam S. Simeon Iuſtus in Euangelicâ hiſtoriâ dicitur, vt nunc alia exempla omittam. Sed priusquàm de beatâ morte Bilibaldi aliquid dicam, tacere non poſſum, quin vnam quandam præcipuam eius virtutem paucis attingam hoc in loco, quam ille toto vitæ tempore vt quammaximè adamauit & coluit. Ea erat ſummus & ardentiſſimus veritatis amor ac ſinceritatis, à quo abeſſe non poterat vehemens odium omnis mẽdacii, fraudum, calumniarum atq; obtrectationum. Præterquàm enim quòd eximia erat in ipſo naturæ & indolis bonitas, quæ ipſius animum rectum candidiſſimumq; & fuci atq; fallaciæ prorſus expertem finxerat, non parùm etiam huc contulit bona inſtitutio & à teneris animis aſſuefactio, quâ apud patrem in eius comitatu & quotidianâ vitæ conſuetudine imbutus erat. Eſt enim pro oraculo illud Virgilianum: *Adeò a teneris aſſueſcere multum eſt*: Et hoc Horatianum *Doctrina ſed vim promouet inſitam*: quod idem Horatius etiam allegoria pulcerrima expreſſit, cum canit.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu.

Quomodo & S. Irenæus apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. c. 20. ait, αἱ ἐκ παίδων μαθήσεις συναύξουσι τῇ ψυχῇ ἑαυτῶν αὐτῆς. Quid quod & Philoſophorum princeps ſcriptum reliquit: *Bonam inſtitutionem, & ad virtutem a teneris aſſuefactionem, non ſolum magnam vim habere, ſed etiam vtramq; paginam conficere.* Ad hanc quidem, de quâ nunc agimus, virtutem φιλαληθειαν quòd attinet, legerat Bilibaldus apud Platonem, *Quòd veritas & Dijs immortalibus & hominum generi ductrix & auctrix ſit omnium bonorum.* Didicerat idem ex Diſſertationibus Epicteti Philoſophorum probiſſimi ſanctiſſimiq;, *Quòd homo natus ſit ad fidem colendam, quam qui euertat ac tollat, id quod maximè proprium ſit hominis, tollat, efficiens, ne ei nullus deinceps in genere humano relinquatur locus, vtpote ad nullam poſthac vitæ partem amplius vtilis, proindeq; haud ſecus extrudendo ex hominum ſocietate, ac vas, quod nulli vſui eſſe poteſt, in ſeruatissimum prouidimus:* Vt ex illius Diſſertationibus refert Arrianus Nicomedienſis lib. 2. c. 4. Sed & ex Simplicii commentariis doctiſſimis in Epicteti Enchiridion didicerat idem, *Quòd abſurdum atq; impium videatur, ſi quis pacta & conuentiones violet: cum hâc ratione, quantùm quidem in ipſo eſt, fundatis peruertat ac tollat duas res, quibus omnia continentur, conſiſtunt atq; permanent, VERITATEM ſcilicet & FIDEM.* Deniq; ex Herodoto & Baſilio Magno cognouerat, *Nullum eſſe turpius ac fœdius vitium, quàm calumnia eſt atq; obtrectatio, quâ, tres ſimul laduntur: primùm is, qui calumniis inuerenter proſcinditur: tùm is, cuius animus falſis criminationibus innocentium hominum occupatur & corrumpitur: deniq; ipſemet calumniator, qui abſentem falſis onerat probris.* Nam ſi verum amamus, quisquis alteri malum creare nititur obtrectando & traducendo, is ipſe prior ſemetipſum lædit, quòd ſibi ligone pedem vulnerat, vt eſt in prouerbio. Eſt enim hoc longè veriſſimum, quod & S. Chryſoſtomus tùm alibi ſæpè in ſcriptis ſuis inculcauit, tùm proprio pertractauit commentario, & ante ipſum Imp. Antoninus quoq; in libris de vitâ ſuâ ſcripſit: *Quod nemo lædatur niſi à ſe ipſo.* Veritatis autem ſtudium Deo, qui veritas eſt: at mendacium Diabolo, qui pater eſt mendacii, vnumquemq; hominem aſſimilat. Quæ cum ita ſint, quicunque pro Dei filiis haberi volent, hunc charactrem filiorum Dei, quod eſt veritatis ſtudium, in omnibus & per omnia commendatiſſimum ſibi habere debent.

Ad extremum vitæ Pirckeimeranæ actum & ex hac vita migrationem quod attinet, ea verò alia quàm pia, Christiana & laudabilis esse qui potuit? *Viue pius; morierè pius?* inquit Ianus Pannonius. Plerumq; enim fit, quod hic versibus dicitur:

Conueniens obitus vitæ solet esse cuiq;;
Pausam malam sequitur sic mala; læta bonam.

Ita ergo Bilibaldus quoq;, cum iam sexagesimum ætatis annum compleuisset, rerum humanarum, vitæq; satur, sed & honorum plenus, (quid enim erat quod viro plurimis ornamentis, vitæ togatæ armataq; prædito fortuna vlterius adstruere posset?) accersitioni Dominicæ morem gerens, pium placidumq; exitum fecit, quasi qui obdormisceret. Vt autem ipsi beatus atque oportunus finis vitæ eius, sic Reipub. & liberis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine curâ fuit. Qui nouissimi sermones eius fuerint, quamque memorabile extremum votum, velut cygneam quandam cantionem moribundus emiserit, ex D. Erasmi epistolâ ad Ducem Saxoniæ scripta, & Nazianzeni operibus latinè à Bilibaldo conuersis præfixâ, didicimus: ex quibus illa vox hîc quoq; legi est dignissima: VTINAM POST DECESSVM MEVM BENE SIT PATRIÆ! VTINAM TRANQVILLA SIT ECCLESIA! O magnum & diuinum virum! qui quas per totam vitam curas agitauerat animo, eas nec moriens dimisit. Planè ad hanc faciem D. Ambrosius Imp. Theodosium Maiorem nobis depingit, cum de eo sic scribit in Oratione, quæ lib. 5. Epistolæ XXXIV. subiecta est: *Dilexi virum, qui cum iam corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum, quàm de suis periculis angebatur.* Cetera quæ huc pertinent ex Erasmo peti possunt.

Quod ad stirpem ac nomen familiæ Pirckeimeri nostri attinet, iam supra diximus, illam in ipso omnem defecisse, vt more maiorum eodem tumulo, quo corporis exuuiæ, etiam insignia & arma gentilitia ipsius obruenda fuerint. Nam etsi ex Crescentia sua, (cuius genus & dotes supra memorauimus) filium procreauerat Bilibaldus: tamen matre in partu extinctâ, filius quoque in annis puerilibus viuere desiit, patriq́ue spem generis secum abstulit moriens. Ita hunc quoque velut Marcellum quondam, ostenderunt tantùm fata terris, nec vltra esse sinêre. Filias autem quinque reliquit superstites: quarum natu maxima Felicitas fuit, (superius quoque in Iohannis Imhofii mentione nominata) altera Catharina; tertia Crescentia: quarta Barbara: postrema Charitas. Ex his Barbara honesto ac locupleti ciui Norimbergensi Iohanni Straubio, viuo etiam patre nupsit: Felicitas, sicut dictum, Iohanni Imhofio: Ceteræ tres renunciantes seculo religiosum profess̃æ sunt ordinem. Harum porrò vnicuique pater ipsemet suam genesin siue thema natalitium, quod vocant, diligenter accurateq́ue confecit, sicut & aliis nonnullis amicis: quæ genethliaces ipsiusmet consignatæ manu, hodieq́ue in eius bibliotheca adseruantur. Talium namque rerum (de quibus sanè non ignoramus diuersa admodum inter eruditos quoque homines iudicia esse, & per nos licebit sentire quod volet: Suum enim cuique pulchrum esse consuetit, & suo quisque studio delectatus ferè contemnit diuersa sequentes) non parùm studiosus fuit Bilibaldus, magnamq́ue sibi comparârat peritiam atque dexteritatem futura ex astris prædicendi, vel etiam facta iam ac præterita fata inde deducendi: Neque id solùm in illis, quæ singulis hominibus fatali quadam sorte euenerunt, sed etiam in casibus & symptomatis memorabilibus vniuersârum prouinciarum, regionum & ciuitatum demonstrauit: Cuius rei documenta, si opus foret, aut res periculo caueret atque inuidiâ, proferri possent, ex quibus conspiceretur, quàm grauibus sæpe de rebus, quantâ cum dexteritate & fide, euentu ipso comprobante, iudicia sua astrologica fecerit: Quod etiam quadamtenus ex epistola ipsius, quam de Cometis aliisq́ue id genus meteoris ad Andream Imhofium Sen. scripsit, & superiùs latinam retulimus.

Post beatissimum igitur Bilibaldi ex rebus humanis excessum, multi passim locorum reperti sunt viri docti, qui certatim ipsi parentârunt, suaq́ue in ipsum, & meritò quidem, vt qui singulare ornamentum patriæ, totiusq́ue adeo Germaniæ decus fuisset, contulêre elogia, quibus & grati animi significationem præberent, & ipsius eximias virtutes prædicarent, nimirum vti posteritas trita iam vestigia sequeretur, multiq́ue ad honestissimam æmulationem accenderentur; tùm ne virtus debito sibi præmio, famâ perenni, defraudaretur; obtrectatoribus verò, si qui fortè supererssent, in quibus nec post fata liuor quiesceret, ora obturarentur. Etsi autem huiusmodi Elogiorum illustrium maior colligi potest numerus, tamen ne nimis in longùm hic noster commentarius excrescat, duobus, quæ Lectori plurimorum instar esse & satisfacere poterunt, contenti erimus, præsertim cum nonnulla huius generis supra quoq; prolata sint ex Cunrado Celte & Thoma Venatorio, Eobani verò versus honori ac memoriæ Bilibaldi consecratos, alibi daturi simus.

Igitur, vt à Francisci Irenici Elogio exordiamur, is lib. 3. Exegeseos Germaniæ, c. vlt. quo loco formam Reipub. Norimbergensis breuiter describendam suscepit, sic omninò existimat, se de nobilitate ac præstantia Politiæ illius pro dignitate scribere nullo modo posse, quin cum eius laudibus etiam Bilibaldi nostri mentionem laudesq́ue coniungat. Ad hunc autem modum scribit:

Postquam

Postquàm hæc in animum recepi, nobis egregij ciuis memoriam, non potui subtrahere, Bil. videlicet Pirckeimeri, qui tot artibus instructus, præter summam morum eius ac famæ innocentiam, præter amplam rerum familiarium facultatem, omnia studiorũ genera tractauit, & maximus felicitatis Norimbergensium calculus accessit. Putauimus extra naturæ conditionem esse, tantum litterarum vni viro superesse inter tot aliquis curas distracto, & qui plurimam suæ temporis partem inter iuris pugillares transmisit. Pœnitet nos cotidianæ illius molestiæ, quod in concilium ciuitatis rogatus, non litterario magis quàm publico ocio deleguus. Vnde vberiora ex eo litterariæ palæstræ emolumenta fluerent. Hic potissimum cæteris Germanis in exemplum adsumatur, vt & ipsi curiori studio literas adiuuent. Et, quemadmodum ille, tantum lumen linguarum diuersitati asserant, quod in futuræ ætatis secessus excurrat. Non possunt tamen ceteros Germanos damnare, quibus æq, bonæ litteræ sufficiunt. Huic tamen pauci adcedunt, & nulli, nisi quos æquus amauit Iupiter. Ne lector ægrè ferat, nos intermissomostri operis instituto, ad vnius viri memoriam descendisse: Vcit me vtraq, ratio, tùm patriæ nostræ, cui ex animo ob viri illius præstantiam faueo: tùm priuata pietas, quæ huic viro propria debetur, ob immensam eius in me beneuolentiam, nam is opem suam & bonam partem Germaniæ nostræ attulit, ductu huius studia nostra reddidimus clariora, multa emendauimus, plura deuulgauimus, plurima addidimus.

Dij ipsi, si qua pios respectant numina, si quid
Vsquam iustitiæ est, si mens sibi conscia recti
Præmia digna ferant ——————

Idem Irenicus alibi eodem in opere sic de Pirckei. cum Beato Rhenano coniuncto scribit: *Duos deferatorum ingeniorum viros conferre volui, ac parem illis facundiam linguarumq, peritiam adferre, Bilibaldo scil. Pirckeimero, ac Beato Rhenano, qui ingenij felicitate sunt posteriores. Primus Cesariæ Maiestatis à consiliis, Patricius, Senatorio ordine Norimbergensi insignitus, plenus honoribus, copiâ plenior, in facultatibus animæ plenissimus, ac dignus, vt nobilissimæ ciuitatis & Germaniæ primo loco inter primos fungatur. Tot tamen curis indignus. Satis ille erga patriam munus suum expleuit. Multa Plutarchi opuscula & Xenophontis & Luciani aliorumq, Græcorum latinitate donauit. Tantum etiam laboris in Hieroglyphico illo de litteris Ægyptiacis consumpsit, vt bonis litteris incrementa plus ceteris impartitus fuerit.* Hæc Franciscus Irenicus: quem excipiat Paulus Iouius Nouocomensis, Episcopus Nocerensis, qui in Elogiis doctorum virorum pag. 292. editionis Basiliensis in hæc verba scribit de Bilibaldo nostro. *Contigit honestissima laus ex studio nobilium litterarũ BILIBALDO PIRCKHEIMERO NVRIMBERGENSI cuius extant nonnulla opera ex Gregorio Nazianzeno, piè tractata, & Cosmographiæ liber, ex Ptolomæo accuratius quàm antea tractatus, & totius Germaniæ vrbium descriptiones, eruditam lucem obscuris regionibus afferentes.* Quod Iouii testimonium & iudicium de Bilibaldo est tantò pluris faciendum, quantò aliàs Italia in Germanis laudandis sunt parciores.

Atq; hæc habui de Bilibaldo Pirckeimero, eius ortu, vitâ, dotibus, rebusq; gestis, quæ dicerem: quanquàm in hoc commentario, (qui vt memoriæ & honori viri de Repub. & studiis optimè meriti destinatus, vt confido, si non laudem, certè excusationem merebitur) de ipsius Legationibus, aliisq; negotiis, quæ nomine vel Cæsareæ Maiestatis, tanquàm eius consiliarius multorum stipendiorum & annorum, vel suæ Reipub. tanquam Senator & Orator laudabiliter expediuit, nihil dum ferè in specie & cum circumstantiarum commemoratione exposui. Sed vt tandem aliquando finem accipiat hæc Narratio (quæ alioquin inter manus præter institutum & voluntatem nostram, creuit, & opinione nostrâ prolixior euasit:) non absurdè, vt opinor, eum imponent trochaici versus, facti per παρῳδίαν istorum veterum:

Consules fiunt quotannis, & noui Proconsules:
Solus aut Rex, aut Poëta non quotannis nascitur:

(Poëta inquam verus & excellens; non vulgaris versificator, aut vagabundus aliquis erro: quod genus ràm est frequens, quàm sunt densæ muscæ, cum caletur maximè:) Quorum imitatione versiuum sic in laudem Bilibaldi, ad nullius tamen contemptum aut vilipendium, faciebamus:

Consules quidem quotannis eliguntur plurimi:
Bilibaldus Pirchamerus non quotannis nascitur.

Explicit vita Bilibaldi Pirckeimeri, V. C.

ELOGIA

DD. BILIBALDI PIRCK-HEIMERI, ET ALBERTI DVRERI.

Priuilegium

DOCTORATVS DOMINI IOHANNIS PIRCKHEIMERI, PATRIS BILIBALDI.

IN Nomine Domini amen. Vniuersis & singulis hoc præsens doctoratus priuilegium inspecturis & legi audituris. Cosmas contareno iuris vtriusq; Doctor R.mi. in Christo patris & Domini Dñi. Iacobi ceno dei & apost. sedis gratia Episcopi paduani & comitis saccensis priuilegiatiq; ac antiquissimi & celeberrimi studii studii paduani apostolici cancellarii in spiritualibus vicarius generalis. Salutem in eo qui est omnium vera salus. Gloriosa scientiarum mater padua cuius in tota Italia veneranda clarissimorum doctorum autoritas quasi fidereis splendoribus obtinet principatum illos dumtaxat extollit ad gratum doctoratus & magisterii dignitatem quos certamen rigorosi examinis digne ad id promouet per concurrentem virtutum copiam & excellentiam meritorum. Ita & taliter promouendi merito apud vniuersos illustres principes seculi per eorum assistentia ad dirrigendas & gubernandas res publicas certis hominum generibus veniant singularibus priuilegiis honoribus & laudibus preferendi. Significamus itaque vobis & harum serie fidem facimus Nos Cosmas Vicarius antedictus quod die date pñtium auctē prefato. R.mo. Domino Christo paduano ex sua pontificiali dignitate competente tam ex antiqua & approbata huius studii padauini consuetudine quam vigore priuilegiorum felicis recordationis dominorum vrbani quarti clementis sexti & eugenii quarti summorum pontificum qua fungimur in hac parte in assistentia. Spectabilis viri & in iure peritissimi domini petri cathelani inclite vniuersitatis iuristarum vltramontanorum & citraniotanorum florentissimi studii paduani rectoris inclitissimi per venerandum collegium iuris vtriusque Doctorum dicti studii. Egregium & peritissimum virum dominum Iohannem Birckemeer, filium domini Iohannis de diocbamberga per infra scriptos promotores suos nobis presentatum punctis sibi vt moris est in vtroque iure ciuili & canonico preassignatis, fecimus coram nobis diligenter & rigorose examinari & quia in examine huiusmodi puncta sua recitando & questiones argumentationesque varias atque arduas sibi propositas repetendo & soluendo ita egregiè & elegantissime se gessit atque habuit quod ab omnibus iuris vtriusque doctoribus dicti venerandi collegii sufficiens & idoneus canonista & legista extitit iudicatus nemine penitus discrepante sicuti ex eorum vobis in scruptinio in scriptis porrectus constitit euidenter. Nos igitur sequentes consuetudinem & formam priuilegiorum studii sepedicti consideratus scientia facundia modo legendi moribus & virtutibus quibus eum altissimus illustrauit prout in dicto eius priuato & rigoroso examine infato vilibiliter demonstrauit de consilio omnium doctorum dicti collegii ibidem existentium & instantium pro tribunali sedentes eundem Dominum Iohannem Birckemeer in dei nomine approbauimus & licentiauimus pronuntiantes & declarantes eum esse bene sufficientissimum habilem & idoneum ad hñdum tractandum & exercendum officium & honorem doctoratus in vtroque iure canonico & ciuili eumque continuo vtriusque iuris Doctorem fecimus sollenniter & creauimus ac facimus & creamus per pñtes: Tribuentes ei itaque idoneo sufficientissimo & hac promotione dignissimo cathedram ascendendi magistralem & insignia doctoratus in vtroque iure canonico & ciuili à suis promotoribus petendi & recipiendi ac iisdem ea sibi impendendi licentiam liberam & facultatem insuper ei plenam concedimus auctēm & potestatem vt de cetero libere possit in vtroque iure legere repetere docere disputare interpretari glosare practicare questiones terminare scholas regere bachalarios constituere omnibusque aliis & singulis gaudere & vti priuilegiis prerogatiuis exemptionibus immunitatibus libertatibus concessionibus fauoribus honoribus ac indultis aliis quibuslibet quocunque nomine censeantur quibus curie Parisiensis Oxonicensis bononicensis & salamantinensis studiorum doctores & magistri ex quibusuis apostolicis aut imperialibus seu aliis Ecclesiasticis vel temporalibus concessionibus aut indultis aliis gaudent & vtuntur: vti & gaudere ualeant & poterunt in futurum maxime continentiam vim formam & tenorem priuilegiorum a memo-

a memoratis olim ſummis pontificibus dicto ſtudio paduano conceſſorum. Et illico ſpectabilis & excellentiſſimus iuris vtriusque doctor dominus antonius roſellus promotor ſuus in iure canonico ſuo proprio nomine ac vice & nomine famoſiſſimi iuris vtriusque doctoris dñ angelli de caſtro conpromotoris ſui. Et eximius iuris vtriusque Doctor Dñs Iohannes de prato promotor ſuus in iure ciuili ſuo proprio nomine ac vice, & nomine clariſſimi iuris vtriusque Doctoris Domini Iohannis baptiſte de roſellis compromotoris ſui memoratum Dominum Iohannem Burckemeer filium Domini Iohannis de dioc. bamberga petentem & acceptantem conſuetis ornamentis doctoralibus in vtroque iure canonico & ciuili ibidem inſigniferunt ſolenniter & decorauerunt. Tribuerunt namque ei libros ſacrarum legum in vtroque iure, primo clauſos, deinde apertos diademaque magiſtrale quod biretum doctorale dicitur capiti ſuo inpoſuerunt & ipſum anulo aureo ſubararunt: paucisque ſibi oſculum exhibuerunt cum magiſtrali benedictione. Sicitaque cum magnâ laude & honore plurimo dictus dominus Iohannes Burckemeer ad apicem doctoratus iuris vtriusque aſcendit. In quorum fidem & teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus & pontificialis ſigilli prefati R̄m. Domini Iacobi Epi paduani appenſione muniri. Datum & actum Padue in ſacriſtia maiori eccleſie cathedralis pad. præſentibus Egregiis Domino antonio de mutuo patramontaneis. Domino vdalrico de alben iuris vtriusque ſcholare. Domino Andrea Lichtemberger iuris vtriusque ſcholare. Domino Georgio pfintznig iuris canonici ſcholare. Domino Georgio Tetzel de nurmberga iuris canonici ſcholare & quam pluribus aliis ſcholaribus. Currente Anno Domini Milleſſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto die veneris ſecundo menſis auguſti indictione tertia decima. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri Domini Pauli diuina prouidentia papæ Secundi. Anno. primo.

ALBERTI BAVARIÆ DVCIS LITTERÆ COMMENDATITIÆ, DATÆ PATRI BILIBALDI, IOANNI PIRCKEIMERO I. C. CONSILIARIO suo & Imperatoris.

VNiuersis & singulis principibus & comitibus, Baronibus, Bannariis, potestatibus, communitatibus, Castellanis, officialibus, Telonariis, Muttariis, Boletariis, & eorum loca tenentibus, cæterisque ad quos præsentes litteræ nostræ peruenerint, Nos Albertus, Dei gratia Comes Palatinus, Rheni, superioris ac inferioris Bauariæ Dux, &c. Salutē cū bonorum omnium incremento: Illustres, Magnifici, Nobiles, Honorabiles & circumspecti Amici ac nobis sincerè dilecti; Mittimus in præsentiarum egregium virum, Ioannem Birckeimer, vtriusque iuris Doctorem, consiliarium nostrum & fidelem dilectum, ad partes Italiæ, pro quibusdam causis nobis expediendis. Qua propter vobis omnibus & singulis præfatum doctorem omnit commendamus affectu supplicantes, quatenus cum ad vos, siue loca & dominia vestra declinauerit, ipsum cum equis, rebus & famulis suis nostri contemplatione & precum nostrarum intuitu per omnes ciuitates, terras, castra, passus, pontes & loca quæcunque absque omni grauamine & solatione datij, pedagi, telonij, passagij, aut alterius alterius oneris exactione, eundo, stando & redeundo, liberè & securè pertransire permittatis, & id vestris officialibus demandare velitis, nobis ad beneplacitū summè gratum, apud vos omnes & singulos ac vobis subiectos grata, vt decet, vicissitudine recompensandum. datum in ciuitate nostra Monacensi ANNO DOMINI Millesimo Quadringentesimo Octuagesimo primo, vigesimâ Octauâ die Mensis Decembris.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO RITTERSHVSIVS.

Bilibaldus Pirckeimerus commentariolum per breuem reliquerat in aduersariis suis, quem de se ipso & vita sua scripserat. Eius filum in multis secutus, quæ nimis concisè abrupteque, ab eo scripta videbantur, dilataui superiore libro singulari, quæ verò deerant, aliunde accersitis documentis bona fide suppleui. Quia verò superius facta est mentio epistolæ cuiusdam Des. Erasmi Roterodami, ex qua appareat, quam ter beato fine curriculum suum absoluerit & concluserit, quodque morientis extremũ fuerit votum; promissa adimplentes, illam hîc adiiciendam censuimus, descriptam ex Gregorij Nazianzeni latina versione Pirckeimeriana, editâ Basileæ in officina Frobeniana, anno M.D.XXXI. proximo scilicet post Bilibaldi obitum, curante Ioanne Straub, ipsius genero. In eadem epistola, quæ de ingenio & dotibus Pirckeimeri præstantissimis, deq; rebus arduis per eundem in Republica ciuili pariter & litteraria gestis ac præstitis obiter attinguntur, plenius ex ipsius vita iam cognouisti, Lector beneuole. Vale & quanta fuerit inter Erasmum & Pirckeimerum coniunctio animorum ex aliis quoque Erasmianis epistolis, quas aliâs dabimus, æstima.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. GEORGIO SAXONIÆ DVCI, TYRINpiæ præsidi Mysiæque marchioni, Des. Erasmus Rot. S.

Si quis recta via secum reputet conditionem mortalium, ac sortem humanæ vitæ, Georgi princeps Christianorum decus, nõ existimabit magnopere deplorandam mortem Bilibaldi Pirckeimeri, vt cui tantum fœlicitatis obtigerit in terris, quantum paucissimis hominum obuenire solet. Nam si externa ista vocemus ad calculum, genere patricius erat partus & alumnus Norembergæ, ciuitatis inter Germanicas cum primis, tum claræ, tum opulentæ, re non modo lauta, verum etiam opinia: apud summos orbis monarchas, præcipue Maximilianum Cæsarem, tantum gratia simul & autoritate valuit, vt vix cuiquam esset secundus: idem honoris obtinuit, & apud Carolum Imperatorem, ipso etiam Maximiliano maiorem, quorum vtrique non minus prudentem, quam fidum consiliarium præstitit. Quin & patriæ suæ belli domique magna multaq; pietatis documenta præbuit, pro ciuium incolumitate nullum vnquam refugiens discrimen, vir & rectissimi iudicij, ita liberis constantisq; animi vel in pronunciando quod sentiebat, vel in exequendo quod instituerat. Nec infelix illi, nec sterile coniugium obtigit, reliquit enim, vt audio, filiam hæredem, vixit istum ætatis modum sexagenarius, ni fallor, aut eo maior. Nec deerant corporis dotes egregiæ, donec senectus, quæ nihil non vitiat, podagram & calculum adduceret. Hoc igni visum est Deo purgare famulum suum, vt esset aurum vndiquaque purum ac probatum. Nec tamen vnquam corporis cruciatus tantum in eo valuerunt, vt animum vel à consulendo Reipublicæ commodis vel à prouehendis liberalibus studiis reuocarent. Calamo pensabat, quod corpusculi viribus erat diminutum. Raro quidem commeabat in Senatum, sed domus illius ab optimis quibusdam viris frequentata, Senatus quidem erat, & scriptis latiùs pleniúsque præstabat vel senatoris vel consiliarij munus, quam alij lingua pedibusque. Quid enim ille scripsit, quod non vel ad Reipublicæ disciplinam, vel ad studiorum profectum, vel ad pietatis causam pertinet? Quin & illud raræ cuiusdam felicitatis arbitror, quod nec fortunæ splendor, nec eruditionis gloria, nec animi libertas, multum illi conflauit inuidiæ. Exiterunt quidam qui nomini illius nescio quid nebularum conati sunt offundere, sed integritatis illius fulgor ac sol, vt ita loquar, protinus calumniantium fumos dispulit, resque prorsus in diuersum cessit. Nam ipsi fumo suo sunt tincti, qui fumos offundebant, & Bilibaldi virtus effulsit clarior. Denique mors obtigit, qua vix optari possit commodior. Nihil enim erat neque contagij, neque magni cruciatus. Corpus modo languebat, animi vigor ad extremum vsque halitum erat integer. Defecerat humor ille quem medici vocant radicalem, itaque non tam emori, quam placide obdormiscere visus est. Extremi sermones quos habuit cum doctis amicis, nihil aliud spirabant, quam miram erga patriam pietatem flagrantissimum Christianæ religionis amorem, deque publicis litterarum studiis piam sollicitudinem. Cum inuiseret illum decumbentem N. obnixè rogabat, vt quam posset ocyssime pararet aliquem bonæ fidei nuntium, qui Friburgum transcurreret, ad Zasium & Erasmum quædam perlaturus. Sed dum ille sedulo quærit, qui peteret terrestre Friburgum, ipse postridie subuolauit in cœlestem Hierosolymam, suprema vox morientis, quæ quidem audiri potetat, hæc erat: *Vtinam post decessum meum bene sit patriæ: vtinam tranquilla sit Ecclesia.* Nec dubitandum quin reliqua verba fuerint eiusdem pietatis, quæ mors linguam occupans obscurabat, notis quidem auribus, at non item diuinis. Qui talis viri mortem putant deplorandam, quid aliud quam lamentantur eum fuisse natum hominem? Iustius fortasse defleret aliquis publicam studiorum iacturam, quod festina mors obstitit, quo minus ad plenum absoluerit duo præclara facinora,

quæ iam dudum moliebatur, videlicet vt Ptolemæi Cosmographiam apud Græcos pariter ac Latinos deprauatam restitueret, & eximium illum Christianæ Philosophiæ præconem, Gregorium Nazianzenum sic Latine loquentem nobis docet, vt Græci sermonis fontes nemo desideraturus fuerit. Sed quis fuit vnquam vir eruditus aut pius, & publicis natus comodis, qui non istiusmodi de se queremonias posteritati reliquerit? Quum enim tales nunquam non moliantur aliquid præclari facinoris, atque id impensius quo magis accedunt ad extremum æui diem, fieri non potest, quin mors quandocunque acciderit, egregium aliquod institutum interrumpat, quumq; nunquam ipsi finem faciant benemerendi de genere humano, profecto necesse est, vt prius vitam finiant, quam instituta. Non hæc eo mihi dicuntur, clarissime Princeps, quasi parum expolita sint, quæ nobis reliquit, sed quod lector forte tanti artificis supremam manum alicubi sit desideraturus. In Gregorio Nazianzeno pietas propemodum ex æquo certat cum facundia, sed amat significãtes argutias, quas eo difficilius est Latine reddere, quod pleræque sunt in verbis sitæ. Tota vero Phrasis nonnihil accedit ad structuram Isocraticam. Adde quod de rebus diuinis, quæ vix vllis verbis humanis explicari possunt, libenter ac frequenter philosophatur. Frater huius Basilius suaui quodam & inaffectato dictionis fluxu & pietatem, & eruditionem, & acumen, sicubi res postulat, & perspicuitatem, & iucunditatem, & si quam aliam virtutem in oratore Christiano quisquam desiderare possit, complectitur. Ioannes Chrysostomus Basilij, quemadmodum in litteris, sic etiam in professione syncerioris vitæ socius atque, vt ita loquar, Achates, quicquid fere scripsit, ad popularem captum accommodauit, eoque fusior est ac simplicior, & in locis communibus spatiari maluit, quam in difficillimis versari quæstionibus. Hos Triumuiros vna tulit ætas apud Græcos, pietate pares nec dispares eruditione, sed dictionis charactere dissimiles. Quos si cum nostris conferre velis, Chrysostomus non dissimilis est Augustino, Gregorius Ambrosio, qui si Græce scripsisset, plurimum negotij fuisset exhibiturus interpreti. Quem Basilio conferam nondum inuenio, nisi si quis scripturarum cognitionem, quam habuit Hieronymus, cum Lactantij felici facilitate copulet. Me certe à vertendo Gregorio semper deterruit dictionis argutia, & rerum sublimitas, & adlusiones subobscuræ. Eam prouinciam eximio quodam pietatis ardore sibi sumpsit Bilibaldus noster, cui & immortuus est. Hoc opus tibi Princeps illustrissime quo vix alius pietatis amantior, viuus destinarat, quod tua singularis humanitas propensiore etiam fauore suscipiet, quod moriens extremum hoc μνημόσυνον sui reliquit. Solent enim seri partus vel ob id esse gratiores, quod præterea nihil speratur. Proinde quum hunc veluti postumum fœtum, tua singulari fretus humanitate tibi moriens in gremium dari voluit, non dubitamus quin hic quoque sis tui similis futurus. Eadem autem opera quum amici memoriam illustrabis, tum omnib. ad pietatem non mediocre calcar addideris, si Bilibaldi reliquias tuo fauore studiosis omnibus commendabis. Porro quibus pietas cordi est, non offendentur, quod priscos Ecclesiæ doctores sequutus, non abhorret interdum à verbis quibusdam nostræ religionis peculiaribus, quodque maiuult interdum Christiane loqui quam Romane, quanquam non video quamobrem illa non deberent haberi pro Romanis, quæ ante annos mille quingentos à Romanis scriptoribus necessario sunt vsurpata, nec id sine Græcorum exemplo. Vale. Ex inclyta academia Friburgensi, Id. Maij, M. D. XXXI.

EPITAPHIVM BILIBALDI PIRCKHEIMERI, IN TABVLA ÆNEA lapidi sepulchrali affixa, incisum.

BILIBALDO PIRCKEIMERO PATRITIO AC SENATORI NVRIMBERG. DIVORVM MAXIMIL. ET CAROLI V. AVGG. CONSILIARIO, VIRO VTIQVE IN PRÆCLARIS REBVS OBEVNDIS PRVDENTISS. GRÆCE IVXTA AC LATINE DOCTISS. COGNATI TANQVAM STIRPIS PIRCKEIMERÆ VLTIMO DOLENTER HOC S. P. VIXIT ANN. LX. D. XVI. OBIIT DIE XXII. MEN. DECEMB. AN. CHRISTIANÆ SALVTIS M D XXX.

VIRTVS INTERIRE NESCIT.

Exstat in Cœmiterio Norimberg. ad S. Ioannem.

EPITAPHIVM ALBERTI DVRERI TALE EST: ME. ALB. DV.

QVICQVID ALBERTI DVRERI MORTALE FVIT, SVB HOC CONDITVR TVMVLO. EMIGRAVIT VIII. IDVS APRILIS M D XXVIII.

Exstat in Cœmiterio Norimberg. ad S. Ioannem æri incisum sepulchrali.

SEQVEN-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [68] - 44
PUBLIC DOMAIN

SEQVENTIA DESCRIPSIMVS EX LITTVRIS BILIBALDI PIRCKHEIMERI, ET CHARTA in eius Bibliotheca reperta.

MEMORIÆ A. D. VIRI OPTIMI, Omnium ætatis suæ pictoris absolutissimi, qui non minus virtute quam arte clarus, primus inter Germanos rem pictoriam illustrauit, auxit, & ad seueritatem restrinxit [*ad certam legem refrenauit*] sed & litteris commendauit. Quamobrem, nec non summam animi modestiam ac prudentiam, non solum patriæ ac germanorum gloriam auxit; sed & CC. (fort. Cæsaribus) adeo carus fuit, vt eum annuo stipendio C. aureorum donarent. Obiit autem suo fato, in re opulenta, anno ætatis .....

AD CLARISS. VIRVM, D. BILIBALDVM PIRCKHEIMERum, patricium ac consularem Norimbergensem, &c. Eobani Hessi Idylliorum XVII. Dedicatio.

CVm tua non vno virtus Bilibalde feratur
Nomine, Pieria viuere digne Chelı:
Cum tua certatim populi præconia linguæ
Laudibus externis hic vt vbique vehant:
Cum (si vera fides populari adhibenda fauori est)
Multorum laudes vnus habere queas:
Et merito cum sis tam multa dote beatus,
Non est de meritis fama maligna tuis.
Docte, quis hoc nescit? quantum vel scire necesse est,
Vel quenquam credi perdidicisse queat.
Dignus honorata mihi visus es esse camœna,
Quæ victura tuum nomen in astra leuet.
Quam mihi difficilis quoniam natura negabat,
Nec satis ingenij vena benigna fuit:
Officio volui præstare quod arte nequibam,
Illius hæc instar, huius & illud habet.
Ergo mihi Andino cantata Idyllia versu,
Munus amicitiæ fer precor esse meæ.
Fer precor ista suis dignissima carmina Syluis
Tuta patrocinio nominis esse tui.
Illa tuæ siquidem famæ monumenta dicamus,
In quæ parca nihil iuris habere queat.
Accipe florentis lusum Bilibalde iuuentæ,
Accipe & ætatis iam grauioris opus.
Lusimus illa quidem partim iuuenilibus annis,
Quæ nunc bisseno carmine secta manent.
Bis duo Lustra, duas messes, mea vita pergit
Quo toga Syluestris tempore sumpta mihi est.
Nunc eadem octaui tangit confinia lustri,
Istis adiicimus, quæ noua scripta vides.
Hæc tamen hoc illis distant, quod grandius audent,
Nec modo Bucolicum concinuisse melos,
Egressæque suis vrbes inuisere Syluis
Tangere & agresti regia tecta pede:
Non tamen oblitæ caulas liquisse, nec vltra
Quam deceat populo rustica verba loqui.
His plura adiiciam, faueant modo tempora, Parcæ,
Et si nil aliud, certo ego pastor ero,
Sic tamen vt Syluas, vt nunc quoque sæpe perosus
Inueniam reges inter & arma locum.
Forsan erunt qui nos legem seruasse negabunt
Carminis, exemplo nec potuisse trahi.
Nulla meas poterit terrere calumnia Musas
Quo minus efficiant, quod meditantur opus.
Attamen exemplis si res ista fuit tuenda,
Aspice quam inuidia culpa sit ista minor.

Duxi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [69] - 45
PUBLIC DOMAIN

Duxit insuetas Romana palatia Sylvas,
Itala qui Phrygium vexit in arua ducem.
Ipse Syracusia prælatus arundine pastor
Reges lanigeras concinit inter oues,
Alterius linquens Arethusia flumina summum
Sicelis Ausonidum pingit arundo Ducem.
Me quoque cantantem paulo maiora, Poetis
Æmula posteritas, quæ tulit ista, ferat.
Sicut enim illorum, quondam noua, sera secuta est,
Sic mea posteritas me quoque sera manet.
Ergo age digna mea multo meliore Camœna
Accipe Bucolico carmina facta pede.
Quæsi quando leges, & quæ prior adidit ætas,
Et quæ posterior, cautus vbique leges.
Ne prior offendat nimios quod cantat amores,
Et ne posterior quod nimis alta sapit:
Sed quoniam ratio tibi reddita sufficit huius,
Nunc etiam alterius causa tuenda venit:
Multa meo, fateor, Venus est in carmine, verum
Quam ferat aut ætas, aut rude carmen amet.
Quis non ætati iuuenili indulgeat istis
Lusibus, & casto forsan amore frui?
Quis non Bucoloco ferat has in carmine nugas
Quo nullum vena simpliciore fluit?
Non tamen hic aliquem frustra cantamus Alexin
Igni puellari carmina nostra calent.
Adde quod inculti non sunt nisi ludicra versus,
In quibus est præter septa bouesque nihil.
In quibus & ludis iuuenilibus omnia constant,
Sic venus est iuuenum mollibus apta iocis.
Dixeris at quandam iam nunc quoque ludis Iolen,
Mollis & in quadam parte puella tibi est.
Da veniam, non hic nostri cantantur amores,
Sunt ea Sicanij carmina vatis opus.
Plura etiam his dici poterant, quibus ista fuissent
Iudicibus Musis causa peracta satis.
Sed mihi non libuit, plus quam licet esse diserto,
Causa quod hæc agitur non aliena mihi.
Quam si forsan iners vrgebit, vt omnia, Liuor
Rem non cum pueris sentiet esse sibi.
Quod superest tibi pastores Bilibalde dicatos,
Quaque fide debes adsere, quaque potes.

BILIBALDO PIRCKHEIMER, HEBRÆÆ, GRÆCÆ AC Latinæ linguæ viro eruditissimo, ac Diui Maximiliani Cæsaris Consiliario, Inclytæque Noricorum vrbis Senatori, Thomas Venatorius S. D.

Si mihi Phœbi pietas faueret,
Et darent cultæ charites leporem,
Musa migraret, Bilibalde docte,
Lætior ad te.
Sunt quibus Musæ celebris caterua,
Sæpe diuinum tribuunt furorem,
Spiritus quorum rapitur futura
Gaudia gustans,
Sunt quibus rursus Latios lepores
Interim & Graias tribuunt decoram
Copiam linguæ, vt valeant soluta
Verba sanare.

Qui

Quis potens Rhetor simul & poetes?
Scilicet clarus numeris, prosaque?
Conuenit paucis modo gloriari
Nomine vtroque.

Sed tibi rex faber & creator
(Sic enim dignum facinus placebat)
Contulit venam facilem & sacratos
Indidit ignes.

Vnde si quæras retigisse Phœbi
Siue Cygnæa citharam caterua
Dulce Parnassi virides per vmbras
Carmen adorans,

Seu velis millis modulis ligata
Verba (ceu quondam Cicero) sonare,
Verba quæ abstrusam reserare possint
Theosophiam,

Hinc Senatores studio perenni
Reddis insignes, patriaque pulchræ
(Per decus fandi triplicis loquelæ)
Reddis honorem:

Sed repentinis venient figuris,
Qui mihi dicent pharysea monstra,
Cur vi ex passim variis per orbem
Laudibus ornas.

Cui dedit primis Galeam sub annis
Mars pater, Bellona dedit thoracem
Totaque in bello fuit & sub armis
Vita peracta.

Litteris an quid didicisse posset
Qui Getas hasta? gladio petisset
Sarmatas, Gallos, & acres Quirinos
Pectore anhelo?

Cæsarem Zonis sequitur potentem
Aureis, qui non nisi blandientes
Colligit, Doctos penitus repellit
Maximilianus.

Eya vobiscum loquar ô Magistri
Barbari, cæci, tenebrarum amici,
Quos iuuat Phœbi temerasse, sacri
Agmen honoris.

Hic puer primis studuit sub annis
Iura naturæ, ingenio rapaci
Atque viuendi varios recludit
Pectore mores.

Grandior tandem genitus, Ninerue, &
Sapius secreta Deum reuoluit
Et modos lusit, Citharam sonantem
Pollice tangens.

Deinde Musarum, faciles per artes,
Vidit accedens adytus recluses,
Doctus & prudens Helicona tota
Rite pererrat.

Hinc & armorum studium sequutus
Martis, & longas equitum caterua
Sepe lustratus virides per herbas
Funera casa.

Sed quid extentos canimus Triumphos?
Cuius & vires timuisset Hector
Troicus cuius timuisset hastam
Fortis Achilles.

Ipsè (dum belli studium quiesset)
Arma suspendit, clypeum & pharetram,
Et canit Græci simul & Latini
Carmnis oden.
Ergo morosi fatui quiescant,
Ore lasciuo temerare Doctos
Et quibus glaucæ placuere dulces
Pallados artes.
Et simul discant vigili labore
Artibus cur inuideant venustis
Et modo cantent, hic hic est peritus
Philosophiæ.
Viue iam fœlix Bilibalde docte
Et tuum Thornam Tripodas canentem,
Fluctibus sæuis precor & malignis
Eripe fatis.
Si meis finem dederis periclis,
Sique, quod spero, liceat potiri:
Semper illustris tua fama vinet.
Vatis in ore.

BILIBALDO PIRCKHEIMER PRIMARIO VIRO ET Senatori Norimbergensi: Hermannus Bruschius Pasiphilus: Eucharisticon extemporale.

QVod me tam dubia, Bilibalde vir optime, cana
Accepere tui, regia tecta, Lares.
Inter tot doctos, artem quamcunque professos,
Diuitiisque graues & probitate viros,
Qui tuus assedi Conuiua, recumbere iussus,
Deque tua sumpsi pocula mixta manu.
Et mihi sum nostra hac donec mansurus in vrbe
Obtulit hospitium atque tua cura suum.
Et quod tam facili vultu, tam fronte serena
Exhibuit virtus se tua tota mihi:
Quodque etiam nobis tua Bibliotheca patebat
Vix minor impensis, rex Ptolomæe, tuis,
In qua Cecropij Scriptores atque Latini
Feruent, librorum constat & omne genus:
Non tibi pro meritis istis ego dona precabor,
Quæ sors dispensat cæca rapitque manu.
Nam tibi non desunt ob quæ fortuna rogatur,
Et colitur tanquam grandis in orbe Dea.
Limite compenso: sed vt aurea stamina ducent
Tres tibi lanificæ letaque fila deæ
Vtque tui cines: te in seri tempora fati,
Atque etiam tua post funera semper ament.
Et sis Mopsopia quondam quod in vrbe Pericles,
In rerum domina quodque Metellus erat.
Hoc tibi pro merita mea mens virtute precatur,
Hoc optent curæ, Pierideſque meæ.
Quas si (nam potes hoc) tua per suffragia seruas,
Et das optata his posse quiete frui:
In tua laxabunt totas præconia vires:
Vocesque tunc primum te meliore canent.

MONO-

MONODIA ALBERTI DVRERI PICTORIS OMNIVM, QVI vbique sunt, excellentissimi. Præfica mortales alloquitur.

PRimum decus Pictoribus mors abstulit,
Sors dura, Fatum prapotens.
O per grauem mortalium dementiam!
O corda veri nescia!
En ludus impellens inani gaudio
Dementat orbem maximum,
Longissimos vitæ dies inertibus
Spondens: sed interim vndique
(Fidei immemor) florem virentem spiculis
Acuminatis impetit.
Non sceptra suscipit, nec auri pondera,
Non purpuram, non lauream:
Non sacrum & antiquum Poetarum ocium,
Non mille fasces arcium.
Proh dira vis, intercidit dies, obit
Annus, volat mensis, perit
Tempus: profundis vita quassatur malis,
Tutum nihil: Sed omnia
Hanc sanciunt legem. Pales, quæ pascua
Gregibus ministrat, & Ceres,
Quæ gentibus graues aristas sufficit,
Materque amorque Cypria
Haud raro legi subiacent mortalium
Fatoque cedunt ocyus.
Nec est Apollo tutus: vt mors imperat:
Nec horridus Tridentifer.
Crœsos & Iros hactenus non segniter
Rapuit, Homerique æmulos.
Maronianæque omnium argutissimam
Musæ Chelyn, cum Zeuside.
Pictore candido, atque Apelle principe
Artis negotium quoque
Facessit Alberto meo Durerio,
Qui gloriam omnibus eripit,
Seu glorioſos Cæsares, siue infimos,
Seu præferoces belluas,
Seu mentis arcana intimæ, seu corpora
Velit quis apte pingere.
Salue vmbra fœlix, inclytumque nominis
Decus, quod ipsos gloria
Mundi patentis cardines, & vltimos
Sinus pererrat æquoris.
Iure igitur omnibus licet Pictoribus
Tam sæuientis impetum
Deflere turbinis. nam in vno maxime
Alberto & artis abditæ
Documenta perdidere, & artis principes
Parrhasian & Phidiam, viros
Ioue optimo dignos. Satis, Quæ cætera
Cantanda, mitto posteris.

Epitaphium Alberti Dureri.

Ingenium, Christique fidem, Regumque fauorem,
Artis Apellea munera rara simul,
Quæ natura parens, passim dedit omnibus, vni
Alberto hæc eadem contulit aucta suo.

Aliud.

Quicquid apud veteres Phidias vel Cous Apelles
Arte, manu poterant, contigit hic tumulus.

Thomas Venatorius posuit XI. Aprilis, Anno à nato Saluatore M.D.XXVIII.

VIRI ILLVSTRIS

BILIBALDI BIRCK-HEIMERI, CONSILIARII CÆSAREÆ MAIESTATIS

HISTORICA.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [74] - -
PUBLIC DOMAIN

COMMENTARIVS DE RATIONE SCRIBENDÆ HISTORIÆ.

INVICTISSIMO, GLORIOSISSIMO, DIVO MAXIMILIANO, Romanorum Imperatori Augustissimo, orbisque Christiani Principi omnium potentissimo fœlicissimoque Bilibaldus Pirckheimer Norimbergensis perquam humiliter se commendat, &c.

QVI ludicro seu vero decertaturi sunt prœlio, Imperator exuperantissime, antequam Martis subeant discrimen, arma expedire, animi vigorem confirmare, corporis robur exercere consueuerunt, vt cum per vsum diuturnum ac pugnæ simulachrum, iam vires datum, aggrederer, ingenij periculũ facerem, ac plane experirer, num iussionibus sacratissimæ Maiestatis tuæ satisfacere, historiamque ad me transmissam, faustis eiusdem auspiciis è sermone græco in latinum commode vetere possem. Ex omnibus itaque auctoribus, Lucianum potissime delegi, scriptorem sane quam acerrimum, suauem & iucundum, derisorẽ non minus salsum quam lepidum & vrbanum, sententiarum grauitate insignem, figuris vero ac structura modulatum & cõcinnum, quemadmodum rerum copia felicem, ac verborum elegantia venustum, pressum pariter & redundantem, omni denique dicendi venere absolutum & rotundum, cuius commentarium de ratione conscribendæ historiæ, ideo transtuli, vt Clementia tua ex illo, tanquam præludio quodam, recte de futuris coniecturam sumere posset. Quamuis enim, si ad magnitudinem respiciatur, opusculum perquam minutulum esse videatur, longe tamen plus in recessu continet, quam aperta fronte pollicetur, gemmarum instar minutissimarum, in quos naturæ maiestas rerum pretia arctissime includit. Accipe igitur, Cæsar fortunatissime, solita tua bonitate tenuis ingenij monumentum. Nam & Deo Optimo ac Maximo plus voluntatis simplicitas quam diuitiarum opulentia accepta esse solet: cuius te præcipuum æmulatorem esse decet, cum eius imaginem in terris præsentes hominibus, sed & animi dotibus, virtute scilicet, ac doctrina cunctis præstes mortalibus. Siquidem verissime affirmare ausim, non solum inter bellicosos Imperatores te esse doctissimum, verum & inter doctos bellicosissimum: nec aliquem æque post magnum illum Alexandrum ac Cæsarem Iulium militarem disciplinam tam egregie litterarum studiis, ac te, copulasse. Rara hæc fœlicitas, ac omni æuo vix vni aut alteri concessa. Quapropter meo iure facturus mihi videor, si tibi principi fortissimo pariter & eruditissimo, chartacea hæc offeram munera, cum & iam pridem sub te, non solum in litterarum monumentis sudauerim, sed & bellis funestissimis militauerim, exercitus duxerim, præcipue vero bello Heluetico, auxiliaribus copiis, in subsidium potentiæ tuæ à Republica Norimbergensi missis, tam equestribus, quam equestribus vniuersus præfuerim, ac imperauerim. Nouo igitur prudens mihi vitio verter, si innumeras bonitatis tuæ virtutes ac gloriam, quemadmodum militando, ita & scribendo imitari, ac reuerenter, sed à longe, sectari concupisco, quandoquidem ita à natura comparatum esse videmus, vt principum moribus frequenter se subditi adaptare consueuerint. Audaciam præterea florentissima tua pietas mihi subministrat, quotienscunque enim te, Norimbergensis Reipublicæ legatus, reuerenter adeo, tantumque numen supplex adoro, non solum me, vt optimum decet principem, benignissime audis, sed & gratissime, ac muneribus quandoque donatum, absoluis, ac dimittis. Quid quod à sacratissima Maiestate tua, honore tam digno sum honestatus, vt mera indulgentia, motuque spontaneo, in consistorium domesticum tuum sim ascitus, ac reliquorum virorum tantorum numero ascriptus, pro quibus omnibus, si grates dignas referre cuperem, penitus non valerem: etsi possem, fortuna tua amplissima id minime pateretur. Verumtamen, donec viuentium censebor nomine, serenitatis tuæ præceptis, mandatis & iussionibus, non solum humiliter obsecundabo, sed & perquam obsequenter parebo, inclyte & pie Cæsar, Victor fauste, ac Triumphator semper Auguste.

HONORABILI NOSTRO ET IMPERII SACRI fideli dilecto Bilibaldo Pirckheimero Consiliario nostro.

MAXIMILIANVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA & Romanorum Imper. semper Augustus.

HOnorabilis fidelis dilecte. Luciani Commentarium de ratione conscribendæ historiæ, perquam accurate à te latinitate donatum, vna cum litteris tuis accepimus, opus sane luculentum, propter quod latini non parum lucubrationibus tuis debeant, & præcipue hi, qui fortium virorum Res; (rem profecto arduam) monumentis scriptorum suorum posteritati mandant, quandoquidem tam celebrati Auctoris vestigiis innitentes, in lubrico solo pedem firmius ponere possunt. Iamque nos, si quid perpetuitate dignum gerimus, sub Luciani tui lege, à summi ingenij viris descriptum, fidem apud posteros consecuturum non desperamus. Idq; totum vigiliis tuis adscribimus, & merito pro tanto beneficio, te summa beneuolentia complectimur. Dat. in ciuitate nostra Imperiali Augusta, die 12. Maij, anno Domini M. D. XV. Regni nostri Romani tricesimo.

Ad mandatum Cæsar. Mayest. ppm
Iac. de Bannissis, &c.

QVO PACTO HISTORIA CONSCRIBI OPORTEAT.

FErunt Abderitas, formose Philon, Lysimacho regnante, talem inuasisse morbum, febri acutæ ac vehementi confestim sub initium, populariter cuncti corripiebantur, septimum inde circiter diem nonnullis sanguis multus è naribus profluens, aliis vero sudor copiosus superueniens, febrem dissoluit. vnde in risum ægritudo illa demum conuersa est, omnes enim ad tragœdias recitandas impellebantur, ac iambica ad modum vociferantes decantabant. Potissimum vero Euripidis Andromedam lugubri resonabant carmine, Perseique verba accurate enarrabant. refertaque erat ciuitas vniuersa pallidis & extenuatis illis septenariisque tragœdis:

Tu vero diuorum tyranne hominumque amor.

Et reliqua, sonora quadam voce cantantium. Idque longo durauit tempore, donec hyemis ac frigoris superueniens asperitas, eos à nugis illis tandem absoluit. Huic vero rei Archelaus tragœdus, tunc temporis illustris occasionem præstitisse mihi videtur, qui media æstate ac vehementi calore, ipsis Andromedam recitauerat. Vnde complures in theatro febris inuasit, qui inde surgentes postea in tragœdiam delapsi sunt, cum admodum tenaciter eorum memoriæ Andromeda adhereret, Perseusque cum Medusa, vniuscuiusque mentem adhuc circumuolaret. Vt igitur vnum alteri (vt aiunt) comparem Abderiticus morbus nunc quoque multos corripiunt eruditos, non quod tragœdias recitent, tolerabilius enim delirarent, alienis haud malis detinerentur iambis, sed postquam quæ pedibus versantur commota sunt, bellum videlicet aduersus Barbaros, clamque in Armenia acceptæ ac victoriæ crebræ, nemo non historiam scribere aggreditur. quin potius Thucydides, ac Herodoti, Xenophontes quoque nobis passim emergunt, adeo vt verum esse videatur adagium illud: *Bellum rerum omnium pater*, quandoquidem tot historici vno impetu producti sunt. Hæc igitur, O Amice, cum cernerem & audirem, Sinopensis illud in mentem venit. Cum enim Philippus iam ingruere diceretur, Corinthij vniuersi perturbantur, ac negotiis occupati erant. Aliqui enim arma præparabant, quidam lapides transferebant, illi mœnia reficiebant, nonnulli vero propugnacula firmabant, alij autem aliud quid vtile subministrabant, quæ cum Diogenes contemplaretur, ac nil haberet quod ageret, nemo illius enim vtebatur opera, succinxit vestem, ingentique studio dolium, quo domus vice vtebatur, sulsque deque in granio vertere cœpit. Cumque à familiari quodam, quidnam faceret, interrogatus esset, respondit, *dolium voluo, ne solus inter tot operantes otiari videar.* Proinde ego quoq;, ô Amice, ne solus in tam gravi tempestate mutus essem, neve tanquam comicum sarellitium, oscitabundus ac silens perstansirem, recte me facturum existimaui, si pro virili pariter quoque delium reuoluerem, non tamen vt historiam scriberem, siue res gestas enarrarem, quandoquidem non tam insignis audaciæ sum ego, nec tu quid tale de me verearis. Noui etenim quam ingens sit periculum, si quis per saxa volueat, præsertim tam fragile doliolum, quale illud meum est, non admodum firmiter opere figulari decoctum, mox etenim vt minuto illideretur lapillo, colligere testas cogerer. Quidnam igitur deceuerim, requiris? scilicet, vt ipse tutus, ac extra teli iactum constitutus, belli particeps fiam, & tibi singula enarrem, consultoque à fumo & vnda, nec non à curis quæ huic scribendi instant muneri, abstineam, admonitionem vero perbreuem quandam præceptaq; pauca scribentibus suggeram,

geram, vt si minus inscriptionis saltem ipsius particeps fiam ædificij, digito summo lutum attingens. Verum enimuero quam plurimi admonitione aliqua, ad negotium illud, minime sibi opus esse arbitrantur, non magis ac arte aliqua ad eundum, videndumve, aut comedendum, sed admodum rem facilem, paruique momenti ac vniuscuiusque hominis esse historiam conscribere existimant, dummodo mentis conceptum exprimere quis valeat. Atqui tu, Amice, optime nosti, quam arduum negotium sit illud, minimeque ex istis, quæ per segnitiem componi solent, sed quod inter cunctam rem litterariam, maxima indigeat cura. Si quis (vt Thucydidis vtar verbis) ad æternitatem aspirare nititur. Proinde oppido quam paucos à sententia me dimoturum, nonnullis vero molestum valde futurum, certissime noui, maxime qui historiam iam absoluerunt ac in publicum emiserunt. Summæ enim dementiæ est sperare eos, qui iam ab auditoribus collaudati sunt, quid emendaturos, seu transcripturos, ex iis, quæ semel approbata, ac velut in regias aulas reposita sunt, Ceterum non ab re forsitan erit, illos eosdem quoque alloqui, vt si bellum quando aliud, vel Celtis contra Getas, aut Indis aduersus Bactros conflatur (nemo enim contra nos, qui iam vniuersa subigauimus, tale quid audebit) exactius historiam componere valeant, regulam hanc, si saltem rectæ esse videatur, ante oculos constituentes, sin minus, ipsi cum eodem illo cubito, quemadmodum & nunc opus commensuranto. Nec medicus admodum dolebit, si Abderitæ cuncti sponte recitent Andromedam.

Igitur cum duplex sit consilij officium, vnum quidem quæ eligenda, alterum quæ declinanda sint edocet, Age de iis, quæ historiam conscribenti fugienda, & à quibus potissimum sit abstinendum, primo verba faciamus. Dein quibus, vt à vero tramite & recta via non aberretur, sint obseruanda, à quali nam principio sit auspiciendum, quis ordo rebus gestis adaptandus, qui modus singulis accommodandus, quæ subdicenda, quibus immorandum, quæ carptim tantummodo perstringenda, quo pacto cuncta sint explicanda. hæc & similia postea enarrabimus: nunc autem vitia, quæ imperitos sequi consueuere historicos, enumerare pergamus. Porro, quænam in omni fermone vulgata sint errata, seu in voce ac compositione, seu in sententiis & reliqua inscitia, longum esset referre, & ad propositum præsens minime spectans, communia etenim (vt dixi) omnium sermonum vitia, aut in voce, aut structura versantur. In quibus vero historici aberrent, facile si obseruaueris talia deprehendes, qualia & mihi sæpius auscultanti visa sunt, maxime, si omnibus aures patefeceris. Interim vero non intempestiuum erit, exempli gratia, nonnulla commemorare, quæ perperam conscripta sunt. Et primo quantum in illo errent, consideremus, quam plurimi eorum ex eis, quæ gesta sunt, memoriæ prodere negligunt. Laudibus vero ducum & imperatorum longius immorantur, suos quoque in sublime tollunt, ac hostes plus æquo deprimunt, ignorantes, hand angusto Isthmo historiam à laudibus discretam, & admodum remotam, ac muro ingēti seiunctam esse. Denique iuxta musicorum prouerbium, ὁς ἀληθῶς mutuo sese respicere interuallo. Siquidem laudanti hoc vnum curæ est, quo pacto laudare ac oblectare laudatum valeat, parumque curat, si mendacio quoque subolescenti finem consequatur. Atqui historia, ne tantillum quidem, momentaneumve mendacium tolerare potest, perinde ac medicorum filij, arteriæ meatum interepi serunt, cum quicquam vel minimum illud delapsum fuerit. Præterea ignorare tales mihi videntur, quod poetices & poematum alia sit professio, regulæque peculiares; aliæ vero historiæ. Ibi enim libertas & lex vna præscripta est, videlicet, quicquid poetis placitum fuerit. Numine enim afflati, ac Musis perciti, etsi aligerorum equorum currum coniungere, eosque super vndas aut aristatum summitates currere voluerint, minime illis vitio vertetur. Neque cum eorum Iupiter, terram pariter & mare vna resti extracta suspendit, verentur, ne illa abrupta, cuncta in terram deiecta conterantur. Sed si Agamemnonem laudare voluerint, nemo illis impedimento erit, si ipsum oculis ac capite Ioui similem effingant, pectore autē fratri eius Neptuno, cingulo Marti, oportet enim Atrei & Æropæ filium, ex omnibus diis quiddam fieri compositum, haud enim Iupiter ipse solus, Neptunusve, aut Mars, illius pulchritudinem explere sufficit. Historia vero, si adulationem aliquam admiserit talem, quid aliud quam pedissequa quædam poetices efficitur? Siquidem cum magniloquentia illa priuata fuerit, nec non reliqua monstra numeris denudata indicauerit, longe poeticen se insigniorem ostendit. Magnum igitur, imo maximum hoc vitium, si quis ea, quæ ad historiam spectant, ab illis quæ ad poeticen pertinent, haud nouerit segregare, sed historiæ poetices inculcat illecebras, fabulas videlicet & laudes, nec non excessus, qui ex illis redundare solent, perinde ac si quis Athletam quempiam, ex robustis illis & ferme illigneis, nudum palla adiciat, ac reliquo ornatu meretricio exornet, fuco perfricet, cerusaque faciem expoliat. Dij immortales, quam ridiculum ipsum efficiet, si tali ornatu eum dedecoret. Atqui hoc non dico, quod laudibus in historia non sit aliquando indulgendum, quandoquidem tempore conuenienti laudare decet, modus tamen rei adhibendus est, ne talia postea legentibus molesta esse deprehendantur, & vt vno verbo eloquar, penitus ad sequentia regulanda sunt, quemadmodum paulo post ostendam. Porro quicunque historiam in duas partes se recte diuidere arbitrantur, in oblectationem scilicet & vtilitatem: Ideoque laudem, quasi legentibus iucundam & delectabilem, historiæ inculcant,

cant, videsne quantum à veritate aberrent? Primo, quoniam adulterina vtuntur diuisione. Vnum est enim officium, ac solus historiæ finis, vtilitas, quæ non nisi ex veritate conquiretur. gratior tamen erit, si illam iucunditas subsequatur, quemadmodum Athletam forma. sin minus, nihil prohibet ab Hercule generati Nicostratum Isidoti, generosum quidem, & vtroque aduersario fortiorem, quamuis aspectu sit deformis, certet vero cum eo Alceus pulcher ille Milesius, & in delitiis (vt aiunt) Nicostrati habitus. Tametsi historia cum obiter iucundum quid interserit, multos ad se amantes attrahat. Ceterum si solum id quod sibi proprium est, (veritatis demonstrationem inquam) absolute possideat, parum illam pulchritudo sollicitabit. Sane illud quoque relatu dignum est, quæ neque ea quidem historia, in qua ferme cuncta fabulosa ac laudibus cluiosa existunt, iucunda esse potest, præcipue penes eos, qui auricula vtraque audiunt, ac vbi non hominum colluuies, & plebecula indocta auscultat, sed iudicialiter, & per Iouem Sycophantice quoque singula expenduntur, per eos, quos nihil, ne momentaneum quidem fallere potest, quique omni ex parte corporis, vel Argo ipso perspicacius vident, ac numum laciorum instar dicta singula expendunt. Ita vt adulterina confestim abiiciant, probataque ac legitima admittant, & solum quæ exactæ sunt formæ suspiciant, ad illos te respicere cum historiam scribere aggrederis, oportet, reliquos vero floccipendere, etiamsi laudando distumpantur. si vero eosdem neglexeris, historiamque præter modum fabulis, laudibus, ac reliqua adulatione condieris, forsitan eam Herculi in Lydia similem efficies. Etenim consentaneum est, cum te aliquando depictum vidisse, seruientem Omphale, & habitu admodum enormi instructum: illam quidem Leonis pelle circumamictam manuque clauem gestantem, ac si Hercules esset; illum vero crocoto ac purpura indutum, lanam diuidentem, ac Omphale plagas sandalio suscipientem, & quod eo in spectaculo turpissimum erat, dei virilitas, laciniosa, fluida & incincta veste, indecore effeminabatur. Quinimo, si multi forsitan hæc tua laudabunt, ac pauci illi (quorum tu iudicium aspernaris) admodum suauiter, & ad satietatem vsque ridebunt cum rem tam vecordem, inelegantem, ac male conglutinatam aspexerint. Quod enim vniuscuiusque proprium, id quoq; pulchrum est, si vero illud immutaueris, id ipsum præter vsum indecorum fiet. Omitto quod aliquando laudes delectabiles existunt, maxime laudatis, at aliis molestæ, potissimum si modum excesserint, quemadmodum à multis fieri solet, qui vt beneuolentiam à laudatis venentur, tam diu eorum laudibus immorantur, donec adulationem penitus manifestam reddant, haud enim iuxta artem id facere norunt, neque assentationem adumbrare callent. Sed vehementer instantes, cuncta perturbate, indecore, ac nude effutiunt, adeo, vt nec illud (cuius desiderio maxime tenentur) consequi valeant. Siquidem ij, qui ab illis laude afficiuntur, ingenti eos prosequuntur odio, ac tanquam adulatores auersantur, sapienter quidem rebus suis consulentes, præcipue si animo præditi sint virili. Quemadmodum Aristobolo contigit. Is enim Alexandri ac Pori certamen conscripsisset singulare, regi potissimum hunc commentationis locum recitabat. Etenim existimabat, rem admodum gratam ei se facturum, si res quasdam strenue ab eo gestas ementitus fuisset, factaque finxisset veritate maiora. At ille librum accepit, præcipitemque in vndam deiecit, (Nam forte fortuna Hydaspen nauigabant fluuium) verbaque talia superaddidit: *Sic te quoque Aristobole submergi oporteret, tali duello pro me depugnantem, elephantosque iaculo vnico conficientem.* Maxime vero indignatio illa Alexandrum decebat, qui nec antea Architecti audaciam tulerat, pollicentis se Athon in ipsius imaginem formaturum, montemque ad regis similitudinem transfiguraturum. Confestim enim adulatorium hominis ingenium deprehendens, opera illius nec in aliis dehinc rebus vsus est. Vbi nunc in his delectabile remanet? præterquam si quis adeo stultus existat, vt his laudibus delectetur, quorum redargutiones præsto & ante pedes sunt. Veluti cum homines deformes, præcipue vero mulierculæ pictores admonent, vt sese quam pulcherrime depigant. Etenim longe se elegantiores fore existimant, si fuco copioso facies incrustetur, multoque pharmaco cerussa commisceatur. Tales hodie quoque scriptores quam plurimi reperiuntur, qui commodo proprio ac vtilitati, quam ex historia se adepturos sperant, inseruiunt, quos tamen odio habere optimum esset, cum præsenti tempore adulatores manifesti & inepti existant, in posterum vero vnuetsum negotium excessibus suspectum demonstrent.

Quod si quis omnino delectabile quid historiæ vniuersæ commiscendum esse arbitratur, alia orationis ornamenta, quæ cum veritate iucunda sint, inserere studeat, quæ tamen plurimi negligentes, ea quæ minime ad rem spectant, introducere consueuerunt. Proinde narrare pergam, quæ nuper in Ionia ac per Iouem, in Achaia quoque paulo antea scriptoribus quibusdam, qui bellum illud descripserant, me audiuisse memini. Ceterum per gratias, nemo dictis meis fidem deneget. Vera etenim sunt, nam & iurare quoque paratus essem, si iuramentum vrbanum mihi delatum foret. Etenim eorum quispiam protinus à Musis exorsus est, deasque inuocauit, vt scriptis suis aspirarent. Vide quam concinnum principium historiæque pedibus aptum, ac tali dicendi genere congruum. Deinde paulum progressus, Achilli principem nostrum, Thersiti vero Persarum æquiparabat regem, ignorans, longe sibi præstantiorem fore Achillem, si Hectorem potius obstruncasset quã Thersitem, atque si prius fugisset excellens quispiam persecutus, quæ fuisset ipsum longe præstantior.

Deinde

Deinde laudes quasdam de semetipso inserui, addiditq; ,dignum se esse, qui res tam egregie gestas describeret. Posthæc deflectens, patriam suam laudauit, asserens, longe se rectius Homero agere, qui nullam patriæ suæ fecisset mentionem. Tandem in procœmii calce, palam ac manifeste pollicebatur, in maius nostra se sublaturum, Barbaros verò pro virili debellaturum, sicq; historiam incœpit, pariterq; causas, cur bellum exortum esset explicuit. *Ille* (etenim) *inquinatissimus ac pessime perituru*s, *Vologesus*, *propter causam talem bellare cœpit*. Et hic quidem talia.

Alius vero Thucydidis æmulator & summus quidem Autoriq; admodum egregie comparandus, principium (quemadmodum ille) suo ipsius nomine auspicatus est, exordium sane omnium gratiosissimum, Thymumq; redolens Atticum. Ageris cerne. *Creperius Calpurnianus Pompeiopolitanus*, *bellum Parthorum Romanorumq*;, *quod inter se gesserunt*, *conscripsit*, *exorsus confestim postquam consulatum est*. Proinde post principium tale, quo pacto tibi reliqua quoq; explicem? quemadmodũ in Armenia, Corcyrensem illum Rhetorẽ in medium adducens perorauit. Qualiterue Nisibenis, quoniã Romanis obtemperare aspernarentur, pestem induxit, Vniuersa penitus à Thucydide cõmodo sumens, excepto dumtaxat pelasgico, ac longis muris, in quibus tunc morbo infecti habitabant, in reliquis vero, vt ille ab Aethiopia luem deduxit, & quo pacto in Aegyptum ac magna ex parte in regis terras descendisset, recteq; agens ibi mansisset, ostendit. Ceterum ego illum, miseros adhuc Athenienses Nisibi sepelientem, relinquens discessi, egregie callens, quænam etiam me digresso dicturus esset. Proinde & illud quoq; per quam belle se habet, arbitrari, scriptis Thucydidis maxime simile esse, si quis immutatis nonnullis quæ illius propria sunt, referat. Parua sunt hæc, vt & tu forsitan inquies, At (per Iouem) parum abfuit, quin & illa pertransirem. Etenim idem ille scripror, varia armorum & machinarum genera, eo quo Romani appellant nomine, historiæ inscripsit, pariter & fossam pontemque, ac talia multa immiscuit. Ceterum mihi considera, quæ nam historiæ sit dignitas, maximeq; Thucydidi conueniens, si inter vocabula Attita, Italica hæc inserantur, tanquam purpuram ornantia decentia & penitus conuenientia.

Quidam vero alius ex illis, rerum gestarum commentaria colligens nuda, scriptis mandauit. Verum admodum pedestria, humiq; repentia, qualia miles gregarius quispiam quæ in diem accidunt describens, cõponere potuisset seu faber lignarius, caupove aliquis, cum exercitu circumerrans præterquam quod Idiota ille modestius egisset. Etenim ipse qualisnam esset, confestim sub initiũ ostendit. Sed quoniã vt cuipiam elegantiori magisq; idoneo historiam pertractandã relinqueret, elaborauit, solum hac in re ipsum accusauerim, q̃ nimis tumide ac tragice, præterq; rerũ gestarum fortunã, libros inscripserit, *Callimorphi Medici ex hastatorum ordine*, *historiarum Parthicarum*, numerusq; cuilibet libro superadditus erat. Et (per Iouem) procœmium quodcunq; perquã frigide composuit, ita enim colligebat. Historiæ scribendę officium maxime ad medicũ spectare, quoniã Aesculapius Apollinis esset filius. Apollo vero Musarũ ductor, ac vniuersæ eruditionis princeps. Illud quoque reprehensione dignum, q̃ cum lingua Ionica scripta sua inchoasset, nescio qua causa motus confestim penitus in commune mutauit, nam vocabula vere cõtubernalia, ac vili plebeculæ cõmunia, vsurpauit, veluti *medicinale experimentum*, *insanitas*, & reliqua id genus vt plurimum triuialia.

Quod si me viri sapientissimi quoq; mentionem facere oportet, nomen tamẽ illius latenter dissimulabo, solumq; sententias referam, ac commentaria nuper Corinthi recitata, omni spe præstantiora explicabo. Etenim confestim sub initiũ, ac in prima procœmii periodo, legentibus proposuit, sermonem perquam mirificũ ostendere intendens, qui solũ sapientẽ conscribere historiam deceret. Inde paulo post, alios super alios induxit syllogismos, penitusq; figuris omnimodis procœmium absoluit, etiam vsq; ad adulationis satietatẽ, adeo, vt laudes quoq; molestæ ac valde scurriles, sylogismo non carerent, sed ex propositionibus & conclusionibus illæ quoq; constaret. Proinde & illud perquam odiosum mihi visum fuit, ac minime viro philosopho, tanq̃ densę ac promissæ barbæ conueniens, quod in procœmio protulit, principem nostrum, præcipuum hoc consequutum esse, vt eius res gestas, philosophi quoque iam conscribere dignarentur, Tale enim, si saltem quid erat, non seipsum dicere, sed nobis considerandum relinquere oportebat. Atqui neque illius fas est obliuiscì, qui tali principio exorsus est. *Venio dicturus de Romanis & Persis*. Et paulo post: *oportebat enim Persis male euenire*. Et iterũ, *Erat Osroes*, *quẽ græci Oxyroen nominant*. Aliaq; multa talia, videsne hũc alteri similẽ esse? prętereaquã quod ille Thucydidi, hic verò recte admodũ Herodoto æquiparari põt.

Quidam alius in dicendi facultate oppido quam celebris, Thucydidi & ipse similis, vel paulo præstantior illo, ciuitates cunctas, confinia, cãpos, ac flumina, planissime (vt ipse existimabat) expressit. At hæc in capita mimicorũ, Hercules malorũ depulsor auertat, siquidẽ frigiditate Caspiacã niuẽ Celticamq; glaciem exuperabant. Porro imperatoris Clypeus, integro vix absolutus est libro, Etetrim in vmbilico Gorgon existebat, cuius oculi ex cæruleo albo ac nigrõ mixti erant, Zona vero iri color, Draconesq; dependuli cęsaries ac cincinni erant, Fæminale vero Vologesi, & equi frenũ (proh Hercules) ex quot verborũ myriadib. vnũquodq; illorum constabat, qualisq; coma Osroi Tigridem transnatanti inerat, ac in quale anrtum perfugit hedera, mirto ac lauro tectum. Quæ ideo simul coaluerant, vt sua opacitate vbertim illud inumbrarent. Age considera, quam historiæ hæc sin-

sint necessaria, quemadmodumq; sine illis, quæ illic gesta sunt, noscere minime potuissemus, Cete-
rum tales, ob imbecillitatem vtilium, vel ignorantiam dicendorum ad huiusmodi regionum & an-
trorum descriptiones se conferunt, ac quotiescunq; in res fusas & arduas incidunt, similes esse vi-
dentur seruo, recens ex hereditate domini locupletato, qui, neq; quo pacto vestem herilé induere,
neq; qua lege cœnare oporteat, nouerit, sed appositis gallinaceis, aprugnis & leporinis carnibus, fæ-
pius fabis ac sordidissimis quibusq; cibariis ita se ingurgitat, vt vorando tantum non disrumpatur.
Ille igitur scriptor, de quo dixi, vulnera admodum incredenda, mortisque genera noua descripsit.
Quemadmodum quidam in digito pedis magno vulnere accepto, confestim occubuerit, & quod
Prisco exercitus ductore tantum inclamante, decem & octo ex hostibus animam efflauerint. Quid
quod cæsorum quoq; numero, idq; præter scripta in principum epistolis contenta, mentitus est?
Ait enim, in pugna iuxta Europum commissa hostium Myriades septem & triginta sexque supra du-
centos cecidisse, Romanorum vero duos tantum desideratos, ac nouem vulneratos esse. Hæc haud
scio, an quis mentis compos tolerare valeat. Atqui nec illud, tanquam parui momenti prætereun-
dum est, Nam vt plane Atticus voceq; defæcata ad amussim vsus esse videretur, Ita Romanorum
nomina fingere ac in Græcam conuertere linguam dignum duxit, vt Saturninum, *Kronum*; Phron-
tonem vero *phrontim*; Ticianum quoque *Titanium* appellare ausus sit, nec non alia quoq; his longe
magis ridicula, insuper ille idem, cum de Seueriani obitu scriberet, cunctos reliquos deceptos fuisse
affirmauit, existimantes, ferro illum sibi necem conscisse, quandoquidem media potius è vita mi-
grasset, mors etenim illa leuissima sibi visa est, sed ignorans cladem illam infra triduum (vt arbitror)
acceptam fuisse, eos vero qui cibo abstinent, vt plurimum in septimum durare diem, nisi quispiam
Ostroem expectantem permanisse suspicetur, quoad Seuerianus fame periret, ideoq; per septem die-
rum spatium exercitum non admonuisse.

Porro, eos qui poeticis in historia vtuntur verbis, quonam loco, formosc. Philon, quis constituet
dicentes *conquassata est machina, murusq; boando delapsus est.* Ac iterum in alia parte historiæ venu-
stè *Edessa equidem vndiq; armis circumstrepebant, & fragor erat, clangoreque cuncta reboabant, ac*
dux quanam parte potissimum exercitum admoueret, deliberabundus mente versabat. Interim tamen
vilia vocabula plebeia, & ieuina multa vndique inculcata inuenies, veluti, *scripsit capitaneus domino*
&; *soldati comparabant indigentia*, &, *iam balneati siebant ad eos*, taliaque id genus, ita vt res Tra-
gœdo vno pede socco excelso ingredienti, altero vero Sandalio induto, admodum similis esse vi-
deatur.

Atqui & alios cernere est, procœmia splendida tragicaque ac mirum in modum prolixa conscri-
bentes, ita vt in spem euadas, penitus admiranda de hinc te auditurum, ceterum corpus ipsum,
quantum ad historiam pertinet, pusillum ac ingenerosum introducentes, adeo, vt admodum simile
sit Pusioni (sicubi amorem ludentem vidisti) larua per quam maxima seu Herculis, seu Titani per-
sonato. Confestim igitur audientes ipsis acclamant, *parturiunt montes*, Verum haud ita, sed vt co-
loria ac similia cuncta sint, conuenit, capitique reliquum congruat corpus, ne ex auro sit cassis,
thorax vero ridiculus admodum ex centone quopiam seu pelle marcida consutus, ac scutum sali-
gnum, circaque tibias porcinum. Cernis siquidem lepidos illos scriptores, Nam corpori caput R ho-
diorum Colossi imponere, Alios vero contra, capite carentia introducere corpora, confestimque
absque procœmio à rebus ipsis ordiri, Xenophontem scilicet imitantes, ita incipientem: *Darius ex*
Paryssatide filij nati sunt duo, Nec non priscos illos historicos ignorantes, proœmium vim quandam
continere multos latentem, quemadmodum in aliis ostendemus commentariis.

Ceterum hæc omnium toleranda essent, vtpote, quæ eloquutionis, seu reliquæ disputationis
sunt vicia. Verum de locis ipsis mentiri, nec solum in parasangis, sed & integris dierum curribus de-
cipi, cui nam honesto simile existit? Siquidem illorum quidam, adeo socorde res gestas colligit, vt
ne Syrum aliquem sciscitatus fuerit, neque (vt dici solet) eos qui in tonstrino de talibus fabulan-
tur audiuerit, sed de Europo Syriæ vrbe referens, ita dixerit; *sita vero est Europus in Mesopotamia, ab*
Euphrate duorum dierum itinere distans, eaque Edessenorum est colonia, Neq; eo contentus, sed & pa-
triam meam Samosatam, in eodem libro, generosus ille attollens, cum arce pariter & muris, in
Mesopotamiam vsq; transportauit, ita vt ambobus illam intercluderet fluminibus, vtrinque defiu-
endo præterlabentibus, ac tantum non muros alluentibus. Proinde nonne hoc risu dignum fo-
ret, si me nunc, ò Philon, coram te excusarem, qui neque ex Parthia neque ex Mesopotamia oriun-
dus essem, quo me admirandus ille scriptor relegauit. Atqui & hoc (per Iouem) admodum veri si-
mile, quod ille idem de Seueriano iureiurando affirmat, idque se à quodam, qui ex ea pugna effuge-
rat, audiuisse refert, neque ense illum, nec veneni haustu, aut laquei nexu decedere voluisse, sed
mortem quandam tragicam, inauditæque non nouæ audaciæ excogitasse. Forte enim fortuna,
prægrandia illum ex vitro limpidissimo habuisse pocula, postquam vero omnino mori decreuisset,
Scyphum fregisse maximum, illiusque fragmento ad cædem vsum, eoque vitro guttur sibi incidisse,
Ita neque gladiolum nec lanceolam repperit, vt virilis & heroicus sibi obitus contingeret. Inde
postquam Thucydides primos illos, in bello cæsos, funebri quadam laudat oratione. Ipse quoque

Seueria-

Seuerianum simili exornandum esse existimauit. Siquidem ipsis omnibus cum Thucydide certamẽ est, quamuis exceptæ in Armenia cladis penitus culpa illo careat. Igitur Seuerianũ magnifice sepeliens Aphranium quendam Silonem centurionem contra tumulum statuit. Periclis scilicet æmulum, qui concionando tot ac talia de ipso perorauit, vt (sic me gratiæ adiuuent,) præ nimio risu, vehemẽter lacrymari coactus fuerim, maxime cum rhetor Aphranius, in orationis fine lacrymans cum eiulatione, ac tam acerbe affectus, sumptuosas illas ac lautas cõmemorat cœnas, ac pollicationes. Inde vero Aiacem quendã auexit exitũ. Etenim ensem admodũ generose, & vt maxime Aphranium decebat, distringens, in omniũ oculis se ipsum supra tumulũ iugulauit, haud indignus (per ora diuũ) longe maturiore perire morte, quoniam talia rhetorisaret. Addit & præsentes cunctos hæc vidisse, summisq; laudib. Aphraniũ extulisse. Ego siquidẽ, etsi in aliis ipsum damno, tantũ non iuris & ollarũ mentionẽ facientem, placentarumq; recordatione illacrymantem, potissimum tamen in hoc reprehendo, quod scriptorẽ & fabulæ autorẽ, non prius iugulauerit, sicque ipse deinde occubuerit.

Multos alios, Amice, his similes tibi enumerare possem, veruntamen paucorũ facta mẽtione, ad alterũ promissum iam transibo, consiliũ scilicet, quo pacto quis venustius historiã cõscribere valeat. Etenim cernere est aliquos, qui facta aliqua ardua & memoratu digna ꝓtermittunt, seu transcurrũt, ob ruditatẽ vero ac imperitiã, nec non ignorantiã eorũ quæ dicenda, seu tacenda sunt, minutissima admodũ diffuse & anxie memorãdo exponunt, perinde ac si quis vniuersã Iouis olympiaci pulchritudinẽ, talẽ ac tantã, non respiciat, neq; laudet, nec ignorantib. enarretiat scabelli affabrũ & politum artificiũ, calceiq; cõpositionẽ concinnã admiretur, hæcq; perquã maxima enarret diligentia. Audiui siquidẽ quendã, pugnã iuxta Europũ cõmissam, ne septẽ quidẽ verbis integris percurrisse, viginti veto aquæ mensuras, seu paulo plus, in frigidã & nihil ad nos attinentẽ consumpsisse narrationẽ. Quẽ admodũ Maurꝰ quidã eques, nomine Mausakas, præ siti vagabũdus, per mõtes repperit Syros quosdãrusticos, prãdium apponentes, & qui sub initiũ illi hominẽ timuerint, inde certiores facti, ex amicis esse, eum hospitaliter susceperint, ac ad prãdium inuitauerint. Forte fortuna n. ex illis quendã ad Maurorum regionem quãdoq; profectum esse, fratre eadem in terra militante. Dehinc fabulæ ac narrationes longæ, quo pacto in Maurusia venatus fuisset, & ꝙ elephantes multos simul pascentes vidisset, quo pacto ab leone propemodũ deuoratus fuisset, & quã magnos pisces in Cæsaria emisset: Admirabilisq; scriptor, tãtas in Europo cędes perpetratas relinquens, incursiones quoq; ad inducias coactas, nec nõ excubias, mutuasq; excubias ad vesperũ vsq; profundũ absistit, cernẽs Malchionatũ Syrũ, in Cæsaria Scaros prægrandes vili pretio emptitantẽ. Qui si nocte præuentus non fuisset, forsitã iã Scaris coctis, cũ illo cœnasset, si Mausacas Maurus Sitione potũ haud inuenisset, sed incœnatus ad exercitũ reuertisset, tametsi alia longe magis necessaria nunc prętermitto. Quẽ admodũ tibicina ex proximo pago ad illos venerit, & quo pacto munera inuicẽ dederint. Maurus quidẽ Malchioni lanceã, ille vero Mausacæ fabulam, necnon alia eiusmodi multa, quæ in prælio iuxta Europũ acciderunt. Atqui hæc præcipua sunt capita. Idcirco merito quispiã dixerit. Tales quidem rosas cernere minime, spinas vero radici contiguas, diligenter contemplari.

Alius quidam, chare Philon, admodum quoq; & ille ridiculus, cum nunquã ex Corintho alterum pedem extulisset, neq; Cenchreas vsq; profectꝰ fuisset, Syriam seu Armeniã minime vidisset ita exortus est (memini etenim:) *Oculis aures incertiores, nunc itaq; scribere aggredior, quæ vidi, non quæ audiui.* Adeoq; diligenter omnia inspexit, vt dracones Parthorũ (est vero hoc multitudinis apud eos signũ. Draco etenim mille, vt arbitror, cõplectitur) Dracones viuos prægrãdes esse dixerit in Persia, parumper super Hiberiam genitos, Parthos vero illos in contis magnis ligatos, alte suspendere, vt à longe ingruentibus timorem incutiant. At in ipso opere, cum iam in pugnam descenderent, Dracones solutos, in hostes immittere, quinetiam multos ex nostris ita deuoratos, alios vero spiris constrictos, suffocatos, & extinctos esse. Et hic ipse præsens conspexit, securus tamen, nam ab arbore emicenti cuncta speculabatur, & sapienter quidem egit, qui cominus cum belua congressus non est. Siquidem scriptorem illum admirandum nunc haberemus minime, qui in bello isto, opera tam magna & insignia manu propria peregit. Etenim periclitatus est vehementer, ac insuper circa sutã vulneratus, scilicet cũ à Cranio Lernã versus ire pergerer. Et hæc Corinthiis audientib. legebat certissime scientibus, illum neq; in pariete depictũ vidisse bellũ. Quid ꝙ nec armorum genera, nec machinas quales esset cognoscebat, neq; acierum vel agminũ nõia recte tenebat. Maxima igitur adhibita cura obliquã appellat aciẽ, q̃ erat recta, pariterq; ꝓ cornu dixit exercitũ ducere, id ꝙ est in fronte diripere.

Alius quidam optimus, ab initio vsq; ad finem, vix quingentis integris complectẽs verbis, quæ in Armenia, Syria, Mesopotamia, iuxta Tigrim, in Media gesta sũt, cõscripsit, & quãuis ita fecerit, historiam tamen se texere inquit, inscriptionemq; ipso ferme libro prolixiorem fecit, *Antiochani in sacro Apollonis certamine victoris* (forsitan enim vt arbitror pueros in Armenia & Mesopotamia cura tendo non scribendo superauerat) *eorum quæ à Romanis in Media iam gesta sunt explicatio.*

Quid quod futura quendam conscribere audiui, Vologesi scilicet captiuitatem, ac Osroi interitũ, quemadmodum leoni obiceretur, & super omnia desideratissimum nobis triumphum, ita spiritu perquam fatidico instinctus, ad historiæ festinauit exitũ, Quin etiam vrbem in Mesopotamia iam condidit, magnitudine maximam pulchritudineque pulcherrimam, Præterea deliberat ac consulit,

nun-

nunquid a victoria Nicæa sit appellanda,an Concordia siue Pacifica,idq; adhucsub iudice pendet, nomine vero pulchra illa ciuitas nobis caret , nugis variis , historicoque mucore plena ac referta. Porro quæ apud Indos de hinc gerentur,Oceaniq; nauigationem se iam scripturum pollicetur, nec promissiones hæc solum, sed iam procœmium Indiæ compositum est historiæ , legioq; tertia,ac Celte, Maurorumque manus haud contemnenda,hi omnes Indum fluuium vna cum Cassio traiecere, Quid vero acturi sint , quoue pacto Elephantorum excipient imperum paulo post mirabilis scriptor,à Mucuride seu Oxidracis nos certiores reddet. Talia multa ob eruditionis inopiam nugantur,& quæ aspectu digna sunt minime cernunt,neque si viderent,pro dignitate eloqui possunt. Ceterum comminiscentes & fingentes, quidquid ad importunam (vt aiunt) linguam venerit, effutiunt.

Quid quod librorum gloriantur numero,præcipue vero inscriptionum superbiunt titulis, Nam & illi admodum sunt ridiculi,videlicet, *Parthicarum historiarum liber venustissimus talis*; & iterum, *Parthidos primus,secundus*,perinde ac si Atthidos diceret. Alius quidam longe vrbanius,legi etenim *Demetrij Sagalescensis Parthonicica*, non ridendi gratia,seu vt tam lepidam reprehenderem Historiam, sed potius vtilitatis causa,scilicet, vt quicunque hæc & similia declinaret , is magnam partem recte scribendi sibi vendicasse cognosceret , imò se paucis adhuc indigere sciret.si saltim verum est Dialecticorum illud,immediatorum vnius sublatio,alterius penitus est introductio.

Sed dixerit quispiam,exacte area expurgata est,ac spinæ quotquot erant euulsæ,vepresque extirpatæ sunt,nec non aliorum rudera iam eiecta,etsi quid asserum fuit hoc plane leuigatum est, ita vt iam superædificare, ac non solum in alienis euertendis generosum teipsum ostendere oporteat,sed & quippiam excogitare idoneũ , quod nemo, quod Momus ipse carpere possit. Assero igitur necesse esse,vt quicunque historiam quamoptime conscribere aggreditur , hæc duo potissimum secum tanquam peculiaria afferat,prudentiam scilicet ciuilem dicendique facultatem, Atqui peritia nullo pacto addisci potest , vtpote , quæ naturæ tantum munus existat. Eloquendi vero virtus, exercitatione multa,labore assiduo,veterumque imitatione acquiri solet. Ceterum sunt hæc citra artificium,neque me consultore indigent. Etenim reddere ingeniosos,ac præter naturam industrios,hic noster libellus promittit minime,Siquidem multo pretio, imo potius vniuerso dignus esset si transformare,tanquum decora tribuere posset, etenim esset hoc plumbum in aurum , seu stannum mutare in argentum,ex Cononeue Titormon,siue ex Leotrophide reddere Milonem.Quandoquidem artificii ac consilii vtilitas,minime ad fabricam eorum quæ componuntur,sed potius ad commodum illorum vsum spectare deprehenditur , Perinde ac si Iccus, vel Herodizes,seu Theon, siue alius quispiam exercendi magister , tibi polliceatur , si Perdicas ei in custodiam traditus fuerit. Etsi nouercæ suæ sit amator,ideoque macie confectus, (non Antiochum Seleuci filium Sartonitem parem ipsum redditurum. Ceterum si materia tradita , ad gymnastices pereptionem habilis erit,longe præstantior,cum arte comparebit. Absit igitur à nobis tam odiosa promissio , vt artem, rem adeo difficilem & arduam,præstare posse affirmemus,Non enim quemlibet suspicientes,hunc illico historicum nos reddituros asserrimus,sed industria naturali prædito , & egregie in dicendi facultate exercitato,vias quasdam rectas ostensuros nos pollicemur. Quibus si vsus fuerit (dummodo talis extiterit) citius & facilius ad metam vsque pertingere valeat,Atqui ne censeas, ingeniosum arte & disciplina in iis quæ ignorat,haud indigere, Alioquin & si quis Cithara pulsare,sentibus modulari non didicisset,cuncta tamen recte noscitaret , sed quoniam haud didicit, nil horum callet, cum vero illi quispiam præmonstrauerit , facile percipiet,& à se ipso recte dein pertractabit. Nunc itaque talis nobis tradatur discipulus quispiam , intelligendo ac dicendo non ingenerosus,sed perspicax,& qui rebus sibi demandatis recte vti noscat , cui magnanimitas militaris,sed ciuilitati coniuncta,nec non imperandi peritia,contigerit,Et (per Iouem) qui aliquando in castris quoque fuerit,militesque se exercitantes,ac in ordines explicatos viderit,arma & machinas nouerit, ac quid in cornibus,quidve in fronte prouidendum sit,calleat, quo pacto agmina , quemadmodum vnde equites educendi,circumducendique sint,Et penitus haud ex illis existat , qui nunquam è domo pedem protulerit , & qui non temere nunciantibus fidem adhibeat,maxime vero præ cunctis animi sit liberi, neminẽ timeat,nihil speret: alioquin prauis similis erit iudicibus, qui seu in gratiam , siue in odium sub mercede iudicant, Atqui nec curæ sit illi,neque Philippus ab Astero Amphipolitano sagittario in Olinthi obsidione exoculatus,sed talis qualis erat ostendatur; neque Alexander tillabitur,si Cliti cædes in conuiuio crudeliter perpetrata manifeste describatur: Nec Cleonem ipsum timebit,quãuis magnopere in concionib. sit potẽs,suggestũq; obtineat, quo minus dicat,pernicium ac furiosum hominem illum fuisse: Neque vniuersa Athenienſium respubl. ægre feret , si clades in Sicilia accepta,Demosthenis captiuitas,ac Niciæ obitus narretur,quemadmodum que sit affecti extiterint,qualem aquam biberint,quo pactoque multi in potu deprehensi, cæsi fuerint. Ipse etenim (quod & iustissimum est) à nemine,qui mentis est compos,esse in culpa existimabitur,si infœliciter aut stulte acta,vt gesta sunt,explicabit. Non enim factor,sed rerum illarum erit commemorator.

moratur. Ideo nec ille cum nauali decertabunt prælio, eos submerget, nec si in fugam vertentur, persequetur, nisi vt indecorum subsequatur optare velit, Quandoquidem si tacendo aduersa, vel contrarium scribendo, res male gestas corrigere liceret, facile Thucydides quoque, vno prætenui calamo, murum apud Epipolas euertere, Hermocractis triemem submergere, detestandumque illum Gilippum vias intermunientem ac circumuallantem, transfigere valuisset, & tandem Syracusanos in Lythotomias coniicere, Athenienses vero, cum pristina Alciabiadis spe victoriæ, Siciliam & Italiam circumnauigantes fingere potuisset. Ceterum, vt arbitror, neq; Clotho res gestas obliterabit, neque Atropos inuertet, Idcirco vnum ac præcipuum scriptoris est opus, vt quemadmodum cuncta acta sint, ita fideliter ea enarret, istud vero præstare minime poterit, quamdiu Xerxis sit medicus, illumque reuereatur, vel speret vestem purpuream, seu torquem aureum, aut equum Nisæum, laudis in historia descriptæ mercedem se accepturum, Atqui non ita faciet Xenophon, scriptor iustus, neq; Thucydides, qui etsi nonnullos priuatim oderat, longe tamen honestius duxit, veritatem vtilitatemq; publicam, inimicitiis anteferre priuatis, Itidem si quempiam amat, non tamen erranti parci, Nam (vt dicebam) vnum hoc historiæ conuenit, vt qui illum scribere aggreditur, soli sacrificet veritati, reliqua vero cuncta negligat. Et insuper penitus cubitus vnus, ac mensura diligens, vt quis non solum ad illos qui nunc audiunt, sed ad eos quoque, qui scripta in posterum manibus versauti sunt, respiciat. Quod si quis tempori præsenti tandummodo obsequi conatur, adulatoriæ est se factionis merito reputabitur, quos historia pridem confestimque sub initium aduersata est, haud secus, ac comandi artem gymnastica. Proinde Alexandri dictum illud celebrant, *Quam cuperem Oneseratem*, inquit, *cum defunctus essem ad modicum tempus reuiuiscere, vt cognoscerem, quo animo scripta hæc posteri lecturi essent, minime enim mireris, si nunc illa laudant & amplectuntur. Etenim haud minuta quadam inescatione ista vnusquisque benenolentiam nostram expiscaturum se sperat.* Idcirco Homero nonnulli, etsi fabulose multa de Achille retulerit, fidem tamen adhibere solent, hoc vno ad veritatis demonstrationem vtentes argumento, qui non de viuo, sed iam vita functo scripserit, haud enim cuius rei gratia mentiri debuisset inueniunt. Talis igitur mihi scriptor existat, intrepidus, incorruptus, ingenuus, liberæ linguæ ac veritatis amicus, quique (vt Comicus inquit) ficus, ficus; scapham vero scapham nominet, non luori, non amicitiæ indulgeat, nemini parcat, nullius ducatur misericordia, nullo corripiatur pudore, non animo flectatur, iustus sit iudex, omnibus benenolus, vsq; adeo, vt ne quid alteri plus iusto tribuat, peregrinus in libris, sine ciuitate, suis viuens legibus, rege carens, haud considerans, an illud seu aliud conueniat, sed quid factum sit enarret. Admodum igitur recte Thucydides sanciuit, virtutemq; historicam ac vitium secreuit, cum vidisset ingenti esse admirationi Herodotum adeo, vt libri eius Musarum nominibus appellari meruerint, quos supellectilem potius esse dicit ad perpetuam scribendi normam, quam in præsens certamen, nec fabulositatem amplecti, sed veritatem rerum gestarum posteris relinquere decere asserit, vtilitatisq; rationem assignat, quam prudens quisque finem esse historiæ censere debet, scilicet, si quando iterum similia accidant, *vt homines* (inquit) *ad præscripta respicere, sicq; rebus publicis bene vti valeant.* Igitur qui mentem talem sortitus sit, mihi scriptor obtingat.

Quantum vero ad stilum, vimq; pertinet elocutionis, haud vehementi illa & aspera, nec non periodis frequenti, argumentationibusq; cõtorta, reliquaue Rhetoricæ acrimonia, nimis argute scripta, sua inchoet, sed sedatius incedat. Sententiæ vero sint ordinatæ, densæ, & sibi instantes. At dictio sit aperta & ciuilis, & quæ insigniter materiam propositam ostendere valeat. Quemadmodum enim loquendi libertatem ac veritatem scriptoris menti scopum constituimus, ita & eloquutioni ipsius, vnus ac potissimus est scopus, aperte demonstrare, ac dilucide res gestas enarrare, non verbis abstrusis, exorbitantibusve, neque plebeis illis ac cauponariis, sed vt multi intelligant, eruditi vero laudent. Oratio præterea figuris ornetur non molestis, maxime vero in affectaris ac minime ambitiosis. Alioqui iuri opipare nimis condito similis reddetur sermo: Sententiæ vero ad magnificam illam poeticam & elatam accedant grauitatem, de qua obiter participent, præcipue cum ordinib. structis, infesto marte, naualiue confligitur certamine. Opus enim tũc erit poetico aliquo vento, qui classem secundo impellat flatu, quiq; in altũ, summasq; per vndas naues peruehat. At stylus interim per terrã incedat, verumtamen sublimitati ac venustati rerũ enarrandarũ adaptando se extoliat, & quod fieri poterit, assimilet, non peregrinabundus, neq; in tempestiue debacchabundus. Prælicenter etenim euagari, & in poeticum furorem præcipitari, periculum est maximum. Idcirco præcipue sunt tum habenæ moderandæ, ac cohibendæ, cum haud obscurum sit, ex insolentia nimia, morbum non exiguum generari. Longe igitur satius erit, vt cum mens æquo vehatur, eloquutio pedestris, apprehensa sella, ne ab impetu derelinquatur vehementia, cursu subsequatur. Atqui verborum structura vtendum est media & temperata, non nimis remota & circumducta, Asperum etenim, neque numeris ferme (vt à multis fit) copulatas: hoc namque culpabile est, illud vero audientibus insuaue. Ceterum res ipsæ non sunt, vt fors tulit, componendæ, sed laboriose & anxie eadem sæpius recensere oportet, & maxime quidem præsentem & introspicientem: sin minus, saltim eos imitari, qui fideliter res gestas enarrant, quosve suspicare quis valeat, quam minime vel ad gratiam, vel ad odium addere, vel demere. Inde etenim coniectura initium sumet, veri-

verisimiliora scriptorem illum composuisse. Postquam vero cuncta seu plurima collecta fuerint, primo ex eis commentaria quædam contexat, ac in corpus rude & informe redigat, Deinde ordinem adhibeat, cultum inserat, stilum ornet, aptet & concinnet, penitusque tum Homerico similis sit Ioui, iam Tracum equestrium terram spectanti, iam vero Mysorum pariter & ipse quæ sunt Romanorum seperatim inspiciat, nobisque significet, qualia videantur sibi ab excelso contemplanti. Dehinc Persarum quoq; inde vtramque consideret partem, num manus sint consecturi, cumque acies iam instruuntur non ad partem vnam respiciat, neque equitem vnum seu peditem, nisi Braidas quis prosiliat seu Demosthenes munitiones incidat. Primum duces intueatur, & si quid præceperint, num milites audierint, quomodo, qua ratione quoue consilio illos collocarit, ex ordine referat, postquam vero congressi fuerint, commune sit spectaculum, & quæ geruntur tanquam in liberatum expendat, vnaque persequatur, & vna fugiat, hisq; omnibus mensura adhibeatur, haud ad satietatem tamen, nec insolenter, neque iuueniliter, sed facile cuncta absoluat, sistens illic vbi hæc, ad illa (si res vrget) transeat, inde reuertatur, solutus, cum illa vocauerint, ad omniaque festinet, & quantum possibile erit vno ac eodem tempore singula pertractet, ab Armeniaq; in Mediam transuolet, inde eodem impetu in Hiberiam pergat, postea in Italiam, ita vt nullum tempus intermittat. Maxime vero speculo illini, lucido, & exacto centro, silenem repræsentet mentem. Siquidem quales rerum imagines susceperit, tales quoque illas reddet; distortum verò seu decoloratum, alterius-ue formæ nihil, non enim Rhetorum more scribitur, sed vt exponenda sunt, ita enarrentur, iam sunt enim gesta. Sic autem ordinare & dicere ea oportet, vt non quærendum sit illis, quid dicant, sed qualiter dicant. Proinde penitus arbitrandum est, historiæ scriptorem Phidiæ seu Praxiteli, aut Alcameni, vel alii illorum cuipiam similem esse oportere. Etenim neque illi aurum, seu argentum, vel ebur, aliamue materiam faciebant, sed eam iam existentem, Elæi aut Athenienses, aut Argiui, erogantes, antea disposuerant, illi vero duntaxat formabant, & secabant ebur, inde poliebant, glutinabant, coacinnabant & flosculorum instar auro inspargebant, siquidem illud ars eorum erat, vt affabre materiam adaptarent. Tale igitur historici opus erit, vt res ornate disponat, ac pro virili eas quam euidentissime repræsentet. Cum vero auscultatur, quæ dicuntur, subinde secernere arbitretur, interimq; laudibus prosequitur, iam tum exacte laboratum est, debitamq; laudem in opere historico consequutus est Phidias.

Cumque parata sunt omnia, absque proæmio quãdoq; ordiatur, vtpote cum res, vt qui'd præmittant non admodum vrget. Eandem tamen vim habente principio vtatur, quo manifeste indicetur, quibus de rebus sit dicturus, Cum vero proæmium facit à rebus duabus tantum, non à tribus (vt rhetores facere solent) inchoet. Nam quidquid ad beneuolentiam attinet, prætermittat, audientesque tantummodo attentos seu dociles reddat. Id fiet, si ostendit, quod de rebus magnis, vel necessariis seu domesticis aut vtilibus verba sit facturus. Intellectu vero facilia, luculentaque sequentia efficiet, si causas ex ordine exposuerit, rerumq; gestarum capita commode distinxerit. Talibus vti si sunt proæmiis scriptorum, excellentissimi Herodotus quidem, ne facta temporis lapsu deleantur, cum magna sint & admiranda, victoriasque Græcorum calamitatesque ostendant Barbarorum. Thucydides vero, & ipse sperans bellum illud fore memorabilius, ac superioribus maius, quandoquidem calamitates maximæ in illud inciderint. Proæmii vero magnitudo proportione sua rebus recte conueniat, seu prolongatione, siue abbreuiatione, ab illoque ad narrationem contextilis ac ductilis sit transitio. Reliquum enim historiæ corpus, reuera nil aliud, quam perpetua est narratio. Quapropter virtutibus illustretur, propriis, leuiter ac plane procedendo, æqualiter tamen, ne promineat, neue deprimatur, De hinc manifeste dicendi exornetur elegantia, parata (vt dixi) ac rerum gestarum connexione decorata, Sic enim cuncta absoluta ac perfecta reddet.

Cumque in principio satis elaboratum fuerit, introducatur secundum, priori coherens, & catenæ instar complicatum, ne historiæ corpus truncum remaneat, neue narrationes sint quam plurimæ ac invicem confusæ, sed semper primum secundo, non solum sit, vicinum verum & coniunctum ac magnopere permixtum.

Celeritas vero olim maxime est vtilis, præcipue vero vbi inopia narrandorum impedimento non fuerit, Hanc autem non tam à vocabulis seu verbis quam à rebus ipsis sumere oportet, Dico autem si exigua ac minus necessaria transcurras, magnaque sufficienter enarres, immò vero plurima omittas, Haud enim cum amicos conuiuio acceperis, omnia quę parata fuerint, propterea in mediis bellarijs, & altilibus, totq; ollis & apris. nec nõ leporib. & suminib. Saperdã appones vel fabas etiãsi coctum fuerit, Siquidem tale quid viliora illa negliges, Maxime vero in montium, mœnium & fluminũ descriptione, temperandum est, ne insolenter vim verborũ ostentare, historiamq; prętermittendo, rem tuã agere videaris, sed vtilitatis & claritatis gratia parumper delibando tranubis, viscum in hac re, omnemque escam talem euitans, Quemadmodum & Homerum magnanimiter facere cernis, quãuis er. im poeta existat, Tantalum tamen Ixionẽ Ticyumque ac reliquos cursim prætexerit, Quod si Parthenius vel Euphorion, seu Callimachus dixisset, quotnam putas carminibus, aquam ad Tantali labia vsq; perduxisset? Dein quot Ixionem circumrotasset? Quinimo Thucydides ipse, paucis

paucis in tali dicendi genere vsus est, Considera etenim, quam subito absistat, cum machinam seu obsidionis figuram necessariam & vtilem describit, vel etiam vbi ciuitatum situm, aut Syracusano-rum portum ostendit. Atqui cum pestem enarrat, quamuis prolixus esse videatur, si tamen res exactius consideraueris, sic ipsius celeritatem cognosces. Nam à rerum gestarum copia, quamuis fugiens tantum non obruitur. Cum vero aliquando orantem quempiam introducere oportebit, præcipue personæ congruentia, reique peculiaria dicantur, ac ea quam manifestissime: Permissum est tamen aliquãdo rehetorisare, eloquentiæque vim palam ostendere, at laudes ac vituperationes admodum sint parcæ ac consideratæ, omniq; careant calumnia. Et quoniam extra forum versantur, demonstratiuæ, acceleratæ ac minime intempestiuæ existant. Quod si secus fiet, cum Theopompo merito quis culpabitur, odiose plurimos accusanti, & hac in re adeo immoranti, vt potius accusare, quam res gestas enarrare videatur.

Porro, si fabula quæpiam inciderit, exponenda quidem erit, non tamen omnino confirmanda, sed in medium ponenda, quatenus vnusquisq; de illa suopte arbitrio coniicere valeat, fides vero tua nunquam periclitabitur, sed ad neutrum inclinatior eris.

In summa huius mihi memor esto, sæpius illud idem refero, vt non solum ad præsens respiciendo scribas, quo nunc existentes te laudibus prosequantur & honorent, sed ad vniuersa æuum coniectando, ad post futuros potius elabores, ac ab illis mercedem scripturarum tuarum expostules, vt de te dici queat, vir ille ingenuus, loquendiq; libertate plenus erat, nil adulatorium neque seruile protulit, sed cunctis in rebus solam veritatem amplexus est, id si quis sapit, præsentiæ spei vniuersæ anteponet. Cernisne quid Cnidius ille Architectus fecerit, cum turrim pulcherrimam, & omnium maximam in Pharo Aegypti fabricaret, vnde per immensum Pelagi spacium, nocturna nauigantibus ostenderentur lumina, ne in Paretoniam inciderent periculosissimam (vt aiunt) ac vnde nullum pateret effugium. Construens igitur molem, elam in muri ipsius lapide, suum incidit nomen, cumq; id calce obliuisset ac abscondisset, nomen tum regnantis super inscripsit, considerans (id quod accidit) vt haud multo post literæ cum tectorio simul opere decidarent, atque appareret: *Sostratus Dexiphanis Cnidius dijs saluatoribus pronauigantibus.* Ita ille non ad seculum suum, nec vitam prospiciebat breuissimam, sed ad æternitatem, ac tempus præsens. Quamdiu enim turris illa stabit, tamdiu & ars ipsius permanebit. Taliter itaque historiam quoque cum veritate potius ad spem futuram, quam cum adulatione ad oblectationem eorum, qui nunc laudantur, conscribere oportet. Hæc tibi regula & amussis historiæ iustæ, quasi qui metiri voluerint, bene erit, ac in vsum decentem à nobis scriptum est, sin minus, dolium circumuolutum est in cranio.

EPISTOLA BILIBALDI, SVBIECTA LVCIANI
de conscrib. hist. Commentario.

REVERENDO AC LONGE PRÆSTANTI VIRO DOMINO IACOBO DE BANNISSIS, CÆSAREÆ MAIESTATIS A CONSILIIS ET SECRETIS: DECANO TRIdentino dignissimo Bilibaldus Birckheimer

S. P. D.

AB Imperiali Aula, quæ tum in Oeni celebrabatur Ponte, te insalutato, vir clarissime, abire coactus sum, quoniam illustrium Bauariæ Ducum controuersia, ob quam à Repub. nostra illuc legatus eram, iam finem sortita esset, tuque Maiestatem Cæsaream confestim ad Caprearum venationem in saltus anfios, præruptaque montium cacumina pergentem, insecutus fuisses, Domum interim regressus, Luciani Samosatensis illius falsi acomnium facetissimi commentarium de struenda historia, è græco in latinum (etsi tot negotiis onustus) verti, in quo non solum scriptorum ineptias, vt assolet, vafre perstringit, ac mordendo irridet, sed & graphice, quo pacto historia sit texenda, præter consuetudinem instruit, Illum igitur Cæsaream Maiestatem, tanquam maioris, vt nosti, moliminis præcursorem, adire iussi, addito mandato, vt te imprimis conueniret, pariterque neglectum officium meum suppleret, ac Critolai lance se expendendum, seu magis Aristarchi obelis transfigendum exhiberet, haud ignarus, me fusam illam ac vrbanam græcæ linguæ elegantiam, orationisque agmen rotundum ac modulo numerorum venustum, nequaquam repræsentasse, quis enim præstare id valeret? Vtrum vero tumultuaria & nocturna interpretatione ista, à rebusque forensibus legum studiis suffuratis lucubratiunculis, præcumoperæ fecerim, seu doctis satisfecerim auribus, ex tuo ac aliorum eruditorum pendebit iudicio. Quapropter, ne mei laboris amore, censuræ perquam emunctæ, Celeberrimum Diui Sebaldi Præpositum Melchiorem Pfinznig, conterraneum meum, Sebastianum Sperantium Præpositum Brixensem, dignissimum, Ioannem Stabium Mathematicum & Historiographum insignem, adhibeis: quos omnes honoris ac eruditionis gratia appello, vt cum tecum hæc musarum caterua, scriptis meis album adiecerit calculum, tum demum, Imperatoriam Maiestatem religiose adorandi vestra commendatione, Luciano meo licentia concedatur, Proinde qui tibi homini in rebus tam arduis occupatissimo, subcisiua hæc nugalia, subcisiuis horis examinanda offero, haud (sat scio) molesteferes, quandoquidem, cum sis eiusdem Musæ vir, studia hæc leuiora, tanquam oblectamenta quædam, haud penitus aspernari, Sed animi laxandi gratia (vt & mihi euenire solet,) ad suauia & blanda hæc ocia, potius quam negotia sæpissime diuertis, boni igitur consules, & vt tua est humanitas benigne excipies, quæ tibi iam sincero & candido affero animo, incertus plus te suspiciam, amemue. Non solum quoniam inter primores polleas aulicos; seu quod auctoritate & gratia plurimum apud Maiestatem præstes Cæsaream, Verumtamen quoniam rerum prudentia, animi probitate, eruditione singulari, vsu, & experientia, opidoquam inter cunctos excellas homines, adeo vt mater natura, non nouerca, tot virtutibus te non solum ornasse, sed potius cumulasse videatur, Veruntamen ne nil modestiæ tuæ tribuisse videar, satius fortassis erit stilo temperare, quam parum digna dete in medium proferre, Vela igitur contraham, obseruantissime ac iucundissime mi Bannissi, laudesque tuas innumeras, longe melioribus olim celebrandas, iam reseruo. Interim mei memor vale, ac Xenophontis de rebus Græcis libros septem, in latinum à me versos si saltim præ nimiis occupationibus breui recognoscere licebit, tantum non in manibus habere existima. Nurenbergæ Kal. Decembris, Anno ab humanæ salutis instauratione

M D XIIII.

HISTO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [86] - 62
PUBLIC DOMAIN

HISTORIA BELLI SVITENSIS SIVE HELVETICI

DVOBVS LIBRIS DESCRIPTA,

AVTHORE

BILIBALDO PIRCKEIMERO.

Lectori Conradus Rittershusius S. D.

Etsi hoc memorabile & geminum bellum, quod cum Heluetiorum fortissima gente duo gesserunt maximi Duces ac bellatores Carolus Burgundus & Maximilianus I. eius gener, ab aliis quoq; descriptum extat, à nemine tamen fortasse melius & copiosius, magisq; ex fide, quam à Bilibaldo, qui ipsemet posteriori interfuit, præf. Copiarum Norimbergens. Reip. tam equestrium quam pedestrium, vt tam hic, quam in Vitæ suæ Commentariolo profitetur. Operæ pretium igitur facturi videbamur, si hanc historiam Xenophontis nostri Germanici (appelletur ita sane ex merito nostro Pirckheimerus, vir cum quo illius ævi, fortassis & aliorum temporum, paucissimos Germanos conferre possis:) ex tenebris in lucem proferemus. Latuerunt hactenus duo isti libri, partim in archiuo Reip. Noricæ, partim in liturarijs bibliothecæ Pirckeimerianæ, quorum folia sic erant dispersa, vt folia Sibyllina iure dici possent. Alterum vero exemplar satis vitiosè mutilateq; descriptum erat, cui nec mures alicubi pepercerant, particulam eius abrodentes, quam non facile quisquam ex coniectura restituisset. Verum collatione eius instituta cum autoris autographo, quod in ordinem beneficio illius redegimus, egregie id reditum est, omninoq; tale tibi opus totum exhibemus, amice Lector, quale ab ipso (ne dubita) conceptum est graui mus. Quod si quis quærat ex nobis, cur non multo ante vel ipse autor vel eius heredes hæc ediderint: causam hanc esse putamus, quod autorem quidem mors præuenisse videatur antequam ederet ipse, quæ Pirckeimerano. idcirco, vt ederentur, tam diligenter descripserat: heredes vero filias tantum reliquit (fuit enim cum ipso sterpi Pirckeimeriana, olim inter patricias gentes Noricas clarissima, plane exstincta) quæ talia parum curarunt. Sed, vt dicitur, sat cito vel nunc, dummodo sat bene. Vale & fruere feliciter, cum his duobus libris, tum ceteris, quæ alias dabimus, opusculis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [87] - 63
PUBLIC DOMAIN

BELLI HELVETICI A BILIBALDO PIRCKHEIMERO DESCRIPTI

LIBER PRIMVS.

QVi Regum gentium aut populorum res gestas conscribere aggrediuntur, identidem sub initium in historiæ laude versari consueuerunt, eam temporum testem, veritatis lumen, memoriæ conseruationem, magistram vitæ, vetustatis nuntiam esse contendentes, cuius ope egregia hominum facta à temporis vindicentur iniuria, planeque immortalitati commendentur. Mihi vero haud quaquam ita præfari licet, sed cogor potius de Germanicæ gentis infortunio, aut etiam calamitate conqueri, quod tam paucos, seu vt rectius dicam, nullos sortita sit scriptores, qui ingentia illius & celeberrima facta, memoriæ, vt decuisset, mandassent, *cum omnes res gestæ tanta habeantur, quantum ea verbis* (vt ille ait:) *præclara potuere extollere ingenia.* Quapropter vetustissimorum illorum Germanorum, Francorum, Sueuorum, Gothorum, Alanorum, Vandalorum, Herulorum, Longobardorum, ac reliquarum gentium infinitarum facta clarissima & admiranda, aut minus digne & fideliter, sed & maligne ab exteris tradita sunt scriptoribus, aut magna ex parte sempiterna obliuione sepulta iacent, tametsi ruptis vndique limitibus Romanos rerum dominos deuicerint, caput mundi Romani ipsam ac totam fere Europam ditioni suæ subiecerint, vt interim sileatur, quid in Asia, quid in Aphrica à Germanicæ stirpis hominibus gestum sit. Ceterum vt prisca illa & obsoleta fere omittantur, ætatique donentur rudiori, iusta tamen reprehensione non caret, quod nemo Germanus præter vnum aut alterum hucusque repertus sit, qui vel sui temporis gesta conscribere sit aggressus, cum interim tamen non parum multi fuerint, qui omnium gentium, & à mundi quidem exordio, facta connectere, & ab aliis accepta pro suis edere sunt ausi; non quod illis materia defuerit, cum vix vnquam Germania sine bellis aut quieta extiterit, sed quia non erat, vnde decerpere, & alienis perfrui laboribus possent. Hinc euenit, vt scriptores exteri, quoties Gentilibus suis, cum Germanis, res aut dissidium intercesserit, vbique illos superiores confinxerint, aut nostræ gentis odio partos triumphos, factaque splendidissima ita extenuarint, vt multoties ex fortissimis segnes, ex insequentibus fugientes, ex victoribus vero plane deuictos, fingere sint ausi. Nam ita comparatum esse videmus, vt quisque magis ad suæ gentis laudem quam alienæ procliuis existat, licet nihil magis historiam deceat, aut illam exornet, quam veritas, qua neglecta, confestim in fabulas & anilia exit deliria.

Qua propter operæ præcium me facturum putaui, si bellum quod Helueticum vocant, litteris mandarem, ne illud quoque quemadmodum & reliqua ex hominum laberetur memoria, cum maximum extiterit, & funestissimum ex omnibus, quæ in nostram aut patrum inciderint memoriam, non solum bellico apparatu ac copiarum numero, sed & præliorum atrocitate, cladiumque multitudine: siquidem non toto exacto anno sæpius collatis pugnatum est signis: vt interim tumultuaria ac leuia obmittantur prælia, quibus non pauciores, quam iusta cecidere acie. Etenim ambæ partes egregie viribus pollebant, & opibus magnisque vtrinque nitebantur auxiliis. Accedebat his animorum obstinatio ac militaris ferocia, quæ non tam bellicæ laudis gloria, quam mutuo decertabat odio: Heluetiis summopere annitentibus, ne proprium ac maiorum decus, tam multis partum belli amitterent. Cæsarianis vero, ne illis animo & manu deteriores esse viderentur. Conscribam autem non solum ea, quę aliorum relatu aut fama tantum percepi, sed etiam quæ coram vidi & aspexi, cum in hoc bello non paruis copiis, tam equestribus quam pedestribus præfuerim ac imperauerim, proinde non tam verborum elegantiæ, quam veritati studere conabor, quo non plus necessitudini partium quam hostium virtuti tribuisse videar, quantumque potero veriſſime cuncta omni affectu animi depulso enarrare conabor.

Verum enim vero priusquam huius belli series explicetur, Heluetiorum originem & res gestas altius repetendas esse censui, vetustioribus ac quæ fabulis similiora sunt neglectis, quo percipi possit, quibus initiis ad tantam euaserint potentiam, vt cunctis vicinis suis formidabiles fuerint, ac Cæsari ipsi repugnare sint ausi, his deinde belli huius causas, semina, ac originem adnectam, sicque demum ad reliquam historiæ procedam explicationem.

Suitenses igitur (quo nomine omnes fere censentur confœderati) se à Suetia Balthici maris peninsula oriundos autumant. Illinc enim maiores suos populariter olim egressos, ac in eam quā nunc habitāt regionem cōmigrasse perhibent. Ceterum quantū opinio hæc veritati astipuletur, ipsi viderant. Constat enim, eos classe ad terrā hanc aduehi nequaquā potuisse, cū longe sit à mari remota, pedibus vero quis tm periculi ac itineris subiret, ac per tot horridas & bellicosas nationes incederet, vt demū in terra tam sterili, ac cœlo aspero consideret, nemo n. ideo natale solū relinquere assueuit, vt deteriorē occupet terrā, sed vt ab informi & cultu tristi ad pinguiorē fœlicioremq; cōmigret. Atqui Suetti-

Suericus ageret, quamuis admodum septem appropinquet trionibus, vbertate tamen glebæ, longe sterilia Suitensium rura exuperat, præcipuæ ea quæ Alpibus adiacent, ac perpetuo ferme rigent frigore: Reliqui verò confœderati partim se ab Hunnis & Attilæ exercitu, partim à Gottis, qui Galliam olim occuparunt, descendisse contendunt. Verum vndecumque originem traxerint, satis constat, magnam regionis illius partem Zeringiæ quondam Ducibus paruisse: ac post illorum interitum diu inter comites & eius loci nobiles hinc inde distractam, tandem in Habspurgensium Comitum (qui postea Austriæ Ducatum consequuti sunt) potestatem concessisse. Ceterum cum subditi grauissimis tributorum premerentur oneribus, intolerandisque præfectorum grauarentur iniuriis, Suitenses primum, deinde Vrienses & Vnderwaldenses, excusso iugo in libertatem se vindicare cœperunt, præfectos ac nobiles, qui in manus eorum inciderunt, trucidarunt: reliquos omnes destructis munitionibus & arcibus expulerunt. Hunc motum ipsi longa explicant serie. Nobis autem satis erit ostendere, quibusnam initiis ad hanc, qua nunc pollent, creuerint potentiam. Electis præfectis ac nobilibus omnes quorum vxoribus aut liberis vis illata fuerat, quiue insigni aliqua affecti erant contumelia, Suitensibus se iunxere, arbitrantes tempus aduenisse, quo & ipsi acceptas vlcisci possent iniurias, breuique ita eorum creuit numerus, ac in immensum auctus est, vt principibus quoque formidabilis esse inciperet.

Leupoldus igitur Habspurgensis Comes, & qui tum Austriæ Dux erat, motum tam formidandum, priusquam latius serperet, compescendum censens, ingenti collecto exercitu Suitensium fines inuasit. Straspergensis quoq; comes ex alia parte non minoribus copiis Vnderwaldenses aggressus est, vt distractis hostium viribus, facilius victoriæ compotes euadere possent. Sed ambo eodem die victi, ac multis ex suis amissis in fugam coniecti sunt. Ferunt, cum Dux de inuadendo hoste consuluisset, fatuum quendam tum præsentem, qui ob animi simplicitatem principi in delitiis erat, effuso cachinno risisse, cumque risus causa ab eo perquireretur, respondisse: Et cur non riderem, cum vos omnes de intrando tantum deliberare audio; neminem vero cogitare, vbinam ingruente necessitate sit exeundum. Quæ vox, vt fieri solet, cum risu tum excepta est: clade vero accepta in omen conuersa. Suitenses enim hostibus ingressis nihil prius habuere, quam montiũ occupare angustias, quas illi ob contemptum incustoditas reliquerant. Itaque in reditu potissimum clades est accepta. Incidit pugna illa in Annum Salutis M. C C C. XV.

Post eam victoriam Suitenses, Vrienses, & Vnderwaldenses fœdus nouum pepigere, iisque paulo post iuncti sunt Lucernenses, Turegenses, & Zugenses; demum vero & Bernenses, qui & eam ob causam Principes & Nobiles habuere intensissimos, quorum receptatores essent Friburgenses. Sane etsi illi maximis experti erant incommodis, nihil violentum durare posse: ne tamen à pristinis suis degenerarent moribus, Bernensibus indixere bellum. Illi vero, cum nec pretio nec precibus pacem impetrare possent, nullumq; nec iuris nec æquitatis locum esse cernerent; Suitensium, Vriensium & Vnderwaldensium imploratum auxilium, qui nihil cunctantes impigre illis suppetias ferunt. Obsederant interim principes ac nobiles ingenti exercitu oppidum Laupheim ditionis Bernensium, quod & acriter vrgebant: sed non minori virtute à Bernensi præsidio defensum est. Bernenses igitur iunctis Suitensium copiis & nobilium quorundam, paucorum tamen equitibus, recta ad hostes tendunt, quamuis longe viribus inferiores essent. Nam in castris hostilibus præter equitatum ingentem vltra triginta millia peditum militabant, quorum Duces erant, Comites de Kyburg, de Fallendis, de Neuburg, Barones de Furstemberg, Nidau, & plures alii, cum ingenti Nobilium multitudine: Venerat etiam in partes coactus potius, quam sua sponte Ludouicus, Sabaudiæ comes. Bernensium copiis nobilis quidam de Erlach præerat, homo in re militari admodum expertus, qui suos egregie instructos identidem hortabatur, vt seruatis ordinibus strenue pergerent, nec multitudinem formidarent hostium, id si facerent, victoriam in manibus esse. Se enim probe aduersariorum nosse arrogantiam, qui contempta paucitate, sine ordinibus in illos ruituri forent. Starent igitur, ac præsenti pugnarent animo, non tam seipsos quam vxores, filios ac libertatem defensuri: Deum præterea tam iustæ causæ haud quaquam defuturum. His & aliis verbis ita suorum excitarunt animos, vt auidissime ad hostes tenderent. Suitenses cum hostem in conspectu haberent, à Bernensibus petiere, (quod & illis facile concessum est,) vt cum equitibus congredi liceret. Nam cum illos sibi inimicissimos esse scirent, pari eos persequebantur odio. Voti igitur compotes facti, confestim equites, qui & ipsi tam laxatis habenis in eos ruebant, adoriuntur, adeo ob paucitatem contempti, vt nobilibus risum mouerent, ac si solum equorum vngulis atteri possent. Bernenses interim non minori vi cum peditatu confligunt; fit acre prælium, totisque certatur viribus, tandem Bernenses & Ducis sui hortatu, & propria instructi virtute, acrius, impressione facta, prorumpunt, interfectisque primis, ac signis deiectis, reliquos in fugam vertunt, victosque insequuntur. At Suitensibus longe maius negotium cum equitatu tam instructo est iniectum, nam præter stragem ingentem, tam hominum quam equorum, diu anceps prælium fuit, donec Bernenses peditum tam victores, opem illis ferrent. Nec sustinuere impetum equites, sed cum magna eorum pars cecidisset,

disset, omnes tandem in fugam abiere. Desiderati sunt ex hostibus Iohannes Sabaudiæ Comes, non sine Bernensium quoque dolore, cum illum virum probum fuisse, & nullo eorum odio in partes venisse cognoscerent. Cecidit & vna filius eius Ludouicus, Comes de Nidau, Comes de Fallendis, magnus belli huius concitator, cum innumeris aliis nobilibus, & militibus gregariis, ita vt interspoliandum plusquam quatuor millia cæsorum reperta sint corpora: signa militaria viginti septem capta, castraque direpta. Non tamen Bernensibus ac sociis incruenta cessit victoria. Ex Suitensibus enim strenuissimus quisque aut cecidit aut vulneratus discessit. Ea victoria ingens Suitensibus accessit existimatio, non solum quod tam parua manu adeo ingentes hostium fudissent copias, quam quod in campis patentibus, equites excipere ausi fuissent, acceptosque tam strenue profligassent; Fuit annus hic à Natiuitate Christi M. C C C. XXX. At Nobiles, quique eo prælio euaserant, licet post tantam acceptam cladem Bernenses aperto bello amplius aggredi non auderent, clanculum tamen, vt facere solent, latrociniis infestare non destinebant, nec Bernensium satiati iniuria, Turegenses quoque eisdem vexabant artibus, ita vt & illi Suitensium operam implorare cogerentur. Ambæ igitur ciuitates in societatem receptæ sunt, ac paulo post Zugenses ac Glareani illorum sequuti sunt vestigia, breuique nobilium iniuriis adeo aucta est fœderatorum potentia, vt ferme videretur inuicta.

Principes igitur ac Nobilitas, quum iam Suitensibus resisti posse diffiderent, Anglos qui tum per Franciam grassabantur, magnis pollicitationibus, in auxilium vocant, qui non tam precibus adducti, quam spe prædæ, magnis aduentantes copiis, Bernensem agrum fœda populatione tempestatis instar vastarunt. Castella vero, & vicos minores diripiebant, subiectoque concremabant igne. Ne tamen vsque quaque impune persultarent, multi à Bernensibus per excursiones ac leuia cæsi sunt prælia. Nam ob ingentem multitudinem, cum hoste aperto marte haud congredi audebant. Tandem Angli commeatus inopia retro abire sunt coacti, non minus sociis quam hostibus graues & intolerandi. Post quorum discessum Habspurgensis ac Nobiles confœderatos infestare nunquam desiere, adeo vt per multos annos nunquam ab armis cessatum sit, ac magnæ & infinitæ clades hinc inde illatæ & acceptæ fuerint, quas longum foret commemorare.

Anno demum incarnationis Dominicæ M. C C C. LXXXVI. Leupoldus secundus Dux Austriæ magnis contractis copiis, ac nobilibus innumeris in auxilium vocatis, oppidum Sempach obsidione cingere molitus est. Fœderati vero quam primum hostium sensere conatum, vrbem præsidio munire decreuerunt. Mille igitur & quadringentos milites electos, ad vrbis misere tutelam: Contigitque eadem die Ducem Sempach obsidere & Suitensium aduentare præsidium. At Dux cum hostium cognouisset accessum, eorum paucitatem adeo contempsit, vt omni peditatu in castris relicto, cum equitatu tantum congredi statuerit, existimans, equorum tantum numero aduersarios obrui posse. Et erat equitatus non tam armis ac animis præstans, quam multitudine conspicuus, adeo vt in duplum hostium excederet peditatum. Interim fœderatorum præsidium minime hostili multitudine perterritum, vbi appropinquare cœpit, & si quis prohiberet, armis viam parare, vel ita minus posset, honesta morte occumbere paratum erat. Non tamen vage & in compositum, sed structa incedebat acie: siquidem longo iam belli vsu, vnus quisque legitime militare, imperium pati, & in primis ordines obseruare didicerat. Equites igitur vt primum fœderatorum conspexere agmen, laxatis prouolant habenis, atque infestis cuspidibus in medium ruunt. Suitenses vero obiectis hastis longioribus, ferociter hostes excipiunt. Fit atrox prælium, cũ illi perrumpere anniterentur, alii vero in vestigiis mori potius quam cedere mallent. Interim Dux pugnantes hortari nunc precando, nunc castigando accendere: non nunquam omissam pugnam aliquot in locis restituere, & egregii Ducis ac strenui militis fungebatur officio: nec quoad superstes fuit, equites cessere tandem: tãdem vero impigre pugnans interficitur, cecidereq; cum eo quadringenti circiter, Comites, Barones & Nobiles, cum turba alia innumera. Post tantam nobilium cædem, equites, qui supererant, se fugæ mandarunt, quos & pedites qui in castris remanserant, sequuti sunt, tormenta vero bellica & signa militaria quam plurima capta. Direptis inde castris, præda opulenta parta est. Occubuere ex victoribus ducenti circiter, multi sunt vulnerati. Verum quia equitatu carebant, hostes longius persequi nequibant. Dux cum plerisque aliis Principibus in monasterio Rünigsfeldt sepultus est. Suitenses tanto defuncti prælio, ad propria sunt reuersi; ac noua inter eos inita sunt fœdera; in quibus multa priotibus addita, pleraque innouata, ac diserte cautum est, vt quam primum hostis sociorum fines incursaret, omnes populariter suppetias ferrent, siquidem Leupoldus defuncti Ducis filius, reparatis viribus bellum apparabat, ac ob cæsum patrem vindictam exigere nitebatur. Tandem intercedentibus amicis inter Ducem & confœderatos induciæ sunt factæ, nec tamen quies fuit. Nam Heluetii à nobilibus vndiq; impugnabantur, & cum negociandi causa, ad vicinas proficiscebantur vrbes, capiebantur, & bonis exuebantur, quibus iniuriis ipsi quoq; moti, paulatim Nobilium oppida & arces obsidebant, deripiebant, latronesque pellebant. Vastabantur cuncta ferro ac igni, multaque leuia assidue committebant prælia.

Interea

Interea Comes de Toggenberg, & Comes de Werdenberg ingenti collecto exercitu, Glareanorum aggressi sunt fines: Quibus mox Glareani obuiam facti, parua manu impigre conflixerunt, ac hostem, cui equitatus inter montes nulli erat vsui, fusum & fugatum finibus pellunt, in qua pugna iterum magnus nobilium periit numerus, ac ingens præda ac gloria parta est.

Bernenses interim & Friburgenses mutua clade omnia peruastabant, magis tamen populabundi, quam iusti more belli. Friburgenses equitibus præcellabant, Nam fœderatorum odio Nobiles illis auxilio erant. Bernenses vero plus pedite poterant. Tandem indutiæ pactæ sunt in annos septem, quibus nondum lapsis, in viginti prorogati sunt. Sed vix in ea parte ab armis discessum erat, cum repente aliud exortum est bellum.

Erat Sancti Galli Abbas opulentissimus, ac multorum oppidorum & castrorum dives: verum & ipse subditos per præfectos quotidianis degrauabat exactionibus, innumerisque afficiebat iniuriis. At illi cum fœderatis defectionem non omnino cessisse viderent, nec onera tam molesta amplius ferre possent, seu vellent: fœderatorum exemplo Appencellenses se in libertatem vindicant. Abbas vero à Constantiensibus, quorum ciuis erat, auxilium implorat. Nec ij coniuncti, fœderatas aduocant ciuitates, collectoque exercitu, quinque millium armatorum, Abbati opem ferre pergunt. Communi igitur consilio Appencellensium inuaduntur fines: Quibus plerique Suitensium, & quia vicini erant, & causam libertatis probabant, iam se coniunxerant. Igitur Appencellenses, quam primum hostem in conspectu habuere, ferociter illum adorti sunt, ac primo impetu fundunt ac fugant, multisque cæsis, militaria signa quamplurima cum ingenti cœpere præda. Tantam igitur adepti victoriam, minime destitere, sed egregie illa sunt vti. Constantiensem enim ingressi agrum, omnia ferro ac igni fœde depopulati sunt. Interim S. Galli ciuitas Appencellensibus adhæsit & à Suitensibus Appencellenses in tutelam recepti sunt. Vnde viribus aucti, multas hostibus intulere clades. Qui tandem Federici Austriæ Ducis implorato auxilio, & collectis copiis, iterum belli fortunam experiri statuunt. Sancti Galli igitur ciuitatem obsidere pergunt, relictoq; ibi Duce, cum equitatu vniuerso, pedestres copias per saltus ac loca salebrosa, ad hostem agunt. Appencellenses vero nihil cunctati, confestim in pugnam ruunt, vbi atrox oritur dimicatio, tandemque victoria, quamuis non incruenta, ab Appencellensibus steterit. Desiderati sunt ex aduersa parte, plusquam mille homines, inter quos multi fuere Nobiles & magnæ existimationis viri. Dux vero cum à fugientibus, de aduersa pugna certior factus esset, collectis vasis, in tutum se recepit. Ac eo pacto Sancti Galli ciuitas ab obsidione liberata est. Victores vero, omissis in præsenti vicinis, Ducis ingressi sunt fines, ac prædabundi discurrentes, Rheni vallem, Siluam Bregentinam, ac Veldtkirchensium fines late euastarunt. Inde montem Arlensem transgressi, Castrum Landeck ad Oeni fluenta situm capiunt, & ad Oppidum Ymbst vsque, ferro & igni grassantur. Tandem vero multis interfectis hominibus, ac ingenti parta præda, ad propria sunt regressi. Ea expeditione castra quinquaginta & vltra capta sunt: ex quibus triginta circiter diruta & exusta sunt. Ineunte hyeme Appencellenses Bregentum obsident oppidum. Verum cum victoria elati, excubias negligerent, à Montfortensibus ac Werdenbergensibus Comitibus magna ex parte oppressi sunt: reliqui pedibus sibi consuluere. Interim Rupertus, & ipse Dux Austriæ, ac Romanorum rex, timens, ne latius hæc contagia serperent, Constantiam peruenit, ambabusque auditis partibus, rem ita composuit, vt damnum damno compensaretur, ac Appencellenses de hinc liberi consueta tantummodo persoluerent tributa.

Heluetij interim ab externo hoste quieti, in semetipsos arma conuerterunt: siquidem Zugensium subditi, cum Suitensium subsidio contra Valem insurrexere, ac illi bellum intulerunt; quo facto, confestim Lucernenses, Vrienses, Vnderwaldenses, ac Glareani, in Zugensium aduolarunt auxilium: Quibus paulo post Turegenses totis se iunxere viribus, ac parum abfuit, quin inter se manus conserrent. Intercedentibus tamen Bernensibus, ac aliis quibusdam amicis, seditio hæc citra sanguinis effusionem sedata est.

Vix in hac pace arma quieuerant, cum longe maior tumultus est ortus. Etenim Federici Austriæ quondam Ducis vxor, tum vidua, à Comitibus & Nobilibus persuasa, Basiliensibus bellum intulit, ac Ducis Burgundiæ propriisque viribus vsa, in Basilienſi agro populationem adeo effuse fecit, vt nihil bello intactum relinqueret. Basilienses tam repentino oppressi malo, ac longe hostibus impares, aperto Marte resistere minime poterant: verum se muris continebant. Fœderatorum tamen fiorum, Bernensium, Solodorensium, & Argentinensium implorant auxilium: qui nihil tardati, confestim aduolant. ac post hostis digressum, Ducissæ inuadentes fines, late vastant, ac castra quædam capiunt, captaque subiecto concremant igne. Tandem post multas hinc inde illatas clades, sequinta pax est, non tamen diuturna, quoniam Basilienſibus pacta haudquaquam obseruabantur. Quapropter populariter egressi, & ad oppidum Seckingen vsque omnia euastarunt: Cumque Ducilla iterum copias cogeret, amicorum interuentu, vix tandem inter partes stabilita pax est. Incidere hæc in annum Domini 1412. ac paulo antequam Constantiense inchoaretur Concilium, ex quo dum Papa Ioannes, auxilio Federici Austriæ Ducis elapsus esset, omnia Ducis bona publicata sint: Sigismundusque Imperator, finitimas vndique ciuitates in Ducis concitat excidium. Fœderati itaque

itaque cunctis egressi vitibus, multa castra & oppida, quæ Ducis fuerant, capiunt, ac totam prouinciam, quæ ob honoratam & copiosam Nobilitatem Ergau (hoc est, honoratus pagus) appellatur, in suam redigunt potestatem, quam & in præsentem possident diem.

Hic itaque bellorum funestissimorum exitus fuit, qui Austriæ Duces, & Nobilitatem, nec non Heluetios per tot exercuerunt annos, quibus tantum sanguinis effusum, tot vrbes euersæ, tot castra, & latronum euersa sunt receptacula, magnis, vt cernere licet, sepulta ruinis: Nobilitas vero expulsa, & funditus extincta est. Siquidem præter Austriæ Duces & Comites Habspurgenses, eiecti & spoliati sunt, Comites de Kyburg, de Toggenburg, Vechtlandt, Neuenburg, Froburg, Arberg, Raperswil, Balyn, Rotenburg, Saraganza, Strasberg, Gryes, Falendis, Nydau, Montenach. Barones quoq; de Grosberg, Wolhausen, de Turre, Rinckenberg, Falckenstein, Keckburg, Spintzi, Granson, Illigen, Raron, Semren, Munsium, Wassersteltz, Logern, Degersfeldt, Busenag, Burglen, Schwanden, Fridberg, Wedischweil, Eschenbach, Schwartzenburg, Freyenstein, Hasenburg, Strotlingen, Signau, Egram, Gœsliben, Chlingen, Honberg, Waren, Regensperg, Saldenburen, Chrenckingen, Bickelse, Chempten, Sarnen, Arburg, Sedorf, Weissenburg, Torberg, Grunenberg, Hasenberg. Multa quoque adempta sunt Sabaudiæ comitibus, de Werdenberg, de Furstenberg, de Hochberg, de Dietstein, pariter & Baronibus de Ochsenstein, Blanckenberg, Falckenstein; Nobilium vero familiæ hæ fuere pulsæ, &c.

Sedunenses interea à Natiuitate Domini, anno 1416. cum & ipsi contra Episcopum Sedunensem Dominum suum insurrexissent, fœdus iniere, cum Lucernensibus, Vriensibus & Vnderwaldensibus; sed cum castra quædam, quæ in Bernensium fide erant, obsedissent, ac diripuissent, in se Bernensium concitarunt arma, qui vrbem Sedunensem aggredi cœpere, ac illam cum plerisque aliis vicis incendere: Verum intercedentibus amicis, res ita transacta est, vt Sedunenses pro damno Bernensibus illato, centum millia aureorum nummorum persoluerent; Id cum Sedunenses se facturos negarent, iterum arma contra eos mouerunt: vique Sedunensium fines ingressi, late omnia vastarunt, ac vicos quamplurimos concremarunt; Sedunenses vero plerosque palantes circumueniunt: Sed cum Bernenses illis opem tulissent, hostes multis ex suis amissis, in fugam coniecti sunt. Verum cum Bernenses cunctis vastatis abire cœpissent, ad montium q; angustias peruenissent, Sedunenses nouissimos aggressi, turbabant: Sed cum signa in eos cõuersa essent, non tulere impetum, sed nonnullis ex suis amissis, ad montium confugerunt cacumina, & Bernenses in pacatum abiere: Iterumque communibus intercedentibus amicis, res sedata est, coactique sunt Sedunenses, post ingens acceptum damnum, multo auto pacem redimere.

Interim fœderati à Nobilium & vicinorum liberati molestia, Bellintzonam recipere statuerunt. Emerant illam Vrienses, Suitenses & Vnderwaldenses, à Saxei montis Comitibus: verum Mediolani Dux periculosum ratus, gentem tam efferam habere vicinam, per proditionem Bellintzonam illis abstulerat. At Suitenses ob bella, quibus vndique præmebantur, eam iniuriam dissimulare sunt coacti: hostium vero victores, eductis copiis Alpibusque superatis Bellintzonenium inuadunt fines: quibus præfecti Philippi Mediolanensis Ducis obuiam facti, confestim manus conseruere. Cumque Itali, tam Equestres quam pedestres, temere in hostes inuehunt, Suitenses vero Italos vt imbelles, nimium contemnunt, vrrinque cladem ingentem intulere pariter & accepere. Blondus Forliuiensis, eumque & reliqui sequuti Itali (vt est gens in laudes suas effusissima) victoriam Mediolanensibus ascribunt: Suitenses vero, illam sibi vendicant, ac in huius rei fidem signa militaria quamplurima hosti adempta ostendunt. Itali duo millia ex Suitensibus desiderata affirmant; numerum vero suorum callide tegunt: Fatentur tamen, multos, & fortissimum quemque cecidisse aut vulneratum fuisse, quadringentesque equos suffossos esse. Suitenses quingentos ex suis; mille ex hostibus periisse affirmant. Vtcunque res gesta sit, cruentissima hæc pugna fuit, quamuis Suitenses pugnandi ardore, vix dimidia parte copiarum conflixerint. Dum enim timent, ne victoriam è manibus emittant, totius exercitus partem præstolati indignum ducunt, ac cum quatuor millibus solum, tam magnas peditum ac equitum turmas inuadunt, ideo non paruam accepere cladem.

Post eam pugnam Suitenses domum regressi, paulum quieuere: siquidem cum eos nobiles armis inuictos esse cernerent, discordiarum semina inter eos iacere tentarunt, nec vanum consilium fuit. Comes enim de Toggenburg, Turegenses & Suitenses adeo inter se commisit, & funestissimum conflatum sit bellum. Fœderati vero cum rem inter partes sedare nequirent, omnes Suitensibus adhæsere. Id Turegenses videntes, Nobiles in auxilium vocant, qui perlibenter illis opem tulere, sperantes tanto diffidio fœdera dissolui, ac Suitensium potentiam deprimi posse. Ingens itaque bellum inter partes exarsit, quod per integrum durauit septennium: suntque interim magnæ clades vtrinque illatæ & acceptæ, quin & Turegium ipsum à fœderatis obsessum est, agerque vitibus ac frugiferis consitus arboribus fœde est vastatus. Eodem quoque tempore Fœderati arcem Varspurgensem obsident. Verum cum Gallorum regis filius Delphinus, Basilienſem conuentum dissicere quæreret, ac ingentibus copiis Basilienſium fines ingressus esset: Fœderati soluta obsidione Varspurgensi, in Basilienſium aduolant auxilium. Basilienses vero, cum Gallicas copias, quibus se Germana quoque

quoque iunxerat Nobilitas, omnino maiores esse resciuissent, quam quibus tam parua manus resistere posset, fœderatis obuiam mittunt, illosq; certiores reddunt, triginta millia sub Gallicis aduentare signis: Orant pariter atque obtestantur, ne cum vltra quatuor millia essent hominum, tam manifesto se obiicerent periculo. At illi ferociter ac Basilienſium ſuorumque contemptis consiliis ſtructis ordinibus hosti obuiam eunt, qui & ipse infestis aduentabat signis. Atrox itaque oritur dimicatio, quæ à prima luce ad solis durauit occasum, suntque confœderati occisione vna occisi, potitusque est Delphinus victoria, cruenta tamen & admodum luctuosa. Nam præter ingentem suorum, & vltra quam credere par est, cæsorum numerum, multi magnique nominis desiderati sunt viri, resque admiranda visa fuit, tantillas copias, & pedestres quidem, tam ingenti exercitui & maiori ex parte equestri, tam diu & fortiter resistere potuisse, maxime cum non in saltibus, sed aperto pugnatum esset campo. Fœderati interim, qui circa Turegum erant, audita suorum clade, cunctis quæ superarant, ferro & igne vastatis, obsidionem soluerunt: quibus abeuntibus, Turegenses populariter egressi, non paruo incommodo hostilem affecere agrum, bisq; interim collatis pugnatum est signis, ac incerta discessum victoria. Basilienses interea post Delphini abitum, non ignari, à quibus inductus fuisset, vt illatam vindicarent iniuriam, collecto exercitu Brisgoiensem ingressi sunt agrum, quem late & ad Friburgum vsque vastarunt, & circiter triginta villas concremarunt. Igitur tam ingenti agri clade Albertus Austriæ Dux irritatus, bellum apparare cœpit, ac magnis copiis Basileam obsedit: à quo depulsus, cum Basilienses, qui insequebantur, in insidias traxisset, non parum multos ex eis interfecit. Cum itaque vtraque pars alteram multis affecisset incommodis, septimo tandem anno, tam funestum solutum est bellum, Palatino Rheni, Straspurgensibus, Norimbergensibus, Augustensibus, ac Constantiensibus intercedentibus. Proinde nec hoc prætereundum videtur, quod Suitenses aliquando victoria potiti, Turegensium cadauera dentibus laceraſſe, ac cruorem potasse, feruntur. Durauit itaque pax per annos aliquot, non solum inter fœderatos; sed nec Austriæ Duces aut Nobiles aliquid noui moliri audebant.

Accidit interea, vt Constantienses, vicinos suos ad iaculandi certamen inuitarent, inter quos & multi aduenere Suitenses. Verum cum Constantienses, (vt inter epulas fieri solet) conuitia quædam in Suitenses sparsissent, irritati illi, haud dissimulanter eam tulere iniuriam, à verbisq; ad verbera perueniunt. Suitenses vero male accepti, quam primum domum sunt regressi, suis de acceptis conquesti sunt iniuriis. Confestim igitur ad arma conclamatum est, primiq; Lucernenses & Ynderwaldenses contra Constantienses exercitum eduxere, quos confestim & reliqui ex fœderis forma sequuti sunt. Verum priusquam Constantiensem ingressi sunt agrum, res sedata est, Constantienses q; quinque millibus aureis pacem redimere sunt coacti.

Nec longe inde, cum Sigismundus Austriæ Dux Brixinensem cœpisset Episcopum, qui & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis erat, Suitenses Pontificis moti præcibus, pleraque Duci abstulere: inter quæ fuere Dissenhofen, & Frauenfeldt. Cum vero Dux maius, quam cui resistere posset, periculum sibi imminere cerneret, pacis accepit conditiones: Suitenses vero retinere permisit quicquid in eorum deuenerat potestatem.

Nobiles interea, etsi non ignorarent, quidnam ipsi & eorum maiores, ob illatam pertulissent violentiam, quamuis Suitensium arma irritare non auderent; ne tamen ab antiquis maioribus desciscerent, vicinas ciuitates assidue inuestabant, multisque afficiebant incommodis. Quapropter nonnullæ compulsæ se fœderatis iunxere: inter quas fuit Mülhusium & Schafhusen: ita vt quotidie fœderatorum excresceret vires, ac termini dilatarentur, iamque intolerandi viderentur. Id Sigismundus Austriæ Dux considerans, ac de retentione prouinciarum reliquarum & ciuitatum suarum desperans, quicquid in Alsatia, Sungaw, Brisgaw, & circa siluam nigram possidebat, Carolo Burgudo, Duci tum potentissimo ac bellicosissimo Principi, pro hypotheca tradidit. At ille cum vrbes, castra & oppida cuncta in suam redegisset potestatem, vndiq; præsidiis muniit, Præfectumque generalem, nomine Hagenpach constituit; qui cum haudquaquam præfectum, sed Tyrannũ egisset, nec vlla abstinuisset iniuria, prouinciales tandem in suam concitauit perniciem, siquidem Brisacenses illum in vincula coniecere, ibique multis accusantibus & crimina horrenda obiicientibus publice finiuit vitam ense, eoque pacto cuncta oppignorata ad pristinum rediere dominum. Verum cum Sigismundus Dux Burgundiæ timeret potentiam, ac vereretur, ne misso exercitu, per vim abstulisset, iterum in suam redigeret potestatem, compulsus est ad Suitenses hostes confugere hæreditarios, cum quibus fœdus pepigit, vt eundem hostem & amicum censerent, & si vis maior aliqua ingrueret illum totis propulsarent viribus. Incidere hæc in annum Dominicæ incarnationis 1473. Burgundus vero non tam ea irritatus iniuria, quam quod debellata Germania, Italiam ingredi parabat, ac cunctis deuictis gentibus se orbis Dominum fore sperabat, vrbem Nüss super Rheni conditam ripas, ac Romano subiectam Imperio, hostiliter ac maximis circumsedit viribus. Circumroleratam antea per Galliam victricia signa, nec quempiam tam potentem esse putabant, qui viribus suis resistere posset. Nam præterquam quod diuitiis & opib. inter cunctos excelleret Principes, maximum & instructissimum ducebat exercitum. Accedebat his animus ingens, & bellicę laudibus gloria,

gloria, cuius erat appetentissimus. At Cæsar tanto motus periculo, Imperij opes conuocat ac eas contra Burgundum ducit, qui iam per integrum fere annum vrbem Nüss obsidebat. Verum cum tanti exercitus conuenissent, ac vtrinq; timor intercessisset, quo minus res aleæ committeretur, primum induciæ factæ sunt: quas non ita multum postea his conditionibus pax sequuta est, vt Cæsaris filio Maximiliano, Burgundi filia, quæ vnica erat, nuberet, ad quam quoque demortuo patre totius ditionis imperium deueniret: Burgundus in Italiam Romano Imperio reluctantem, & haudquaquam obedientem tenderet; quam si subiugaret, à Cæsare Italiæ Rex appellaretur: Additum quoque, vt per Fœderatorum terram duceret, non tam suas, quam Cæsaris vlturus iniurias. Prudenter quidem. Nam siue Burgundus vinceret, siue vinceretur, nihil Cæsari deperire poterat. Aut enim vindictam à Fœderatis erat exacturus, aut superato & cadente Duce, tota vis Imperij eius ad Maximilianum & vxorem erat peruentura. Ceterum priusquam inter Cæsarem & Burgundum conuenisset, Sigismundus Austriæ Dux vna cum Fœderatis, Cæsaris iussu, Burgundi fines inuaserat; ciuitatemque Elicurt obsidebat, quam & vehementer vrgebat, ad quam liberandam Burgundus non partem misit exercitum, qui cum fœderatis congressus, ad internecionem fere cæsus est: qua noua iniuria Burgundus irritatus, ingentem ac talem contra Fœderatos contraxit exercitum, qualem vnquam Germania vidit. Nam præter peditatum copiosum, equitatum ducebat splendidissimum, equis & armis egregie instructum & ornatum. Hunc machinæ sequebantur innumeræ, variorumque hominum genus non tam pugnandi, quam lucrandi gratia, siquidem vniuersi ad certam se pergere putabant victoriam, vnde exercitus tam magnus, non solum cunctis abundabat necessariis, sed & auro, argento, veste pretiosa, ac omnibus instructa erat delitiis. Recta igitur ad vrbem Granson itum est: quam & tumultu fœderati Sabaudiæ Ducissæ ademerant, ac præsidium sexingentorum imposuerant militum. Obsessa igitur est vrbs, tormentisque vndique concussa, ac sæpius oppugnanta. Fœderati igitur quam primum obsidionem percepere, totis viribus ad oppidum Neuemburgense conuenerunt. Aderat & Sigismundi Austriæ Ducis, nec non Straspurgensium equitatus. Verum non prius colligi & ad hostes pergere potuerunt, quam vrbs sit dedita, siquidem præsidium, cum quotidie vehementer vrgeretur, nec vltra vim hostium ingentem sustinere posset, ac de successu desperasset, deditionem (vt nunc loquuntur) fecerat, quam ita intelligebat, vt saluis corporibus dimitteretur. Verum longe aliter Burgundus gratiam interpretabatur. Nam liberum sibi esse dicebat, eam vel exhibere, vel in omnes deditos animaduertere: quod & tandem executioni mandauit, ac omnes in arboribus iussit suspendi, existimans eo pacto fœderatis timorem incuti posse, quod longe aliter euenit. Nam hoc suorum calamitate, ita irritati sunt, vt nulli postea hostium parcerent, quum antedeuictos concessa vita non inhumaniter haberent. Interim Fœderati totis viribus ad hostes tendebant. Burgundusque iam recepta vrbe vltro pergebat: acciditque vt nec fœderati de aduentu illius certiores essent, nec Dux magnopere Fœderatorum curam gereret, quos potius contemnere, quam timere videri volebat: vnde neutra pars de alterius aduentu resciuit, priusquam hostem in conspectu iam haberet. Erant primi agminis vexilla tria, Suitensium nempe, Bernensium & Solodurnensium. Ij siquidem ceteros antecedebant: Confestimque viso hoste retro ad suos miserunt, qui nondum è castris (nam mane erat) mouerant, & vt in auxilium eorum accelerarent, hortabantur; Ipsi vero nihilominus hostem excipere parati erant In genua itaque procumbunt, ac Deum in auxilium aduocant. Quo viso Burgundus exclamat, nullum illis superesse gratiam, sed omnes suspendio esse perdendos. Nam veniam eos petere existimabat. Sed quidam, qui tum fœderatorum consuetudinis non ignarus: Non, ô Princeps magnanime, hi gratiam petituri, sed fortiter pugnaturi adeuniunt. Quotiescunque enim cum hoste congredi parant, diuinum hoc pacto implorant auxilium. Burgundus vero admiratione plenus, Num, inquit, tam paruæ copiæ nobiscum sunt pugnaturæ? nam ij qui pone sequebantur, nondum in conspectum venerant. Vix hoc dicto, fœderatos in pedibus consistere, ac structis ordinibus aduentare cernit, suis congrediendi dat signum, simul & tormentorum Magistros ignem pulueri adhibere iubet: qui non segniter officio functi, quam plurimos ex fœderatis perimunt. At ceteri nil suorum clade perterriti, hostem fortiter inuadunt, qui & ipsi ingenti vi conflixere. Fit igitur prælium memorandum, quum fœderati tam parua manu hostium copias sustinent innumeras, priusquam oppetere, quam pedem referre contendunt. Interea dum tam acriter dimicatur, vniuersus fœderatorum aduentat exercitus, auidus certaminis, ac perquam compositè in ordinem redactus, confestimque vi magna signa infert. Verum impetum tantum hostes nequaquam sustinuere, sed sub initio pedem retulere: tandem vero fœderatis acriter instantibus apertæ se fugæ mandarunt. Dux vero suos pugnantes hortando manifesta etiam subibat pericula, fugientesque nunc castigando, nunc precando ad pugnam reuocare nitebatur, quam etiam aliquot in locis restituit. Quin & fugientes quosdam, ense, quem nudum gerebat, percussit. Sed frustra. *Maior enim timor minorem vincebat.* Quapropter & ipse tandem suos nouissimus fere sequi coactus est, clamans & indignans, quod tam fœde se fugæ mandarent. Fœderati vero strenue quoad licuit victoriam prosequuti sunt. Verum, cum haud magnum haberent equitatum, nec hostem pedibus assequi possent, à persecutione tandem destiterunt, ad castraque hostium conuersi (quæ omni opulentia,

lentia, diuitiis ac delitiis pluſquam dici poteſt referta) illa diripiunt, ac vltra bellica tormenta innumera, tantum auri, argenti, gemmarum ac pretioſæ veſtis ſuppellectiliſque ſunt adepti, vt ex pauperibus redditi ditiſſimi. Quicquid enim Burgundus pretioſi poſſidebat, non ſolum ſplendoris, ſed & oſtentationis gratia, ſecum circumferebat: quem morem & purpurati ſui obſeruarunt. Sane, cum ego aliquot poſtea annis Lucernam, puer adhuc, cum patre veniſſem (is enim à Bauariæ Duce Alberto, cui à cõſiliis erat, Orator tum ad Confœderatos mittebatur) inter cetera quę honoris gratia illi oſtendebantur, inſignẽ illum vidi Adamantem, quẽ Burgundus tanti faciebat, vt omnibus rebus ſuis pretioſis anteferret, admirandum profecto ac rariſſimum naturæ ſpectaculum. Nam præter ſplendoris puritatem omni carẽtem vitio, magnitudine ſua mediocrem quoq; excedebat inglandem, cui etiam non erat diſſimilis, angulis decem & octo conſpicuus. Fœderati igitur tanta victoria læti, ad vrbem Granſon properabant, vbi breui omnis lætitia in acerbum verſa eſt luctum. Suos enim, quos adhuc viuere credebant, arboribus cernebant ſuſpenſos, & ille patrem, alius filium, frater, agnatum vel amicum non ſine lacrymis agnoſcebat. Depoſitos igitur ſepulturæ mandant, calamitatemq; tam acerbam cum nuper parta conferentes victoria, ac conſiderantes, *Raro in rebus humanis, tam abſolutam accidere lætitiam, vt omni careat triſtitia*, ſatis ſuperque ſuis hoſtium ſanguine patentatum eſſe cenſuerunt. Incidit pugna tam memorabilis in annum Domini M. CCCC. LXXVI. At Burgundus tam inſigni clade præter opinionem ſuam accepta quieſcere haud poterat: ſed animo æſtuans, ac ſubinde cogitans, quo pacto hoſtes vlciſci poſſet, iterum ingentes copias, tam ex ſuis quam Gallis & Italis, contrahere cepit: Machinarum præterea vim ingentem, & innumera, quæ ad victoriam conſequendam ſpectare cenſerentur, comparauit: quod quidem illi facilimum erat factu, cum diuitiis & opibus omnes ſui temporis ſuperaret Reges & Principes. Fertur cum à purpurato quodam ſuo reprehenderetur, quod contra ruſticos, tam inſignem belli apparatum inſtrueret, ex quibus tamen deuictis nullam gloriam relaturus eſſet, reſpondiſſe: *At tu quamuis ſuperatus ſim, dormire potes; Ego vero haudquaquam*. Omnibus igitur contractis copiis, ad obſidionem oppidi Murton properauit, anno fere poſt acceptã cladem exacto, confeſtimq; illud tormẽtis infeſtare, & aſſidua oppugnatione die nocteq; vrgere non deſtitit. Verum egregie à Confœderatorum defenſum eſt præſidio, qui audito Ducis acceſſu, confeſtim populariter egreſſi ſunt, Bernæque omnes conuenerunt. Diſtat vrbs ea ab oppido Murton, miliaria duo, quæ tamen à pedito vix horis ſex peragi poſſunt. Aderat & Reinhardus Lotharingiæ Dux cum equitatu, paruo tamen, à Burgundo expulſus, & omni ditione ſpoliatus, nec non Sigiſmundi Auſtriæ Ducis aduenerant equites. Cunctis igitur copiis ad hoſtem pergere ſtatuunt, præmiſſis ſpeculatoribus, qui eos de omnibus certiores reddere poſſent. Egreſſi igitur Berna, ſummo mane, quum vehemẽter plueret, recta Murton verſus tendunt. Interim ſpeculatores progreſſi non paruum concitarunt tumultum. In hoſtes enim, diligenter ſtationes obſeruantes inciderunt, qui non amplius Fœderatos contemnebant, præcipue cum eos propediem aduenturos audirent: Cõfeſtim igitur Burgundus magnas peditum & equitum copias, nec non tormentorum vim ingentem, in eam partem mittit, in qua exploratores viſi fuerãt: Ipſe vero ex ædicula, quam in loco excelſo conſtitui iuſſerat, cuncta arbitrabatur: Speculatores igitur ad ſuos regreſſi, quæ viderant, exponunt. A Ducibus igitur quid agendum ſit, deliberatur, ac variæ dicuntur ſententiæ. Qui enim rei militaris peritiores habebantur, haudquaquam à via dimicandum eſſe cenſebant, obtendentes, quod miles pluuia maderet ac feſſus eſſet, magnaque illius pars, cum adhuc ieiuna eſſet, inedia flacceſceret, ſed & terra, dicebant, ob pluuiæ vim tam lubrica eſt reddita, vt miles non firmiter, ſed ægre in luto conſiſtere valeat. Super omnia vero, ſi Deus etiam victoriam conceſſerit, non tantum diei ſupererit, vt hoſtem fugientem perſequi poſſimus. Tutius igitur eſſe, vt eo loco caſtris locatis militem reficerent, ac craſtina die ad pugnam procederent. Non enim periculo carere, ſi cum tam magnis copiis temere congrederentur. Nam ſexaginta millia hominum in Burgundi caſtris militare terebantur, cum Fœderatorum exercitus nec tertiam attingeret partem; equitatu quoque omnino impar eſſet. Alia vero pars certaminis auida, hunc ſe morem à maioribus accepiſſe, referebat, vt quamprimum in conſpectum hoſtis veniſſet, & pugnandi copiam feciſſet, cum eo congrederentur. Nil enim aduerſariis terribilius eſſe poſſe, quam aduentum ſubitum, aggreſſionemque repentinam. *Nec illud quærendum eſt, quantus hoſtium ſit numerus, ſed vbi conſiſtat.* Militem præterea non adeo laſſum eſſe, vt ex inani hoſte, & qui ſuos tam impia perdidiſſet nece, vindictam ſumere nequirent, ſed potius optare, vt confeſtim ad hoſtem duceretur, quo diu exoptata vltione ſatiari poſſet: quæ animi cupido corpora quoq; viribus exhauſta, facile recreare ſoleret. *Dei inſuper auxilium tam iuſtæ cauſæ non defuturum, qui ſuperbos euertere, humiles vero exaltare amaret.* Irent igitur, & confeſtim manus conſererent, dum miles animo flagraret, ac tantopere vindictam ex hoſte capere deſideraret. Hæc dum inter ſe Duces conferrent, vexillifer quidam magna voce exclamauit, quicunque Fœderatorum rem ſaluam eſſe cupit, me ſequatur, confeſtimque elato vexillo pergere cœpit: quem ſtatim omnes relictis Ducibus ſunt ſequuti: quod illi videntes vix impetrarunt, vt inſtruendorum ordinum ratio haberetur. Ex ſilua igitur, per-

quam eundum erat, egreſſi, tria conſtituunt agmina, quod amiſſum vocari ſolet: ſecundum

quod

quod tormenta inuaderet: tertium & magnum, quod poſt amiſſum cum hoſte confligeret. Sagitta-
rios ex more à læua, equites à dextra conſtituunt. Vix in ordines redierant, quum depulſis nubibus,
ſol adeo ſplendere cepit, ac ſi nunquam eo die pluiſſet, iamque hoſtis in conſpectu erat, egregie in-
ſtructus, ac confligere paratus. Fœderati igitur in genua procumbunt, ac poſt diuinum implora-
tum auxilium, magno animo ac compoſitis ordinibus ad hoſtes tendunt. At illi data opera eodem
in loco remanebant, donec fœderati ſub pyxidum venirent iactum, quibus exoneratis ingentem il-
lis intulere ſtragem, præcipue equitibus, contra quos magnam tormentorum partem direxerant.
Mox igitur agmen ſecundum, veloci, vt iuſſum erat, curſu ad pyxides fertur; interfectiſq; Magiſtris,
tormenta in ſuam redigunt poteſtatem. Interim hoſtium equites laxatis frenis ferociter magnum
agmen fœderatorum inuadunt: Amiſſum vero cum pedite congreditur. Fit atrox pugna, cædeſque
editur ingens. Verum cum equites denſum fœderatorum agmen, & obiectis munitum haſtis per-
rumpere nequirent, licet totis adniterentur viribus, interimque ingens tam hominum quam equo-
rum ſtrages ederetur; primo fluctuare, ac pedem paulatim referre ceperunt: mox abiecto pudore,
in apertam declinarunt fugam. Nam & pedites ſuos fœderatis terga dediſſe cernebant. Hæc Dux ex
alto conſpiciens, totum exercitum in fugientium properare inſſit auxilium. Nondum enim ſcie-
bat, fœderatos vniuerſis adeſſe copiis, ſed tarde nimium. Nam præterquam quod ſui nullibi pedem
ſiſtebant, venientium etiam agmina perrumpebant, ac illa quoque ſecum trahebant in fugam, quo-
rum tergo adeo vehementer tam equites, quam pedites fœderatorum inſtabãt, vt illos ne momen-
to quidem ſinerent quieſcere. Vndique igitur in fugam coniecti ſunt: & pars quidem caſtra repetit,
nonnulli vero abiectis armis, quocunque timor impellebat, diſperguntur. Maxima multitudo in la-
cum, qui ingens oppidum alluit, cæca ruit; quidam arbores aſcendunt, vt eo pacto hoſtem fallere
poſſent. Dux vero hæc cernens, & ſpem nullam amplius ſupereſſe conſiderans, & ipſe demum ſe fu-
gæ mandauit, ſubinde equos mutans, quoad tandem in tutum abiit. Fœderati pertinaciter fugos in-
ſequuti ſunt, & quos equites ſternebant, pedites obtruncabant, ita vt non iam pugna, ſed cruenta
fieret trucidatio. Nemini enim, ob ante acceptam parcebatur calamitatem, ſed omnes nobiles pari-
ter & ignobiles, pecorum inſtar, ſine diſcrimine, mactabantur. Quidam aſcenſis nauibus, eos qui ſe
aquis crediderant, obtruncare, fruſtra manus in cœlum tollentes, & lacrymis miſericordiam implo-
rantes: Nonnulli arboribus inſidentes, auium inſtar, pyxidibus deiecere: Alij domus integras, in
quas ſe hoſtes receperant, incendere, ita vt vndiq; clamor, vlulatus, preces, ac morientium audien-
tur gemitus, ac longe plures fuga abſumeret, quam prœlium. Tandem vero labore feſſi, ab hoſtium
ſatiati cæde, à perſequutione deſiſtunt, & ad caſtrorum properant direptionem, quum ſubito ru-
mor oritur, Remondi Comitem, magnis ac integris aduentare copiis. Is enim ex alia oppidi parte
caſtra locauerat, vbi vehementer illud tormentis quatiebat, vni huic rei adeo intentus, vt ne ſenſus
quidem pugnæ tam magnæ ad illum peruenerit. Nam poſt apertam etiam Domini ſui fugam, mul-
tis ictibus muros quaſſabat. Impoſſibile enim nec credendum videbatur, Fœderatos cum tam im-
menſo hoſtium numero, & tam repentine congreſſuros. *Et profecto, ſi quis coniecturare velit, & hæc*
& aliæ Burgundi clades, ob arrogantiam & hoſtium contemptum potiſſimum ſunt acceptæ. Tandem ve-
ro Comes de omnibus certior factus, collectis copiis, non ad hoſtes, ſed in pacatum abire feſtina-
bat, omnibus tormentis & bellicis inſtrumentis relictis. Fœderati igitur rurſus in ordines redacti,
hoſtis expectabant aduentum: ſed cum illum audirent abire, nec ob laſſitudinem inſequi poſſent,
iamque nox ingrueret, ad diripienda, vt ceperant conuerſi ſunt caſtra, quæ omni referta erant opu-
lentia: Ibique tribus manſere diebus, ſpolia diuidentes, & labore exhauſta recreantes corpora. Si-
gna & bellica tormenta, ciuitatibus in prædam ceſſere: reliqua à vulgo promiſcuo direpta ſunt. Ce-
cidere in ea pugna (vt fœderati referunt) hominum millia triginta. Ego quidem, cum aliquando ad
pugnę locum acceſſiſſem, tam ingentes oſſium vidi aceruos, vt maior quoque mihi cœſorum nume-
rus videretur. Ex fœderatis vero vltra ducentos deſiderati non ſunt: plures vulnerati. Depugnatum
eſt in die qua decem millium martyrum celebratur memoria, Anno Salutis M. CCCC. LXVII.
Fœderati antequam ad propria redirent, Sabaudiæ Ducis ingreſſi ſunt prouinciam. Vbi multis ca-
ptis & exuſtis caſtellis, oppidum etiam Loſannum cepere: hicque direptis & omnibus vaſtatis locis,
per quæ tranſierant, læti cum ſpoliis domum ſunt reuerſi, non ſolum ab hoſtis tam potentis metu li-
beri, ſed pecunia etiam & multis rebus preciosis admodum ditati. Poſt hanc cladem multa, quæ Lo-
tharingiæ Duci adempta erant, à Burgundo defecere, & ad prioris Domini imperium ſunt regreſſa:
Inter quos & Nanſeium fuit, prouinciæ illius caput: Verum cum Lotharingus non ignarus eſſet in-
genij Burgundi, timere cœpit, ne in illum omnem belli verteret impetum. A fœderatis igitur petiit,
vt ſi quandoq; ab hoſte vrgeretur, ei auxilium ſuis tamen ferrent ſtipendiis: quod haud grauate con-
ceſſum eſt. Ob egregie enim operam in bello nauatam, non parum amabatur, & fœderati tutius eſſe
putabant, vicino, & illius quidem expenſis, ſuccurrere, quam in propriis finibus hoſtem excipere &
debellare. Burgundus interea ſuis è fuga collectis, haudquaquam Veris expectato tempore, ſed me-
dia hyeme Nanſeium obſedit, illudque acerrime expugnare eſt adortus: Nec Lotharingus cuncta-
tus eſt, quin ſubito fœderatorum imploraret auxilium, quod & ſuo ſtipendio haud difficulter impe-
traut.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [96] - 72
PUBLIC DOMAIN

trauit. A Ludouico enim Francorum rege, quum rei pecuniariæ premeretur inopia, vim auri ingenteri mutui nomine acceperat. Nam cum is Burgundi potentiam quam pridem expertus fuerat, timeret, clanculum Lotharingo fauebat & succurrebat, quod & Argentinenses & reliqui faciebant socij. Persoluto igitur Fœderatis stipendio, confestim illos Lotharingiam versus ducere cepit, per loca iam antea à Burgundo deuastata, ac post quadriduum sub horrendo frigore ac ingenti militum fame & defatigatione, non longe ab oppido Sancti-Nicolai castra posuit: quo etiam ingens equitatus aduenit, non solum à sociis, sed etiam à Francorum rege missus. Nil igitur morati, sequenti die structis ordinibus ad oppidum Sancti-Nicolai tendunt. Id enim magnis Burgundi tenebatur copiis. Verum cum muris careret, alioqui miris excultum ædificiis: confestim, & prius fere quam hostis aduentum Lotharingi præsentiret, captum est: vbi iterum in Burgundos est sæuitum, ita vt non solum pecorum ritu mactarentur, sed in præterfluentem præcipitarentur. Pernoctatum est in eo oppido non sine magna fame militum: ex quibus nonnulli vim mellis ingentem ibi inuentam deuorantes, ita inflati sunt, vt non solum vehementer ægrotare cœperint, sed multi etiam vitam amiserint. Burgundus interea cum Lotharingi & Fœderatorum accessum percepisset, omnibus viribus Nansejum oppugnare cœpit, sperans id priusquam hostis auxilium ferret, expugnari posse. Tota igitur nocte nunquam ab oppugnatione & tormentorum ictibus, qui manifeste à Fœderatis percipiebantur, cessatum est. Mane igitur & eo die, qui tribus regibus sacer est, Fœderati structis ordinibus ad hostes properarunt, qui castra sua egregie fossis & tormentis munierant, ita vt non sine aperto periculo lacessiri possent: quod Confœderati intelligentes, per regionis gnaros se ad diuersum castrorum situm duci iusserunt. Per saltus igitur, vepres & torrentes circumducti magno labore, loci superarunt iniquitatem, rursusque in ordines redacti, fessi & vdi (nam vehementer ningebat) ad hostes properabant. Burgundus interea cum hostes à tergo instare sentiret, machinas eo iubet dirigi: Sed iam & priusquam id fieri posset, certamen cõtractum erat, & iterum dispulsis nubibus Sol splendescere cœpit. Magnis itaque viribus vtrinque pugnatum est: sed tandem & post ingentem cædem victoria à Fœderatis steterit: Dux ipse aut quod fugere nollet, aut quod non posset, confossus periit. Ceteri, quocunque eos timor aut spes salutis impellebat, diuersi abiere. Estque iterum præda ingens parta, atque ita demum Burgundica bella Duce destituta cessarunt. Fuit Carolus Dux staturæ mediocris, animi excelsi, magnanimus, ac vltra modum liberalis: Iustitiæ, veritatis ac pietatis cultor, bonorumque & virtute præditorum non tam amator quam admirator, quibus omnib. pro viribus subuenire quærebat. Diuitiis vero ita præcellebat, vt in omnibus bellis nunquam inopia laboraret: Cuius rei causa fuit modestum in suos imperium, & ordo mirandus. Ob tales igitur virtutes à suis non solum vt bonus princeps, sed tanquam pius parens colebatur: nec sub initium creditum est illum oppetisse, ac multo tempore reditus eius tanquam viuentis expectatus est à plerisque, quamuis constaret, illum à Lotharingiæ Duce honorifice Nansejj esse tumulatum. Sola illum laudis gloria, & iusto maior cupido transuersum egit, vnde aduersa sua fortuna tandem in Confœderatos & rusticos (quos ipse mendicos appellare solebat) impegit, cum antea Francorum Regi leges dixisset, Imperio arma intulisset; Geldriæ Ducatum acquisiuisset, Frisios domasset, Lotharingum expulisset, ac omnes vicinos iussa sua exequi compulisset. Post Burgundi Imperium Ludouicus Francorum rex Burgundiæ Ducatum à Domino de Alebert illius præfecto accepit, cui postea Nauarræ regnum cessit. Defecit & Hannonia, magnaque Picardiæ pars, & ni Maximilianus Friderici Cæsaris natus, cui vnica Burgundi filia nupta erat, tantis periculis obuiam ire maturasset, Flandria & Brabantia, cum Holandia & Zelandia, & omnibus prouinciis, in Galli ditionem deuoluti, feudi nomine (vt ipse prætendebat) peruenisset.

Hinc discordiarum, motuum, ac bellorum initia emersere, qui in præsentem vsq; diem tam Burgundi quam Galli successores, quasi hæreditario iure, diuersimode exagitarunt. Heluetij interim à bellico quieuere tumultu. Nulla enim potentia tanta erat, quæ illos post oppressum Burgundum lacessere auderet. Submittebant tamen identidem, nunc Maximiliano, nunc Gallo petenti auxilia; non ideo tantum, quod iuuentutem in militari disciplina suam exerceri cuperent, sed quia vtrumq; timerent, seu potius odio haberent, ac vtriusque partis successus illis foret suspectus. Et profecto omnes Germani, arma & eam militandi disciplinam, qua nunc vtuntur, ab Heluetiis accepere, abiectis scutis, quibus antea omnium nationum more vtebantur. Experientia enim discebant, illa haud quaquam Phalangi & hastarum violentiæ resistere posse. Ac ideo ad meam vsque ætatem, sarissas, bipennes, & gladios ferentes, Heluetij dicti sunt, etiamsi in media Germania essent nati; quoad tandem ob Heluetiorum odium, prouincialium militum nomen, hoc est, Landsknecht/emergere & celebre esse cœpit.

FINIS LIBRI PRIMI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [97] - 73
PUBLIC DOMAIN

BELLI HELVETICI

LIBER SECVNDVS FELICITER INCIPIT, AVCTORE BILIBALDO PIRCKHEIMERO.

SVperiori libro Suitensium originem & incrementum perquam breuiter exposui. Nunc vero causam & semina huius belli explicare conabor. Sed priusquam id fiat, non absre forsitan erit, statum eum in quo tum Germania fuerit, altius recensere, quo facilius percipi possit, vnde tantus motus ortum sumserit.

Postquam Maximilianus Friderici filius, Burgundi filiam in vxorem duxit, totamque illius ditionem in suam redegit potestatem, maximis agitatus est procellis. Cum enim Gallus potentiam externi timeret principis, nunquam destitit, illum & clam & aperto Marte lacessere, populos subiectos solicitare, ac omnia moliri, quo tantum hostem ex nuper acquisitis sedibus pellere posset. Nec id difficile factu est visum, cum ob populi odium, & leuitatem innatam, qui alienigenum dominum haud æquis aspiciebat oculis, tum ob iniurias & exactiones quorundam, qui Maximiliano chari erant, & non tam illi imponebant, quam vndique eum subditis reddebant infensum. Quotidie itaque prouinciæ & ciuitates deficiebant, subditique à Gallo stimulati & inducti principi suo rebellabant, quo ad Gallus tandem post multas acceptas & illatas clades, à manifesto destitit bello, populique subiecti iterum ad officium rediere pristinum: Quos motus, si quis describere vellet, vel luculentissimam condere posset historiam. Per multos enim annos vtramque exagitarunt partem, ita vt nec præsenti æuo finem sint adepti. Interea & dum Maximilianus externis detinetur bellis, Matthias Vngariæ rex ob causas relatu nimium longas Fridericum Cæsarem vehementer vrgere cœpit, illique præter alia innumera vniuersam fere Austriam, cum metropoli ipsa Vienna ademit. Erant tum Bauariæ Duces admodum potentes, ac Austriæ domus æmuli, qui oblata occasione freti, & Cæsarem ipsum contemnebant, & multa quotidie per vim non desinebant perpetrare. Albertus igitur Dux Ratisbonam ciuibus dedentibus occupauit. Georgius vero, qui ditissimus & potentissimus habebatur, vicinas Sueuorum ciuitates & populos assiduis iniuriis infestabat: eoque insolentiæ deuenerat, vt nec Legatos eorum audire vellet. Ciuitates igitur omni ope destitutæ, ex Federici consilio fœdera inter se ineunt, quibus mox Prælati, vt vocantur, cum nobilitate se iunxerunt, ac bellum Georgio ni ceptis desisteret inferre cogitarunt, qui cum inopinato vim tantam contra se insurrexisse cerneret, non solum innatum deposuit fastum, sed ex superbissimo redditus est humilimus. Omnia igitur, quæ per vim ademerat, vi quoque reddere est coactus, ac ingentem insuper pecuniarum summam persoluere adactus: sed & Albertus Dux Ratisbonam restituere beneficij loco duxit. nam Friderici gener erat. Mox igitur Fœderatio Sueuica eam induit arrogantiam, quam Bauari nuper exuerant, nihilque imperuium virtuti ac potentiæ suæ esse duxit. Interim Matthias rex moritur: nec longe post Fridericus superstes fuit. Ita Maximilianus non solum paternum recuperauit imperium, sed Vngariam ingressus Albam etiam Regalem vi cepit: de hinc in Germaniam reuersus inferiorem, Philippo filio, qui postea Hispaniarum imperium fortitus est, regni tradidit habenas. Is enim adoleuerat. Inde ad patruum Sigismundum Austriæ Ducem conuersus, vniuersam ditionem illo resignante, suscepit. Fuit Sigismundus inter omnes ætatis nostræ Duces optimus, humanissimus & liberalissimus princeps, & potentia excellens, adeo vt inter cetera bella Venetis quoque arma inferre sit ausus, quos multis etiam cladibus affecit, & ni suorum proditione fuisset impeditus, egregiam procul dubio retulisset victoriam. *Verum, quemadmodum in reb. euenire solet humanis, nec probitas eius tam insignis, nec liberalitas, ac munificentia immensa, nõ senectus demum extrema, illum à violentia & proditorum iniuria vendicare potuit.* Coactus enim est inuitus etiam Imperij sui habenas deponere, ac Maximiliano tradere regi: quam tantam impietatem, breui dignæ sequutæ sunt pœnæ.

Tantis itaque successibus, non tam Maximilianus rex, quam potentes eius elati, animo voluere cœperunt, sub qua honesta occasione Heluetiis bellum inferre, ac olim acceptas iniurias vendicare possent: & hæc potissima causa discordiarum fuit. Cœperunt igitur vicinos Churienses, Engadinenses, & Grisenses multis vexare iniuriis, nec non arces quasdam Churiensis Episcopi occupare & alia machinari, quæ animum eorum irritare possent. At illi, quamuis illatas iniurias modeste ferrent, consilio tamen prius, quam armis experiri statuerunt. Missis igitur Legatis, Regis animum demulserunt, ac Constantiensis Episcopi intercessione impetrarunt, vt omnes discordiæ, ac illarum fomites, iuris deciderentur ordine. Interea Gallus contempta Philippi ætate, Geldriæ Ducem contra illum concitauit. Vnde Maximilianus rex in eius auxilium, antequam clades aliqua acciperetur, properare fuit compulsus. Sed priusquam abiret, suis mandauit, vt iure potius quam armis contendere vellent. At illi mandatorum immemores, aut quia Regis

Regis sui animum clam percepissent, aut quod sua sponte violenter grassari cuperent, non solum iuris respuerunt æquitatem, sed etiam nouas iniurias veteribus addere, & aduersarios stimulare ceperunt. Illi vero cernentes, nec iuri nec æquitati superesse locum, clanculum cum Eluetiis, qui & ipsi quotidianis afficiebantur iniuriis, fœdera ineunt, (nam antea inter eos non penitus conueniebat) ac sedulo omnia ad futurum bellum præparare cœperunt. Sed & Sueuiæ confœderatos ex fœderis forma admonebant, vt instructi & parati ad imminens essent certamen, submissis interim qui igni, cæde, & rapinis aduersarios lacessere non desinerent: quibus repulsis, & animis vtrinque irritatis, bellum paulatim glisscere & initium sumere cæpit.

Eius rei culpam Heluetij potissimum in Paulum de Liechtenstein & Gossenbrat Augustensem olim mercatorem, reiiciunt. Hi enim ex humili loco in altum elati diuitiis & potentia inter cunctos præcellebant regios, &, vt fertur, obscuritatem suam insigni aliquo facinore illustrare cupiebant. Interea Churiensis moritur Episcopus, confestimque Cæsareani Episcopatus quibusdam arcibus occupatis, subditos quoque facere compellunt: quibus renitentibus, ac vim vi repellere conantibus, iterum res ad arbitrium Constantiensis deducta est Episcopi: ac eo mox defuncto ad Augustensem deuoluta Episcopum. Sed interim ab iniuriis cessatum non est. Churienses igitur ac socij, cum viderent, se nihil æqui impetrare posse, ne tamen subito rem tantam aleæ committerent, iterum per legatos cum Cæsareanis egerunt: quibus non sine ignominia reiectis, cœpere illi se ad bellum accingere. Regij interim Monasterij vallem occupare contendunt. Quod intelligentes confœderati, collectis copiis obuiam pergunt: sed priusquam ad manus ventum est, iterum inducia factæ sunt, exercitusq; dimissi. At Cæsareani in discessu domus quasdam rusticas incendunt, pecoraq; abigunt, quibus irritati Confœderati par pari referunt. Rursus igitur copiæ reuocantur, & ad pugnam instituuntur. Verum Cæsareani, & viribus & militum robore longe præstabant, quibus tamen Confœderati, licet rustica & collectitia manu constarent, nequaquam cessere. Præcedebat Confœderatorum exercitum vir quidam staturæ ingentis, longiori lorica indutus, ac galea tectus lata. Hic hostium ductores ad singulare prouocabat certamen. Confestim igitur quidã emicuit, ac cum illo congressus, lancea hominem transuerberauit: Cumque illum spoliare contenderet, ob coronæ rasuram sacerdotem fuisse deprehendit. Interim totis concurritur viribus. sed non diu certamen perdurauit. Confœderati enim longe inferiores, vincuntur, & multis ex suis amissis in fugã vertuntur. Cæsareani autem victoria illa egregie vsi sunt. Engadinensem enim vallem ingressi, eam totam vsque ad vicum Sametz ferro & igne vastarunt. Inde & Monasterij vallem combusserunt, ac diripuerunt capta & abducta Abbatissa. nec his contenti, ab alia parte oppidum Meyenfeldt occupant, nec nõ Fürstenbergum in suam redegerunt potestatem. Confœderati vero cernentes, se hosti tam potentiæ haud quaquam pares esse, confestim Heluetios in auxilium aduocant: qui nihil cunctantes è vestgio copias eduxerunt, & in Fœderatorum aduolant subsidium, satius esse ducentes, sociis ferre suppetias, quam sine illis bellum, quod sibi quoque imminere cernebant, sustinere.

Verum antequam vltra pergerent, ex Veteri instituto leges sanciunt, quas vltra capitis pœnam, iuramento quoque firmarunt, quarum hæc fere forma fuit: Duces ex fide cuncta peragunto: Milites diligenter Imperio parento: iniussi ordines haud derelinquunto: à tumultu & seditionibus cauento: pugnaturi silentium, quantum fieri potest, seruanto: fugam nequaquam ineunto: socios fugientes cædunto: deuictis hostibus ad spolia iniussi & priusquam victoria plane sit parta, haud conuertuntor: ignem ædificiis iniussi ne iniiciunto: arma in hostico nec die nec noctu exuunto: à mendicantium exustion, Ecclesiarum spoliatione, mulierum, virginum, & sacerdotum violatione penitus abstinento: captiuum inter præliandum non ducunto, sed interficiunto. Quod si quis contra fecerit, grauiors pœna esto. Proinde inter cetera etiam imperatum fuit, vt vnusquisq; ex veteri instituto, farinam ex auena confectam, quantum ei in quatuordecim dierum cibum sufficeret, nec nõ calceorum par nouum secum deferret, quo omni alio comeatu deficiente, saltem per mẽsis dimidium hoc alimento in hostico perdurare valerent.

Verum priusquam vltra pergamus, precium fortassis operæ haud deerit, si palam fecerimus, quibus prouinciis tum Fœderati & Heluetij impetrauerint. Ita enim facilius intelligi poterit, quantis viribus tanti belli molem sustinuerint. Churienses igitur, Prisenses, & Engadinenses, eos Rhætiæ occupabant montes, qui ab Adula monte & Rheni fontibus ad Italiam vsque pertenduntur. Eluetij vero longe etiam maiorem occupabant terram, siquidem à solis ortu, Adula monte ac Rheno fluuio à reliqua segregabantur Germania: ab occasu ad Lingones vsque, quos nunc Burgundos vocamus, pertingebant: ac meridiem versus non solum Iurassum montẽ adhærentes tenebant Alpes, sed transgressi etiam multa ex Tricasinis & Allobrogibus (quos nunc Sabaudienses vocant) occupauerant. Basilienſium vero fines occiduam terminabant oram, ita, vt quicquid ab ortu Rheni Basileam vsq; continebatur, plane Heluetiis pareret, præter solam vrbem Constantiam, & quatuor oppida minora, quæ Rhenensia vocantur, Waltzhut nempe, Lauffenberg, Seckingen & Rheinfelden. Nam ea iuris erant Austriaci. His igitur viribus Heluetij confisi, ad bellum se accingebant. Nec

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [99] - 75
PUBLIC DOMAIN

secus agebant Cæsareani, siquidem sociis aduocatis Sueuis ipsi quoq; vndique vires suas contrahebant. Heluetij igitur collectis copiis contra Cæsareanos pergunt, qui castra posuerant in loco montano & angusto iuxta Meyenfeldt nomine Lützelstein: vnde excurrentes, ac Rhenum transgredientes, cuncta ferro & igni vastabant. Ceterum aduenientibus Heluetiis, cum se tantis copiis impares viderent, retrocessere. Heluetij vero progredientes, oppidum Meyenfeldt iterum in suam redigerunt potestatem, capto Barone de Brandis, in cuius ditione ea erat regio. Inde procedentes totam prouinciam Balgen ad Arlensem vsque montem suo subiiciunt imperio, cõlonosque imperata facere cogunt, non parua ab iis extorta pecunia: quo facto, rursus contra Cæsareanos pergunt, qui copias cunctas in oppido Bregitz contraxerant, quo Heluetios ab vlteriore progressione arcere possent. Quamprimum igitur auditum est Heluetios appropinquare, Cæsareani ad arma conclamant. Ducesque vt contra hostes educant, hortantur. At illi nihil temere agendum censent; sed priusquam obuiam eant, speculatores emitti iubent, qui hostiles inspiciant copias, & Duces certiores reddant, quam magna Heluetij aduentarent manu. Verum accidit, vt ingens forte nebula exorta, ita cuncta obfuscaret, vt speculatores nil certi renunciare possent. Milites igitur moræ impatientes, magno clamore pugnæ signum poscunt, & ni mox in hostes ducantur, vltra se minantur exituros. Ea militum importunitate Duces coacti, licet inuiti, milites eductos in ordinem redigunt, sicque instructi ad hostes pergunt, qui & ipsi magno silentio vniuersis aduentabant copiis. Interea equites quidam Cæsareani progressi in hostium incidunt equites, qui admodum pauci suorum antecedebant agmen: quibus mox in fugam versis, & à peditibus exceptis à propinquo cernunt hostibus copias plusquam ex viginti millib. constare hominibus. Victis igitur equis ad Duces aduolant, ingentem hostium numerum aduentare nunciantes, quibus ipsi omnino essent impares. Nam licet equitatu insigni præstarent, peditũ tamen numero longe erant inferiores. Igitur visum est Ducibus, vt priusquã confligeretur, retro ducerentur copiæ. Iubent igitur, vt milites, nihil mutatis ordinibus, præterq̃, quod nouissimi priores pergerẽt, paulatim militari more regrederentur. Sed longe aliter vox illa est excepta. Milites enim paulo ante feroces, adeo ea exterriti sunt, vt illam fugæ signũ esse putarent. Aduentabant interim Heluetij, & iam nouissimos, nisi quantum prohibebant equites, adoriebantur. Fuit igitur fuga aperta, ignauiq; fortes etiam vna fugere cogebant, omnesque Bregentium versus tendunt. Erat lacuna ingens, in quam lacus æstiuo tempore & liquefacta alpium niue, restagnabat: tum vero aqua carebat, sed cœno altissimo erat oppleta. Ad hanc fuga delati, quoniam iter illac recta Bregentium vergebat, transire conabantur. Sed tanta erat fossæ latitudo, ac cœni profunditas, vt nemo illam exuperare posset. Ingressi igitur primi à sequentibus conculcabantur, interimque fœda colluctatione ab illuuie absorbebantur, donec lacuna tandem penitus cadaueribus repleta, sequentibus quoque transitum præberet. Et licet fugientes manifestam præ se cernerent perniciem, vt tamen imminentem effugerent mortem, in manifestum ruebant interitum. Qui vero regionis gnari erant, paruo circuitu lacunæ euitarunt periculum. Interim Heluetij, ac nouissimos cædebant: Sed ab equitatu, quem oppido formidabant, cohercebantur, quo minus solutis ordinibus, temere insequerentur. Præter eos igitur, quos lacuna absorbsit, pauci in persecutione cæcidere: reliqui salui peruenerunt Bregentium. Mox ibi ab hostium liberati timore, contra Duces tumultuari cœperunt, ac illis calamitatem hanc ferebant accepta, quo propriam culpam, in aliorum reiicerent caput. Coacti igitur sunt Duces militum cedere impudentiæ, donec motus ille aliquantisper deferbuisset. Et profecto, si quis recte consideratum velit, non solum ea clades, sed omnes aliæ ob militum præcipue temeritatem, nimiumque hostium acceptæ sunt contemptum, quum Heluetij nil nisi ex præscripto agerent, ac diligentissime disciplinam seruarent militarem: Cæsareani vero ac Sueui nimium propriæ cõfiderent virtuti, ex quibus potissimum male audiebant, tanquã clamore essent ferocissimi, manibus vero ignauissimi. Hoc plane constat, vnica ea calamitate Sueuorum concidisse audaciam, vt deinde haud facile hostilẽ perferrent aspectum, tametsi ad manus nondum peruentum fuerat. Nec adeo ingens erat submersorum numerus. Nam non vltra quingentos sunt desiderati, licet quidam numerum extenuent, alij vero adaugeant. Ceterum timor ille cum semel militum occupasset animos, non adeo facile potuit extirpari. Heluetij, cum hosti obuiam ire non auderent, conuersi retro abibant, igne interim ac ferro cuncta deuastantes, aut paganos ære mulctantes. Inde rursus transgressi Rhenum, vndique in locis oportunis constituunt præsidia, quo hostes facile à transitu arcere possent. Cæsareani verò ac socij Sueui, quo acceptam ignominiam vindicare possent, post Heluetij exercitus dissolutionẽ Rhenum transgressi, oppressisque præsidiis late igni ac ferro sunt grassati, ac præcipue Baronem de Saxo, magno affecerunt detrimento. Ceterum cum per fumi signum, quo Heluetij subsidium à suis implorare solent, hostes appropinquare intellexissent, ingenti capta præda in tutum se recepere, ac ita nunc hi, mox illi superato Rheno aduersarios infestabant: Euenitque aliquando, vt Heluetij structis ordinibus per Rheni transirent fluenta, qui hyemis illic tempore & ante alpinæ niuis dissolutionem, priusquam lacum Bregentium ingrediantur, aliquando vadosus esse consueuit: cumque anteriores iam terram attigissent, subito rumor exortus est, adesse hostes. Nam equites, qui stationes

seruare

ſeruare ſolebant, cum Heluetiorum tranſitum percepiſſent, ſpeculantes adequitabãt, ac Duces ſuorum agmen conſiſtere iubent, donec explorari poſſit, quid hoſtis moliretur. Vnuſquiſq; igitur in eo quem ſortitus erat loco ſtetit, ordinibus plane ſeruatis, ita vt ij qui terram contigerent, illic quoque conſiſterent: qui vero adhuc in flumine comprehenſi erant, in eo quoq; perſeuerarent, tametſi quidam ad humeros vſque & mentum vnda rigarentur, cum interim Rhenus vndique glacie oppletus deflueret, cuius ingentia fruſta milites per ordinum interualla, lanceis deriuantes protundebant, ſicque fere per duas perdurarunt horas, donec renunciatum eſt, nullas ſubeſſe inſidias: ſiquidem turpe putabant, hoſte non viſo retro abire; temerarium vero, inexplorato progredi vltra. Adeo ſeuere tam hic quam alibi militarem ſeruabant diſciplinam: Quæ res præcipuam illis peperit laudem & vtilitatem. Etenim reperti, quorum pedes vi frigoris ambuſti, quorundam manus, dum intentius nocturnas ſeruant excubias. Quin & animas quidam efflarunt, dum ignominioſum ac turpe putant ordinibus excedere.

Sed vt ad inſtitutum reuertamur, dum hæc circa Alpes ac Rhenum aguntur, Briſgeuenſes & Sungeuenſes iunctis vicinis copias colligunt, vt Heluetiorum fines inuadentes, eos inſigni aliqua afficerent clade, de qua re Heluetij certiores facti, ſubito eam quam poſſunt contrahunt manum, ac non longe à Baſilea hoſtium expectant aduentum, qui feroces, magno appropinquabant aguine. Heluetij igitur, longe inferiores ſe eſſe videntes, (nam vix duorum millium explebant numerum) recipere ſe conabantur, diligenter tamen ordinibus ſeruatis. Quod videntes Cæſareani, qui vltra millia ſex erant, acrius inſtabant. Id Heluetiorum Dux cernens, ſuos collem verſus, qui non longe aberat, fugere iuſſit, ita tamen vt connexis brachiis ordines nequaquam diſſoluerent. Parent è veſtigio Heluetij, ac ſubito curſu collem verſus feruntur. Id videntes Cæſareani magno eos clamore, ac ſolutis perſequuntur ordinibus: ac Dux Helueticus Cæſareanos temere inſequi, ſuoſque tam collis partem aſcendiſſe videret, magna voce illos inclamat, vt conuerſi hoſtes confuſos inuaderent, nil mutatis ordinibus, præterquam quod nouiſſimi primi deſcenderent. Heluetij vero, qui ſolita conſuetudine alto ſilentio Ducis capeſſebant iuſſa, imperio obediunt, confeſtimq; ſtructis cœperunt deſcendere ordinibus, Cæſareanoſq; fortiter exceperunt. Id illi aſpicientes, ſub initium conſiſtere, ac rurſus in ordinem redire tentarunt, ſed fruſtra. Aderant enim Heluetij, collectique diſperſos inuadebant, nec eos ſinebant adunari, ſed integris ordinibus vagos perurgebant, quoad tandem omnes in fugam verſi ſunt, acciditq; vt rurſus militum temeritate inſignis acciperetur clades. Nam cædes haud adeo ingens fuit, Heluetij enim ordines ſoluere haud audebant, timentes ne rurſus victoria è manibus eorum extorqueretur, ac ideo à perſequutione longiori ſe cohibuere.

Interea Gallus cum Cæſarem Geldrenſi implicuiſſet bello, fœdus cum Heluetiis percutit, illiſque vt fortiter perdurarent, auxilia eſt pollicitus, ac pecuniam: confeſtimque vim non paruam pyxidum (Bombardas Itali à ſono vocant) cum Magiſtris ac puluere mittit ſulphureo. Tum enim animo voluere cœpit, quæ poſtea reipſa ſunt detecta.

At Philippus Rheni Palatinus, nec non Straſpurgenſes ac Baſilienſes, bellum ſedare ac pacem facere tentarunt, ſed ab vtraque parte repulſam tulere. Heluetij enim, qui ſe ſuperiores putarent, nihil æqui admittebant, Cæſareani vero maioribus confiſi viribus, ignominioſam reiiciebant pacem, ac ſe plus quã vnquam ad bellum accingebãt. Ingentes igitur tam pedeſtres quã equeſtres contrahunt copias, quas omnes Conſtantiæ iubent conuenire. Inde enim Durgeuenſem regionẽ inuadere ac deuaſtare intendebant. E Conſtantia igitur numeroſo egreſſi exercitu, ſub initium vicũ Ermetingen nomine occupãt. In eo enim Heluetiorum excubabat præſidium, quo interfecto aut eiecto, vicum diripuerunt ac incenderunt. Inde ad vlteriora progreſſi, longe lateq; cuncta populantur & euaſtant. At Heluetij qui euaſerant, ad aliud confugere præſidium, ꝙ iuxta ſiluã Schwaderloch nomine, adhuc in ſua manebant ſtatione, illiuſq; implorarant auxilium: ac præcipue Lucernenſes. Is. n. præter ſuorũ cędem duas etiã pyxides, quas colubrinas vocant, perdiderant. Hortantur igitur ſocios, vt ſecũ hoſtẽ adoriantur, quo acceptã ignominiam delere, & amiſſas pyxides recuperare poſſent. At illi, cum ſe longe inferiores cernerent, quã vt cum tam copioſo exercitu congredi poſſent, ab inuaſione abſtinuerunt, ſed fumi ſigno vlteriora aduocãt auxilia, ex altoq; quid hoſtis moliretur, cõſiderabant, qui Heluetiorũ contempta paucitate, omnib. ſolutis ordinibus, adeo ſecure cuncta agebat & ferebat, ac ſi nemo hoſtis adeſſet. Interim vero dũ tam temere graſſantur, Heluetiorũ proximiores fumi ſigno excitati, impigre ferũr ſuis ſuppetias: & breui ita copiæ ſunt adauctæ, vt circiter mille quingenti conuenirent homines. Verum nec ſic fortunã tentare audebant, cũ cernerent hoſtes præter florentem equitatum, tam ingẽti quoq; pollere peditatu, vt etiam decẽ millium numerum excedebat. Verum cũ illos adeo diſperſos, ac cuncta abſq; imperio ac temere agere cernerẽt, ita vt nec equites ſtationes ſeruarẽt militares, ad eam deuenerunt ſpem, vt aliquid audendũ eſſe cenſerent. Diuiſis igitur copiis, quingẽtos fere præmittunt, qui locorũ anguſtias, per quas Cæſareanis redeundũ erat, occuparent: at cetera manus illos per ſiluarum tramites magno ſequebatur ſilentio, loci oportunitatẽ quęrens, quo facile hoſtẽ aggredi, & ſi res minus proſpere ſuccederet, in tutũ ſe recipere poſſet. Cęſareani etſi videbãt paulatim hoſtũ creſcere numerũ, adeo tamen illorũ deſpexerant paucitatem, vt nec ſuos à præ-

dando reuocarent,aut compositis incederent agminibus:Equitesvero pedirũ sequuti temeritatem, vndiq; ad rapinam discurrebant,cuncta agentes &ferentes,incendioq; miscentes;quamuis non deesset,quib.admodum displiceret tanta militaris disciplinæ negligentia,ac frustra admonerent,præsentib.hostibus nõ tam contemptim esse agendum.Heluetijinterim,qui taciti sequebantur,loci nacti oportunitatẽ,magno clamore nouissimos adoriuntur,cædunt ac prosternunt. Tumultus igitur oritur ingens,ac pedites aduocabãt equites:Illi vero pedites,vt in ordines redirent,hortabãtur, obterq; pyxidũ Magistri iguẽ machinis admouere iubentur.Sed & illi tormenta adeo præda texerãt & onerarant,vt illarũ vsus penitus inutilis esset.Eduxerunt Cæsareani ingentẽ curruum numerum,vtpote,qui potius ad prædã quam prœlium se exituros putarant.Quorũ aurigæ audito clamore,initiũ fecere fugæ,& cũ Heluetij vehementius instarent hostibus,nec paterentur ordines restitui: illi aurigarum sequuti exemplum,pedib.sibi quoq; consulere cœperunt.Id cernentes equites,& ipsi palam ad fugã inclinarunt,omnesq; pariter Constantiam versus contendebãt. Sed cum ad saltus venirent angustias,illosq; occupatas inueniunt,penitus animum desponderũt. Cum igitur ante & retro Heluetij vrgerẽt,ingens clades est accepta,præcipue cum currus viarum impedirent exitus.Cæsareanisq; existimarent hostẽ totis adesse viribNemo igitur retrospexit,priusquã Constantiam venisset. Tametsi nec ibi fuga sterit. Quidã enim ob timorem vehemẽtem in lacum,qui vrbẽ alluit,se immersere. Quod si Heluetij longius persequuti fuissent, maiorem etiam cædem edidissent. Adeo cunctorum animos metus occuparat.Verum paucitate sua diffisi,ac timentes,ne &ipsi ob temeritatem,cladem aliquam acciperent,ac partam victoriam è manib.emitterent, ab insequutione destiterunt, equitatus potissimum correpti timore,quo ipsi penitus carebant.Ad spolia igitur conuersi,non solum prædam recuperauerunt amissam,sed & pyxidum vim cepere ingentem, multisq; aucti diuitiis, ad solidas rediere stationes. Ea in fuga circiter duo millia defiderati sunt Cæsareanorum, cum Heluetij vix vnum aut alterum perdidissent militem magnam gloriam ob res tam egregie actas referentes.

Cæsareani ac Sueui hac clade accepta,Cęsarem assiduis aduocabant litteris,ostendentes,nil nisi ipso præsente agi posse. Accelerare igitur,ac cunctas Imperij conuocare vires,quo Heluetiorũ resisti posset violentiæ.Cęsar etsi Geldrensi implicitus esset bello,illud tamen,quib.potuit,cõposuit cõditionib.confestimq; exercitũ in Germaniam præmisit superiorẽ,cunctisq; principib.ac ciuitatib.imperialib.imperauit,vt auxilia,quo Heluetiorũ domari posset pernicacia,submitterẽt. At illi licet parere cogerentur,segnius tñ & inuiti,minores quoq;quã imperarę fuerant copias emittebant.Nouerant.n.bellum hoc nulla necessitate,sed solũ ob animorũ impotentiam & arrogantiam contractum esse.At Sueui admodũ molestę cunctationẽ hanc ferebant , & cum se factis vindicare non auderent aut nequirent,tamen(vt solent)propriam culpam in reliquos Imperij reiiciebant subditos,quasi per eos stetisset,quo minus Heluetij debitas luissent pœnas.Fiebant interim excursiones variæ,cum iam Heluetij Rheni transcenderent fluenta , mox Cæsareani nauibus lacum Bergantinum traicerent, ita vt quotidie non parua damna, incendia & deprædationes acciperentur,& inferrentur,quibus vtrinque infiniti absumpti sunt milites. Nemo enim capiebatur, sed indifferenter cuncti, qui in hostium veniebant potestatem , cædebantur.

Erant comites de Sultz Turegensium ciues,possidebantq; oppidum nomine Thungen,oportuno in loco ad irruptionẽ situm.Eo potiti sunt Cæsareani,siue comitibus dedentibus (vt Heluetij suspicabantur) seu, vt occuparetur,conniuentibus,moxque illud ingenti cum equitum tum peditum muniunt præsidio,cui præfecere nobilẽ quendã nomine Theodericum deBlumeneck,qui antiquus & peculiaris Heluetiorũ hostis erat,ac illos plurimis affecerat incõmodis.AtHeluetij rem tanti momenti nequaquam contemnendam esse cententes,confestim eductis copiis oppidum obsident,oppugnant,& tormentis quatiunt.Verum Theodoricus ille,qui paulo ante magnam præ se tulerat arrogantiam,viso hoste adeo animo concidit,vt clam cum eo prodito pacisceretur præsidio,moxq; dimissus nocte,cum iis quos saluos esse cupiebat,clam euasit. At reliqui,cum amisso Duce se proditos esse intelligerent,& ipsi quoque cum hoste pepigere,vt impetrata salute, emitterentur. Introducti igitur Heluetij,vniuersos equites armis ac vestimentis spoliant, sicq; dimittunt , reseruatis primoribus,quos secum(vt Cæsareani aiunt) contra pacta abduxerunt: oppidum vero incenderunt, ac diruerunt.Ita insigne mille equitum præsidium , cum vexillis duobus peditum , ignominiosam deditionem fecit,& cum se viriliter defendere potuisset , (Nam Heluetij haud facile oppida oppugnare solent) maluit tamen turpiter hosti cedere , quam vllum virtutis ostendere specimen. Hoc oppido capto,oppressoq; præsidio,haudquaquã quieuere Heluetij, sed temporis vsi occasione, populariter egressi sunt,vt Walgeuenses,qui defecerant,rursus imperata facere cogerent.Id Walgeuenses prævidentes,vallem,per quam ingressus patebat,fossã ac vallo egregie muniunt,&non tam suos,quam vicinos cunctos in subsidium aduocant. Conuenerat & equitatus insignis, equorum quadringentorum , in oppido proximo Veldtkirchio. Hi omnes auide Heluetiorum expectabant aduentum. At illi nihil cunctantes , recta contra Walgeuenses pergunt. Verum cum ingressum munitum ac præsidio custoditum inuenirent , copias diuiserunt , & vna parte munitiones aggressi sunt , altera per occultas semitas loci superarunt asperitatem. At qui in munitione excubebant viriliter hostium

hostium impetum, fortiterq; locum defenderũt, ita vt Heluetii perrumpere nequirent, qui vero ab alia parte per angustias irrepserant, in colle & loco superato ordines instruere cœperunt. Aduenium interim equites, cõuenereq; copiæ pedestres circiter millia sex egregie armis instructi, animo quoq; nimis magno & elato præditi: qui vt primũ hostilem inspexere aciem, illam inuadere parabant, sed impetum fluuius latus ac profundus, à montib. per vallem torrentis instar ruens, (Ylam incolæ vocant) retardabat. Equitib. quoq; ob vehemẽtiam vix permeabilis. Illum igitur pedites nimio pugnę ardore trãsgredi cœperunt, reclamantib. Ducibus, ac summopere orantibus, ne adeo temere in hostes ruerent, quorũ vires nondũ norant: sed citra flumen se cuti expectarẽt, donec omnia certius explorari ac renunciari possent. At illi suis, qui munitiones defendebant, succurrendũ esse clamarunt, quos ex frequentib. pyxidũ tonitruis, vehementer vrgeri intelligerent: moxq; nõ sine ingenti periculo, amnis superarunt violentiam, in ordinesq; regressi, hostiũ ex colle in quo constiterant, præstolabantur descensum. Præerat equitib. nobilis quidam nomine Burckhardus de Knöring, eques auratus, senex ac rei militaris peritissimus, qui cum militũ impetum refrenare nequiret, manifestũ tamen cerneret periculum, centum circiter equites flumen transgredi iubet; ne tamen cum hostibus confligerent, admonuit, sed solum illos cohiberent, ne latius excurrere auderent. Iam enim palam videbat, quid esset futurum. Reliquũ vero equitatum per turmas super fluminis constituit ripã. Ceterum Heluetii immobiles ac quieti, in ordines tamen redacti, ab alto stolidam hostiũ prospectabãt audaciam, & vt magis illorũ augerent temeritatem, timorem simulabant: copiarumq; suarũ quantũ poterant, celabant multitudinẽ, ac ita contrahebant, vt vix decem milliũ esse videretur, quum numerũ illum etiã duplo superarent. Cæsariani igitur, quũ aliquantisper expectassent, vt hostis in planum descẽderet campum, postquã illum videre immobilẽ, ac tuto se continentẽ loco, moræ pertæsi, vltra pergere, & collẽ ascendere ceperunt, ingentiq; audacia, nec vi minori hostium inuadunt aciem: qui & ipsi militũ numero & loci adiuti oportunitate, viriliter illos excipiunt. Fit igitur prælium ingens, obstinateque ab vtraque parte pugnatur, acingens editur cædes, omniaque interim pyxidum sonitu, clamore & tympanorũ resonant strepitu. Erat inter Heluetios vir quidã audacissimus, ac rei militaris peritissimus, nomine Henricus Wollebem. Hic nihil dubitauit caput suum pro patria deuouere; accepta n. longiori bipeni (halapardã vocant) quã transuersa hostiũ submisit hastis, illisq; eleuatis, tamdiu perstitit, ac vsum hosticarũ impedinit hastarum, donec multis confossus vulnerib. destitueretur viribus, ac moriens procumberet in terrã. Ea igitur parte potissimũ Cæsarianorũ labefactata est acies. Interea equites quieti, pugnã aspiciebant, non ideo solum quod Ducis obseruarent imperiũ, sed quia periculi plenũ videbatur. collem ascendere, & tam iniquo confligere loco. Verum vnus ex eis Illing nomine magnæ existimationis vir & audax, cũ turpe duceret, equites quietos pedium inspicere certamen, subditis calcarib. equũ contra hostes concitat, & alios vt sequerentur, hortabatur: sed frustra. Nemo n. eum secutus est, præter famulum vnũ: qui cum videret, quanto se hostium discrimini cõmitteret, illũ inclamauit, vt à cœpto desisteret: quod audiens ille, se conuertit, & cũ se ab aliis destitutũ videret, reditum maturabat: sed lapis pyxide excussus, equũ illius prostrauit, qui casu suo ita Dominum oppressit, vt surgere haud quiret. Id cernens famulus, ex equo desiliit, ac Dominũ multa vi extractum tanto eripuit periculo. Fuit & illi saluti, quod hostib. acie excedere prohibitũ fuerat, qui longe honestius putabant, si imperii memores essent, quam si multos etiam oppressissent equites. Euenit tamen, vt famulus ille, licet amisso equo, euaderet. Nam cum alium equitem haud procul inde inclamaret, vt illum expectaret, licet armatus, post tergum illius in equum vnico ascendit saltu, sicque saluus non sine laude ad suos est reuersus. Perdurabat interim prælium, summisque certabatur viribus: nec retulere pedem Cæsariani, priusquam cuncti cecidere, qui in prima constiterant acie, quod cum reliqui vidissent, ac iã non solum à fronte vrgerentur, sed paulatim à lateribus, quoq; circũuenirentur, pedẽ aliquantulũ referre sunt coacti. Quod vt sensere Heluetii, acrius signa intulerunt. Quẽ impetum quum Cæsariani diutius perferre nequirent, in fugam sunt cõuersi, tametsi illa non à primis, sed vltimis initium sumpserit. Recta igitur ad amnem fugerunt, in quem cum improuide se immergerent, gurgibus abripiebantur ac suffocabantur, ita vt non pauciores aquæ absumpti sint impetu, quam in ipsa cecidere acie. Id Heluetii videntes, à colle descenderant, laxataque fronte primores persequi iubent fugientes: Ipsi vero structis sequebantur ordinibus. Quod equites cernentes, & ipsi se fugæ mandare sunt coacti. Transgressi igitur flumen, reliquo se coniungunt agmini. At persequutores illi non contenti, hostes vltra amnem fugasse, connexis brachiis, ne aquæ abriperentur impetu, ipsi quoque flumen transgredi cœperunt. Et iam quidam vlteriorem contigerant ripam, quum Ducum iussu præconis reuocantur voce. Timebant enim ne ab equitatu circumuenirentur. Confestim igitur Imperio parentes, rursus se vorticibus committunt ad suosque reuertuntur salui. Id videntes equites, & ipsi taciti Velthirchum versus abiere. Et hic fuit exitus cepti tam temerarii. Ceterum desideratorum numerus iniri haud potuit, quum non pauciores vi fluminis perierint, quam pugnando cecidere in acie. Hoc constat, optimum quemq; & animosissimum ferro consumptum esse. Et erant illi non solum milites, sed & præstantiores regionis illius, digni profecto ob virtutes, qui consilia sequuti fuissent saniora. At Heluetii, cũ iam de Cæsaris

aduentu certiores redditi essent, haud vltra sunt progressi: sed imperata incolis prouinciæ pecunia ingenti: acceptisque obsidibus, confestim retro abiere.

Erat summum odium inter Hegeuenses & Heluetios, quemadmodum inter omnes ferme solet accolas. Augebatur id iniuriis quotidianis, conuiciisque assiduis: quod Heluetii vltra non tolerantes, collectis viribus, eam prouinciam sunt aggressi, ac cuncta ferro ac igni vastare cœperunt. Verum tantum abfuit vt Hegeuenses, qui paulo ante verbis fuerant feruciores, obuiam irent, vt etiam desertis præ formidine castris munitissimis, omnes fortunas suas hosti diripiendas relinquerent. Heluetii igitur per totam regionem discurrentes, omnia ferebant ac agebant, & quæcunque capiebant, mox incendio consumebant. Venere igitur in eorum potestatem arces quædam inexpugnabiles, & quæ, si defensæ fuissent, nulla vi capi potuissent. Verum Nobiles illi non tam audaces erant, ad resistendum hosti armato, quam apti ad exercenda latrocinia, & deprædationes viatorum. Nam quæstum illum à maioribus acceptum strenue exercebant, existimantes non paruum fortitudinis ac nobilitatis esse indicium, si furum instar raptu, & ex aliorum viuerent miseriis. Multa igitur male parta male quoque periere: ac decem millia aureorum in vnico castro Hoburg sunt reperta, quæ Dominus illius ex multorum hominum congregarat spoliis. Quicquid enim vndique rapiebatur, ad Hegeuenses tanquam asylum latronum ac furum deferebatur. Progressi igitur Heluetii, oppidum Stokach, quod deditionem facere renuebat, obsederunt, illudque pyxidibus oppugnare & vehementer quatere cœperunt: sed non minori vià præsidio, quod immissum fuerat, est defensum. Offendebantur & hostes pyxidum iactu assiduo ex arce Nelleniburg, quæ in colle vrbi imminente sita est. Cum igitur se frustra niti cernerent, (nam Heluetii haud facile vrbes oppugnare solent) suis parcentes collectis valis abire maturabant. Audiebant enim Cæsarianos magno aduentare exercitu, quem vndique ad vrbem propinquam Vberlingen nomine accersierant, sperantes se hostem, vt semper optauerant, in apertis deprehendere posse campis: quod & ille, cum omni careret equitatu, admodum formidabat. Verum antequam ad propria regredi posset, Cæsariani mille & quingentis superuenere equitibus, armis & equis egregie instructis. Heluetii igitur, imminens cernentes periculum, mille ex suis delegerunt, qui tam diu equites sustinerent donec reliquus exercitus cum impedimentis & inutili turba planitiem superaret, & oppido Steyn appropinquaret. Erat igitur profectio illorum non admodum fugæ dissimilis, vnusquisque enim accelerabat; ac ob equitum timorem, prior esse cupiebat, & profecto si equites ob missis mille illis impetum in reliquos fecissent, non paruam cladem inferre potuissent. Nunc vero, dum nouissimos tantum persequuntur, occasionem rei benegerendæ è manibus emisere: quamuis nec illos aggredi audérent, sed semper nouissimos premendo insequerentur: qui diligenter seruatis ordinibus pergebant, non ignari in quanto periculo essent constituti. Vt tamen suis euadendi præstarent potestatem, dignam pro patria mortem nequaquam recusabant. Tandem ad vicum magnum peruentum est, qui paulo ante conflagrarat, in quo equites hostem permansurum ac se defensurum putabant, nec longius credebant processurum. Commode igitur peditum auxilio, qui nondum aduentarant, sine suo periculo illum opprimi posse sperabant. Sed longe opinione sua decepti sunt: Heluetii enim recta per vicum transgressi, suorum sequebantur vestigia. Vndique igitur ab equitibus conclamatur, rem esse indignam, si hostis tam imbecillis in patentibus etiam campis ex eorum laberetur manibus. Audendum igitur esse, ne tanta occasio rei bene gerendæ amitteretur. Quibus vocibus equitum Duces coacti sunt equitatum in ordinem redigere, & totis viribus concurrere. Erat illo die Francorum acies prima, Sueuorum vero subsidiaria. Alternis enim diebus vices commutare solent. Verum ne Sueui se contemptos putarent, prima sagittariorum illis commissa est acies. At Heluetii equites in ordinem redactos, & iam congredi paratos esse cernentes, & ipsi conuersi demissis hastis equites excipere parabant. Sagittarii igitur Duce Sueuo nobili quodam de Rechberg, viriliter eos aggressi, scorpionum ictibus prosternebant. Francones vero hastati, quum hostilem aciem adoriri deberent, plane declinarunt, ac circumactis equis, rursus ad pristinum regressi sunt locum: quos & Sueui hastati sunt sequuti, nequaquam hostes aggredi audentes. Equites vero sagittarii, cum hastatos tam ignauiter agere cernerent, & ipsi ab vlteriori abstinerunt congressu. Assiduo enim pyxidum iactu vulnerabantur. Accurrens igitur Dux Sueuus, Francones multis proscidit contumeliis, timidos illos & indignos qui equites militarent, appellans. Nam communem ignominiam priuatum etiam augebat periculum. In brachio enim pyxidis iactu magnum acceperat vulnus. Verum nec pudor, nec conuicia Francorum restringere poterant timorem, sed immoti quasuis potius sufferebant contumelias, quam hostium lanceas obuersas. Potissimum vero Dux eorum male audiuit, cuius nomen etsi sciam, non tamen manifestabo. Heluetii vero cum hostes non amplius instare viderent, conuersi & ipsi magnis passibus acceleraruntad suos, qui iam exupereta planicie præmissisque impedimentis, suos sequentes magno exceperunt gaudio, vtpote quos iam morti destinarant, & nunquam putarant reuersuros. Equites quoque & ipsi conuersi retro abiere, alius in alios, vt fieri solet, culpam reiicientes. Nam Sueui Francorum ignominiam tantam acceptam ferebant: Francones vero Sueuos incusabant, quod nec sine illis hostes aggredi fuissent ausi, cum tot

numero

numero fuissent, vt etiam absque Franconibus victoria potiri valuissent, potissimum, cum quotidie de primo congressu contendere solerent. Sicque turpissimis inuicem contendebant maledictis, cum tamen neutra pars timorem tam turpem & ignominiam acceptam iuste excusare posset.

Interea Cæsar aduenit, rursusq; Imperii Principes ac Ciuitates in subsidium properare iussit. Qui nihil cunctati, partim ipsi aduenere, partim copias suas ad bellum misere instructas. Cæsar vero de omnib. certior fieri cupiens, ac singula discutiens, reperit, non tam militū temeritate & inobedientia, quam Ducū imperitia & ignauia tot calamitates acceptas esse. Vt igitur dehinc circumspectius ageretur, cuncta loca Heluetiis obnoxia, præsidiis munit, cōmeatum mittit, & vbiq; diligenter excubias ac stationes fieri iubet: Ipse interim aduenientes copias per loca distribuit oportuna, quoad totis collectis viribus summa vi hostes inuadere posset. Ego igitur à Republica Nurenbergensi. Dux electus, ad Cæsarē sum missus, cum peditib. quadringentis, ac ala vna equitū sexaginta, pyxidibus sex, quas colubrinas vocant, & vna maiori, nec non currib. octo, qui cōmeatum, puluerem sulphureum, tentoria, & reliqua ferrent necessaria. Iunctus est mihi inter reliquos nobiles, eques quidā Auratus, nomine Iohannes de Beyrstorff, vir rei militaris peritissimus, & tribuni ac cēturiones, egregie omnes in armis exercitati. E Nurenberga igitur egressus, recta ad Cæsarem, qui tum iuxta Bregentiæ lacum agebat, pertexi, per Sueuiāq; non sine periculo & incolarū indignatione copias duxi. Nurenbergenses n. neutiquam Sueuorū, sed Bauariæ Ducū vtebantur societate: quod quidem Sueui ægerrime ferebant. Dolebāt insuper, quod ipsi multis ex suis amissis, ingentiq; pecunia absumpta. Nurēbergenses tum copias, adhuc integras viderent, & tū demum ad belli munia exeuntes. Non æquis igitur oculis Nordlingenses, & Vlmenses, ac reliqui, per quorū fines eundum erat, nostrū aspiciebant transitum. At Cæsar cum me appropinquare audiret, obuiā misit ac iussit vt ad oppidū Tetenang (ibi n. agebat) accederē. Est illud ad lacum Bregentinum, in ditione Comitum de Montfort. Parui igitur, ac confestim illuc perrexi. At Cæsar, vt copias quas adducebā, intueretur, in campum equo insidens processit, ac diligenter illas inspexit, nō sine animi oblectatione, vt ex vultus hilaritate potuit deprehendi. Etenim tam pedites quā equites cuncti rubris induti erant vestimentis, quo colore & currus tecti erant. Armis præterea egregie muniti ac instructi, veterani omnes, & è multo electi numero, magna ex parte cæsari noti, sub quo multis annis strenue dimicarāt, præcipue tribuni ac centuriones, quos Cæsar humanissime cōpellauit solummodo, copiarum paucitas ab æmulis reprehēdebatur, quum Vlmenses duplo etiā maiora subministrassent auxilia, nequaquā considerantibus, Sueuorum ac Nurenbergēsium causam longe esse diuersā, quum illi nulla coacti necessitate bellum Heluetiis intulissent; Nurenbergenses vero nihil præter Cæsaris obedientiā in Heluetios armaret. At Cæsar ipse nil talib. monebatur cauillis, sed palā respondit, *Tot malle veteranos, quā bis totidē Tyrones.* Et erat Cæsar inter alias animi dotes hac præcipue virtute præditus, vt haud facile calumniatoribus aures præberet, sed obnixe eorum foueret innocentiā, quorū nondum culpa erat cōperta. Et profecto ni Cæsar moritus fuisset laudādis, nil mirū, si Nurenbergenses tū à Cæsarea etiā penitus excidissent gratia, quū vndiq; improborū oppugnarentur machinis. Quicquid n. sinistri accidebat, aut comminisci poterat, ꝙ innocentib. notam aliquā inurere valeret, id omne in Nurenbergensiū referebatur caput: Ita vt etiā occulti fœderis cum Heluetiis, submissiq; insimularentur subsidii: ꝙ quidē ob nullā aliā fiebat causā, quā odium singulare, ac peruersi animi prauitatē, & ꝙ nonnulli libenter culpā propriam aliorū texissent innocētia. At Cæsar me ad oppidū Lindau, moxq; Veltkirchen ducere iussit, quo paulo post ipse quoq; venit. Acceperat n. Grisenses, Curienses ac Engadinēses deliberasse, ingenti suorum manu in prouinciā irrūpere. Id ne fieret, totis viris. occurrēdum esse censuit. Vndiq; igitur copias Veltkirchē conuenire iubet, vt superatis montib. hostes ab inuasione coherceret, & vt illorum vires distraheret. Sanguenses ac Brisgeuēses hostilē terrā inuadere iussit. Qui nihil morati, magnis collectis copiis per Tornacensē agrum irrumpere parabāt. Id quum Heluetii resciuissent, cōfestim occurrunt suosq; in aciē constituunt, confligere parati, si quis obuiā iret. Id videntes Cæsariani, magis de fuga quā pugna cogitare cœperunt. Turpiter igitur dilapsi, ad propria cum ingenti rediere ignominia. Nec Heluetii longius illos, pīsequuti sunt, equitat⁹ potissimū timore, sed exustis villis quibusdā, & ipsi abiere retro.

Interea dum Cæsar in contrahendis distinetur copiis, Engadinenses cum sociis opinione celerius egressi per Monasterii vallem, in campū, vt vocant, Malsensem, erūpere conabantur. Ea est planities inter alios montes latissima, fertilis & amœna, oppidis & multis exculta villis & ædificiis, in cuius summitate Athesis oritur fluuius, qui inde Italiam versus magno labitur impetu. Cæsariani igitur, vt hostes ab ingressu arcerent, Monasterii vallem, per quam introitus patebat, fossa ac vallo egregie munierant, præsidioq; imposito diligenter obseruabant. Verū cum hostium percepissent aduentū, vndiq; populariter ad defensionē aduolāt. Aderant interim hostes maximis copiis ac magna vi munitiones sunt aggressi, verū lōge maiori sunt reiecti, ita vt semel ac iterū reuersi, fugæ se mandare cogitarent. Sed inhibabant Duces à tergo, nō solū verbis ac hortationib. sed verberib. etiā minis & conuiciis suos in aciē redire cogentes. Diu igitur certatū est, multiq; hostiū è vallo pyxidū maxime cadebant ictib. Videntes igitur, ꝙ perrumpere non valerent; Diuisis copiis per semitas in vias & occulta montiū precipitia potius ruebāt, quā descendebant, Cæsarianosq; à tergo aggressi, nouissimos cœdere inceperūt. At eqtes hęc cernētes, nullas suis ferebāt suppetias, sed immoti ac quieti suorū inspiciebāt

discrimen, licet magno præstarent numero. Quum igitur Cæsariani à fronte & à tergo vrgerentur, primum munitiones derelinquere sunt coacti, deinde etiam acie profligati, ad fugam inclinarunt manifestam. Quod si illis equites in tempore auxilium tulissent, aut plane vicissent, aut hostes saltem ab ingressu arcuissent. Nunc vero suorum destituti ope, vltra resistere non valebant. Iniecit & illis timorem, bouinum cornu inflatum ab hostibus. Nam eo decepti sono, Vrienses ac reliquos Heluetios aduenisse putabant. Illi enim inter pugnandum eo sonitu suos ad prælium animare solent. At equites, cum suorum cernerent fugam, non solum hostes in planicie aggredi aut cohercere ausi non sunt, sed subditis calcaribus effusissime ac turpissime aufugerunt. At hostes in planiciem progressi, oppidum Glurens, Mals, & villas cunctas ad Letzium vsque combusserunt, omnia diripientes ac agentes, ita vt etiam Athesis accolis non paruum iniicerent timorem. Verum cum de Cæsaris aduentu certiores essent redditi, vlterius progressi non sunt, sed celeriter se recepere ad propria, duabus prius fossis ingentibus suorum corpora tumulantes. Cæsarianos vero circiter mille cæsos in campis sub dio insepultos reliquere, quum tamen longe plures amisissent ex suis. Cæsar quum cladem hanc accepisset, maxima indignatione permotus est, præcipue vero Ducis ac equitum ignauiam moleste tulit. Verum cum Dux paulo post affuisset, multis verbis culpam suam diluit, asserens, haud tutum fuisse, equitatum inter montium angustias hosti obiicere tam potenti, ac ita amicorum auxilio, qui tum in aula Cæsaris potentes erant, iram leniisse videbatur. Verum ob hanc ignauiam nunquam postea ad propria redire est ausus, iuste eorum iram timens, quorum necessarios non solum ad mortem perduxerat, sed turpiter etiam dereliquerat, quum obiter proditionis quoque insimularetur. Existimabant enim prouinciales, si etiam ob loci iniquitatem peditibus succurrere haud potuisset, facile tamen illum in campis patentibus hostium persecutionem reprimere, & à tam effreni prædandi ac vastandi licentia, cohercere valuisse.

Aduenit interim magnis copiis Cæsar, castrisque in campis patentibus locatis, deliberabat, quo pacto acceptam vlciscereturcladem. Ibi variæ dictæ sunt sententiæ, quum quibusdam impossibile videretur, per montes tam altos & præsidiis munitos, in hosticum irrumpere: aliis autem, viam etsi longiorem, ostendentibus, per quam ingressus pateret. Eam sententiam Cæsar approbauit. Erenim non solum Engadiensibus ob iniurias nuper acceptas indignabatur, sed etiam, quia bello huic initium & causam dedisse videbantur, & quod semper Austriæ Ducibus fuerant inobedientes, pœna dignos iudicabat. Quindecim igitur millia peditum, ex omni militum elegit numero. Nam equitum vsus inter montes tam altos nullius erat vtilitatis. Has copias per tramites occultos ac longas ambages in Engadinensem vallem perduci iubet, additis ductoribus viarum gnaris. Ceterum quia ob tanti exercitus multitudinem commeatus in locis defecerat montanis, ac plerique multos dies fine pane exegerant, vltra montem, quem Braium appellant, in vallem Tellinam Mediolanensi Duci subiectam, mittere constituunt, vt illinc copiis prætereuntibus alimenta adferri possent. Nam illi per aliam immittebantur viam. Me igitur Cæsar vocauit, ac iussit vt ducentos pedites ad Braii montis radices mitterem, ibique donec ipse aduenirem, præstolarer: haud tamen apertuit, ad quem vsum illorum opera vti vellet. Parui igitur, & tribunum vnum pedites ad locum designatum ducere iussi, ac mox cum equitum meorum ala sum subsequutus.

Accidit, vt forte inter eundum per villam magnam, sed exustam, transirem, in cuius exitu duas deprehendi vetulas, quæ agmen quadringenta fere puerorum paruorum, nec non puellarum, haud secus ac pecorum gregem præ se agebant. Erant omnes extrema macie ob inediam confecti, vt effigie sua prætereuntibus horrorem quendam iniicerent. Interrogaui vetulas, quo nam turbam tam miserandam ducerent. At illæ tanquam attonitæ, ac vix præ dolore ac fame ora aperire valentes, responderunt, confestim me visurum, quo nam tam infelix ageretur iuuentus. Vix hoc dixerant, cum ad pratum quoddam deuentum est, in quod ingressi, ac in genua prolapsi, bestiarum instar herbas depascere cœperunt, hoc vno distantes, quod illæ morsu vescuntur; hi vero manibus cibum decerpebant: & iã vsu herbas discernere didicerãt, ac nouerãt, quæ amaræ seu insipidæ, quæ suaues aut gustu essent præstantiores. Præcipue vero, herbã eligebant accetosam, quam & præ ceteris dignoscebant. Ad tam dirum igitur spectaculum obstupui, ac tanquam amens diu constiti. Rursus igitur vetula inquit, En cernis, cur nam calamitosa hæc turba huc sit deducta, cui longe magis profuisset, si nata foret nunquam, quam tot ærumnis subiici, ac tam miseram exigere vitam. Ferro cecidere patres, fame vero matres abactæ sunt: bona in prædam cessere, ac habitacula flammis sunt absumpta. Nos miseræ ob vltimam senectutem hic sumus relictæ, quo infelicissimam hanc iuuentutem bruto rum instar ad pascua agamus, & quantum valemus, herbarũ esu sustentemus. Speramus tamen breui tam illos quam nos à tantis absolutum iri miseriis. Etenim quamuis duplo plures fuissent, breui tamen ad hunc redacti sunt numerum, cum quotidie aliqui fame & inedia deficiant, longe profecto celeri morte, quam prolixiori vita feliciores. Hæc cum vidissem ac audissem, lacrymas continere nequiui, tam miserandam hominum sortem miseratus, ac bellicum furorem merito detestatus.

Inde ad locum processi condictum, quo paulo post & Cæsar cum paucis venit equitibus, impetrans, vt pedites montem transcendere iuberem, quo eos conducerent, quos commeatus gratia

Burmi-

Burnium in vallem Tellinum misisset. Mediolanensis enim Dux pollicitus fuerat, se exercitui de omni cõmeatus genere prouisurum. His imperatis Cæsar discessit. Verũ pedites mei iussa facere negarunt non n. tanto periculo capita subiicere volebant, quũ tã pauci numero essent, hostesq; vndiq; imminerent, & pleriq; antea Cæsaris quoq; milites tantum discrimen subire recusauerant. Prætendebant & signorum absentiam, sine quibus se nusquam ituros affirmabant. Tandẽ post multa vltro citroq; dicta, eo res deuenit, vt ituros se pollicerentur, si ego præire & illos ducere vellem. Ne igitur calumniatoribus ansam aliquam præberẽ, Cæsarisue indignationẽ incurrerẽ, confestim ab equo cataphracto descendi, depositisq; armis equestribus, sumptisq; pedestribus, præire cœpi, ac milites, vt sequerentur sum hortatus. Supererãt adhuc quatuor fere diei horæ, quib. nos viarum Duces montis verticem superare posse affirmabant. Sed longe spe illa decepti sumus. Quum enim in altũ venissemus, ob niuis resolutionem difficilime pergebamus, ita vt milites nõnunquam fere absorberentur, ac ob niuis densitatem, ac lubricitatẽ terræ vehementissime defatigarentur. Tandem vero circa nonam medium in summum deuenimus verticẽ. Ibi in paruo tuguriolo (quod tamen non omnium capax erat) aliquantisper interquieuimus, inedia pariter & nimia defatigatione tantũ non enecti. Deinde montem descendere cœpimus, & sub diluculum ad aquas calidas, quæ ex montis scaturiũt radice, deuenimus. Inde circiter meridiem Burnium lassi & famelici sumus ingressi. Verum nihil ex iis, quæ Mediolanensis Dux promiserat, inuentũ, sed hostium vim ingentem illuc confugisse deprehensum est, ita vt nõ sine dubio & timore diem illum exegerimus. Postridie vero summa festinatione inde discessimus, vix quinquaginta iumenta commeatu onusta nobiscũ ducentes, & iter ad exercitum, qui in Engadinam irrupturus erat, nec longe distabat, direximus, ascensoq; monte altissimo, ad arcem deuenimus munitissimam, per quam, & nusquam alibi, iter patebat. Ea Mediolanensi tenebatur præsidio, quo quum peruenimus, ob nimium loci præcipitiũ equi non paruum spatium per scalas (mirum visu) ascendere cogebantur. Bini enim homines ab vtraq; parte, frena, ne retro caderent, tenebant. Bini quoq; latera seruabant. Sequebantur inde, qui stimulis, clamore & adhortatione iumenta progredi adigebant, ita vt in aere sũspensa per scalas latiores in summũ tandẽ multo sudore ac labore peruenirent. Hanc ob causam & arci quoq; Scalæ nomen inditum est. Superata igitur arce, paulo post ad aliũ exercitũ, qui iam castra locauerat, peruenimus, nequaquã illum, vt sperauerat cõmeatu reficientes. Ab accolis tamen Italis vini copia ingens in castra est perlata, quod milites longa inedia macerati (quippe qui plurimos dies sine pane exegerant) auidius ingurgitantes admodum inebriabantur, tumultuantesq; mutuis se conficiebant vulneribus. Postridie omnibus copiis ad vallem perquam amœnum, quã incolæ ad vineas appellabant, deuentũ, ac ibi pernoctatũ est. Nam quamuis deliberatum esset, vt eo die irruptio fieret, cum tamẽ multitudo tanta tardius ob viarum angustias progrederetur, diesque in occasum vergeret, castra in valle sunt locata.

Postero die duabus ferme ante ortum Solis horis, tria Cæsaris vexilla, vt vocant, ordinatia (quibus & meum ob veteranorum existimationem est additum) cum duobus millibus militum ad occultas montis semitas sunt transmissa, additi quoq; viarum Duces, pollicentes, se breui manum hãc super hostium capita, qui montis, per quẽ irrumpendum erat, cacumina obseruabant, perducturos. Ad montis igitur progressi radices, per asperos, confragosos, ac feris pene inuios calles, non sine præcipitii periculo & labore ingenti, donec tandem ad loca, vndiq; niue oppleta deuenimus. Ibi non minori difficultate quam in aspretis est laboratum. Nix enim ob anni resoluebatur temperiem. Nam Mensis erat Iunius. Ac ideo milites ægre pergebant, ob nimiã lubricitatem niuis ac luti, haud facile vestigia sistebant. Reliquus interra exercitus vniuersus, præter mille milites, qui à sinistro latere se hostibus ostendebant, recta montem, per quem irruptio patebat, ascendere cœpit, pedetentim tamen, vt hostium oculos à circumuenientium abstraherent aspectu.

Erat mons altissimus, ac in summitate perpetua niue repletus. Illic Engadinenses in ordines redacti, hostium præstolabantur aduentum, minutissimarum auicularum gregẽ ob nimiã celsitudinẽ repræsentantes. Emittebant tamẽ plures ex suis, qui è summo descendẽtes saxa ingẽtia deuoluebant ac agmẽ quoq; quantũ poterat vltra progredi inhibebant. Suffoderãt quoq; vndiq; scopulos ingẽtes, ac magni ponderis cautes, arboreisq; sũspenderant truncis, quib. faciliter dispullis, cõfestim saxa magno ruebant strepitu, ac ingentẽ montis partem secum in præcipitiũ trahebant. Sed hoc nostris saluti fuit, quod cuncta quæ impellebantur, aut deiiciebantur, ab niue mox absorbebantur altissima. Id ni accidisset, impossibile profecto fuisset, loci à natura tam muniti & præsidio firmati iniquitatẽ superare. Interim dum sic vtring; ab antesignanis pyxidum ac lapidum iactu, sagittis quoque & balistis certatur, ac magnum agmen immobile hæret, milites præmissi, paulatim in montis surrepserũt verticẽ, ibiq; se colligẽtes, in ordines redibant: quo facto, significri rotatis circũ capita signis, magno agmini (nã iam in illius conspectũ venerãt) in montis summitatẽ se peruenisse significant. Id milites videntes nihil morati, & ipsi vi magna perrũpere conantur. Et iã qui à sinistra incedebant ala, hostes circũuenire cœperũt: qui tũ primũ percipiebãt, quatuor illa vexilla cũ militib. suis in mõtis emersisse summitatẽ. Diuisis igitur copiis, illos ab vlteriore progressione phibere nitebãtur, sed frustra, vix n. primo tẽtato certamine, in fugã vertũtur. Interim agmẽ magnũ progreditur, & q in sinistra constiterant

ala,

ala, ab illa quoq; parte hostes adoriuntur, ita vt Engadinenses & à fronte & à lateribus vehementer vrgerentur. Impares igitur se cernentes, ac tam copioso exercitui resisti posse diffidentes, vndique fuga sibi consulere cœperunt. Per montium igitur abrupta, ac semitas notas, multis ex suis amissis dilabuntur. Cæsariani igitur rursus coniunctis copiis, montem descendere cœperunt.

Accidit hic, vt niuis pars quædam ingens vel nimio oppressa pondere, vel solis liquefacta calore, à reliqua niuis diuulsa sit congerie, ac per montis deuexum, quantum iactus est arcus, acta, plusquã quadringentos secum arripuerit milites, quos omnes altissima inuoluit vertigine: eratque spectaculum illud sub initium horrendum, cum tot homines eodem raperentur impetu, & tanquam fluctu quodam absorberentur. Sed paulo post in risum est versum, cum milites vndique tanquam terra editi emergerent: Omnes tamen hastas, aut arma, siue capitis aut pedum amiserant tegumenta, tam etsi nemo, quantum sciri potuit, fuit desideratus: multi tamen vehementer sunt collisi.

Per immensum igitur iter ac multo sudore tandem circa solis occasum in Engadinensem peruentum est vallem, amœnam & multis excultam oppidis ac villis. Verum hostes Oeni fluuii (nam is torrentis instar per Engadinensem vallem labitur) pontem, per quem transeundum erat, incenderant. Restincto igitur non paruo labore igne, ponteque refecto, copiæ sunt traductæ, castraque in vico quodam, Scaneu nomine, sunt posita. At Engadinenses quam primum Cæsarianos pontem transgredi viderunt, propriis manibus oppidum magnum & propinquum, quod Sutzium vocabatur, incenderunt. Eam igitur noctem milites defessi & inedia macerati, in vico transegere. Nam hostes, quo Cæsarianos fame vrgerent, cuncta ad victum pertinentia vel corruperant, vel penitus abstulerant. Orto die tribus agminibus ad vlteriora est progressum, præibat enim turma, quam amissam vocant, cum pyxidibus quatuor, quæ ingenti labore illac erant perductæ. Nam vt plurimum in montium saltibus vna tantum vehebantur rota, quem altera funibus colligata, ac suspensa, à militibus qui in altiori incedebant loco, sustentaretur. Sequebatur agmen magnum, semper ordines suos conseruans. Impedimenta vero ac turbam inutilem vltimi tuebantur. At Engadinenses, & ipsi suis præcedebant agminibus, cuncta vastantes, ac diripientes, & si quandoque loci offerebatur opportunitas, gradum sistebant, ac tanquam pugnaturi se ostendebant, sed cum nostri propius accessissent, rursus citato gressu abibant. Haud pares enim erant, qui tantis copiis resistere possent. Cuncta interim flammis relucebant, ac magno fragore vndique ruebant ædificia. Conflagrarunt igitur præter Scaneuium & Sutzium, Somada, Comouascum, Pons rosinus, Vadellum & Scancellum, cum reliquis cunctis Tirauum vsque. Quin & illud quoque Engadinenses ipsi comburebant, ne cer Cæsariani illac haud peruenirent. Tandem sub solis occasum castra iuxta vicum quendam sunt locata, ibique à Ducibus est deliberatum quonam postridie esset proficiscendum, siquidem maior pars per vallem Tellinam, quæ non longe aberat, redeundum esse censebat. Ibi enim militem fame & labore fessum refici posse arbitrabantur, quoniam Mediolanensi Duce amico vterentur: alia vero pars nequaquam Italis fidendum esse censebat, potissimnm cum hostes vndique ab illis receptatos esse constaret, & Dux ipse parum obuenuisset, quæ de commeatu mittendo promisisset: Insuper per montem altissimum in Vallem Tellinam ingrediendum, rursus per montem Braium reuertendum esse dicebant, quod quidam vltra laborem immensum, periculo non careret, etiamsi Itali fidem plane inuiolatam seruarent. Conuenit igitur, vt per ante emensam rediretur viam, cum eo vnico tantum die, si acceleraretur, exigi posset: deinde vero facile in tutum iter patere ferebatur. militibus interim perdurandum, & famis molestia quocunque modo toleranda esse dicebatur. Hæc igitur sententia vicit, ac summo mane exercitus compositis rursus ordinibus celeriter per pristinum iter redire cepit, nec illum hostis à tergo vrgebat. Præcesserat enim & montis cacumina, per quem in vallem Tellinam iter patebat, occuparat, vt sic Cæsarianos arcere, aut etiam si posset penitus opprimere liceret: & profecto si illac iter fuisset directum, vix incommodum aliquod magnum cuitari valuisset. Cum igitur toto die assidue esset progressum, tandem sub noctem Sarnetium est deuentum, quod oppidum sub huius belli initium dum inferior pars Engadinensis vallis exuritur, conflagrarat. Quod si paulisper esset cessatum, in magnum discrimen vniuersus incidisset exercitus. Nam sub eius aduentum incolæ pontem deiicere incœperant, & ni fuisset acceleratum, plane transitus inhibitus fuisset, militesque fame potius quam gladio periissent. Parumper igitur quieti datum est, & sole nondum orto, rursus iter continuatum. Per altissimum enim montem, (quem incolæ Bufalauram ob ventorum flatum vehementiorem appellant) erat redeundum. Mutati igitur ordines, & agmen illud amissum, quod vniuersum ex veterano constabat milite, omnibus aliis præmissis, à tergo sequebatur, hostem ab incursu, si inuadere auderet, repulsurum.

Magna igitur fame ac sudore sub solis tandem occasum, montis huius altissimum superatum est iugum, ac in pacatum deuentum, non sine multorum amissione militum, qui partim inedia, parum vero laboris absumpti fuerant magnitudine, siquidem ita famis inualuerat malum, vt milites inter eundum herbas euellerent & pecorum more deuorarent. Cernere quoque erat quosdam ingenti vi famis mentem perdidisse, ac tanquam rabie percitos plane insanire. Non parum tamen saluti fuit aquæ dulcis copia, quæ per totum iter è montium scaturiens latebris, non parum exhausta militum reficie-

reficiebat corpora. Ceterum nec in pacato fames exsatiata est. Quamuis enim Cæsar vndiq; sub exercitus reditum commeatū adferri iussisset, incuria tamen præfectorū omnia sunt neglecta. Dispersi igitur vndiq; milites sine ordine & imperio dilabebantur discurrentes, ac cibum, vtcunq; poterant, quærentes. Sequenti die & ego quoq; cum equitibus quatuor, qui me sequebātur, ad Cæsaris castra, quæ tum iuxta Vicum Pfuntz nomine posita erant, perrexi, acciditq; vt inter eundū rusticus quidā mihi obuius fieret, qui vini vas ingens in curru vehebat Substiti igitur, vt viderem, quo nā pacto milites palantes vinū illud partituri essent. Mox igitur magnus illorū accurrit numerus, ac quidā lanceis vas perforabant, vinumq; galeis exceptū hauriebant: alii vero moræ impatientes pyxidū exonerationibus vas pertundebant, ita vt vndiq; merū effunderetur. Hinc iterū & tumultus initium, qui adeo increuit, vt in eo circiter quinquaginta cæderentur homines, ac plus centum vulnerarentur. Etenim non secus ac si rabie aggrentur, inuicem sæuiebant: Et quāuis discerni nequiret, quis amicus seu inimicus esset: indifferenter tamen mutuis se conficiebant vulneribus, ignari quem quisq; peteret. At ego cum tam crudele vidissem spectaculum, dimisso sodalitio, quod super mortuorum adhuc potabat cadaueribus, ad Cæsaris tandem castra inedia & labore tantum non enectus perueni. Ceterum nec ibi res erant quietæ, sed milites ob victus penuriam omni despecto imperio à signis dilabebantur. Id Cæsar videns, ad Castrum Landeck perrexit, vbi plane ab exercitu est derelictus, quem & festinans coactus est sequi. Ita vis famis cunctos vrgebat.

Ceterum ne profectio illa fugæ similis videretur, rogatus sum à Cæsaris consiliariis, qui tum ibi substiterant, vt non recta via sequerer abitū, sed retro conuersus, rursus per Arlensem redirē monte. Ita n. hostium incursum prohiberi posse existimabant, si illi audirent, prouinciam illā haud quaquā omni destitutam esse milite. Parui igitur, licet multis circūuentus periculis & difficultatibus: & ne æmulis aliquā calumniandi prętarem occasionem, summo labore ac periculo & machinas & currus vltra montem traducere curaui altissimum, ac cunctis demū copiis ad oppidū Lindau perueni, quo paucis antea dieb. & Cæsar quoq; applicuerat. Ceterum etsi existimarem me pretium fecisse operæ, & Cęsaris paruissem consiliariis, ac tantum exantlassem laborem, longe tñ res aliter cessit. Siquidem Nurembergensium æmuli, me apud Cęsarem criminati fuerant, tanquā milites mei initium fecissent abeundi, licet plane constaret, me solū cum copiis cunctis, aliis recedentibus, substitisse, ac per Arlēsem montē illuc rediisse. Coactus igitur fui palā me coram Cæsare & multorū conspectu principum excusare, tametsi magis de inimicorum cōquererer calumnia, quam falsas diluerē obiectiones, quū & consiliarii quidam præsentes essent, qui precib. etiam reditum meū per Arlensem impetrauerāt monte, ac manifeste scirent, cuncta quæ mihi obiicerentur, vana esse, & à calumniatoribus conficta. Acrius igitur in æmulos sum inuectus, Cæsaremq; rogaui, ne de hinc facile talib. hominib. aures pręberet, quoniam nullam nec veri nec honesti rationē haberent, petiiq; vt si quis me accusare vellet, coram proferret, quo illū palā mendacii atq; calūniæ arguere possem. Verū nemo cōtra hiscere est ausus, sed alrū fuit silentiū. Cæsar itaq; me bono animo esse iussit, asserēs, se pro cōperto habere, nullā mihi hucusq; culpā obiici posse. Pergerē itaq; quēadmodū cœperā, & ad belli exitū fortiter perseueratem.

Deinde paucos post dies ad oppidum transiui Vberlingen: quo & principes & confœderatorum accesserant Duces, ibiq; deliberabant, quid porro esset agendum. Qui igitur rei bellicæ erant periti, suadebant, vt Ciuitas aliqua Heluetiorum in plano sita cunctis obsideretur viribus. Cōfestim enim hostes in suorum aduolaturus auxilium, sicq; Cæsarianis, qui pyxidum & equitum præstarent multitudine, occasionem bene gerendæ rei oblatum iri. At qui timidiores erant, nequaquam aleæ rem tantam cōmittendam esse censebant; Sed suadebant, vti multis pariter in locis hostium lacesseretur regio, quo passim eorū virib. distractis, assiduis ipsi delassarentur incursionib. Sic n. fore, vt facilius ad pacis se inclinarent conditiones, & imperata facere haud recusarent. Ceterum ad hoc peragendum longe maiorib. opus esse copiis asserebant. Necesse igitur esse, vt Cæsareo edicto subsidiū tam ab Imperii principibus, quam ciuitatibus, accerseretur. Quæ sententia quoque vicit, & ego à Cæsare iussus sum, vt vltra litteras ac mandatum eius ad Senatum scriberem Nurembergensem, ostenderemq; & negotii magnitudinem ac necessitatem exigere, ne vllo modo iussa negligeret, sed quanto citius posset, mitteret supplementum.

Deinde Cæsar cunctis copiis locum transgressus, Constantiam peruenit. Id cum Heluetii intellexissent (nam ab alto & stationibus suis hostilem aduentum cernere poterant) fumi signo suos in auxilium aduocant, qui nihil morati, vndiq; confluebant. Leuia igitur quotidie cōmittebantur prælia, quum iam Cæsariani Heluetiorum inuasissent stationes: mox illi reiectis hostibus acrius à tergo instarent, licet ob equitatus timorem nequaquam in plana descenderent, iussit Cæsar præconis voce centum promitti aureos, si quis hostem captiuum adducere posset, quo certior fieret, quid in animo voluerent Heluetii. Sed frustra hoc fuit præconium. Nullus enim hostiū in Cæsarianoū deuenit potestatē, tametsi assidue ex stationib. procurrere ac manus conserere numquam intermitterent, interfici ergo potuere, capi nequaquam. Non tñ cadebant inulti: Et quēadmodum ipsi honestam mortē captiuitati præferebant turpi, ita nemini quoq; parcebant, sed indifferēter omnes qui in manus eorū deueniebāt obtrūcabāt. Tandē Cæsar cūctis collectis copiis, ex Constantia mouit, & in plano ante vrbem tam equestres quā pedestres instruxit ordines, adiunctis pyxidibus, ac si cōfestim

cõfligere vellet. Et erat profecto res visu dignissima, tam florentẽ & copiosum inspicere peditatum, nec non equitatum ingentẽ, armis & equis egregie ornatũ. Stetere igitur acies, confligere paratæ, si hostis in æquum descenderet. Sed is se in alto suis continuit ordinibus, Cæsarem excipere paratus, si in colles ascendere, & ipsum iniquo loco inuadere auderet. Quum igitur diu ita perseueratum esset, à neutra tamen parte longius moueretur, Cæsar copias iterum Cor. Itantiam ducere iussit, ibiq; aliquot cõmoratus diebus, assidue inuadendi præbebat speciẽ, quo hostes, quorũ copiæ assidue augebãtur, detineret, & ne reliquis cõfœderatis, quos interea adoriri statuerat, auxilio esset, auerteret.

Heluetii interea Cæsari scribunt, ac rogant, ne inimicis suis nimiam adhiberet fidem. Illos enim nihil aliud agere, quam vt omnem belli culpam in Heluetios reiicerent, cum tamen ipsi cunctorum malorum causa & origo fuissent. Inuitos se arma cœpisse, quæ & deponere essent parati, si ipse anneueret, vt vtriusq; partis dissidia & contentiones iuris ordine terminarentur, aut amicabili compone rentur transactione. Certos se esse, si Cæsar sub initium adfuisset, rem nequaquam ad tantam peruenisse contẽtionem, nec tantum humani sanguinis fuisse effusum. Daret igitur operã, vt innata sua bonitate ac mansuetudine discordiæ tollerentur, ac tam ingentibus malis finis aliquis imponeretur. Quod si petitiones eorum tam iustas contemnere pergeret, se tam coram Deo quam hominib. obtestari, nequaquam sua stetisse culpa, quo minus tanti belli sedaretur tumultus. Certos se tñ esse, si humana contemneretur æquitas, diuinum tñ eis haudquaquam defuturum auxilium, cuius quidem rei iam pridem euidentissimum ostensum fuisset indicium. Inuitus se libertatem à maiorib. acceptam armis defendere coactos. Nequaquam tamen sibi ipsis, si vltra vrgerentur, defuturos, sed vt viros deceret, honestam semper morte ignominiosæ paci aut turpi prelaturos seruituti. Ad hæc Cæsar nihil respondit, aut quia litteræ istæ apertum hostium animorem arguere, nimiamq; pacis cupiditatem ei ostendere viderentur, aut φ arrogantius, quam deceret, scriptæ censerentur. Existimaretur quoq; hostes assiduis vexatos ac debilitatos incursionibus, imperiũ tandẽ vltro suscepturos, ac iussa inuitos quoq; facturos. Stabat puella, quæ litteras attulerat, in aula (neutra enim pars eo in bello caduciatoribus vtebatur, sed tantũ vetulæ quædam, aut puellę immaturæ internunciorum fungebantur officio) responsionem expectans. Hanc Regii quidã satellites compellantes interrogabant, quid nam Heluetii in statione agerent. At illa, Nonne palam cernitis, ait, vestrã eos expectare inuasionẽ? quumq; sciscitarentur, quot numero essent: Quot satis sunt, respondit, pro incursionibus vestris repellendis. Sed cum illi acrius instarent, vt numerum eorum recenseret, ni fallor, inquit, in conflictu ante huius vrbis portas nuper cõmisso eos numerare potuistis, ni fuga oculos vestros excæcauit. Sed numquid (intulere) quod comedant habent: at illa rursus, quo pacto nisi manducarent & biberent, viuere possent? Talia cum nõ sine risu à circumstantibus excepta essent, quidã, vt puellã perterreret, minatus est, se illi caput detruncaturũ, iamq; manum gladio adhibebat: at illa haudquaquã perterrita, plane inquit te virum fortem esse ostendis, dũ puellæ tã iuuenculæ morte inferre minitaris, atqui si tanto digladiandi tenetis desiderio, cur non in hostiles ruis stationes? inuenies profecto illic virũ aliquem, qui confestim tuæ respondeat ferocitati, sed facilius est inermem ac innocentem inuadere puellam, quam hosti occurrere armato, & qui non verbis, sed factis rem agere nouit. Hæc quum nõ sine iucunditate auditem, puellæ indolem ac liberam respondendi audaciam sum admiratus.

Cæsar autem paulo post cum exercitus parte Lindauium nauigat, iubetq; Duces, quos Constantiæ relinquebat, vt assiduis incursionibus Heluetiorum stationes lacesserent, ac irruptionem in Turgeuensem prouinciam simularent, ipse expeditis nauibus eas quas secum adduxerat copias lacum superare ac hostilem terram aggredi mandat. Hanc ob causam & me cum veteranis meis aduocauit. Hæc autem ideo agebat, vt hostium vires vbique distraheret, illosque teneret suspensos, & à mutuo prohiberet auxilio, dum vnusquisque prouinciæ suæ timere cogeretur, ac incertus esset, quonam prima euaderet irruptio. Iusserat autem magnum obiter Curiæ Magistrum Comitem de Fürstenberg, cum equitatu ac veterano milite à Geldrensi reuocato bello, copiis tamen illis immensum auctis, iuxta Basileam hostilem inuadere terram: Ipse milites Lindauium nauibus impositos confestim vento flante secundo, vela facere imperat. Inde igitur soluentes, magna parte diei per lacus ferebamur vndas, & iam hac in parte, mox alia nos descensuros simulabamus, quo hostem redderemus ancipitem, & ab incursus prohibitione abstraheremus. Tandem vero iuxta oppidum Rosach, terram attigimus, è nauibusque egredientes, ordines struere cepimus: quod hostes qui illis in præsidio erant videntes, in nos impetum facere, & vi magna rursus ad naues repellere nitebantur. Verum, quia longe numero erant inferiores (vix enim ducenti erant) non diu viribus nostris resistere poterant. Veruntamen haud fuga sibi consoluerant, sed pertinaciter dimicantes ac eisdem stantes vestigiis, nequaquam inulti cadebant. Prostratis igitur illis ad oppidum Roschach progressi sumus, illoque direpto ac incenso, rursus nos ad naues recepimus. Verum dum milites illas ascendere incipiunt, & vnusquisque primus ingredi cupit, sub initium tumultuarum est: mox fuga sequuta est aperta, licet hostis nusquam appareret, aut à tergo vrgeret. Stabant Duces ac tribuni, magna voce milites à fuga reuocantes, sed frustra. Tanto enim impetu in naues ruebant, vt aliquæ nimio pondere pressæ, submergerentur. Id nautæ videntes, quo imminens euitarent periculum, à terra naues subducebant, at milites nihilo secius vndæ se committentes, adnatabant, & vt à suis recipe-

reciperentur, precabantur, qui vero natandi erant imperiti, aut mergebantur, aut alios corripientes vna submergebant. Veterani tamen milites cum signis suis Duces haud derelinquebant, sed quieti, in consideratam illam & turpem inspiciebant fugam. Tandē cum timor ac furor aliquātisper deferbuisset, & ipsi quoq; Duces sequuti compositè ac quietè naues ascendere parabāt. Verum naues adeo timore percusi erant, vt naues haud quaquam terræ admouere auderent, sed in vndis fluctuantes milites aquam ingredi & adnatare hortabantur. Coacti igitur sunt & veterani cum Ducibus se fluctibus committere, accidit que vt qui statura essent breuiori, ac terram pedibus attingere nequirent, natare cogerentur: Ceteri vero eminentiores (inter quos & ego eram) ad humeros & mentum vsq; immergerentur vndis. Quod si hostis vel paucissimo adfuisset numero, & à tergo institisset, ingens profectò clades esset accepta. Verū quia cuncti fere, qui in statione fuerant, ceciderant, & subsidia quæ sub initiū fumi aduocata fuerant signo, tardius adueniebat, absq; hostiū impedimēto, sed non sine fugæ nota discessum, ac rursus Lindauium est peruentum. Ibi enim Cæsar imminentem certaminis expectabat euentum, præcipue tamen de Curiæ Magistri inuasione erat solicitus. Postridie orto sole ad Cæsaris accessi aulam: Verum secretiorem ædium partem, vbi Cæsar ipse degebat, clausam inueni, magnates autem cuncti foribus oberrabant, mussitantes ac capita sermonis gratia propius conferentes. Id ego cernens, haud felicis nuncii indicium esse deprehendi.

Collegerat Comes de Fürstenberg Cæsaris iussū exercitum quatuordecim millium peditum, equitum vero millium duorum, ac iuxta castrum Dorneck haud longe â Basilea, hostilem terram inuadere parabat. Id Heluetii, qui propinquiores erant, Bernensis nempe ac Solodorenses, intelligentes, suas & ipsi è vestigio copias cogunt, & magna festinatione obuiā ire pergunt, quo Cęsarianos à finium inuasione arcere possent. At Senatus Basilienſis, cum Heluetiorum nouisset apparatum, missis legatis certiorem Comitem reddit, (nondum enim Basilea ab Imperio defecerat) & vt rebus suis diligenter prouideat, admoner. Verum tantum abfuit, vt Comes admonitionē tam amicabilē boni consuleret, vt legatos etiam cauillis lacesseret, & illis nequaquam tempestiue Heluetiorū obiiceret amicitiam. Insigniter hostibus contēptis arcem Dorneck oppugnabat, & pyxidibus conquassabat, omnib. neglectis stationibus & custodiis. Id equitum præfecti videntes & ipsi ob tantā negligentiam Comitem, & nimiam reprehendebant confidentiam. Ceperant n. eo forte die hominem quendam, qui ex hostili terra Basileam tendebat. Illum igitur ad Comitem deducunt, ac hostiū consilia & aduentum aperire iubent. Sed cum is quoq; veritatem retulisset, hostesq; ea nocte in oppido Liechstal pernoctasse assereret, à comite tāquam mendax & speculator suspendio perimi est iussus: Equites vero abire, & ad castra sua redire compulsi sunt: quæ ipsi maiores cōmoditatis gratia in villis circumiectis, licet remotioribus collocarant. Abeuntibus equitibus, veteranorum Duces ac tribuni Comitem adiere, manifesto ostendentes, tantā militaris disciplinæ negligentiā non tam indecentē, quam periculi plenam esse, præcipue cum hostilem arcem oppugnarent, & Heluetii magnis copiis aduentare dicerentur. Suadere igitur, vt cum equites ablegasset, pedites saltē instationib. esse iuberet. Singulos n. paratos esse, vt cultdiarum curam susciperent, & diligenter obseruarent. Verum & hos quoq; Comes non sine verborū contumelia abire iussit, asserens, se, non illos, imperare, & rectè quid agendum, quidue esset omittendū, nosse, quin & cuidā ex illis perfidiam obiecit ac exprobauit, qui aliquando Geldriæ Duci contra Cæsarem militare fuerit ausus, addens illum nondum euasisse, quominus dignas aliquando ob noxā illam lueret pœnas. Mœsti igitur Duces abeūt, Comitis temeritatem execrantes, ac plane imminentem præuidentes cladē. Quod si Comes rectis ac prudentib. eius patuisset monitis, & melius sibi ipsi & vniuerso consuluisset exercitui. Sed ita in fatis erat, vt eius negligentia & contemptu tm acciperetur incōmodum. Quapropter & mens illius adeo fuerat excęcata, vt ne ipse rectum discernere, minus vero sapienter monentib. obsecundare posset: quod quidem toties euenire solet, quoties Deus, nimiā hominum superbiam & temeritatem punire statuit. Disperti igitur milites, ac omni reiecta cura, aut cœnam parabant, aut depositis armis otiosi obambulabant. Et cum nihil minus expectaretur, tum repēte hostium agmen duorum fere milliū per collem imminentem in castra impetum facit, trucidatisq; iis, qui primum occurrerant, reliquos perturbat, ac ingenti conatu inuadit, & vt melius res succederet, fraudem Heluetii subtexerant. Etenim pectora rubeis signarant crucibus, rergū vero albis distinxerant signis. Sub initiū igitur tumultus is militaris & socialis est existimatus. Verū cum omnes sine discrimine cæderentur, sero tandē hostes adesse est intellectū. Confestim igitur Comes, quo motum illū sedare posset, accurrit: quem & illustres quidam sequuti sunt viri: sed antequam quid ageretur percipere quiret, ab hostili manu cōfossus occubuit. At veterani quidam perpauci, & inermes fere, conglobati, hostem repellere & fortiter se tueri cœperunt, sed frustra, iam enim agmen aderat magnum, cuius impetu omnis sublata est defensio. Magna igitur veteranorum pars in vestigiis hærens, potius honestè mori, quam turpiter terga vertere voluit. Cetera manus, quocunq; euadendi spes pateret, aut minus vrgeret periculum, dispalata in præcipitem abiit fugam. Heluetii vero pertinaciter inhærentes, assidue fugientes vulnerare, & occidere haud desinebāt, donec clamor ad equitum peruenit castra. Primum Regii corporis curRodes, (inter quos & Burgundi quidam erant) in fugientium aduolarunt auxilium, ac imperterriti

magno impetu persequentes inuadunt, sternunt & perimunt. Id reliqui videntes Heluetii, & ipsi fuga ad suos se recipere cæperũt. Verum pauci equitum euaserunt impetum. Interea & reliquus aduenit equitatus, & pedites quidam in ordinem se recepere, semiermes tamen, qui omnes magnum agmen hostium inuadere parabant. Verum cum iam nox instabat, Heluetiiq; ob equitum timorem & acceptum detrimentum in colles se reciperent, Cæsariani paucitati suæ diffisi, & damnum damno resarcire timentes, indignantes, & prefractam Comitis temeritatem detestantes, retro abierunt, & nemine persequente in pacatum tandem deuenerunt. Desiderata sunt in tumultuaria hac pugna Cæsarianorum fere millia quatuor, cecidereque præter Comitem de Fürstenberg, multi illustres ac insignes viri, in quorum numero fuit Comes de Pitsch, & Baro de Castelwardt, familiæ illius nouissimus. Heluetii licet interfectorum suorum numerum, vt solent, extenuent; constat tamen illos non minorem, quam Cæsarianos, calamitatem perpessos esse, tametsi pugna superiores euaserint. Quod si Comes prudentis imperatoris officio functus fuisset, magna spes bene gerendæ rei superfuisset. Verum ita diuinæ visum fuit voluntati. Heluetii cæsorum spoliis ac pyxidibus cunctis potiti, tertia tandem die (quemadmodum nacta victoria consueuere) ad propria sunt reuersi.

Hæc clades cum Cæsari in oppido Lindauio degenti fuisset nunciata, clausa, vt dictum est, regia, Comitis accusabat imprudentiam ac temeritatem. Vesperi tamen rursus patuere fores, Cæsarque in propatulo cœnauit, nullum tristitiæ signum ostendens, quin facta cœna, & quum iam nox ingrueret, ad fenestram quandam concedens, stellasque inspiciens, multa de illarum natura & ratione disseruit, adeo vt acceptæ calamitatis plane immemor videretur. Hæc ego cernens & audiens non parum felicitatem esse iudicaui, si quis tantorum irreparabilium malorũ tam cito obliuisci posset. Postridie Cæsar rursus Constantiam nauigauit, & quamuis ego quoq; eadem veherer naui, nullum tamen vnquam perturbationis indicium in Cæsare percipere potui, sed ludo, confabulationibusq; & iocis diem illum lætus consumpsit.

Interea Gallorũ Rex Carolus cum temporis oportunitatẽ adueniſſe putaret, qua iniurias à Mediolani Duce Ludouico acceptas vẽdicare posset (instigante etiam Ludouico Aurelienſe Duce, qui postea illi in regno successit, nam is Mediolani Ducatũ hereditario iure ad se pertinere prętendebat) animo voluere cœpit, quo pacto Mediolanẽsem è principatu eiicere, & vniuerso spoliare posset dominio. Missis igitur Legatis cum Heluetiis pepigit, illosq; confestim pecuniis, cõmeatu, & machinis adiuuit bellicis, existimans, Cæsarem Heluetico bello implicatũ, Mediolanensi suppetias ferre haud posse. Id Mediolanẽsis intelligens, è vestigio & ipse legatos suos misit, qui cũ Heluetiis de societate agerent & cõcordia. Sed Heluetiorum animis Gallico fœdere & beneficiis præoccupatis, res frustra est tentata. Obiiciebaturq; Mediolanensi, quod Cæsarem pecuniis & commeatu iuuisset, quum nihilominus Cęsar indignaretur, quod Mediolanensis nequaquam promissa obseruasset. Legati igitur re infecta abire sunt coacti. Verum cum Mediolanensis Gallum copias colligere, & apertum bellũ machinari videret, rursus Heluetiorũ animos per Legatos tentare cœpit, promittens, si eum à Galli defenderent iniuriis, & stipendium largissimum, & cõtracti cum Cæsare belli dissolutionẽ honestã. Id Heluetii audientes, paulatim aures legatis præbere cœperunt. Iam n. pacis tenebantur desiderio, ac eos tam longi ac periculosi belli mora tædere inceperat. Quod cum Gallus percepisset, rursus Legatos ad Heluetios mittit, spondens se priora fœdera rata habiturum, ac insuper si permitterent, cũ Cæsare de pace acturum. Nam plane se sperare rem ad optatum deduci posse exitum, decere enim Regem Christianiss. omnem opem adhibere, vt maiorem sanguinis effusionem prohibere posset. Orare igitur, vt sibi potius quam Mediolanensi pacis permitteretur conciliatio: ad quã stabiliendã nulla alia causa, quam vera impelleretur beneuolentia, qua perpetuo Heluetiorum gentem fuisset prosequutus. Cum Mediolanensis semper perfidus fuisset, in nullaq; vnquam societate stabilis permansisset amicus. Quin ne nunc quidem Heluetiorum curam gerere, sed potius solito more simulare, & proprii cõmodi gratia reconciliationem hanc tentare. Hæc & multa alia cum Heluetii audiuissent, nec ignari essent, quid vtramq; partem ad tam amicabilem oblationem impelleret, gratias tamen vtrisq; egerunt, ostendentes, se inuitos & citra vllam prælitam causam ad tanti belli molem pertractos esse: & licet multis hucusq; affecti essent incõmodis, pacẽ tamen longe se bello præferre, quam ne nunc quidem respuerent, dummodo illata eis damna, vt iustum esset, resarcirentur, discordiarumq; fomites honestis, ac Heluetiorum gente dignis tollerentur conditionibus. Sin minus, haud longis opus esse ambagibus. Nondum eos suscepti adeo pœnitere belli, vt ignominiosam pacem iustissimo præferre possent aut vellent certamini, donec arma manibus tenere, & libertatem à maioribus eorum partam, sanguinis sui effusione defendere valerent.

Hæc cum Legati audiuissent, bene eos sperare iusserunt, moxque eorum consensu ad Cæsarem de pace actum perrexere. At ille auditis legatis, Gallo ob multiplices causas concordiæ tractationem denegauit: Mediolanensi vero quibusdam conditionibus morem gessit, qui confestim diem & locum Schaphusii constituit, quo ambæ partes cõuenire, ac eius intercessione de soluendo bello agere sunt rogatæ. Verum interuenientibus quibusdam causis, locus postea Basileam est transmutatus. Ceterum nihilominus Heluetii, aut quia aduersariis timorem incutere quærebant, aut quia ita ne-

cessitas

ceſſitas exigebat, Gallorum Regem ex fœderis forma admonent, vt eis pyxides & tormenta, cum Magiſtris, globis, puluere ſulphureo, ac reliquis quam primum mitteret neceſſariis. Qui nihil moratus, confeſtim cuncta expedire, ac magnis expenſis Soloturrim deferre iuſſit. At Cæſar, ne & ipſe interim deſideret, exercitus partem in Hegauenſem miſit prouinciam: mox & ipſe eſt ſequutus. Aſſiduis enim precibus Hegauenſium moleſtabatur, vt acceptam eorum iniuriam vindicaret. Dimiſis igitur copiis quid fieri vellet oſtendit. Ipſe vero vltra progreſſus eſt, quo & Baſileæ appropinquaret, & quotidie de ſingulis, quæ ibi agerentur, fieri poſſet certior, nec non Reginæ, quæ ex Germania inferiore aduentabat, occurreret, quam mox in oppido Villingen perquam honorifice excepit, familiariterque per dies aliquot cum illa eſt conuerſatus. Et quia Danubius fluuius non procul inde in villa haud magna Dona Eſching nomine, è colle quodam medio iuxta limpidiſſimæ aquæ ſcaturiginem ingenti oritur fonte, Cæſar cum Regina ſub tentoriis iuxta ſcaturiginem poſitis magnificum celebrauit conuiuium, vbi & choreis & multiplicibus indultum eſt voluptatibus, perinde ac tam celebris amnis origo iucundo illo & celebri honoraretur conuentu. Deinde ſuperata ſilua nigra, vna cum Regina Friburgum eſt progreſſus, meque vt illum relictis copiis meis ſequerer, iuſſit, deliberaturus, quo in loco me cum ſubſidio, quod iam è Nurenberga veniebat, conſtitueret, donec Baſileæ tranſactum eſſet.

Interea copiæ in Hegauenſi prouincia relictæ hoſtiũ ingreſſæ ſunt agrum, equitesq; diſcurrentes, vndiq; ferro & igne ſunt graſſati: Pedites vero in ſtationibus oportunis ſunt relicti, vt cum eorum opus eſſet auxilio, faciliter accerſiri poſſent. Interim ad villam quandam eſt deuentum, in qua Eccleſia magna cum turri fortiſſima erat ædificata: ad hanc ruſticana manus confugerat, ac pyxidum, iaculorũ egregie ſe tuebatur. Equites vero turpe exiſtimantes, ob turris huius expugnationem pedites adiocare, deſcenſis equis illam ſunt adorti. Verum multis acceptis vulnerib. repulſi ſunt: & licet fores trabiũ impulſu fregiſſent, turris tamen ſuperne vi eſt defenſa ingenti, donec vas ſulphureo puluere repletum, turriq; ſubiectum & incenſum, ita propugnantes dirupta turri in altum expuliſſent, vt auium inſtar per aerem volare viderentur, ac tandem ingenti ruina in terram deciderent. Interea dum fugientium clamor ad oppidum Schafhuſen perueniſſet, fumusq; & incenſarum villarũ ignis hoſtes adeſſe ſignificaret, cum octingentis fere peditibus Schafhuſenſes ſunt egreſſi, vt & ſuis opem ferre, hoſteſq; ab effuſiore populatione arcere poſſent. At equites cum illorum percepiſſent aduentum, collocatis inſidiis eos excipere, & multitudinem ſuam, qua longe præſtabant, celare ſatagebant. At illi haud temere inſequendum cenſentes, in loco tuto & vndiq; lacunis munito ſe continebant. Equites igitur, cum diu laboraſſent, vt hoſtes in æquũ elicerent, fruſtra tamen ſe niti cernentes, miſſo nuncio, pedites, qui tota fere die in acie ſtererant, redire iuſſerunt. Ipſi vero villas, quæ ſupererant, incendio vaſtarunt. At Schafhuſenſes cum à longe per eminentes colles peditum viderent diſceſſum, contemptis equitibus, in planum ſunt progreſſi: & licet numero eſſent inferiores, illis tamen pugnandi copiam fecere, & equites cum illis congredi non auſi, vndique vociferantes diſcurrebant, & hic hoſtes aggrediendos eſſe clamabat, alius vero pedites reuocandos vociferabat, erantque omnia tumultus & clamoris plena, cum interim tamen nemo gradũ promouere aut confligere anderet. Stetere igitur Schafhuſenſes non ſine magna equitum ignominia ad pugnam parati: illi vero timore perculſi, peditum expectabant aduentum, quo illorum auxilio hoſtes aggredi & profligare poſſent. Tandem vero cum nox aduenire, nec pedites diu deſiderati adeſſent, cũ magna indignatione diſceſſere, omnem culpam in pedites reuicientes, & vt facilius propriã tegere poſſent ignauiam, confeſtim ad Cæſarem, & eos qui in aula pollebant, ex ſuis quendam mittunt, qui infenſiſſimis verbis pedites accuſaret, quod reuocati parere noluiſſent, quod rei bene gerendæ occaſionẽ tam turpiter è manibus dimiſiſſent: Et vniuerſos incuſaret pedites, præcipue tamen in Nurenbergenſes inuehebatur, aſſerens, illos clam cum hoſtibus ſentire, & nihil magis quam Cæſaris damnum & ignominiam exoptare. Magnus igitur rumor in aula eſt ortus, peditesq; omni conuitiorum genere ſunt conſciſi. Hoc cum audiuiſſem, Cæſarem adiui & rogaui, ne temere rumoribus iſtis fidem adhiberet; ſed quemadmodum hucusq; feciſſet, rem diligenter exploraret, ſicq; deinde inter pedites & equites recte diſcerneret. Haud enim decere, vt inauditi condemnarentur. Quantum vero ad Nurembergenſes pertineret, relictos apud eos oſtendi contubernalem illum meum Iohannem de Beitsdorff, ac tribunos, multis ei cognitos annis, homines rei bellicæ peritiſſimos, & qui nihil magis quam honorẽ & commodum eius defenderent, ac ideo me haud dubitare, quin optimã rerũ geſtarum rationẽ reddere poſſent. At Cæſar me quieſcere iuſſit, donec plane res eſſet compertа, ac tum ſe æquum iudicium fore promiſit, ſubridens obiter, vt facile animus eius cognoſci poſſet. Non n. ignatus erat, quid ſibi de equitatu illo, præcipue Fráconico, polliceri quiret. Ipſe paulo poſt Neoburgum eſt profectus, oppidum à præter fluentis Rheni impetu fere abſorptũ, quo haud longe à Baſilea abeſſet, & facile quid ibi ageretur, poſſet percipere, fiebant interea nihilominus excurſiones quotidianæ, multaq; prælia tumultuaria committebantur, in quibus iam illi, mox alii aut vincebant, aut ſuperabantur, ſæpiusq; Heluetii inſulam Bregentini lacus, quam Reichenau appellant, occupare ſunt adniſi: Verum ſemper à præſidio, quod eo loci excubabat, viriliter ſunt reiecti.

Ceterum de pace faciendа res in longum procedebat, cum vtraq; pars conditiones alteri intolerabiles proponeret, ac vtrinq; damna accepta resarcire peterentur. Et licet Mediolanensis Legatus omnem adhiberet operam, vt tam immane sedaretur bellum, incassum tamen omnis labor consumebatur. Vtraq; enim pars haud quaquam se suscepti belli pœnitere asserebat, sed in peruicacia sua quasi obstinata perdurabat.

Interea Cæsar Friburgum est regressus, cui ego cum Nurenbergensium copiis (iam enim supplementum aduenerat) occurri, instructamque aciem quadratam octingentorum peditum, iunctis equitibus ac tormentis, oculis eius subieci. At ipse obequitans & cuncta contemplans, non parum ornatis oblectatus est copiis. Etenim cum omnes eodem ac rubeo amicti erant colore, ac splendidis muniti armis, telisque instructi aptissimis, longe quoque maiorem præ se ferebant numerum: Maxime vero pyxides maiores, quæ decem numero erant, Cæsari placuere, & quod eum exoneratione tormentorum delectari sciebam, ad iaculandi certamen inuitaui. At ille nihil moratus, confestim ex equo descendit, & maiori inter reliquas pyxide ad scopum directa, iactus certitudine omnes tormentorum superauit magistros: quam ob rem non paruo gaudio perfundi est visus. Hanc opportunitatem peditum tribunus ac centuriones nacti, illum aggressi sunt, & obiecta diluerunt crimina, ostendentes, hæc omnia ab inimicis, vt propriam excusare possent ignauiam esse conficta: Orare igitur, ne temere fidem calumniis adhiberet, sed diligenter rem, vt gesta erat, perscrutaretur. At tribunus ipse longe acerbioribus verbis causam suorum egit. Maxime (inquit) Cæsar, quinquaginta iam sunt anni cum primum militare cœpi, ex quibus vltra triginta (vt tu optime nosti) sub sacris tuis cõsumpti sunt auspiciis. Hoc toto tempore nulla vnquam existimationi meæ nota fuit inusta, sed semper, & cum priuatus essem miles, & cum honestissimos ducerem ordines, ita me gessi, vt & laudem & gloriam non vanam sæpissime sim consecutus. Cuius rei te optimum habeo testem, à quo toties tam in Gallicis & Vngaricis, quam bellis Germanicis à tua pietate sum laudatus, ac militaribus donis largissime honestatus. Soli nunc æmuli non tam mei, quam Reipub. Nurenbergensis famam meam ac commilitonum denigrare quærunt, nulla mea aut Nurenbergensium culpa, sed vt propriam ignauiam aliena innocentia contegere possint. Accusant nos, quod cum hoste congredi noluerimus, cum tamen is pugnandi potestatem haud fecerit. Tam diu etiam in acie stetimus, donec ipsi nos ad castra redire iussere. Sed reuocati, vt aiunt, parere noluimus. Verum ostendant, qui nos vnquam reuocarint, aut reuerti iusserint: & si illud fuerit comprobatum, nullam recusamus ignominiam, aut pœnæ notam: quamuis si etiam reuersi fuissemus: hostes tamen aduentum nostrum perquam nos illac peruenire valuissemus. Verum cur non potius, postquam nostrum accusant timorẽ, colles altissimos, per quos transeundum, facile percipere potuissent, ac prius se in turum recepissent, propriam vero extollunt audaciam, ipsi sine nobis cum hoste sunt congressi, equites cum peditibus, plures cum paucioribus, nobiles cum rusticis, vt illos appellant? præcipue cum ille in planum prodiret, ac pugnandi faceret copiam. Verum illi iidem sunt, qui & antea hostes ab Sroracensi obsidione digressos, in campis etiam latissimis adeptos aggredi non sunt ausi: Illi sunt, qui nullum vnquam virtutis exhibuere specimen, & tamen (si Diis placet) aliorum famã denigrare contendunt, quoniã propriam ignauiam haud aliter, quã innocentũ calumnia palliare queunt. Ceterum ne longius rem producã, breuiter asserо, cunctos qui nobis tã turpẽ timoris notã inurere sunt ausi, peruersissime esse mentitos, sat scio, quosdã hic præsentes esse, qui technæ aut fraudis huius fuere participes. Prodeant in apertum, & ni eos tam verbis quã manib. de mendacio conuicero impudentissimo, vltimũ subire non recuso discrimen. Verũ non solent palam rem agere, sed quemadmodũ aperto Marte cũ hostib. congredi non audent, ità nõ nisi clam, & tanquã cuniculis quibusdã occultis, innocentum famã expugnare nunquam desinunt, solum vana nobilitate & equestri militia glorioſi, cum tñ vix gregariis, ne dum veteranis militibus, virtute æquari possint. Ceterũ quam paratã nos omnes operã debitãq; Maiestati tuæ obedientiã, præ ipue in hoc bello, præstiterimus, tu ipse nobis testis es optimus. Quẽ admodum igitur ad finẽ vsq; strenue perdurare, & nec vitæ nec sanguini nostro ob tuum honorẽ & gloriã parcere sumus parati, ita pietatẽ tuam obnixe rogamus, ne æmulis nostris fidem prius adhibere velis, quã manifestam veritatẽ plane didiceris. Hæc vt nobis erunt gratissima, ita maxime tuã decent Maiestatem. Hęc cum ille magna voce, in magnaq; Principũ ac optimatũ equis insidentiũ corona peroraſſet, ac pleriq; insidiatum etiã adessent artifices, nemo tñ vocẽ emisit, sed altũ fuit silẽtiũ. At Cęsar nõ solum benigne nostram excepit excusationẽ, sed etiam honorificis admonuit verbis, vt quẽadmodũ ceperamus, ita etiam ad finẽ vsq; strenue perduraremus, meq; ac contubernalẽ meũ equitem auratũ de Beyerstorff, insignibus equorum donauit tegumentis, & vt ad oppidum Lauffenberg pergeremus, iussit, ac illud, si necessitas ingrueret, fortiter tueremur est hortatus. Certior enim factus fuerat, Heluetios, si pax minus procederet, cõfestim illud Gallicis tormentis inuasuros: ac ideo valido illud præsidio munire constituit. A Cæsare igitur digressi, ac sub tentoriis pernoctantes, ad ostensum nos expediebamus iter, non tam læti, quod ille adeo benigne nostram accepisset excusationem, quam quod a timidissimis ac perfidissimis illis diuelleremur equitib. qui nihil aliud agebant, quam vt assiduas nobis struerent insidias, talesq; contra nos concitabant seditiones, vt longe minus hostilis, metuenda esset inuasio, quam cõmilitonum nostrorum perturbatio.

Per

Per Neubürgum igitur ducentes, Basileam compositis prætergressi sumus ordinibus. Hinc ad Rheinfeldū applicuimus, ac tandem oppidum ingressi sumus Lauffenberg, vbi cōmeatus magnam copiam, ac iusto nacti sumus precio. Milites igitur multis laborib. defessos longisq; ac difficilimis debilitatos & attritos itineribus, abunde refeci & instauraui, ibiq; ad exitum belli vsq; perduraui, quotidie hostilem obsidionem & Gallicorum tormentorū expectans inuasionem. Quam tot instructus machinis ac militibus, præcipue pyxidiferis munitus, summopere exoptaui, vt liqueret, quid Gallorum posset iactantia, qui Heluetiis trium horarum spatio murorum promiserant deiectionem.

Interea Gallorum rex Heluetiorum militum, qui quotidie ad illum confluebant, auxilio Ludouicū Ducem ex vniuerso Mediolanensi eiecit statu. Id cum Legatus percepisset, rursus magno conatu de pacis conditionibus agere cœpit, ac vtriusque partis legatos ingentibus sibi obnoxios reddit muneribus, quo promptius illorum opera ad pacem conciliandam vti posset: Ac nihilominus tam Cæsari quam Heluetiis immensas promisit pecunias, quo damna vtriq; illata Mediolanensi resarcirentur pecunia. Compositis enim reb. futurum Ludouicus sperabat, vt cum Cæsaris tum Heluetiorum armis in pristinum restitueretur statum, ac ideo nullis parcebat largitionibus, quo voti compos euadere posset. Verum quam fuerit spe illa deceptus, posteriora manifeste ostenderunt tempora.

Interim dum tam solicite de pace agitur, Præses, vt vocant, Siluæ Nigræ precibus me aggressus est, ac rogauit, vt ei auxilium contra rusticos quosdam, qui à Comitibus de Sultz defecerant, præstarem. Habere enim in animo, Cæsaris nomine vindictam ab illis exigere. Id illi haud grauate permisi. Iunctis igitur copiis quatuor millium peditum, Equitum vero ducentorum in prouinciam Kleckau nomine irrupimus, ac repentino aduentu multos oppressimus mortales. At reliqui ad Ecclesias confugerant munitas, ibique de vindicandis precio villis ab ignis iniuria agere cœperunt. Iamque fere transactum, & de pecuniæ conuentum erat summa, cum Præses omnes eas pecunias in proprium vsum conuertere studebat. Qua iniuria milites irritati, passim discurrentes omnia ferebant & agebant, villasq; iniecto igne concremabant: Estque temporis fere momento tota illa prouincia culta admodum & amœna, euastata. Id præses cernens, magna commotus est indignatione, siquidem arbitrabatur, non minus se detrimentum, quam hostes damnum sustinere: ac ideo milites acrius corripere cœpit. At illi impetu facto illum inuadere parabent, & ni ego equitum intercessione tumultum hunc compressissem, proculdubio homini ob auaritiam tam intempestiuam manus intulissent. Cedere tamen coactus est, & vitam celeri seruari fuga, egoque rursus cum copiis Lauffenbergam sum regressus.

Inde cum paucis equitibus Basileam sum profectus, vt quidnam de pace ageretur, coram percipere, & de copiis meis aut dimittendis, aut retinendis deliberare possem. Post biduum igitur, quam illuc peruenissem, pax talibus firmata est conditionibus, vt illam vtraque pars, non solum sibi vtilem, sed etiam admodum honestā censeret. Nec mirum: quum Mediolanensis Legatus non tam durissima hominum corda suluo ac mollissimo declinauerat auro, quam discordias cunctas magnis vtinq; sopierat largitionibus. Eam enim vnicam viam esse censebat, per quam Dux ad statum suum redire posset. Verum quia Heluetiis promissum aurum totum nequaquam parata pecunia exsolui poterat, ipsi vero nec verbis nec litteris confidere vellent, sed sponsores exigerent, cum Cōstantiensibus actum est, vt illi iurisdictionem, quam vocant, prouincialem Turgeuensium, quam tum vsurpabant, Heluetiis pro viginti aureorum millibus, pignoris loco assignarent, donec summa illa esset soluta. Constantienses igitur, vt Cæsari gratificarentur, & quia Mediolanensis legatus confestim, posquam domum reuersus esset, pignus se soluturum spondebat; præbuere assensum, non solum Cæsaris beneuolentiam', sed Ducis liberalitatem, ac dona ingentia inde sperantes & expectantes. Verum quia paulo post Dux Ludouicus captus, & in Galliam abductus est, pecunia illa insoluta remanit. Quapropter Constantienses iurisdictione illa omnino sunt priuati, eamq; Heluetij in præsentem vsq; vsurpant diem, non sine magno Constantiensium iactura ac detrimento. Sequenti die, vtriusque partis legati, ad maiorem conuenere Ecclesiam, vbi publice ob confectam pacem, Deo gratiæ sunt actæ. Verum dum sacris opera impenditur, subito in multis locis circumiectis fumus obscurus emergere cœpit, quem mox & flamma secuta est clara, ita vt eodem momento cuncta igne relucerent. Ad tam fœdum igitur spectaculum, tota fere ciuitas cōcurrit, ac ex edito loco, in quo templum situm erat incendium prospectauit, siquidem equites qui apud Rheinfeldium in præsidio erant, Rhenum transgressi, omnia ferro ac igne vastabant, Heluetiis ob pacis tractationem negligentius agentib. nec vllam expectantibus inuasionem. Populus igitur Basiliensis indignatione permotus, ad arma conclamat, quibus acceptis ad munitoria vrbis loca, præcipue vero Rheni pontem vetus, cursu deuolat, omnia strepitu ac clamore implens, ignorans obiter quid ageret, quove iret, dolore cursu deuolat, omnia strepitu ac clamore implens, ignorans obiter quid ageret, quove iret, donec magistratus tumultum hunc tam temere ortum compesceret: qui profecto tam Cæsaris legatis, quam mihi ipsi non parum timorem incussit, cum multæ palam voces exaudirentur, cohortātes, vt cūcti Cesareani obtruncarētur. Et hic clamor manifestū p se tulit indiciū, defectiōis ab Imperio, quæ mox est sequuta. Postridie ad Lauffenbergū sum regressus, mecūq; perrexit legatus Mediol. Galeatius Vicecomes, cū quo mihi prius amicitia intercesserat. Cūq; Lauffenb. venissem, copias militares eduxi,

eduxi, & in conſpectum eius ſubieci; quibus viſis lætatus eſt, & rogare cœpit, vt cum illis in ſubſidium Ducis ſui properarem. Cui ego reſpondi, haud decere me, vt inconſulta Norimbergenſi Repubi. alienis me implicarem negotiis. Hoc tamen illi tum dedi conſilium, cuius & poſtea ſæpe memor fuit, ne nimium fideret Heluetiis, quorum fides illi nondum eſſet comperta.

Hoc igitur modo tam funeſtum bellum eſt finitum, cum vtriuſque partis calamitatibus haud paruis, nec non amiſſione multorum ac optimorum militum, cum interim nihil alterutris accederet, quam quod ante diſcordiarum poſſederant initium. Verum vt poſtea compertum eſt, ſi bellum longius fuiſſet protractum, Heluetij nequaquam perdurare valuiſſent. Antea enim alienis ſolitierant militare ſtipendiis: In hoc vero certamine vnuſquiſque propriis expenſis in militiam exire cogebatur: quod illis videbatur duriſſimum, & hanc ob cauſam milites quotidie à ſignis dilabebantur, & ad Gallorum confugiebant regem. Accedebat præterea frumenti inopia magna, ſed præcipue ſalis penuria intoleranda. Nam Heluetiorum iumenta, ob nimis pinguia ac læta paſcua, multis obnoxia ſunt morbis, niſi quotidie illis large ſalis ſubueniatur remedio. Ex Gallia igitur, cum ex Germania negaretur, ſalem aduehere tentarunt. Sed illud armenta penitus reſpuebant, vtpote ex aqua confectum marina, licet iterum vnda dilutum, & igne eſſet concretum. Tandem vero fortuna, vel Mediolanenſis Ducis infortunium talem illis obtulit belli exitum, qualem illi ne ſperare quidem fuiſſent auſi. Magnam tamen veræ virtutis & rei militaris obtinuere exiſtimationem, cum nihil temere aut inconſulte agere, ſed in omnib. virtuti plurimum, fortunæ autem minimum tribuerent: præcipue vero imperio & iuſſis Ducum obtemperarent, ita vt nec conſilia factis, nec facta indigerent conſiliis. Id ſi Cæſareani feciſſent, procul dubio egregiam reportaſſent victoriam, cum non ſolum peditum numero eſſent ſuperiores, ſed & equitatu florentiſſimo inſtructi, ac in cunctis aliis, quæ ad bellicum pertinerent apparatum, longe præſtarent: animi autem virtute cederent minime. Verum dum nimiam audaciam maturis præferunt conſiliis, talem ſenſere euentum, qualem contemptus & nimia parere ſolet temeritas. Ceterum videntur Heluetij in hoc bello quaſi nouiſſimum virtutis ſuæ præbuiſſe ſpecimen. Nam quæ deinde ad hæc vſque egere tempora, nequaquam cum ipſum conueniunt initiis. *Sed ita in rebus euenire ſolet humanis, vt humilia incrementa, faſtus tandem & ſuperbia eriam ſequantur: quibus mox auaritia, & omne genus vitiorum aſſociatur, ita vt nihil demum turpe cenſeatur, aut inhoneſtum, quam quod lucro caret, aut propriæ libidini minus ſatisfacere videtur.* Heluetij etenim nequaquam tot Mediolanenſis Ducis permoti beneficiis, paulo poſt non ſolum illum turpiſſime deſeruere, ſed etiam Gallis prodidere, ſeu potius auri fame illecti, non tantum in ignominiam propriam, ſed in perpetuam vniuerſæ Germanicæ nationis contumeliam, quæ ob tam nefandum Germanorum hominum commercium peſſime apud exteras nationes audire cogitur: Cuius profecto ſceleris, ſæpius poſtea manifeſtas dedere pœnas. Nam ſemel atque iterum in regno Neapolitano cæſi & profligati ſunt: mox & in regno Nauarræ, cum Gallis militarent: deinde orto inter eos & Gallos diſſidio de Mediolanenſi Ducatu, magna clade Germanorum auxiliis ſuperati, & in fugam ſunt coniecti, quaſi Duci in eiſdem campis ob commiſſa parentarent facinora. Deinde cum rurſus cum Gallis in gratiam rediiſſent, ac Gallorum rege in Papienſi obſidione capto, iterum turpiter victi & cæſi ſunt.

Verum ego hæc aliis ſcribenda relinquo, poſtquam ad exitum perduxi, quæ ſub initium conſtitueram. Finito bello, ego copias meas Freiburgum perduxi, ibique ſoluto ſtipendio Norimbergam eas remiſi: Quo & ego paulo poſt cum equitibus perueni: vbi rerum omnium ratione reddita, ob operam diligenter nauatam, publice ſum laudatus, ac honoris ergo inſigni aurea patera à Senatu Norimbergenſi donatus. Quem etiam honorem poſtea Cæſaris auxere litteræ, quibus Norimbergenſes ob tam prompte miſſum commendauit auxilium; ſiquidem in eis mei tanquam præfecti, perquam honorificam fecit mentionem, ac me poſtea ſemper ſumma proſequutus eſt benignitate ac clementia, ita vt etiam nec ambientem, nec petentem, in Conſiliariorum ſuorum legerit numerum: quod quidem non tam in meam redundauit vtilitatem aut honorem, quam in publicum Norimbergenſium commodum & ſalutem. Quotieſcunque enim deinde publico nomine ad illum fui legatus, ſemper & benigne ſum auditus, & perquam clementer dimiſſus, aliquoties etiam honorificis muneribus donatus. Quem etiam honorem nepos eius piiſſimus ac maximus, Cæſar Carolus, qui nunc imperat, non ſolum continuauit, ſed & vltro ac propria ſponte auxit & amplificauit, multiſque aliis immunitatibus & præeminentiis me decorauit.

DE HELVETICO BELLO LIBRI SECVNDI FINIS.

HISTO-

HISTORIA IOAN. MONACHI.

HONORABILI, FIDELI, NOBIS DILECTO BILIBALDO PIRCKHEIMER, Consiliario nostro.

MAXIMILIANVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ELECTus Romanorum Imperator, semper Augustus, &c.

HOnorabilis, fidelis, dilecte Dum his superioribus temporibus honorabilis Ioannes Cuspinianus, Consiliarius noster, ageret Oratorem nostrum apud Sereniſſimum regem Hungariæ, consanguineum & fratrem nostrum Chariſſimum, monuit nos in Bibliotheca regia comperisse Ioannem Monachum auctorem Græcum, quem dicunt egregie scripsisse de imperio & gestis Græcorum Imperatorum vsque ad tempora Iustini Iuniorit: quo tempore asserunt eundem Ioannem Monachum floruisse: Quorum nedum res gestæ, sed nomina & series ipsorum, apud nostros Latinos sunt pene oblitteratæ: adeo quod infelix Græcia non solum ruinam imperij & gloriæ his temporibus, sed etiam nominis & famæ patiatur: & tot maximæ res gestæ per tam clarissimos Imperatores, vna cum Imperio eorum concidisse videantur. Et cum nos ab ineunte ætate nostra nihil magis desiderauerimus & semper omni studio procuraverimus, quam recuperationem illius Imperij: pro qua re vires & personam nostram obtulimus, adsistentibus nobis ceteris principibus Christianis: sed nunquam nobis hactenus id exequi licuit, ob impedimenta hostium nostrorum. Interim tamen, dum id perfici licuerit, volumus saltem memoriæ & æternitati tam fortissimorum Imperatorum, de Republica Christiana bene meritorum suppetias ferre, & ipsos à totali omnium obliuione vindicare. Statuimus eundem Ioannem Monachum facere in Latinum traduci: vt nostratibus & aliis Christianis, apud quos vigent studia bonarum artium, facinora Augustorum Imperatorum innotescant. Et si nos nequiuerimus, forte aliquis à nobis exortus vel oriturus, quem tanta hæc gloria manet, pellectus tantarum rerum magnitudine restituet rem Christianæ Reipublicæ. Te igitur potissimum ad huius Auctoris traductionem eligimus: quem & in vtraque lingua clarum, & huiusmodi votorum nostrorum consciũm nouimus, & studiosum mandatorum nostrorum, vt Ioannem Monachum, in obscuro latitantem, Latinis Latinum reddas. Aggredere igitur omine felici, auspiciis nostris, opus hoc præclarum: in quo, præter quod apud studiosos omnes maxime promereberis, nobis plurimum satisfacies, & æternitati nominis tui consules, & maximam apud omnes laudem consequeris. Datum in oppido nostro Gmünden die 20. Augusti, anno Domini M. D. XIV. Regni nostri Romani XXIX.

Ad mandatum Cæsar. Maiest. propium, &c.

Iac. de Bannissis.

FRAGMENTVM HISTORICVM,

DE ORIGINE, ANTIQVITATE ET EVERSIONE atque instauratione vrbis Treuerensis: descriptum ex autographo Bilib. Pirckheimeri.

VRbem Treuerim à Trebera quodam Nini ac Semiramis filio conditam volunt, qui cum ab matre de stupro appellatus fuisset, illam fugiens, per Rhenum ac inde Obrincum fluuium ingressus, loci amœnitate allectus, hic constitisse, vrbemque ex nomine suo erexisse fertur. Cæsar vero ac veteres historiographi omnes, nullam ciuitatem illo appellant nomine, sed gentem vniuersam Treuirorum vocant. Attamen eam vrbem vetustissimam esse constat indiciis variis, præcipue vero ædificiis antiquissimis, in quarum ruinis Romana adhuc cernuntur ac leguntur monumenta quam plurima. Sita est ad fluuium Obrincum, plano ac aprico loco, collibusque vitiferis ac amœnis vtrinque cingitur, qui ex valle sensim adsurgentes, mirum in modum vitote arrident. Sed quæ nunc extat ex ruinis illis antiquis erecta est, vixque centesima habitatur portio. Volunt enim eam ab oppido palatij, vbi Episcopi habitare consueuerint, per milliaria tria quondam habitatam esse. Nec id absonum, sed veritati admodum congruere videtur. Nam monasterium Martyrum, nec non beati Matthiæ Apostoli, quondam celeberrimo vrbis loco sita fuere, quæ nunc admodum distare cernuntur. Præterea pons lapideus, ac per miliare nunc à Treueri distans, opus antiquum ac laboriosum conspicitur, iuxtaque variæ antiquitates: inter quas præcipua est, quæ in villa Egle adhuc integra permanet, nisi quantum tempestatis iniuria exesa est. Moles enim in altum fastigiata, vndique simulacris ac signis exornata est. In fronte tres conspiciuntur

ciuntur Imagines iunctis astare manibus. Ex qua re accolæ fabulam finxere, Constantinum & Helenam illic desponsatos fuisse. Sed ex litteris, quæ adhuc ex parte extare videntur, clare deprehendi potest, illud monumentum esse. Ita enim ex litteris colligitur, &c.

LI. SECVNDINI. SECVRI. ET. PVBLIÆ. PA. GAIÆ. CONIVGI. SECVNDINI. AVENTINI. ET. ISACIO. MODESTO. ET. MODESTO. MACEDONI. FILIO. ET. IVSV... SECVNDINVS. AVENTINVS. ET. SECVNDINI. SECVRVS. PARENTIBVS. F. F. CVNCTIS. ET..

in medio: Principium vero penitus abolitum est: A tergo vero Phaëthontis currus ac triumphi insculpti sunt: In apice vero Aquila expansis constitit alis, circulari insistens globo: sed caput longi temporis decidit æuo. Villam vero ex illa aquila nomen sortitam esse, coniecturare licet. Galli enim Aquilam Eglam nominare consueuerunt. nec longum est, ex quo cuncta ab Gallis habitata fuerunt. Sed quamuis ciuitas tam immensa ac vasta fuerit, multis tamen calamitatibus ob Barbarorum incursus exposita semper extirit. Nam post defectionem à Romano Imperio & Græcis, primo Hunorum sensit incursum, à quibus direpta ac vastata est. Inde ab illis quoque habitata. Secuti sunt Franci: qui, cum Gallias peterent, eamque in itinere obuiam haberent, tam opulenta allecti præda illam funditus euerterunt. Parem iniuriam vrbs misera ab Alanis, Gottis, Hispanias petentibus, acà Burgundinibus passa est. Tandem vero à Nor....

Hic inseratur figura III.

Germaniæ ex variis scriptoribus perbreuis explicatio.

AD ILLVSTR. COMITEM HERMANNVM DE Noua Aquila, Autore Bilibaldo Pirckheimero Consiliario Cæsareo.

Illustri ac Generoso Domino Hermanno Neuenacio Comiti, ac præposito Colenienſi, &c. Bilibaldus Pirckheimerus S. D.

EN tibi, Comes Illustris, Germaniam nostram σκιαγραφὴν, in qua nil certius affirmo, quam quod nil fere affirmo, attamẽ ansam fortassis tam tibi, quam eruditis reliquis præbuero, vt exactius quam nos fecimus, Germaniam nostram illustrent. Quid enim absurdius, quam Germanos orbem describere vniuersum, patriam tamen interim propriam nequaquam ex obliuionis vindicare barathro? Proinde quod Germaniam vltra Vistulam & ad Tanaidem vsq; extenderim ex priscorum scriptorum authoritate feci, ac ideo calumniam paruipendo: nec Germanis vitio dare poterit, quod tam latos amiserint seu potius reliquerint prouincias, quum pro cœli inclementia aruisq; sterilibus tam fœlices sunt adepti regiones, veluti Gallias, Hispanias, imo Italiam ipsam, vt interim de Africa ac quicquid in Asia à populo illo auctum est, sileatur. Hoc plane constat, si Germanis ob res magnifice gestas euenissent scriptores, quod nullis gentibus factis clarissimis, posteriores fuisse legerentur. Ceterum quid tua parturiat generositas, auide expectamus, quum illam nil nisi delitias parere sciamus. Nos Ptolomæi librum primum, tam græcè quam latine breui dabimus: inde & reliquos adiunctis tabulis, si diuina concesserit bonitas, cum plerisque aliis ad Geographiæ cognitionem non minus necessariis, quam iucundis. Tua interim bene valeat claritudo, & nos, (vt facit) amare non desinat. Norimbergæ Calendas Iulij, anno salutis M.D.XXX.

Admodum difficile est, veteris Germaniæ statum ac conditionem explicare, non solum ob priscorum scriptorum incuriam, sed quia sero tandem tota peragrata ac cognita est. Etenim cum veteres Germani bellis potius, quam litteris operam impenderint, nil mirum, si res ab eis præclare gestæ interciderint, aut minus fideliter ab exteris relatæ sint scriptoribus. Quid enim Græci præter fabulas de Germania scripserunt? Romani vero, quoniam vbique fere propriæ studuerunt gloriæ, non tam gesta sua maximis extulerunt laudibus, quoniam incommoda à Germanis accepta callide texerunt. Quis enim eorum clades à Carbone seu L. Cassio, aut Scauro Aurelio, vel Seruilio Cæpione, seu M. Manlio acceptas exacte recenset? quos tamen breuissime Tacitus refert, & Cæsar Cassium consulem occisum, exercitum eius vero pulsum esse nequaquam dissimulat. Quin & multa præterquam Paterculi nuper inuenta extat historia, quæ Quintilij Vari cum Legionibus internicionem explicat. Vnde non ab re suspicare licet, tam Plinij de bellis Germanicis libros, quam Cornelium aliorum scriptorum ab inuidis esse suppressa, ne Germanorum gloria plus æquo excelleret. Accedit quod Romani & Græci scriptores, vt plurimum ob ignorantiam locorum aberrarunt, non solum ij, qui nunquam ad Germaniam accesserunt, sed & qui res in illa gesserunt. Cuius rei vel præcipuum documentum esse potest, quod Cæsar flumen Scalden in Mosam fluere scribit, ac Strabo Lupiam in Visurgim ad Amasium in vnum deferri refert. Accedit quod & nomina gentium, locorum ac ciuitatum, vbique fere, ob pronunciationis difficultatem, deprauata sunt & inuersa. Demum vero vniuer-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [118] - 94 PUBLIC DOMAIN

vniuersalis Germanorum transmigratio omnia confudit, ac ita perturbauit, vt in quibusdam potius coniecturam sequi necesse sit, quam quod aliquid certe asseri possit: nihilominus tamen operam dabimus, vt breuissime, etsi non omnia, at quædam saltem loca tanquam è cœcis eruamus tenebris, nil in hac re doctioribus præiudicantes, sed libenter, vbi melius quam nos senserint, herbam porrigentes. Proinde licet scriptores plerunque Germaniam à Gallia per Rhenum fluuium diuidi asserant, constat tamen Romanos eam quoque prouinciam, quæ vltra Rhenum est, primam & secundam appellasse Germaniam: quod profecto minime fecissent, si Germanis quidquid vltra Rhenum est, auferre voluissent, qui pridem ac ante Romanorum aduentum in Galliam transierant, illamque incolebant. Vnde & lingua & legibus à Gallis, vt Cæsar refert, differebant. Ab ea igitur Germaniæ parte initium faciemus, quæ vltra Danubium sita, & à Romanis olim subacta est; indeque ad Rhenum ac inferiorem accedemus Germaniam; demumque ad Germaniam transgrediemus magnam. Verum sub initium hoc scire refert, Romanos Rhetiam, Vindeliciam & Noricum ab Augusti tempore vsque ad Odoacris irruptionem, hoc est, per annos circiter quingentos possedisse: qui cum Italiam occupasset, omnes fere Romani nominis incolas in Italiam reduxit, ne irruentibus Germanis cederet in prædam.

Rhetia.

Rhetiæ igitur nomine continebatur olim, quidquid terrarum inter Rheni fontes, nec non montem Adulam & Oenum fluuium iuxta alpes continetur. Propterea inter Danubium & Italiam, Veronam vsque ad Comum, ita vt & Alpes, qui nunc Churienses & Athesini vocantur, Tridentini, Tyrolenses quoque & Oeni vallis incolæ, omnes sub Rhetorum nomine comprehenderentur, excepta Vindelicia, quæ proprium sortita nomen. hanc Rhetiam licet iam multi ac varij inhabitent populi, maxime vero Alpestres ac Sueui, illaque pluribus & variis ornata sit ciuitatibus, pauciſſimaque tamen Romanæ antiquitatis restant vestigia, licet aliqua supersint, & primum iuxta Rhenum & non longe ab illius fontibus.

Curia	Chur/certum.
Bregetium	Brengenz/certum.
Sublauio	Brixen.
Abusiacum	Fuessen/certum.
Matreio	Matran/certum.
Campodunum	Kempten/certum.

Iuxta Danubium vero.

Tragetium	Stulingen.
Bracodurum	Pfullendorff.
Dracunia	Ehingen.
Viana	Weissenhorn.
Pheniana	Laubing.

In mediterraneis.

Drusomagus	Memmingen.
Rostronemaniæ	Mimdelheimb.
Taradunum	Riedling.
Aræ Flauiæ	Nördling/vel potius Heygenheimb.
Rihiana	Giengen.
Alcimænis	Werd/con. vel Eystauia aut Albus Burgus.

Vindelicia.

Vindelicia adhæret Rhetiæ, vel potius illi inclusa est. terminatur autem ab ortu flumine Oeno à meridie Alpibus, ab occasu Lico fluuio, à Septentrionibus Danubio. hanc iam potissimum incolunt Bauari, tum inferiores. Iuxta Licum vero Sueuorum pars. Strabo Licabolicatios seu Claudenatios & Vennones inter Vindelicos fortissimos esse dicit. Ciuitates autem antiquæ in illa sunt:

Augusta Vindelicorum	Augspurg/certum.
Damasia	Diessen/certum iuxta lacum Ambræ.
Ambra	Ampen / apud lacum & fluuium eiusdem nominis, certum.
Parthanum	Partenkirch/certum.
Inutrium	Mittenwald/certum.
Cambodunum.	Kemmat/certum.
Pontes Scaphoni.	Schefflern/nũc monasteriũ super fluuio Isara, certum.
Carodunum	Kreinberg/iuxta Wasserburg/certum.
Vallatum	Feilenbach/certum.
Fruxinum	Freysing/certum.

Isnisca

Isnisca	Isen/iuxta Frisingam.
Mocenia	Mozing/certum.
Pisononium	Wischelburg/certum, inter Straubing vnnd Deckendorff.
Medullum	Melding apud Müldorff/certum.
Atilia	Altenburg/certum, non longe à Neuburgo iuxta Danubium.
Cæsarea	Reschnig/certum, non longe ab Ingolstadio.
Sumuntorio	Hohenwerth/monasterium,certum.
Abudiacum Danubianum	Abach/certum.
Aurisium	Rot/certum.
Abusina	Abensperg/certum.
Epona	Epenburg/supra: Nouam ciuitatem.

Artobria iam Veltenburg, monasterium supra Ratisbonam, certissimum ex magnis ædificiorum ruinis.

Abudiacum	Happig/iuxta Rosenheym.

Tiburina metropolis Norici, vel Augusta Tyberij seu Regino Regenspurg.

Regium	Ricking/non longe à Ratisbona.
Vetera castra.	Pfettern.
Augusta Acilia	Straubing/nempe ciuitas antiqua, quæ & hodie Azelburg vocatur, certum.

Quintianus vel Quintianorum.

Colonea	Künzing/iuxta Fußhosen/certiss.

Boedorum vel Bocodurum, vel Bolodurum vel Batabis. Ptolomæi Boedicum.	Passaw/certiss. propter confluentiam Oeni in Danubium.

Noricvm.

Noricum incipit ab Oeno fluuio, protenditurque ad ortum Pannoniam vsq; superiorem; à meridie autem terminatur monte Caruama, & Alpibus Noricis, ad Italiam vsque: à Septentrionibus autem Danubio. Nunc vero inhabitant occasum versus Bauari: ad ortum autem est prouincia, quæ Ens ex fluuij Anasi nomine vocatur, & Austriæ pars: ad meridiem autem Styria, in Alpibus vero habitant Careni, partimque Croati, gens Sclauonica: comprehendunturque Norici nomine Comitatus Goricensis & Ziliensis, regionesque adiacentes.

Ciuitates in Norico.

Pontes Oeni	Oeding/certum.
Bidaio	Lausen/coniectura.
Bedacum	Birckhausen/coniectura.
Iuuauium	Salzburg/certum.
Teurnum vel Berunum	Bernaw/certum apud lacum Renchee.
Aredata	Lintz/coniectura.
Gamanodurum	Graunaw/coniect.
Ouilabis	Lambach/monasterium iuxta ciuitatem Ens, certum.
Lauriacum	Lorch, monasterium iuxta ciuitatem Ens, certum.
Gessodunum	Ypß.
Claudionum	Melck/certum.
Cetio	Zeysselmawr.
Auguntum	Newstatt/vel prope: quia nomen repugnat.
Vacorium, vel vt aliqui putant Sacarbantia.	Gretz/coniectura.
Pedicum	Brück/super flumen Mura, coniect.
Virunum	Judenburg/coniectura.
Zelia	Cili/certum.
Iulium Carnicum	Villach/certum.

Pannonia superior.

Pannonia terminatur ab occasu Norico: ab ortu vero Pannonia inferiori: à meridie, parte Istriæ ac Illyridis: à Septentrionibus autem Danubio. Nunc vero illam inhabitant Austriæ populi ac Styri, nec non Sclauorum gentes Croati & Carni.

In ea

In ea sunt ciuitates.

Iuliobona vel Vindobona, seu Vindomana aut Fauianis.	Vienna, certum.
Salaria, Colonia diui Claudij	Stein am Anger/certum.
Carnus	Presspurg/coniectura.
Muriola	Mureck/coniectura.
Bregetium	Raab/certum, propter confluentiam Rabonis vel Arabonis in Danubium.
Carnunto	Petternell/coniect.
Petouium siue Patauium	Potaw/certissimum.
Nouidurum	Laybach/coniect.
Et sub Norico Pannoniæ Emo	Clemona, certum.

PANNONIA inferior.

Habitatur iam ab Hungaris, Sclauis, Syculis, Larigibus, Hunis, Cunis, Septemcastrensibus Germanis, & plerisque aliis nationibus. Hungari tamen prædominantur.

Ciuitates eius.

Vimundria	Agran/coniect.
Salinum	Ofen/coniect.
Teutoburgium	Senna Erdet/ certum, propter confluentiam Dari in Danubium.
Militatis	Vilack/certum.
Sirmium	Simach/certum.
Taururum	Alba Græca, certum, propter confluentiam Danubij & Saui.
Hermonactus,	Kilia/coniectura.
Zeugma	Clausenburg/coniectura.

Zarmis Gethusa, domus venationis Zarmidis regis: nunc Corona apud septem castra. Reliqua propter variarum gentium incursiones cõiectore indigent. Nunc vero transcenso Rheno ad Heluetios perueniamus: licet Heluetiorum deserta in Cihrhenana ponantur regione.

Heluetij.

Heluetiorum nomine continebatur, quidquid nunc Suitenses & Confœderati possident, Rauracos vsque & Basileam.

Ciuitates horum.

Lacus Brigantinus, in quem Rhenus influit: nunc lacus Constantiæ est. hunc Ceretos & Vindelicos Strabo attingere refert.

Arbor fœlix	Arben/certum.
Gannodurum	Constantia, coniectura.
Vitodurum	Winterdurn/certum.
Turegum vel pagus Tigurinus	Zirych/certum.
Auanticum	Wifelspurg/certum.
Solaturum	Solotorn/certum
Vindonissa vel Lindonis	Windisch/apud monasterium Königsfeld/in quo est sepultura Comitum de Habspurg, certum.

Et versus Sequanos & Heduos, nunc Burgundiam & Lotharingiam:

Visontium	Bisanz/certum.
Tollium	Doll/certum.
Nasium	Nause/certum.

Post Heluetios habitant Raurici, quorum caput Augusta Rauricorum, Augst/pagus nunc supra Basileam miliare vnum, certum.

Basilea, creuit hæc ex ruinis Augustæ.	Basel/certum.

Strabo deinde Mediomatrices ponit: post quos Fribochi eam tenebant terram, quæ nunc Alsatia dicitur ad Sequanos vsque, & Hunorum tergum. Siquidem dum Huni rerum potirentur, quidquid ad ortum possidebant, Oesterreich nominabant. quidquid autem ad occidentem Westerreich. His Strabo Triusgros adiacere refert, apud quos tum temporis Romani Imperatores pontem supra Rhenum ædificabant.

Monte Brisiaco, vel Breucomagus	Breysach/certum.
Argentoratum	Strasburg/certum.
Tabernæ	Zabern,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [121] - 97
PUBLIC DOMAIN

Non desunt qui Argentoariam Colmar / Elcebum vero Schlettstatt esse putant, sed falluntur. nam supra Rheni ripam Argentoaria & Elcebus erant.

Sequuntur Vangiones, nunc Spirenses, quamuis vsus obtinuit, vt Vangiones Wormatienses, Nemeti vero Spirenses dicantur, sed præpostere. Ptolomæus vero Argentoratum Vangionibus attribuit.

Hærebant his Nemeti, quorum fines ad Treuetos vsque extendebantur:

Ciuitates eius.

Rufiniana	Wormbß.
Neomagus	Oppenheim/vel Spira potius.

Quamuis non desint, qui Rufinianam Speyer/ Neomagum vero Wormbß esse putant, Bauconiam autem Oppenheimb.

His iuncti erant Treuiri occidentem versus, quorum olim fines latissimi erant: nam à Rheno ad Mediomatrices extendebantur, pariter ad Menapios & Mosam, ita vt quidquid hodie à Moguntiaco per Treuirensis episcopi ditionem & Mosellæ montes seu Obrinci fractum, ad Arduennam & vltra, nec non quidquid per prouinciam nunc Westerreich & Lucelburgium continetur, id omne Treuirensis erat ditionis.

Ciuitates vero iuxta Rhenum sunt.

Mocontiacum	Mentz/certum.
Bingium vel Vingio.	Bingen/certum.
Legio Traiana	Druchßhusen/quasi Traiana domus.
Vosauia, alias Ficelia	Ober Wesel/ibi cæsa & sepulta est Mammæa, mater Alexandri Imperatoris.
Bodobriga	Poporten/certum.
Confluentes	Coblentz / ibi Rigodolum est oppidum Ammiano: quamuis etiam non longe à Treuirorum Augusta pagus sit, qui hodie quoque Rigol appellatur.

Et hic erat limes Germaniæ superioris, quem Obrincus fluuius dirimebat: inde sequebatur Germania inferior.

In mediterraneis autem ciuitates.

Augusta Treuirorum	Trier/certum.
Nouomagum superius	Niemag/pagus circa Berussel.
Pontes Sarni	Sarbruck/certum.

Et versus Mediomatrices.

Durocortorum	Arencort iuxta portum S. Nicolai.
Matricorum siue Diuodurum	Dietenhofen/in ripa Mosellæ à Francis Teodonis villa vocata regia Caroli Magni, certum.

Ceterum non parua est disceptatio, quis sit fluuius Obrincus, quem Ptolomæus supra Moguntiacum statuit. Quidam illum enim Naum, qui iuxta Bingium in Rhenum defluit, esse putant. Alij etiam Rhenum transgressi Mœnum esse censent. Sed procul dubio Mosella est, licet Ptolomæus in eius situ (forsitan ex aliorum relatione) deceptus videri potest. Equidem si Naus esset, sequeretur quod Mosellâ penitus à Ptolomæo fuisset obmissa, quod plane incredibile est, quod fluuius adeo insignis fuisset neglectus, & longe minor, Naus nempe, recensitus, qui & ipse non supra, sed infra Moguntiacum labitur, Mœnum vero per Obrincum designari, plane ineptum videri potest, quod in descriptione superioris & inferioris Germaniæ, transcenso Rheno, Mœnus describi & quasi humeris vltra Rhenum transportari deberet.

Ripuarij dicti in Treueris ad Mosellæ habitarunt ripam, nec non inter Mosellam Rhenum ac Mosam, à Francis Ripuaria vocata est, Neustria & Austrasia.

A Confluentibus vero Vbiorum incipiebat ditio, quorum fines ob fidem egregiam, mirum in modum à Romanis fuere auctæ. traduxit hos Agrippa ad ripam vlteriorem, sed non inuitos, vt Strabo ait. Horum vrbes erant.

Autunaco vel Autiniacum. (sed forsitan potius in Treuiris, quam Vbiis est ponendum.)	Andernach) / certum. ibi conditum est corpus Valentiani Imperatoris.
Rigomagus hic Arar Rhenum influit.	Reinmegen/certum.
Bonna	Bonn/ certum. ex cuius opposito Genosia est: Vbi Drusus, teste Floro, Rhenum ponte coniunxit. Agrip-

Agrippinensis Colonia, Vbiorum caput.	Cölln/certum.
Nouesium Tacitus in Legnis quemadmodum & Geldubam esse scribit.	Neuß/certum.

Et in mediterraneis.

Marcodurum	Düringen/certum.
Iuliacum	Jülich/certum.
Coriouallum ad Menapios pertinebat potius quam Vbios.	Ach/vel prope, certum.
Lugodunum	Seuenburg.

Geldua nunc diruta, pagus adhuc vocatur Gelb, iuxta arcem Linem Episcopi Colonienſis.

Vbiis versus occidentem hærebant Menapij, quorum fines olim latissimi erant. ad Castellum enim protendebatur oppidum, erantque sub ditione eorum tractus illi, qui iuxta montes sunt, quos nunc Eyffiam appellamus, ac quicque inde est vsque ad Morinorum terminos, nec non comitatus Namurciæ, Ducatus Lümburgensis & Falckenburgensis, ac trans flumen Mosam pars Hannoniæ ad Picardiam vsque & Eburones. habitarunt enim vtramque Mosæ ripam, authore Cæsare & Tacito. Paludes vero Menapiorum, quorum & Strabo meminit, inter Eyffiam & Lümburgensem sunt ducatum, regio hodie Alta palus vocata, hominibus fere inaccessa, & vix structis quibusdam semitis permeabilis. sunt & circa Geldriæ confinia Menapiorum paludes, in ea regione, quæ hodie vocatur die Vogtey von Geldern/, iuxta Venlo & Kempen. Strabo hos nouissimos ad vtramque fluminis ripam esse dicit.

Menapiis adhærebant Morini, quorum portus Gessoriacum, nunc Cales:

Castellum	Kessel/iuxta Mosam oppidum dirutum.
Vaganum oppidum non procul à Castello.	Wagenheimb.
Tongeren ciuitas	
Namurcum	Namur.
Leodium	Lüttig.
Atuacum vel Atuacutum	Mastricht/certum.
Samobrina	Cameracum vel potius S. Quintin.
Taruana	Terwan/certum.
Tornacum	Torneck/certum.
Gessoriacum nauale	Gent/certum
Lugodunum	Worcken/vel mons S. Gertrudis.
Itius portus vel Gessoriacum	Cales/certum.

Deinde Batauorum sequebatur regio. Obtinebant autem Batani, quidquid à sectione Rheni in Mosam & Rheni comprehendebantur ostia. Ceterum hoc prætereundum non est, quod licet Ptolomæus tria Rheni ponat hostia. Tacitus tamen nisi duorum mentionem facit: vnum vbi Mosæ commiscetur, & Vahalis vocatur, alterum vero qua Germaniam præuehitur, donec Oceano misceatur. Strabo quoque duo hostia Rheni ab Asinio tradi refert, eosque accusandos, qui plura dicunt, idemque Pomponius Mela sentire videtur. Nostro autem æuo tria Rheni ostia scimus, quorum tertium Insula vocatur. Vtrum igitur tertium illud Taciti tempore hoc fuerit, sed posteriore eruperit tempore, indagatione nequaquam indignum videtur. Duæ namque iam Insulæ inter Rheni sunt ostia, Batauorum & Canenefatum, quorum altera Velania dicta est. retinet & tertium hostium Insulæ nomen, estque regio, eaque pars Geldriæ, & diœcesis Traiectensis, nunc que Insula superior appellatur. Comprehenditur & magna pars Holandiæ sub Batauia, nec non ea terræ portio, quæ patrum nostrorum ætate ab Oceano est submersa. Tacitus Batauos virtute inter Germanos fuisse præcipuos refert, & Chatorum olim populum ob seditionem in eas sedes transgressos. Proinde licet Batauia hoc tempore multis ornata sit ciuitatibus, paucis tamen antiqua remanent nomina, ex quibus sunt:

Traiectum, quod inferius appellatur nunc	Vtricht.
Portus Manarmanis vel Naualia	Campen/certum.
Vetera	Santen/certum.
Tiberiacum non longe à Santen	Berick/quamuis aliqui putent Tiberiacum inter Coloniam & Iuliacum esse situm, & forsitan esse Berckheimb.

Baganum quod retinet nomen antiquum.	Bagenheimb/ibi habitabant Arentij.
Neomagus	Neumägen.
Colonia Traiana	Keyserswerdt.
Calkiaci	Calcar Tacitus.

Tametsi ciuitates istæ supra insulam Batauorum sunt sitæ & ad Belgas pertinebant.

Inde per milliaria duo distabat Batauodurum, nunc penitus excisum. extat tamen Arx nomine Battemberg.

Dorderacum præterea & Briel hodie portus admodum famosi sunt.

Post Batauos & vltra Rhenum Busacteri parui, quos quidem Bructeros esse volunt, à Ptolomæo ponuntur. Tenebant ij eam Germaniæ terram, quæ iuxta Rhenum est, & versus Boream tendit; hodie Phrisiæ pars est. Horum iam vrbes sunt:

Dauantria	Deuenter.
Suollis	Suol.

Inter Busacteres & Phrisios Vidrus fluit fluuius, ac in mare exit Phrisium, hodie nigra appellatur vnda, estque nauigabilis.

Supra hos iuxta Rhenum habitabant Sycambri, à quibus Franci ortum sumpsere, quod quidem multis argumentis ostendi potest. Nugentur Gallici scriptores quidquid velint, de Troiana gentis origine, & ciuitate illa magna Sycambria appellata, meris mendaciis constructa. Omnia enim illa fabulosa existunt. Horum pars sub Octauiano Cæsare in citeriorem Rheni translata est ripam, qui vero remanserunt posteriori tempore Franci sunt dicti, & eam occuparunt terram, quæ hodie appellatur Franconia seu Francia orientalis, vnde & per Franckofordiam, hoc est, Francorum traiectum Galliam inuaserunt, quam & hodie tenent. Horum ciuitas erat Asciburgium, nunc Aspech, locus tectus ruinis, terra vero illa Montensis nunc ditionis est.

Post hos Sueui habitabant Longobardi, hodie pars Marchiæ comitatus, & Montensis ducatus terra illa fuisse videtur. per horum & Sycambrorum terram tria labuntur flumina, quæ omnia in Rhenum exonerant, Luppia die Lipp/quæ apud Wesaliam cum Rheno commiscetur, extatque hodie Castellum super illius ripam à Romanis fundatum Lupia nomine, ac Terlipp vocatur. Secundus amnis Rura, hoc est, die Roer appellatur, in Cattorum montibus ortum sumens, ac in Rhenum iuxta Roerhort influens, Adrianus vt coniecturare licet à Tacito vocatus. Tertius fluuius Angra, hoc est, die Hanger/& apud Hangerhoert Rheno commiscetur.

Postea Tengeri degebant & Tugriones, inter Rhenum & montes, vbi hodie pars Hassiæ cum Rheno coniungitur, dicta der Hochrug/ditionis Comitum de Nassau, Königstein, &c. Wederauia & Sylua occidentalis, hoc est, der Westerwaldt/Franckfordiam vsque per horum fines insignis labitur fluuius, qui magnam partem Hassiæ interluit, Lona nomine, ac iuxta oppidum Lonstein in Rhenum exit: quidam Luppiam esse voluerunt, sed falluntur, nam Luppia hodie nomen suum retinet, ac lõgissimo spacio infra Lonam in Rhenum labitur, & ideo dubium est, num Lona Romanis scriptoribus cognita fuerit. Tacitus Tengeris equestris disciplinæ laudem tribuit, quemadmodum Cattis pedestris. Postea erant Intuergi, vbi hodie est ditio Palatini, Heydelberg vnd Bergstraß. His iuncti erant Vargiones, vbi nunc Franconia, quæ orientalis vocatur, esse putatur, cum dioceseſi Würtzburg. Sequebantur Charitini, nunc Ducatus Wirtenbergensis, cum adiacente sibi Sueuiæ parte.

Sub his erant Vespi, hodie Marchionatus est Badensis cum prouincia, quam Prisgaudiam vocant.

Inde Heluetiorum erant deserta, nunc Sylua nigra, cum regionibus sibi annexis.

Iuxta Oceanum vero supra Busacteres Phrisij colebant, tam occidentales quam orientales: gens hodie longissime protensa, non solum enim vsque ad Amasium protenditur fluuium, vt Ptolomæus refert, sed ad Albin vsque pertingit: In horum finibus Amasius vel Hamasia, qui die Emß/in Oceanum exit. Horum hodie vrbes sunt:

Leberden.
Grönningen/ciuitas insignis.
Embden.
Phabiranum
Premmen/coniectura, vel Tecelia.

Super hos colebant Cauchi, qui appellabantur parui, vsque ad flumen Visurgim. Deinde ad Albim vsque Chauchi habitabant maiores, nunc Saxoniæ pars, ac Ducatus Lünenburgensis esse censetur, nec non Episcopatus Bremensis & Hildesheymensis. Tacitus hos ad Charos vsque deducit, ac inter Germanos nobilissimos vocat, & singulari iustitia excellere scribit. Deinde ad Colum Cymbricæ Chersonensi Saxones, quemadmodum & nunc, habitant.

Ciuitates

Ciuitates eorum hodie sunt.

Treua	Heymburg/coniectura.
Litimeris	Lübeck/ciuitas insignis, vel Mülheym, coniect. quia Lubec nouiter est condita.
Leuphonia	Wollen vel Hannouer/coniectura.

Sequitur Chersonensus Cymbrica, quæ hodie est ducatus Holsatiæ & Schlesuicensis. habet nunc Episcopatum Schlesuicensem vel Ripensem, Viborgensem & Archusiensem. Ciuitates vero quam plures, veluti Hadersleben/Flensporg/Schleßwigk/&c. Plinius Cymbris mediterraneos quoque adiungit Cymbros.

Post Saxones à Chalusо amne, qui hodie Drauenna esse censetur, ad flumen Sueuum, nunc die Spree/habitabant Pharodini, horum ciuitates erant.

Lacibungium	Sundt/coniectura, sunt qui Rostock putent.
Alisus	New Brandenburg/coniectura.
Wismar	
Molten	

Rostock, ciuitates nouæ à Sorabis Sclauis conditæ, nunc terra illa Saxoniæ, & Ducatus Megaloburgensis pars est.

Hunc totum tractum maritimum, ad Vistulam vsq; cum magna parte prouinciarum mediterranearum, olim Sclaues Sorabes, ac Vilci occuparunt. Cum quibus & Carolus Magnus ac Daniæ postea reges multa gesserunt bella, ab iis maior pars ciuitatum, quæ nunc florent, est condita, supersunt adhuc reliquiæ illorum, magna gens, & plane misera, ac contempta, ab omnibusque oppressa.

Sueuus vero fluuius iuxta ciuitatem Sundensem in mare exonerat Germanicum, quæ Marionis altera censetur.

Deinde erant Sideni ad Viadrum seu Gutadum vsque fluuium, qui hodie est Odera, amnis insignis, & qui non minorem suscipit fluuium Neussam nomine, ac iuxta Caminum ciuitatem Episcopalem in mare exit Germanicum, hodie pars est Ducatus Megaloburgensis ac Stetinensis. Ciuitates vero ibi sunt.

Limosalium	Lebus/
Louincium	Bernaw.
Virunum	Angermundt/coniectura.
Stetin	Stetin/ciuitas.

Gripswald/nunc ciuitates insignes.

Sub his Rutichij incolebant ad Vistulam vsque hodie die Weyxel.

Ciuitates horum sunt.

Rugium	Camin/certum, propter exonerationem Viadri.
Sturgun	Graudtmitz/coniectura.
Kolperg	
Stolpe	
Louenburg	

Vltra vero Viadrum, hodie Ducatus est Pomeraniæ, & ditio antiquorum Ducum Saxoniæ, qui appellantur de Louenburg, & iuxta onerationem Vistulæ in mare Dantiscum, hodie emporium celebratum. Internarum autem gentium maximam esse Sueuorum Angillorum Ptolomæus scribit. hi fuere qui posterioribus temporibus insulam Britanniam, nunc ab illis Angliam dictamo, occuparunt, erant hi magis orientales Sueuis Longobardis, qui postea in Italia confederunt. hos Tacitus paucos sed nobiles & bellicosos esse scribit.

Iuxta erant Sueui Seranones, vbi nunc est Marchia Brandenburgensis dicta, & ad Albim vsq; protendebantur, ac vltra illum etiam habitabant, vsque ad Sueuum fluuium. hi postea omnes populariter demigrarunt, ita vt nec vestigium vllum Sueuorum ibi remanserit.

Post hos gens erat Burgundorum: Plinius Burgundiones vocat: qui & ipsi emigrantes in Gallia consederunt. Vnde & ab eorum nomine Burgundia appellatur.

Ceterum inter Cauchos paruos atque Sueuos incolebant Busacteres maiores, & sub his Chemæ, & deinde Angriuarij, quorum reliquiæ hodie quoque supersunt, Episcopusque Colonienſis se ducem Angriuariorum appellat. nunc Ostphali & Bestphali ibi degunt & Monasterienses, nec non Badenbornensis & Bremensis est Episcopatus. Vltra Visurgim vero Episcopatus Hildesheymensis, & Comitatus Rauespurgensis, vbi posteriori tempore habitarunt Nortmanni, qui Galliam vehementer afflixerunt, vt id ex vetusto Germanico autore disci potest, qui se ex ea gente originem habere gloriatur, quidquid de his somnient scriptores Gallici, & eos à Dania venisse autument. Angriarios & Chamannos à tergo Dulgibinis & Casuariis claudi Tacitus scribit: à fronte autem Phrisiis excipi. Per Westphaliam Amisus fluit amnis insignis, ac in mare Phrisium iuxta Embden labitur. in hoc Drusus Bructeros nauali vicit prælio, Strabo Hamasiam appellat.

Ciuitates vero eorum sunt:

Mediolanum — Münster/conject.
Teuderium — Badenborn/conject.
Siatuanda — Osenbrück/conject.
Et vltra Visurgim ducatus Brunsuicensis.
Hildesheymensis ciuitas.
Tulisurgium — Braunsuick/conject.

Postea erant Lacobardi, sub quibus Dulingi, vbi nunc est Marchia antiqua & Episcopatus Meydeburgensis.

Ciuitates vero sunt.

Mesouiuti — Meydenburg/vel Melden.
Halberstadiensis Episcopatus.

Inter Saxones & Sueuos Teutonari & Virumij erant.

Horum ciuitates.

Treua — Hauelburg/coniectura; ciuitas & Episcopatus.
Welsenach.

Postea Teutones & Anarpi. Quorum ciuitates nunc sunt
Berlin & Brandenburgensis ciuitas.

Inter Rutichios autem & Burgundos habitabant Elueones.

Horum ciuitates nunc sunt.

Scurgum — Grandmitz/conject.
Ascaricadis — Toren/conject.

Sub Sennonibus habitabant Ilingi: nunc pars est Lausniciæ: sub Burgundis autem Luti Diduni, vbi nunc est Stargardia in Pomerania. Sub Ilingis ex vtraque parte Albis degebant Calucones, vbi nunc est Hertzberg/& pars Misniæ circa Cerbst.

Cherusci inter Albim fluuium habitabant & Visurgim, dirimebanturque ab Angriuariis, vt Tacitus scribit, lato aggere, quem illi extulerant, quo à Cheruscis dirimerentur, & quum Drusus Germanicus Cheruscos adgressus fuisset, Arminius cum illis trans Visurgim instructa acie stetit. is enim Romanos & Cheruscos interfluebat. Vnde plane constat, Cheruscos eam inhabitasse terram, quæ hodie Saxoniæ pars est, cum Duringia vniuersa. Saltum vero Teutoburgensem, in quo Varus cum Romanis legionibus cæsus est, haud procul ab Amisia, teste Tacito, abfuisse constat. Drusi vero Trophea Ptolomæus quasi ad ortum Visurgis ponere videtur. id si verum est, circa Fuldense Monasterium fuerunt. Nam & Strabo refert Drusum, quum inter Salam fluuium & Rhenum belligeraret, oppetiisse.

Camanni autem tenebant eam terram, quæ nunc est Misnia, vsque ad Melibochum montem.

Versus ortum autem Albis habitabant Benochemæ, circa Cotowitz vnd Dresen.

Supra hos erant Batini, vbi nunc est Ducatus Sagensis.

Et adhuc super hos habitabant Corconti sub monte Asciburgio, ibi hodie Getlitz est, & Pautzen, cum reliquis ciuitatibus vsque ad Poloniam. Luti Buri vsque vero ad Vistulam protendebantur: hodie Schlesia est, vbi & Vratislauiensis ciuitas, quæ Burgorio censetur, & Poloniæ pars vsque ad fluuium Vistulam.

Inde Sidones erat, vbi nunc Ducatus Oppulensis: postea Cogni, vbi hodie ducatus est Teschensis.

Demum vero Visburgij supra Syluam Hercyniam, nunc pars est Moraviæ circa ciuitatem Olmucensem.

Rursus supra Sueuos, Ptolomæus Casuarios Nertereanos, & Danduros ponit: ibi forsitan, vbi hodie ditio Comitum de Hennenberg est, & regiones, quæ vocantur Puchen & Ron, cum ciuitatibus Schmalcaldia, Koburga, Egra, & reliquis.

Sub his autem Turones & Martunges colebant: forsitan, vbi hodie ea regio est, quæ vocatur Patinatus superior, circa Ambergam vsque ad syluam Bohemorum. Verum nil certi affirmamus.

Iterum sub Camanis Cathæ, siue vt Tacitus appellat, Cati, Cheruscis ad occasionem contigui fuere ac propinqui, nam, vt Tacitus scribit, quum Drusus ex improuiso Chattos inuasisset, Cheruscis in animo fuisse vt Chattos iuuarent, sed à Cecinna prohibitos esse. quapropter absque dubio patet Chattos vicinos fuisse Cheruscis, & eam habitasse prouinciam, quæ hodie est Hassia: nam, vt Cornelius inquit, apud illos colles rarescere incipiunt, nec adeo terra palustris est, quemadmodum in Germania inferiori: hi succedente tempore Cheruscos subegerunt, indeque cum Hermundutis ob Salis flumen contendentes, penitus cæsi fuerunt, quum victores diuersam aciem Marti & Mercurio sacrassent, & forsitan ob illas Salis fontes pugnatum est, qui hodie apud Hallenses in Misnia cernuntur.

Horum ciuitas erat Stereontium — Cassel/coniecturaliter. Peuge-

Peugarum

Marpurch cõn. Tacitus refert Matium caput genti fuisse, quam & summis laudibus attollit.

Supra Catthos habitabant Tubanti, hodie ea regio Effeld censetur & Sylua Hartz.

Inde ad Sudetos montes Theurochemæ, iam Foidtlandia esse putatur. At sub montibus erant Vatisci, vbi nunc est ciuitas Babenbergensis, & montana quæ Babenbergensia vocantur, cum oppidis Holfeld, Kulmbach, Peyreut, Hof.

Ceterum nec hoc prætereundum, in hac regione montem esse Piniferum dictum, ex quo quatuor insignia & nauigabilia oriuntur flumina, quæ ad quatuor mundi tendunt plagas. Ægra enim ad ortum fluit, & in Bohemia cum Albi miscetur. At Nabus versus Austrum fluens in Danubium tandem exit. Sala autem ad Septentriones labens, & ipsa ab Albi excipitur. Mœnus versus occasum in Rhenum exonerat.

Sub Martungis erant Curiones, inde Chetuari & Parmecampi, vbi hodie Austriæ pars est cisdanubiana, iuxta Crembs, Znam & Nicolspurg.

Inde habitabant Marcomanni hodie regio illa Moratia est, quæ se ad Sudinos extendebat, & Danubium vsque, vbi ciuitas est hodie Brespurgium, gessit hæc gens maxima bella cum Romanis, præcipue Antoninorum tempore.

Ciuitates nunc habet insignes, Olmicensem, Eburium fortassis & Brunensem. Sub Sylua autem Hercinia Quadi erant, vbi nunc sunt oppida Kam, Kalmintz, Grafenau, vsq; ad Lunam syluam, apud quos, vt olim, hodie quoque ferri perdarat minera.

Sub syluâ vero Luna seu potius inter syluam Lunam gens magna erat Boemorum, qui & Boiochæmi vocabantur, ac vndique claudebantur syluis. Eam Regionem Morabudus obtinebat, Romanis autem bellis clarus: sub quo tum, vt Tacitus refert, Suecunæ etiam gentes, Semnones & Longabardi, nec non Marcomanni erant, ad quos ab Arminio pugna deuictus concessit. Verum Sclaufnorum postea gens, cum multitudine sua totam fere inundaret Europam, eam inuasit terram ac ex pullis veteribus colonis vniuersam occupauit, & licet illi hodie quoque Bohemi vocentur, nequaquam tamen Germanica sed Sclauonica vtuntur lingua, quæ & veterem illorum redarguit originem. Nunc in regni formam est redacta, ac multis vrbibus insignita, dives frumenti, pecoris, piscium ac mineratum, admodum populosa, nec non potentissimis Baronibus magnaque nobilitate decorata. huius regionis ciuitates esse censentur. Goridorgis & Mediolatrium, forsitan nunc Praga & Pilsa. Hi hodie ad Danubium fere extenduntur, ac ideo Teracatris & Racatas quoque occuparunt. Proinde plures alias Germanicas gentes Tacitus ponit, inter quas & Marsos recenset. Scribit enim quum Drusus Germanicus Marsos adoriretur, quas & magna clade affecit, quod excidere Bructeros, Tilbantes & Visipetes, vt saltus, per quos exercitui regressus patebat, insiderent. Vnde liquet has gentes omnes vicinas & haud longe à Rheno abfuisse, licet Ptolomæus Tubantes etiam supra Catthos statuat.

Porro Marsorum reliquiæ adhuc in Germania permanent, nam Saxonum insulæ, vbi Albis in mare exonerat, hodie à Diet Marsis, hoc est, populosis Marsis habitantur, & à Marsorum nomine appellantur.

Bructeri à Ptolomæo haud nominantur, nisi quis Busacteres patuos pro Bructeris accipere velit, hos Drusus pugna nauali in fluuio Amisio deuicit: in horum terram imigrarunt Chamani & Angriuari, pulsis Bructeris.

Præterea & Mattiacos Tacitus recenset, qui & ipsi à tributis, quemadmodum & Batani exempti erant, ac solum ad vsum reseruati bellorum.

Visipios & Tencheros, Catthis proximos esse scribit Tacitus: Albim quoq; in Hermunduris oriri scribit, id si verum est, pars erunt Bohemiæ.

Iuxta Hermunduros Naciscì à Tacito ponuntur: à tergo vero Marcomannorum & Quadorum Marsigni, Gotthini, siue Gutones, qui & Gotthi.

Arionum, Helueconarum, ac reliqua prisca Germanorum nomina nunc penitus exoleuerunt. Peucinos autem & Bastarnos Plinius Dacis conterminos esse dicit. Supersunt & hodie in Transyluania, qui Sibenburgenses appellantur, Germanorum reliquiæ, vtrum vero postea illac migrarint, aut semper ibi habitarunt, nil certi quod affirmem habeo.

Sane Rugorum terra & hodie nomen retinet, pluresque principes de titulo Rugorum contendunt, veluti Marchiones Brandenburgenses, Mechelburgenses & Pomeraniæ duces. Supereſt & Insula Rugorum, ex opposito Sueui fluuii, vbi in mare exit, hi posterioribus temporibus magnum nomen sortiti.

Suionum deinde ciuitates Tacitus ponit, quos classe etiam valere scribit, forsitan hodie Suecì sunt & Dani, post quos mare est glaciale, id Tacitus pigrum vocat. Siquidem & Plinius refert

refert immenſas Inſulas non pridem à Germania compertas, quæ procul dubio Suetia, Dania & Noruegia ſunt, quæ longiſſimo terrarum tractu ab ortu in occaſum excurrunt, ita vt ab Islandia, quæ gradus ſeptem in longitudine habere creditur, vsque ad gradus ſexaginta tres protendatur: In latitudine vero à gradibus quinquaginta quinque vſq; ad gradus ſeptuaginta duos ſint cognitæ, cum Inſulis adiacentibus, veluti Islandia, Gronlandia vſque ad homines ſylueſtres, qui ob mores feroces Wildlappmani vocantur. Vltimus vero limes Chriſti cruce ſignatus eſt, quem nemo abſque regis licentia tranſcendere poteſt, & etiam cum comitatu magno, & is limes continet in latitudine gradus ſeptuaginta circiter, Inde non longe eſt erecta arx, quæ vocatur Warthaus, vel domus præſidii. Veniunt tamen quotidie à Septentrionibus, terraque incognita, ac à mari glaciali homines quidam barbari, Caroli vocati, mercimoniorum gratia in Gronlandiam cum magno exercitu, & vt pro comperto habetur, ex altera parte poli ſeptentionalis. Hoc plane cõſtat, Suetiam cõtinentem, & non vndique mari circumfluam eſſe. Noruegiæ ciuitas principalis & emporium hodie eſt Bergen, quæ habet in longitudine gradus 24. 16. in latitudine vero gradus 61. 15. Suetiæ autem Ciuitas præcipua eſt Stockholma, quæ continet in longitudine gradus 42. 38. in latitudine gradus 60. 30. At Daniæ caput regni eſt Copenhagia, longitudine gradus 35. 24. latitudine 56. 30. obtinens.

Inter inſulas vero Daniæ Gotlandia, hodie quoque nomen retinet, ſuntque in illa ciuitates, eccleſia Pharenſis, & ciuitas Veſpu.

Supereſt & Inſula Schanoia vel Scania, quæ hodie quoque Schonlandia vocatur, cum aliis inſulis quam plurimis ad regnum Daniæ pertinentibus.

Deinde Effluorum gentes, in dextro Sueuici maris littore habitare Tacitus ſcribit, hos Prutenos eſſe liquet: quia apud illos nunc, vt olim, Succinum colligitur.

Inde Sitonum ſequuntur gentes, & hunc finem Sueuiæ eſſe Tacitus refert, forſitan hodie Eyſlandiam eſſe. Pomponius Mela Hermiones vltimos Germaniæ eſſe dicit.

Ceterum Ptolomæus vltra Viſtulam Sarmatiam auſpicatur Europeam, quam eo quoque tempore, quemadmodum & nunc, multæ Germanorum habitabant gentes, veluti Gythones, Alani, Ragi, Scyri, Vandali, & cunctæ aliæ Gothorum nationes, poſt quorum transmigerationem, Schleuini, vt dictum eſt, ingreſſi ſunt, & terras illas occuparunt, aut etiam alios expulerunt, gens multitudine ſua numeroſiſſima, & quæ hodie præter Poloniam, totam Ruſſiam cum Moſcouia vſque ad mare glaciale & Tanaim, ac vltra illum etiam multa poſſidet. Ceterum ſinus Veneticus cum magna parte mediterraneæ regionis, quæ hodie Pruſſia eſt, nec non Liuonia vniuerſa, quę olim fuit Gotia orientalis, vſque ad Naruam fluuium, qui in ſinum exit Veneticum, hodie militiæ Teutonicæ ſanctiſſimæ virginis Mariæ paret. Suntque ibi eccleſiæ cathedrales quam plurimæ, veluti Sambienſis, Rigenſis, Hapſelenſis, & vltima Reualienſis. Ciuitates vero Elbing, Armel caſtrum, Mariæ Borgus, Mons Regalis, Riga ciuitas. Pornau, Hapſel ciuitas, & Demum ciuitas Renalia, quæ habet in poli altitudine gradus 62. in mare autem exeunt poſt Viſtulam Chronus hodie Paſſaria, deinde Pregora vel Cherchia, poſtea Armele fluuius magnus die Memel: Vocatur & Niemen Sclauonice, per Moſcauiam fluens ac in mare Prutenicum tribus hoſtiis exonerans: quidam hanc Chronum eſſe putant. Inde Hillige fluuius Rubonis, fortaſſis Poler: deinde Turnutus, forſan poſtea fluuius ingens, qui Duna, & Zuina ac Binda vocatur, ex Moſcouia exoriens apud Rigam in mare erumpit, forſitan Cherſinus eſt. Inde iuxta Reualiã Annã fluuius exit, demum autẽ Narua fluuius magnus, & ipſe ex Moſcouia fluens ac in Oceanũ Sarmaticum iuxta Flautenam exonerat, Liuoniamque à Moſcouia diſterminat, hoſtia fluuii huius in eleuatione polari gradus habent 64. vel circiter. In mediterraneis autem & haud longe inde ciuitas magna eſt, Nouogradia dicta, quæ graduum eſſe fertur 66. non multum à mari glaciali. Eſt hoc tempore Moſcouia, cum terra illa vniuerſa, Magno Duci Moſcouiæ ſubiecta, eius ditio quum verſus occidentem à Mari Baltheo incipiat, per quingenta miliaria Alemanica & magna quidem orientem verſus ſe extendit, quemadmodum Moſcouitæ pro certo affirmant, ita vt longe Tanaim, nec non Volgam, hoc eſt Rha fluuium ſuperet. & per Aſiaticam Scytream excurrat. Ioannes enim præſentis Ducis Baſilii pater multa ſuo adiecit imperio, veluti terram quæ Permeska nominatur, nec non Correlam, ac vltimam Iuhram, ex qua olim egreſſi ſunt Hungari, qui in Pannonia ſedes fixerunt, quod non ſolum ex communi patriæ liquet nomine, ſed quòd & lingua eadem vtuntur, qua Hungari, licet incomptiori. Sunt vero prædictæ gentes, non ſolum Barbaræ, ſed & ferinæ ac beluinæ, pane carent, & ſolum ex ferarum venatione & piſcium vuunt, & quia nil aliud poſſident, tributi nomine nil niſi animalium pelles & piſcium dentes magnos Moſcouiæ Duci ſoluũt, ex quibus cultellorum fiunt manubria, præcipueque apud Turcas in prælio habentur. Sed & Tartari Koſanenſes, qui iuxta caſtrum Koſam, quod ſuper flumine Volha habitum eſt, vnde & nomen ſortiti ſunt, Moſcouitæ ſubſunt imperio, ac illius iuſſu bella capeſſunt. Moſcouiæ vero ad ortum Tartari adiacent Sauolhenſes, nec non Tartari Nohaienſes, Sabolenſes, qui ſe ceteris præſtare putant, ad mare ſe extendunt Caſpium: at Nohaienſes admodum ſunt Septentrionales, & quotidie Moſcouiam ſuis infeſtant incurſionibus, à Septentrionibus vero Moſcouia Oceano terminatur glaciali: à meridie autem vaſtiſſimis campis, nec non Lituania & Ruſcia, à qua noſtris

temporı-

temporibus Ioannes dux Nouogradiensem ducatum cum ciuitate eiusdem nominis maxima, nec non Mozaiſensem ducatum abſtulit. Præſens vero dux Ploskouiēſem & Smolenſem ducatus, cum pluribus aliis, Lithuanis & Rutenis ademit. Vtuntur Moſcobitæ ac Ruteni lingua Sclauonica, rituq; obſeruant Græcum, reliquis vero gentibus quibus Moſcouitæ & Lithuani imperant, ſingulis proprius eſt ſermo. Ciuitas, in qua dux ipſe plurimum degit, Moſcouia, quemadmodum & Regio ipſa appellatur: fluitq; per eam nominis eiuſdem fluuius vaſtus. Vrbs eſt ingens, ſed tota fere lignea, præter caſtrum & Palatiū Ducis, quæ ex lapidibus ſunt conſtructa, diſtatq; à ciuitate Smolenſi, quæ in Ruſia eſt poſita, centum miliaria Germanica. Smolenſis vero ciuitas à Vilna ciuitate ingenti Ruſſenarum abeſt miliaria centum viginti. At Vilna à Cracouia Regia ciuitate Poloniæ per miliaria centum, ita vt à Gracouia vſq; ad Moſcauium trecentum & viginti ſint miliaria Germanica magna, a Nuremberga autem Cracouiam, miliaria ſunt centum, & aliquid plus. Sunt autem gentes illæ incomptæ, & admodum barbaræ, extremæ præterea ſeruituti ſubiectæ, ita vt omnia, quemadmodum inter Turcas, dominorum propria eſſe cenſeantur. Princepsque Moſcouiæ cunctarum rerum proprietatem habeat: vſum fructum vero ſubditis vtendum relinquat, non diutius tamen, quam ſibi placet. Moſcouitarum terra pars eſt Sarmatiæ Europæ, vbi Ptolomæus Hyperboreos & Batilicos ponit Sarmatas, nec non Modocas, à quibus forſitan Moſci ſunt deriuati, præterea Hyppophagi Sarmatæ ibi degebant, nec non Zagatæ, Suardæni & Aſei, & iuxta borealem Tanaidis inflectionem Zeriberbidi, gens magna. Iuxta Auſtralem vero Taxamatæ, vltra Tanaim vero, quo ſe longiſſime Moſcouia extendit, Sarmatia incipit Aſiatica, & deinde Scithia eſt iuxta Rha fluuium, vbi à Ptolomæo Phthirophagi & Materi cum aliis quam plurimis ponuntur gentibus, deinde erat terra incognita, vbi hodie Permeska Corrella, & Iuhra vel Vngaria priſca fuit, quæ cuncta Moſcouitæ ſunt ſubiecta. In Moſcouia oritus fluuius, Edel, id eſt, Rha, vel Volga, nec non Tanais, ex terra plana ac paluſtri, cum multis aliis veluti Zuina, Moska, Ocha, Mimula &c.

Lithuania Moſcouiæ verſus Boream eſt coniuncta, ad occaſum vero, vbi regio & Samagithia, Liuoniæ & Pruſſiæ adnectitur: ab ortu autem fluuiis terminatur Oskol, Iuga, & Donyetz, qui omnes in Tanaim exonerant: at meridiem verſus Poloniæ & Ruſſiæ adiacet, hæc gens ſuperionibus annis admodum obſcura & Rutenis ſubdita fuit. Verum quum ſuccedenti tempore Duces nacta eſſet bellicoſos, ita prævaluit, vt totam Ruſſiam ſuo ſubiiceret imperio, quin & Liuoniam, Pruſſiam, & Poloniam aſſiduis infeſtauit incurſionibus, adeo vt niſi milites cruciferi, cum aliorum Chriſtianorum principum ſubſidio, illis obuiam iuiſſent, tam de Polonia quam de Pruſſia actum fuiſſet. Nec tamen ita reprimi potuit, vt non maximos clades Chriſtianis inferret, pariter & acciperet, duraſſetque bellum infeſtiſſimum multis annis, donec tandem deficiente regia ſtirpe Polonica, flagellum magnus Lithuaniæ princeps, fidem Chriſti vna cum Regno Poloniæ, & relicta Ludouici regis filia Hegulde accepit, ac poſt ſuſceptum Baptiſmum Vladislaus eſt vocatus. Contigere hæc ſub annum ſalutis 1386. Abeo tempore Lituania Samagitia, & Polonia in ſtirpe illa permanſit. Subſunt autem magni ducis Lituaniæ imperio gentes multæ, & principes quam plurimi tam Lituani quam Rutteni. Ciuitas principalis Vilna eſt admodum magna ad fluuium eiusdem nominis condita. Oritur in Lithuania fluuius Boriſthenes, qui deinde per Ruſſiam fluens, in mare exit Ponticum, lingua gentes quadripartita eſt, paulatim lingua ſubintrauit Polonica, nec non Germanica. Sequuntur Lithuania & Samegithia ritum eccleſiæ Romanæ. Prolomæus, Galindos, Bodinos, Sudinos, Seuinos, Amaxobias & Cariones ibi poſuiſſe videtur.

Ruſſia ſiue Roxolania & ipſa in Sarmatia poſita eſt Europa. Ea duplex eſt, Alba & Rubea ſeu inferior: à ſolis ortu flumine terminatur Tanai le & paludibus Metidis: à ſeptentrionibus autem Moſcouiæ & Lithuaniæ adiacet: à meridio vero Valachia, Moldauia & Carpato monte diſtermihabitur: ad occaſum autem Poloniam & Moſouiam contingit. Eam regionem olim habitarunt Maſſagetæ, qui & Alani & Hamoxobii, ac per totum latus Meotidis Iaziges & Roxalani nec non Chuni. ad occaſum verſus Peucini & Baſtarnæ, Amatoci & Nauari, Tyrangitæ, Sauromatæ, & Gythones, cum aliis nationibus Gotthicis, ſiquidem ex his regionibus emigrarunt Gotthi, Alani, Scyri, Gepidæ, Heruli, Thaiphali, Corpi, & reliquæ cunctæ gentes Gotthicæ, quemadmodum ex certiſſimis hiſtoriis oſtendi poteſt. Nam Alani & Roxolani in vaſtiſſimis campis ad Tanaim vſque habitarunt, qui hoc tempore ob Tartarorum incurſiones, penitus ſunt deſolati & inculti. Ad fluuium vero Deneper, qui eſt Boriſthenes, & Deneſter, qui & Tiras, Gotthi reſidebant: vnde digreſſi, in duos diuiſi ſunt populos. Nam qui ad ſolis ortum ſunt progreſſi, ac Thauricam Cherſoneſum cum multis aliis occuparunt locis, Oſtragothi hoc eſt, orientales Gotthi ſunt dicti: Qui vero occidentem verſus perexerunt, Viſogothi, id eſt, occidentales Gotthi ſunt appellati. In horum locum Sclauini ſucceſſerunt, quemadmodum patet ex lingua. Ceterum hoc tempore Ruſſiæ, magno duci Lithuaniæ, & principibus qui ſub ipſo ſunt, eſt ſubdita, præter ea, quæ Moſcouitæ abraſerunt. Sane etſi regio illa pecoris, frumenti & mellis fertiliſſima ſit, præcipue ea, quæ Podolia nuncupatur, per Tartaros tamen ac Turcas admodum eſt

vaſtata

vastata. Tartari enim Præcopenses, qui & Vlani, ex Thaurica Chersonenso quotidie illa inuadunt & spoliant. Turcæ vero postquam nostra ætate Bialogrod siue Nigrum castrum, vbi Tunas, hoc est, Denester in Pontum influit, nec non Kiliam, hoc est Album castrum, non longe à danubii hostiis occuparunt, nunquam ab infestatione Russiæ cessarunt. Sed & Tartari Precopenses munitionem citra Boristhenem extruxerunt, nomine Ozarkau, ex qua Russiam inuadunt & spoliant. Ruthenenim licet olim supra flumine præsidia quædam constituissent, per quæ Tartari transgredi, prohibebantur, ea tamen propter auaritiam reliquerunt. Vnde iam Tartaris liber patet aditus. Habet & Russia ciuitates quam plures insignes, quæ magna ex parte vastatæ sunt, inter quas fuit Chioria vrbs amplissima ad Boristenem fluuium sita, forsitan Olbia seu Boristhenes à Ptolomæo, & Strabone vocata, iam pridem à Tartaris euersa. In illa residebat Ruthenorum Metropolitanus, cui subditi fuere omnes Russiæ, Lithuaniæ, Moldauiæ & Walachiæ Episcopi, hodie Leopolis est ciuitas principalis, deinde Halitz ambæ iuxta fluuium Tiram sitæ cum plerisque aliis. Nam Smolensis nec non Plescouiensis & Nouigradensis ducatus cum ciuitatibus suis Ruthenis, vt dictum est, per Moscouitas sunt adempti, Rutheni Sclauonico loquuntur sermone, & vt plurimum Græcorum fidem sequuntur. Inhabitant & Russiam Armeni, qui magnas exercent mercaturas. Nam ad Ægyptum, Persiam & Indiam vsque penetrant. Inter Turcas enim & Mahometanos libere, & vbique sine vectigalibus negotiantur, ita enim lege sua Mahometes constituit, quoniam ab Armeniis educatus & multis beneficiis affectus fuit. Ceterum quia Thauricæ Chersonensi facta est mentio, sciendum est, quod Ostrogotthi illam post primam occupationem vsque in hodiernum diem inhabitant. Nam licet Imperatores Græci penniſulam illam aliquando possiderunt, lauensesque Castam quæ est Theodosia, occupauerint, Tamerlanusque decantatus Tartarus illam cæperit, à quo tempore eam Tartari Vlani, qui & Præcopenses seu Grimuenses ex oppidi nomine ita vocati possiderunt ac inhabitarunt, qui & ipsi postea à Turcis fuerunt subacti, & ad tributum soluendum coacti: Ostrogotthi tamen semper montana, licet sub tributo, possiderunt. Loquuntur autem Germanice, qua lingua omnes Germani sunt vsi. Superfuere & ad ætatem vsque nostram duces Gotthorum nobilissimi de Mankup dicti, qui castrum Mankup semper à Tartarorum vi defenderunt, donec Mahumet Turcarum Imperator Caffam expugnauit, Tartarosque ac Penninsulam suo subiecit imperio, tum & castrum Mankup cœpit, ac duos duces fratres de Mankup gladio percussit, in quibus & tota Gotthorum illorum nobilitas cessauit. Gotthi qui adhuc in montibus supersunt, vt plurimum vineas colunt & inde vitam sustentant. Proinde & hoc sciendum, quod ex omnibus nationibus Gotthicis nulla amplius in Germania supereſt, exceptis Scyris, qui & nunc quoque Stirii vel Stirenses appellantur, & Turcilingis qui & Turingi. Sed hoc nec ignorandum est, eam gentem, quæ hodie Turcarum nomine appellantur, à Tartaris ortum sumpsisse, quod non solum vna & eadem lingua, ritus, victus & vestitus, sed & equitandi ac bellandi vsus, nec non fraudes, perfidia & innata barbaries ostendit & feritas. Falluntur igitur qui Turcarum gentem antiquissimam aut Turcimanos esse putant, cum parum plus sit, quam trecentum anni, ex quo primum Tartarorum nomen, anrea penitus incognitum sit auditum, post quorum aduentum Ottomannus se à Tartaris sejunxit, ac cum suis Turcarum nomen assumpsit, Tartarique hodierna die Turcas suos clientes esse dicunt, ac Deum ob peccatum eorum Turcas sic extulisse conqueruntur, quum antea non solum eorum fuerint subditi, sed mistici etiam, idque Turcarum nomine significare asserunt. Proinde gentes Sclauonicæ non solum magnam Europæ, sed & Asiæ partem occupauere, supersuntq; hodie in manibus Iberiæ ac Albaniæ. Et versus mare Hircanum Girassi, gens bellicosissima, quæ longo tempore Ægypto cum Syria sub seruorum nomine imperauit. Habitant & ibi Gazærorum gentes, quæ hodie Abgazari & Abgazelli à Græcis vocantur: nec non Mengrelli, apud hos gentes Tartari Sauolenses tela & alia comparant necessaria, & hi omnes ex Sclauorum gente originem sumpsere, linguaque loquuntur: quin per totam Turchiam, præcipue apud milites, Sclauonica lingua est in vsu, ita vt Constantinopolis ipsa iam non amplius prisco nomine, sed Cæsaris domus Sclauonica vocetur lingua. Sed & paulo ante in aula Soldani Ægypti, milites, vtpote magna ex parte Cirassi, Sclauonice loquebantur. Supra mare Hyrcanum & meridiem versus Zagathai habitant Tartari, non amplius iam in campis, sed ciuitatibus lapidibus constructis, ex quibus præcipua est Samancanda, quam Laxartes maximus Sagdianæ fluuius inde fluit, qui & in mare Caspium exonerat: huius conditor Tamerlanus fuisse dicitur, cum quibus dum Sophi rex Persarum bellum nostra gereret ætate, à Selymo Turcarum Imperatore inuasus & victus est, qui & illi quicquid in Armenia possidebat, vna cum Taurisio regni capite ademit. Ceterum qui Venulos seu Vendos, reliquamue Sclauorum gentem Vandalorum nomine honestare contendunt, plane falluntur. Constat enim classicorum scriptorum autoritate, Vandalos ex Gotthorum ortos esse gente, quemadmodum & Sciros Gepidas, Alanos ac reliquos Gotthiæ nationis populos, inter quos nil præter solam interfuit nomenclaturam. Eisdem enim restitutis, eademque vtebantur lingua, Germanica nempe, quemadmodum vt dictum ex reliquiis quoque Gotthorum, qui montana Tauricæ Chersoneſi præsenti adhuc ætate obtinent, discere licet, quum Sclauorum, Vendorum & Vilzorum loquela penitus à Germanica sit diuersa,

uersa, quin & diu antequam Sclauorum nomem est auditum, Vandali populariter cum liberis & uxoribus è patria emigrarant, iamq; Lusitaniæ partem tenebant, ac in Affricam traiicientes, Chartaginem cum vniuersa illa prouincia suo subiecerant Imperio, sed tam Ostrogorthi quam Visigotthi Christianam tum susceperant fidem, quam Sclaui subinitium omnis religionis fuerint expertes, quorum tanquam nouorum hostium nomen, sub Mauritio primum auditum est, excursionesque eorum à Iustiniano non parum sunt repressæ, donec immensa multitudine superantes, magnam Europæ & Germaniæ quoq; occuparunt partem, quod quidem Procopii aliorumq; plurium authorum constat testimonio. Egressi autem sunt ex Scythia, quemadmodū multæ aliæ barbarę nationes, & vt Solinus Græcus scriptor refert, ex profundo Bersiliæ, dominatique sunt omni peruiæ terræ, vsq; ad mare Ponticum, Gozari subinitium à Græcis appellati, quemadmodum & hodie à Saracenis vocantur. Nihil igitur Vandalis ac Vendis, præter nominis tantum consonantiam quandam vnquam commune fuit: Licet Sorabi, Vilrzi, Vendi, ac reliquæ Sclauorum gentes à Vandalis derelictam occupauerint terram, quemadmodū & multas alias regiones suo subiecerunt imperio prioribus expulsis habitatoribus. Siquidem nulla vnquam gens è Scythia egressa, tam copioso numero, vt Sclaui, habitabilis terræ partem inundauit. Nam quidquid est à mari Sarmatico & Baltheo, ad Pontum vsq; & Adriaticum mare, nec non à Tanaide fluuio, vsque ad vmbilicum Germaniæ, cum tota Sarmatiá Europea ac magna parte Asiaticæ, nec non Boemia, Damatia & Illyria, sua repleuerunt multitudine. Quod si eisdem artibus, quibus regna parantur, etiam conseruarentur, proculdubio omnium gentium essent potentissimi. Verum quemadmodum homines, ciuitates, regna & nationes, sua habent initia ac incrementa, ita etiam, cum ad fatalem deueniunt periodum, rursus decrescere & pessum ire incipiunt quoad tandem penitus deficiant ac euanescant. Nihil enim in hac mundana machina firmum, aut perpetuo stabile esse potest.

MONTES ET SYLVÆ IN GERMA-nia vltra Rhenana.

EX montib. Ptolomæus primum ponit Sarmaticos, qui nunc Hungariam, Poloniam, ac Germaniam disterminant, vocanturque Gremnitz & Semnitz: Montes vero, qui supra caput Danubii sunt, hodie pars existunt syluæ nigræ, iuxta oppidum Villingen.

Eluetiorum heremus hodie superior pars est syluæ nigræ, cum sylua Bregentina, quæ ad Alpes vsque pertingit.

Abnobi montes varia sortiuntur nomina, multosque extendunt ramos, à sylua enim nigra per ditionem Marchionis Badensis, & Ducis Württembergensis Nicerique fluminis ripas excurrentes, per Sueniam vsque ad fluuium Cocerum, ac inde ad Tubarim progrediuntur, hinc Franconiam versus ac Bambergam tendentes, syluam Sastuosam, hoc est Steygerwaldt constituunt, à Nicero vero ad amnem Mœnum Ottenwaldt/ ac vltra illum Westerwaldt nominantur. Dehinc ad Catthos, hoc est Hassiam pertingunt, à quo etiam Franconiam diuidunt, ibique Speßhart appellantur, & vsque ad Westphaliam nec non Rheni ripos Coloniam vsque se extendunt.

Melibocus vero mons inde initium sumit, & ad ortum tendit, nunc Hartzwaldt/ & montana sunt Missnientium, cum argenti fodinis, planeque appendix est Abnoborum montium.

Deinde est Sylua Semana, hodie sylua Turingorum.

Sub montibus autem subdetis Gabreta est sylua, nunc Bohemorum dicta: quoniam Bohemiam undiq; per gyrum circumdat & claudit.

Asciburgii vero montis nomine montana illa continentur, quia per Silesiam ad Poloniam & Graconiam vsq; se extendunt.

Sudeti montes esse censentur, quæ nunc montana Babenbergensia vocantur, & ditio Marchionum Brandenburgensium, vbi ciuitates sunt Holfeldt/ Culmbach/ Beyreit/ Hoff/ cum Voytlandia.

Sub his montibus prædicta Gabreta est sylua, quæ & ipsa pars est syluæ Bohemicæ.

Sed & sylua Hercynia initium inter hos & Sarmaticos sumit montes, quæ immenso protenditur tractu. Nam Cæsar scribit, neminem huius Germaniæ esse, qui se audisse aut adisse ad initium huius syluæ dicat, etiam quum itinere quadraginta dierum processerit, aut quo ex loco oriatur accepere, latitudine vero nouem dierum itinere expedito patere, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingere. Hanc olim, vt ex variis patet scriptoribus, Germani inhabitarunt, suitque ibi Germania magna, sed illam postea occuparunt Poloni gens Sclauonica, eamque cum Moscouitis & Lithuanis tenent.

Luna sylua, & ipsa pars est syluæ Bohemicæ versus meridiem vsque ad Danubium pertingens.

In

In Rhetia & Vindelicia.

Adula monte, latus occidentale Rhetiæ terminatur, hodie alpes ſunt iuxta Curiam & loca circumiecta.

Graiæ vero ſunt alpes, Atheſini & Oeni vallis dicti, quæ Italiam verſus extenduntur. Pœnæ autem ſunt iuxta principium Lyci amnis, Ocra mons hodie alpes ſunt circa Iuuanum, hoc eſt Saliſburgium.

In Norico.

Cecius mons in Norico eſt, hodie Scyrorum ſiue Styrenſium montana. Caruancæ montis nomine, hodie Carnorum, Croatenſium ac Gorcenſium alpes continentur.

Ceterum hoc ſcire refert, Germaniæ montes ac ſyluas, licet diuerſis appellentur nominibus, ab Alpibus tamen omnes incipere, ac poſtea ſemper continuo quaſi tractu hinc inde diſcurrere, rurſusque in ſe ipſos reflecti, ac magna ex parte ad montana Bohemiæ & ſyluam illam concurrere. Cæſar Bacenim ſyluam infinita magnitudine eſſe ſcribit, & inter Sueuos ac Cheruſcos diſcurrere: ex quo patet, Bacenim eſſe, quam Ptolomæus ſyluam Semanam, hoc eſt, Duringorum ſyluam vocat, is enim eo tempore Sueuos Albis fluuii accolas à Cheruſcis dirimebat.

Vltra Rhenum vero ſunt.

Iura vel Iuraſſus mons, cuius nomine Suitenſium hodie contin.entur alpes, vſque ad Allobroges.

Vogeſi montana ſunt, quæ hodie per Hunorum tergum, ac Lotharigiam extenduntur.

Arduena olim latiſſime patebat, hodie Eyflia pars illius exiſtit. Strabo ait, Arduenam, Morinos, Arebates, Eburones, & Menapios attingere.

Riphei autem & Hyperborei montes, de quibus priſci tam multa ſcripſere, nuſquam hodie comparent, licet tota Europea & Aſiatica Sarmatia vndique à Germanis, Polonis, & Moſcouitis ſit peragrata ac cognita: ſed omnia ſunt plana, niſi iuxta mare glaciale, vbi colles quidam eminent admodum mediocres. Amnes vero maximi, veluti Rha, qui & Volga, Tanais & Duna, quæ & Zuina, ex ſyluis, terras plana ac paluſtri & nequaquam ex montibus aliquibus oriuntur.

De Fluminibus Germaniæ.

Flumina vero Germaniæ ſunt quam plurima, quæ partim in Rhenum, Danubium, Albim et Viſtulam exeunt; quædam & ſine aliorum incremento in Oceanum exonerant Germanicum. Atheſis vero, licet in alpibus & Germania oriatur, in ſinum tamen influit Adriaticum.

In Rhenum igitur influunt amnes inſigniores. Ila non longe à Feldtkirchio: poſtea Ara, Lymacia, & Ruſia flumina rapidiſſima, ex Heluetiorum montibus ortum ſumentes.

Deinde Nicernus ſiue Necarus fluuius celebris, in quem decurrunt Cocerus & Iageſta, nec non alia quædam flumina ignobiliora. Poſtea Mœnus, vel, vt quidam appellant, Moganus in Rhenum ex oppoſito Moguntiæ exit, fluuius magnus & nauigabilis. Verum priusquam exonerat, multos alios recipit amnes: & primum Regneſem, qui & Radiantia & Tramaricus vocatur, is poſtquam Pegneſum per Norimbergam fluentem ſuſcepit, per Babenbergenſem labitur vrbem, à qua haud longe miſcetur Mœno. Ab hoc flumine Carolus Imperator, qui Magni nomen eſt ſortitus, foſſam in Almonem, qui in Danubium influit, ducere eſt aggreſſus, ac integram æſtatem exercitum in opere detinuit, vt hoc pacto à Rheno in Mœnum, ac ex illo in Regneſum, inde per foſſam in Almonem & ex eo in Danubium, & ita à Mare in mare nauigari poſſit. Verum ob ingruentes vt fertur tempeſtates, ab opere ceſſare eſt coactus: manent tamen ad huc manifeſta tanti conatus veſtigia, inchoataque foſſa pluribus in locis cernitur, præcipue tamen iuxta Burgum album, nunc Weiſſenburg.

Deinde Tubera in Rhenum cadit, non parui nominis amnis.

Poſtea Naus, multis aliis auctus fluminibus, iuxta Bingium in Rhenum incidit.

Exinde Moſella quæ, vt ſuperius eſt oſtenſum, Obrincus eſt, apud Confluentes in Rhenum exit. Verum prius Sarum fluuium magnum ſupra Treuirenſem ſuſcipit vrbem, qui Sarus antea Blyſa & Nida quoque augetur.

Arar quoque ex iugis Treuiricis, hodie Eyflia, exortus, multis & ipſe auctus torrentibus & fluuiis ſupra Rigomagnum in Rhenum euoluitur.

At ex alia Rheni parte Lona amnis inſignis per Haſſiam fluit, & multis auctus fluuiis iuxta oppidum Lonſteni in Rhenum excurrit. Sequitur deinde fluuius Angra, deinde Rura vel Adranus: & demum Lupia, apud Weſaliam Rheno admiſcetur.

Nouiſſimo vero Moſa Rheno coniungitur, Rhenus vero diuiditur in Wachalim, hoc eſt, den Wal/& Inſulam, nunc Dyſel vocatur; nec non in Lecuni id eſt den Lech/& per hæc tria hoſtia maxima exonerat in Oceanum Germanicum, totamq; inundat Selandiam, Holandiam & Friſiam.

Amnes vero, qui in Danubium influunt, inſigniores hi ſunt

Ilera — die Yſer.

Bernicus — die Wernitz.

Lycus fluuius ingens & rapidus, ac multis auctus amnibus, iuxta Lethſgmund haud longe ab Augusta Vindelicorum, Danubium irrumpit.

Almonus

Almonus fluuius, quo in tota germania nullus piſculentior eſt iuxta Kelheim exit.
Nabus vero ex Pinifero oriens, ac Vilſum aſſumens, iuxta Ratisbonam exonerat, pariter & Regnus, in quo reperiuntur conchæ margaritas producentes.
At Iſera fluuius rapidus & ingens, ab alpibus per totam labens Bauariam, cum multos alios accepit amnes, iuxta Filshouen Danubium influit. Oenus vero fluuius maximus acrapidiſſimus, quum per Oeni vallem & Bauariam fluit, ac per Luuanum ac Saltzam, & multos alios auctus amnes, tandem iuxta Boedurum, nunc Patauum, cum tali impetu in Danubium tuit, vt per longiſſimum ſpacium curſum ſuum ſeruet, nec Danubiacis admiſceatur aquis, quemadmodum perſpicue ex vndarum colore apparet.

Iltza		Iltz.
Trauna		Traun.
Eneſus		Enß.
Igra	Die	Igel.
Leyta		Leyte.
Marchia vel Moraua		Marckt.
Arabon		Raab.
Darus vel Drauus		Die Trab/ qui Muram vel Murum die Mur ſuſcipit, fluuius ingens. Inter hanc & Danubium Turcarum imperator Ladislaum Hungariæ regem deuicit.
Tybiſcus		Die Teyß / vaſtum flumen.
Saus		Die Saw/ amnis maximus, is iuxta Taurum, hoc eſt Albani Græcam in Danubium fluit, ſequitur inde.
Moſchus.		
Rhaboſus.		
Ciabrius.		
Alutus.		Forſitan Baralat & Seretius amnis.
Hieraſſus		nunc Pruth fluuius.

Oceanum exeunt poſt Rhenum.
Videus hodie Vnda nigra in Carthorum montibus oriens.
Amaſus ſeu Amaſia, nunc die Emß, in hunc fluuium Strabo Viſurgim & Lupiam deferri ſcribit, errore manifeſto, cum Lupias in Rhenum, Viſurgis vero longe ſupra Amaſum in Oceanum exeat.
Viſurgis, Weſera fluuius inſignis, hic Fuldam, Ederam, Weram & Nidam amnes ſuſcipit per Saxoniam, & iuxta Mindenſem, Werdenſem, Sotingenſem ac Bremenſem labens ciuitates, tandem in Oceanum exonerat.
Albis die Elb/ magnus Germaniæ fluuius, in montibus Bohemiæ oriens, ſuſcipit autem Multam flumen magnum, quod Pragenſem præterlabitur ciuitatem, deinde Ægrum ex monte Pinifero, vt dictum eſt, fluentem, poſtea Salam, ac Ortellam, demum ciuitatem Hamburgum præterlabens, in Oceanum Germanicum vaſto euoluitur ore. Ad huius exitum Saxonum inſulæ ſunt poſitæ, quas, vt dictum eſt, hodie Dietmarſi inhabitant, gens indomita, & multis victoriis contra Daniæ reges, Schleſuicenſes Duces & Nobilitatem clara.
Chalufus fluuius Eidorus eſſe cenſetur.
Sueuus die Spre/ oritur & hic amnis ex Bohemiæ montibus, ac iuxta Sundenſem ciuitatem, hoc eſt Lauburgium in Oceanum exit.
Ziadus, hodie Odera, fluuius magnus, in hunc Neuſa, quæ per Schleſiam & Vratislauienſem labitur ciuitatem, fluit; Tandem apud Caminum in Mare erumpit.
Viſtula, quæ eſt Iſtula, ſeu Iuſtula, aut Vandalus appellatur, fluuius ingens, & vltra quem Ptolomæus Sarmatiam Europeam auſpicetur, oritur in montibus Sarmatiæ & Cracouiam alluit, inde per Poloniam fluens Drauauitz fluuium, quem quidam Drauenam eſſe volunt, ſuſcipit. Deinde duobus hoſtiis & apud Dantiſcum & Elbingen in ſinum Codanum exit.
Poſt hunc Chronus, qui Paſſaria eſſe cenſetur, in mare fluit.
Inde Pregora fluuius, poſt quem Memula amnis magnus, qui & Miemen vocatur, in Lithuania oriens, in mare erumpit Prutenicum.
Poſtea Hulge fluuius, deinde Poler fluuius ſequitur, hunc Duna quæ & Zuina ac Binda, ingens fluuius, qui & ipſe in Lithuania oritur, ac iuxta Rigam ciuitatem in mare erumpit, forte apud Ptolomæum eſt Cherſinus. Inde Anne fluuius, tandem Narua ſupra ciuitatem Reualienſem iuxta Flauennam in mare exonerat. Limes hic eſt inter Liuoniam, quæ Crucigeris paret, & Moſcouiam. hoſtia fluuii huius in eleuatione polari graduum 62. eſſe feruntur.

IN PONTVM AVTEM EVXI-num fluunt

Tiras der Neſter/qui iuxta Caſtrum nigrum in mare exit.

Boriſthenes der Neper/in Lithuania ortum ſumens & per medium fere Ruſſiæ labens.

Tanais, Don, oritur in Moſcouia, ex terra plana & nequaquam ex montibus. Rha fluuius maximus oritur in Moſcouia, ſub initium, quumque verſus ſeptentriones fluat mox ad orientem flectit, longeque Tanaim ambit, tandem ad meridiem conuerſus, per Sarmatiam Aſiaticam, & campos planiſſimos Tartarorum vagatur, ac per viginti quinque hoſtia maxima in mare Caſpium, quod nunc mare de Bacchan vocatur, exonerat, iuxta ciuitatem Derbet, oriuntur autem in Moſcouia, præ ceteris tria maxima flumina, nempe Zwina, Tanais & Rha. Proinde mercatores Germani, tria Maxima flumina eodem vocant nomine, nempe Danubium, vel Iſtrum, Dunam, quæ & Zuina, ac Tanaim, & cum ſe de longinqua peregrinatione iactitant, tres ſe Danubios vidiſſe aſſerunt. Proinde in his omnibus nihil certi affirmamus, niſi vbi veritas ſe ipſam manifeſte prodit, quis enim in re tam dubia, & vbi propter variarum gentium tranſmigrationem omnia ſunt immutata, non aliquando aberraret? plane enim conſtat numeris haud confidendum eſſe, quod Ptolomeus in oris nequaquam ex obſeruatione certa, ſed ex aliorum ſcriptis aut dictis, vel inſtrumentum quoddam Mathematicum ſeu iuxta coniecturam aſſignauit, quod & ipſemet ingenue fatetur. Porro in Germania inferiori nullus ab ſcriptoribus recenſetur fluuius (præter Danubium, Mœnum & Oenum, licet & multi alii ſint, & inſignes) cuius adminiculo vel parumper ad veritatem accedi poſſet, vbique igitur coniectura potius quam vlla nitimur certitudine, ita tamen, vt nemini legem præſcribamus ne à noſtra diſcedat opinione, nam quicunque oſtendere poterit, ſe nobis rectius ſentire, huic non ſolum non repugnabimus, ſed etiam gratias habebimus gratiſſimas. ſi nos melius informare valebit. Ego enim in plerisque me dubium eſſe fateor, vt ignorem etiam, cuinam genti patriam meam Norimbergam, quæ Segodunum eſſe cenſetur, aſcribere debeam. Hoc tamen pro compertо habeo, Noricos quum à Romanis expellerentur, vltra Danubium & in hanc regionem conceſſiſſe, quæ & hodie ab his nomen retinet, & Norica vocatur, qua retinetur quidquid ab exitu fluuii Almonis in Danubium Nurembergam vſque protenditur, ita, vt Albus Burgus nunc Weiſſenburg in Noricis eſſe dicatur, ſed & proculdubio Norimbergâ quaſi mons Noricus, à Norica regione nomen accepit, Traiectusque amnis Regnicii per militare vnum à Norimberga diſtans, Germanice Furdt in Norico agro reputatur, à quo deinde occaſum verſus ac Septentriones Francia Orientalis ſeu Franconia ortum auſpicatur. Sita eſt autem Norimberga, non ſolum in Germaniæ ſed & totius Europæ vmbilico, tantum enim diſtat à flumine Tanaide, quantum à Gadibus: ab Oceano quoque Germanico, quantum & à mari Mediterraneo, altitudo eius polaris graduum eſſe cenſetur $49\frac{1}{2}$. vera autem longitudo graduum 27. minut. 22. quæ quidem longe diſcrepat à deſcriptione Ptolomæi.

REGIONVM ET CIVITATVM quarundam nomina.

Olim	Nunc.
Rhetia	Sueuia transdanubana iunctis alpibus.
Vindelicia	Bauaria.
Noricum	Landt an der Enß.
Pannonia	Auſtria.
Pannonia inferior.	Vngaria.
Marcomanni	Mehren.
Cimbrica Cherſonenſus	Ducatus Holſatiæ & Schleſuicenſis.
Sicambria	Montenſes hodie ibi degunt.
Badaui	Geldrenſes iuxta Rhenum & Wahalim, ac etiam Holandi.
Arduenna	hodie dicitur Ardenha apud Naumurcum, ac magna pars eſt dioceſeos Leodicenſis, & pars ducatus Lucemburgenſis ac Iuliacenſis vſque Colonia. Vide Cæſarem.
Gallia Narbonenſis	Prouincia.
Gallia Comata	Francia.
Lutecia	Pariſium.
Remi.	Renis.
Sequani	Burgendiones comitatus. Hedui

Hedui.	Burgudiones ducatus.
Allobroges.	Sabaudienſes, cis & vltra Lemanum Lacum.
Aulertii.	Aurelianenſes.
Ambiani.	Amiens.
Atrebates	Arres ciuitas Epiſcopalis nomen hodie tenet.
Bibractæ	Beurai.
Alexia	Alſetum.
Gergoma	Claramont.
Genebum	Orliens.
Genebum	Genf. certum ex Cæſare.
Arai	Sagona.
Turones & Veneti	Britannia.
Lacus Lemanus	Lacus Loſanenſis, certum.
Britannia inſula	Anglia.
	Scottia.
Hibernia	Hodie dicitur Hibernia inſula verſus occidentem Britanniæ.
Dania	Dennenmarckt.
Noruegia	Noruegen.
Suetia	Schueden.
Gotia	Gotlandia inſula.
Scandia	Schonlandt
Luſitania complectitur.	Portugalliam, regnum Murſiæ, ac partem Granatæ.
Gallatia	Gallitia.
Tarraconenſes	Cathelania & Arragonia
Betica	Caſtiliæ pars magna ac pars etiam Granatæ
Hiſpalis	Sybilia.
Triballi	Bulgari.
Miſia ſuperior	Boſna.
Dalmatia, hodie dicitur Dalmatia & Sclauonica, pars eſt liburniæ & Hiſtriæ.	
Illyrii	Boſſinenſes & Dalmatæ.
Myſia inferior.	Seruia & Kaſcia.
Getæ	Tranſyluani.
Datia	Valachia.
Traciæ pars maxima	Romania.
Macedonia	Albania.
Boetia cum Phocide	Ducatus.
Attica & Megarenſis ora	Setina.
Hellas cum Locride	Vlachia.
Etholia	Deſporatus.
Ambratia	Larta.
Peloponeſus	Morea.
Iſthmus	Heximilium.
Sparte	Miſiſtratum.
Licia	Briqua
Ionia	Quiſcum.
Acolia	Folia.
Pontus	Trapezus.
Barithum	Barut.
Epiphania	Alepum.
Memphis	Caprum.
Babylon	Baltrach.
Aphrica	Barbaria.
Tunera	Tuniſi prope Carthaginem.
Cumania	Tartaria inter Rha fluuium & Tanaim.
Gedroſia	Tarſe, Guzerat, & Cambeia.

Caramania & Aria	Turqueſte & Duilcindæ regnum
Iberia & Albania	Colchis & Comaniæ pars.

India intra Gangen, nunc Melibar, vel Zulmando continet regnum de Decam, Calegunt, Cochin, Coulam, nec non Narſingæ & Ottiſſæ regnum

India extra Gangen.	Nazin Regnum Bangulæ, Era Cangui Ternaſuri vſq; ad Cherſoneſum Auream.
Inſulæ fortunatæ	Canariæ.
Inſulæ Heſperidum	Caput Viride.

Indiæ Coniecturaliter.

Ptolomæus	Nunc
Praſſum promontorium	Monſambie.
Rapta	Quiloa.
Tonica	Mombaza.
Apocopa	Melinda.
Zingis	Caput de Guarda fa.
Aromata	Zeila.
Moſylum	Cauaquin.
Dire	Babel Mendap. ibi ſunt anguſtiæ rubri maris, nunc ſtrictum de Mecha.

Ab alia vero parte maris rubris.

Arabia fœlix	Leaman vsque ad Adem.
Badeo	Gyda.
Muza	Matra.
Ozelis	Adem
Syagros	Caput fartaque.
Armuza	Ormus.
Alambater	Diu.
Mongloſſum	Goa.
Simyla	Calecut vel Cloſſin.
Comariapromontorium	Comaria.
Colchi	Cael.
Aurea Cherſoneſus	Malaqua.
Sinæ	Schin.

Poſtea eſt Regnum de Cuſch, & Zampa, deinde Catharo.

Ceterum quia multi contendunt inſulas nuper ab Hiſpanis inuentas, omni ætate fuiſſe incognitas: libuit hic adiicere, quid Ariſtoteles in libro *de admirandis in natura auditis*, de illis ſcripſerit, quæ talia fere ſunt. *Aiunt etiam Phœnices illos qui vltimum Gadium incolunt, quum trans Herculis Columnas per dies quatuor enauigaſſent, vento maximo e Apeliote tracti, adplicuiſſe tandem ad loca quadam inculta prorſus ac deſerta, verum plena multa illuuie, & continuo pene conquaſſata motu, ea vbi ceſſauerit æſtus facile conſpici poſſe: ſed redeunte immergi, in quibus inueniſſe eos affirmant incredibilem quandam thumorum multitudinem, magnitudine quidem & amplitudine admirabili. Tum vero ab his parari laqueos cepiſſe: quibus cum caperentur, captos autem membratim concidere atq; eorum carnes deſiccare paulatim conſueuiſſe, ac demum in vaſis reconditos, deferre Carthaginem. Verum à Carthaginenſibus nō amplius è ciuitate, ſed potius inter ſe conſumere, ob eam quam ferunt huiuſmodi piſces in comunis dignitatem & excellentiam de ſe præſtare.* Hanc thumorum multitudinem palam iam cernere eſt in Inſula Madera, & Inſulis quæ Faial ſeu noua Flandria appelletur. Proinde in eodem libello Ariſtoteles, ita quoque ſcriptum reliquit.

Trans Herculis Columnas in eo mari quod Athlanticum dicitur, inuentam quandam Inſulam à Carthaginenſium mercatoribus olim fuiſſe inquiunt, à nullis ante id temporis habitatam, præterquam à feris, & propterea ſyluęſtrem admodum & multis refertam arboribus: alioquin fluminibus plurimis ad nauigandi aptiſſimis plenam, ac incredibili quadam omnium rerum naſcentium vbertate proſluentem, ſed remotam à continenti plurium dierum nauigatione: ad quam nonnulli Carthaginenſium mercatores forte accęſiſſent, captiq; eius loci fertilitate ac aëris clementia, ibi ſedem fixiſſent: Commotos ob id Carthaginenſes ſeruiſſe ſtatim conſilio publico decreuiſſe, morte vindicta, ne quis poſt hac illuc nauigare auderet, & qui iam ierant inſiſſe ſtatim interfici, ne ipſius inſula fama perueniret ad alias nationes, ſubmitterenturq; alicui fortiori imperio, ac fieret quaſi oppugnaculum quoddam aduerſus eorum libertatem.

Proinde compertū eſt ex obſeruatione eclipſis, quę fuit in menſe ſeptębri anno Sal. 1494. Hiſpaną Inſulam,

Insulam, quatuor ferme horarum interstitio à Hyspali, quæ Sibilia est, distare, hoc est gradibus 60. qualium est circulus maximus 360. medium vero insulæ continet gradus 20. circiter in altitudine polari. Nauigatur autem spacium illud communiter in diebus 35. altitudo vero continentis appositi, cui Hispani Sanctæ Marthæ nomen indidere, circiter graduum est 12. Darieni vero terra & sinus de Vraca gradus quasi tenent. 7½. in altitudine polari vnde longissimo tractu occidentem versus terra est quæ vocatur Mexico & Temistitan, à qua etiam non longe remota est insula Lucatan cum aliis nuper repertis.

BILIBALDVS PIRCKHEIMER
FRANCISCO IRENICO S. D.

SAlue Irenice. Quod Germaniam tuam, & quidem auctam, in lucem prodire scribis, laudo. Quis enim non laudaret? cum priscorum germanorum facta illa præclara, & quæ huc vsq; tanquam sub obliuionis quadam caligine obruta delituere, celebrari videret. Quamuis enim Germania tot tamq; fortissimas procreauerit gentes, ac passim per terrarum orbem tanquã colonias emiserit, quæ non solum gloria militari ac rerum magnitudine reliquas superauerit nationes, sed & Romã ipsam quamuis rerum dominam subiugauerint ac cœperint; Romanum deniq; imperium, virtute ac viribus, sibi vendicauerint, vt obiter alia magnifica præteream gesta: Neminem tamen huc vsque fortiora est, qui eam (vt par erat) dignis extulisset præconiis. Et quod non sine stomacho vel risu potius recensendum est, non fuere temporibus nostris scriptores, & Germani quidem, qui etiam à Nili ortu suam deriuauere historiam. Verum, cum ad Germanorum res gestas & nostra peruentum esset tempora, vel dissimulanter prætereire, vel quę maxime enarrare oportebat, penitus intacta reliquere, quamuis non sine infelicis & sterilis ingenii nota. Quid enim facerent? cum, vnde suffurari possent, minime haberent. Proinde & si tua reprehensione non carebunt (nam ille te mendacii, alter erroris arguet, ille rerum seriem aliam cupiet, hic styli humilitatem contemnet) nemo tamen bonus laborem tantam ob patriæ amorem susceptum, non laudabit. Nec tu alicui impedimento eris, quo minus meliora, veriora & elegantiora depromere possit, sed potius alios instigabis, vt & maiora aggredi audeant. Interim tibi sat erit, ea præstitisse, quæ multi voluere, pauci potuere. Vale.

FRANCISCI IRENICI
GERMANIÆ EXEGESEOS
lib. 3. cap. 105.

DE NOBILITATE, PRÆSTANTIA AC POLITIA NORENBERGENSIVM, CVI INSERTVM ET BILIBALDI PIRCKHAIMERI Senatoris magnificum elogium.

EXacta regum, ducum ac primatum nobilitate, & cuilibet sua data portione, ad priuatarum vrbium earundem amplitudinem accedens, non mihi temperare potui, quin aliquid Norinbergensium Reiqub. ac præstantiæ astruerem. Visa enim est vrbs illa mihi summæ nobilitati accedere, non quæ imaginibus veterum constet, quæue maiorum opinione tantum nitatur, aut sanguine propagetur, cui nihil vel parum cum virtute commune est: verum quæ propria virtute paratur, & in propriis egregiis facinoribus consistat.

Quæ enim genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Ego qui solam virtutem nobilitatis verum simulacrum præ se ferre agnosco, ac reliquam generis horam, qualemcunque nihil nisi vana quadam vulgi opinione foueri, ac blandiri sibi deuinctis: In hoc Norinbergensium egregiam Rempublicam honestari non desinam, etsi quorundam anagyrim moueam, qui ostensa illorum nobilitate offenduntur. Qui præterea nec egregie ferunt, quod soli manifestum est, de veræ virtutis coloribus quidquam honestius dici. Ego ob summum eorum in me officium, tum quia veritati patrocinaturus sum, quæ mihi sese obtulerunt, ad paruum saltem tempus moram illic detinenti, adiiciam, nec nobilissimos illos ciues eorum claritate defraudari patiar. Viget illic Respub. nulli Germaniæ vniuersæ conferenda, cuius laudi accedit, quod hæc non furoribus, quibus vltra crepidam non licet, consita sit, verum viris partim quibus rerum cognitionem experientia ac longa peregrinatio peperit, partim qui sese nobilioribus doctrinis totos destinauerunt, & qui à primis cunabulis aut tenerioribus annis multorum hominum mores viderunt & vrbes. Illic itaque senatores administrandæ, conseruandæ, propagandæ Reipub. causa nati, hoc vnum agunt negotium, hoc vnum curant, vt egregie Reipub. consulant, nullis aliis addicti negotiis. Quibus pene omnibus ingenua pulchritudo ac senatorius decor inest. Hi sanctitate morum, aut virtutum præstantia eliguntur, nec nobilitate aut ordine ad senatorios honores accurrunt. Postquam hæc in animum recepi, nobis egregii ciuis memoriam non potui subtrahere, Bilibaldi videli-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [137] - 113
PUBLIC DOMAIN

cet Pirckeimeri, qui tot artibus instructus, præter summam morum eius ac famæ innocentiam, præter amplam rerum familiarium facultatem, omnia studiorum genera tractauit: Et maximus fœlicitati Norenbergensium calculus accessit. Putauimus extra naturæ conditionem esse, tantum literarum vni viro superesse, inter tot alioqui curas distracto, & qui plurimam temporis sui partem inter iuris ciuilis pugillares transmisit. Pœnitet nos quotidianæ illius molestiæ, quod in consilium ciuitatis rogatus, non litterario magis quam publico otio delegatur, vnde vberiora ex eo litterariæ palæstræ emolumenta fluxerunt. Hic potissimum ceteris Germanis in exemplum assumatur, vt & ipsi actiori studio litteras, adiuuent, & quemadmotum ille, tantum lumen linguarum diuersitati afferant, quod in futuræ ætatis secessus excutrat. Non possum tamen ceteros Germanos damnare, quibus æque bonæ litteræ sufficiunt: huic tamen pauci accedunt, & nulli, nisi quos æquus amauit Iuppiter. Ne Lector ægre ferat, nos intermisso nostri operis instituto, ad vnius viri memoriam descendisse, ac pedem alieno negotio intulisse: Vicit me vtraque ratio, tum patriæ nostræ, cui ex animo ob illius viri præstantiam faueo, tum priuata pietas, quæ huic viro propria debetur, ob immensam eius in me voluntatem. Nam is opem suam & bonam partem Germaniæ nostræ attulit: ductu huius studia nostra reddidimus alacriora, multa emendauimus, plura detulimus, plurima addidimus. Dii tibi, si qua pios respectant numina, si quid iustitiæ est, & mens sibi conscia recti, præmia digna ferant. Verum ne fallente transitu longior æquo nostra oratio prorogetur, in transuersum agor, non voluntate, non animo, qui semper viro huic par reseruatur, verum operis necessitate, cui & sua portio debetur. Hæc de Norenbergensibus collegimus, vt honesta nobis saltem occasio præstetur, officii viri illius meminisse, ac munus gratitudinis in hoc saltem expleuisse. Illis Heroibus inuestitur Norenbergensium senatus, dignus etiam tali vrbe amplissima. Ambiguum est arbitror, an vrbs senatui, an senatus vrbi proponatur: vna illic omnium mens, vnus amicus, vna denique Μοναρχία. Videmus ante multos annos nullas partes, simultates, inter ciues ac senatores obortas: Senatus plebi congruit, plebs primatibus conuenit: & demum res illa non aliam habet rationem, nisi quod vno alteri auscultante, beatissimam & locupletissimam ex ciuitate ignobili erexerunt vrbem, tantis opificibus præditam, vt quod multis aliis priuatis vrbibus proprium, quilibet vni soli concessum est, tantum huic vrbi diuinitus relatum, ac veluti in vnum fascem complicatum esse videmus, saltem fama indicante.

Orabunt alij causas melius, cœlique meatus
Describent radijs.
Excudebant alij spirantia mollius æra.
Crede etiam viuos de marmore ducere vultus.

Si vero quicquid hominum manibus elaboratum, & quod natura homini concessit, inuestigare in animo tibi est, huc concede: patebunt tibi ædificia non tantum in foro, verum in modestissimis vicis ac triuiis vrbis, omnium vrbium Germaniæ honestissima, plus tamen in recessu, quam fronte pollicentia. Nec diuinus illic cultus delituit, tot delubra, tanta sacerdotum corona, tantas etiam delitias, pratum Hallerense dictum, præ se fert, tot consitum tiliis, tot coruscans fontibus, cœlestis loci speciem de se præbet: Illic latam ac diffusam planiciem natura effinxit, graminibus & fluminibus speciosissimis irriguam. Riuunculi horrent plures, à quibus clara aquarum multitudo scatet, quæ à cauato lapide rursus, grato murmure resonante, suscipitur. Est præterea tanta mercatorum patio, tantus negociatorum numerus, quibus India ac vltima Thule cognita est: tanta etiam opimio rerum familiarium de eis obtinuit, vt si sapientem virum, siue diuitiis præditum diffinire voluerimus, de Norinbergensium ordine profectum esse indicamus. Horum amplitudinis argumentū mātura loci expressit, quæ vrbi huic sedem perfectionis, hoc est, medium ac vmbilicum totius Germaniæ tribuit. Non est in tota vrbe quod contemnas. Ne tamen ab huius vrbis origine recedamus, certa dicitur, vt Germani eo loco tuto ad transuehendas res vterentur. Alii, dum Hungari Germaniam inuaserunt, à vicinis conditum quadragesimus annus agebatur, Ecclesiam ab Henrico Bauariæ duce constructam Norenbergæ in honorem sancti Ægidii cum ciuitatis erectione tradunt, ac opus ciuitatis anno ab illo decimo fuisse completum. Tuncautem vnica tantum arx muris circundata superfuit. Cunradus Cæsar sui nominis secundus, anno Salutis 911. ad Imperium hanc ciuitatem detulisse fertur. Henricus autem tertius, ipsam graui obsidione angustauit, ac cepit, ab incarnationis sęculo millesimo ac vigesimo sexto. Filius huius Cunradi, dum contra patrem mouerat, Norenbergam pene deleuit. Henricus etiam filius Friderici secundi, nuptias illic celebrauit, qua tempestate sex ac quinquaginta viri, tres ac viginti mulieres aqua absorpti sunt. Seditio tantum vna inter ciues oborta legitur. Caroli quarti Imperatoris æuo, & tunc in manus patriciorum ciuitatis iura omnia peruenerunt. Hæc quam breuissime potui, de Norenberga ingressus sum: haberem in promptu plura de illa, aperiente se latius materia, colligere, nisi me omnia dixisse viderim, dum tantum Norenbergam nominauerim.

DE

DE REVERENDISS. CARDINALI GVRCENSI Matthæo Lango, Bilibaldo Pirckheimero Norico, ac Beato Rhenano Germanis.

SVpersunt ætate nostra illustrissimi præterea ac mirabiles rerum scientia viri, & quibus tota Germania passim longe lateque referta est, adeo, vt si quis vatem quendam iustum ac absolutum sibi inquirendum cogitaret, nullum alium à Germania orbem peragraret. Nec lumine Diogeni illo opus esset apud Laertium, ad inuestiganda ingenia, cui in sola Germania ad vota sibi terrarum vndique docti viri affluerent. Non igitur Herculi quærenti quid velit? Bachus responderet, Δίφιλε ποιητὰ χρεία, οἱ μὲν γὰρ οὐκ εἰσιν, εἰσὶ δ' οὐλίγοι, κακοὶ, id est, *Opus est mihi bono Poeta: nulli enim sunt, & si sunt, mali existunt*, apud Aristophan. Batrachis. Pluralitate igitur eorum inductus, omnem seriem ordinis in adducendis nominibus remittere desiderans, eorum præstantiam ordine metiri negligam, verùm sine discrimine, præ mediocritate nostra, quæ viderim, in illis memoriæ digna, vt sese res obtulerit, ac loci necessitas, summo studio prosecuturus sum. Nec vllum iudicium tam inter primos, quam postremos ferre in animo est, nullamque differentiæ rationem inducere, omnium præstantias religiosè veneror, eruditionem exosculor: Nulli etiam detrahere consueui vnquam, tot vni, quod reliquo tribuam: omnibus Germania debet nonnihil & me nunc Germaniæ negotium agentem debere illis æstimo. Pace tamen omnium, tria Germanorum lumina, & hæc sola ceteris præstare mihi persuasum est, quorum excellentiæ omnis qui libero ac solido animo quantumcunque messem in litteris fecerit, vltro cederet, ac illis palmam tribuere minus erubesceret. Primus illorum amplitudinis summæ gratiæ, nobis Reuerendiss. Gurcensis Cardinalis appellandus est, qui sola virtute, principis nomen ingenij sublimitati adiiciens, omnes felicitatis calculos coniungens, & ex trium bonorum generum coniunctione nulli hominum alteri concessorum, in vnum plenæ ac absolutæ perfectionis virum abiuit, membrorum firmitate, dotibus animi, tum & amplissimo Sacerdotio præditus, summum ius apud Maximilianum, quem vt proprium sibi diuinxit, assecutus est. Et quod longe honestissimum est, præ ceteris politiora ingeniorum studia alit, colit, sustentat, atque conseruat: Huic quicquid feliciori ingenio productum est, politiori facundia profectum est, plus alij Germano arridet: Quare adducti sumus & Germanias nostras ipso vt Germanorum absolutissimo, siue eius nomini consecrauimus, in cuius testimonium aliquos versiculos ad eum in fronte operis nostri depinximus. Huic duos defœcatorum ingeniorum viros conferre volui, ac parem illis facundiam, linguarumque peritiam asserere, Bilibaldo scilicet & Beato Rhenano: & licet priori viro titulo ac rerum terrenarum facultate inferiores sint, ingenij tamen felicitate nulli posteriores. Primus Cæsareæ Maiestatis à consiliis patricius Senatorio ordine Norimbergensi insignitus, plenus honoribus, rerum copia plenior, in facultatibus animæ plenissimus, ac dignus, vt nobilissimæ ciuitatis & Germaniæ primo loco inter primos fungatur, totius vrbis necessitatibus adhibeatur. Tot tamen curis indignus, satis ille erga patriam munus suum expleuit, duo Plutarchi opuscula, totidem Luciani dialogos & non minimos, sex Xenophontis libros de Græciæ primatibus, Aristophanis quoque Plutum latinitate donauit: tantum etiam laboris in Hieroglyphico illo de litteris Ægyptiacis consumpsit, vt bonis litteris incrementa plus ceteris impartitus fuerit. In altero vero beato Rhenano omnibus calculis beatissimo, nil vel Momus reprehenderet, nisi quod habet exiguam rationem posteritatis pro tanta rerum copia: nil enim hactenus præter commentaria quædam, multo sale condita testimonium auctori summum referentia, diuulgauit, fama vero non exilis ac nulla de viro illo obtinuit, eum aiunt maximum quiddam moliri, cuius conatibus Deus aliquis propicius ac præsens adsit oro. Ceterum non dubito quin alterum nobis Erasmum volentibus Diis referat.

CONRADI CELTIS PROTVCII GERMANI, PRIMI POETÆ IMPERATORIIS MANIBVS CORONATI, hospitis & amici Pirckheimeriani

DE ORIGINE, SITV, MORIBVS ET INSTITVtis Norimbergæ libellus:

Ad Amplissimum eius vrbis Senatum.

HÆC IN CAPITIBVS LIBELLI CONTINENTVR.

Cap. I. Præfationem ad Senatum continet.
Cap. II. De origine & situ & regione vrbis in genere.
Cap. III. De Herciniæ syluæ magnitudine, & de eius in Europa definitione.
Cap. IIII. De imagine & descriptione Norinbergæ, insulisque eius, & Thermis, & prato Alterio.
Cap. V. De arce Imperiali, fontibus & ædificiis vrbis, hortis, & foris, & officinis metallariis.
Cap. VI. De verticalibus vrbis sideribus, & qualitate aeris, valetudine & habitu populi.
Cap. VII. De ingeniis virorum & mulierum.
Cap. VIII. De duobus augustioribus templis, & hospitali, & eorum diuitiis & reliquiis.
Cap. IX. De nouem vrbis monasteriis, & eorum probatis & sanctis moribus.
Cap. X. De domibus publicis, frumentariis, & de fame, & de generibus panum insolitis.
Cap. XI. De domibus cereusiariis, & armamentariis, & expositiorum.
Cap. XII. De pietatibus, & eleemosinis vrbis, & leprosis.
Cap. XIII. De Magistratibus vrbis.
Cap. XIIII. De pœnis sontium & damnatorum.
Cap. XV. De vniuersali vrbis Iustitia, legibus conuiuiorum, nuptiarum: Iudais & vini corruptoribus.
Cap. vlt. De Annona & victualibus vrbis.

AD DIVVM MAXIMILIANVM, INVICTISSIMVM ET SERENISsimum Rom. Regem & Cæsarem Augustum, Conradi Celtis in libros Amorum suorum Præfatio, & Panegyrici pars prima.

LIbros Amorum nostrorum, decennali peregrinatione à me conscriptos, cui merito, tanquam primitias agrestis & rudis mei ingenij, dedicare & offerre debeo, Rex Serenissime, quam Sacratissimæ tuæ Maiestati, & Inlustrissimæ domui tuæ Austriæ, quæ me ante aliquot annos per genitorem tuum Fridericum Tertium diuinæ memoriæ ad Poetices disciplinæ coronam & imperialem laurium euexit? Cogitabam ego interea apud me frequentissime, vt susceptæ meæ à Cæsare dignitati aliquid dignum excuderem, & non tantum inanem quendam huius dignitatis titulum & vmbram, vt multi nostri seculi homines solent, gestarem: perque hoc genitori tuo, & Celsitudini tuæ apud posteritatem dignas gratiarum actiones persoluerem: qui errantes Musas, & quasi iam aliquorum imperitorum hominũ calumniis in Germania infames & extorres, hoc anno conlegio & perpetuo stipendio cum duobus Mathematicis liberalissime donasti: data etiam mihi & successoribus meis vice tua, vt in eodem conlegio, vt nostro seculo Romæ fuerat, creandi & insigniendi Poetas autoritatem habeamus. Sed nec in meis hactenus facultatibus & ingenij viribus erat, vt aliquo à me absolutò in poetica opere tuæ Celsitudini dedicando responderem: neque per hoc vllo pacto pro magnitudine tuorum in me beneficiorum satisfieri tibi posse intelligebam: qui in tanta fortuna & felicitate, & in humani generis fastigio positus es, & ita emines, vt ab homine priuato & tenui, doctrinaque & eloquentia triuiali, aliquid tale tuæ Maiestati offerri possit, quod dignum tãto principi & Christiani orbis Imperatori foret. Commaculaui tamen frontem, & erasa omni, vt in prouerbio est, verecundia, cogitare cœpi, si non aliquid tale, quod par tuæ Celsitudinis laudibus esset, offerrem, saltem nostris nugis, ineptiis, incomptis & inlepidis iocis, quibus aula se oblectare solet, animum meum iugemque & perpetuam in te, tuamque Inlustriss. Austriæ domum obseruantiam intelligeres, meq;, vt sæpe solitus es, ad maiora animares: Maximyleiden inquam, & per te scriptos à cunabulis Annales nocturnas & diurnas commentationes. Nunc autem Rex glorioſissime, serena oramus fronte (vt omnia etiam magis exigua

gua in nostris studiis soles) libros Amorum nostrorum quatuor susc ipe: In quibus Germaniæ nostræ, imo tuæ, quatuor latera, & quibus illa cum collimitiis gentibus & nationibus, & regnis clausa & circumsepta est: eiusque interiora ad inclytum Albin fluuium, cuius vtrasque ripas regiis palatiis, & in aliueum eius ingentibus iactis molibus Fridericus Saxoniæ Dux, Imperij Rom. Elector, Musarumq; nostrarum & studiorũ maximus amicus, longe lateq; possidet, & qui olim Romanis incognitus erat flumius, iam felici conuersione siderum in medio quasi corpore Imperij pari fama cum tuo Danubio & Rheno ac Rhodano tuo, Tago & Dorio, Tiberique floret & pollet. Inuenies autẽ in his nostris de amore libris vtriusq;, hoc est, terræ & cœli nostri situ & positum, quas artes tu, velut alter Cæsar, Adrianus, & Alfonsus calles, mirificeq; te his oblectas. Inuenies item Anni descripta à nobis tempora, & ex cardinalibus cœli signis mutationes eius, & temperamenta; & vt natura comparatum est, ingenia suum cœlum & terram sequi: ita his depicta & figurata secundum quatuor ætatum circulos & hebdomadas, vt Pythagorici tradunt, hominũ animos & eorum corpora contemplabere. Apposite autem, quæ in Germania nostra memoratu digna sunt, vt flumina, montes, lacus, nemora, paludes, & solitudines, vrbes etiam insigniores & septem metropolitanas, patriasq; doctorum virorum, etsi nõ omnium, mortuorum & adhuc viuentium: &, vbi occasio se obtulerat, Regum & Imperatorũ prædecessorum tuorũ facta & gesta: recentiora etiam nostri seculi & centenarij confecta aut profligata per te aliosq; clarissimos Duces nostros in Germania bella: Quale ad Septentrionem Brutenicum, & nuper Dacicũ & Suedicum: Ad meridiem autẽ per Sigismundum patruelem tuum cum summa victoria gestũ Venetum: per te autẽ Burgundum, & Heluetium: Rursusq; ad Ortũ per te recepta Austria, Pannonicum: & ad Occasum Sycambricum: &, ϕ iam firmata pace conquiescit, Gallicum. Hæc ego ita præfari tecum, Rex glorioſissime, coactus sum, vt illis hominibus, qui indelebili quodã studiorum nostrorum odio, ob poetices disciplinæ ignorantiam, tenentur, obloquendi occasionẽ præriperem: qui omnia poetarum scripta inania quædã commẽta, animiq; labem & corruptelam, & omnium inquinamentorum quoddam coagulum dicunt. publiceq; in sactis ędibus vulgo in odium nostri prædicant, eiusq; altissimæ & diuinæ disciplinæ cultores & scriptores, flagitiorum doctores, & omnium vitiorum magistros insimulant, itaq; persequuntur & infectantur, vt nihil apud illos impudentius, & à religione nostra Christiana profanius sit, quã Poetas legisse aut audisse. Adeo vsq; apud illos ignauos crabrones & fucos, veteres Romanarum & Græcarum artium hostes, honorata illa à sapientissimis Imperatorib. inuisa, despecta & proculcata sunt priscarum litterarum studia: quorum ego vlcerosa intestina & purulenta terga ad viuum vsque (vt Cicero ait) secarem, sanieque & conceptum virus elicerem, nisi à sanctiss. & doctiss. nostri seculi viris totiens iam defensa esset poetica: Et quod iam despectæ ab illis imperitis Musæ Te restauratorem, defensorem, communemque parentem nactæ fuissent. O dignum Regem, qui nobis cum Romano Imperio, vt alter Cæsar Augustus, priscas artes Romanas & Græcas litteras cum Imperio restituis! Sed me contineo contra hos balatrones plura scribere: cum sciam, in omnibus rebus, præsertim in humanis studiis, subitam naturæ & hominibus mutationem esse molestam: Proinde aliquid tempori esse dandum, quod multum in natura & commutatione studiorum potest: cum quo, hoc est tempore, illis frementibus, egregia adolescentum nostrorum surgent ingenia, & quos illi hactenus (expertus loquor) inanibus verbis & futilibus rebus à solida philosophia & eloquentia abduxerant, iam te Rege inclyto iubente & instituente, ad prisca studia animabuntur & reducentur. Quos ego adolescentes & ingenuos minime à lectione Amorum absterrendos, vt illi suadent, censeo. Nam cum inter humanos affectus blandissimus, naturalissimus & potentissimus amoris sit, adolescentibusq; multa & varia inuentionis, exercitij, & ingenij experimenta suggerat: quis illos honesto illo amore, ad quem nos natura vocat & sollicitat, ludere & iocari non permittat? ad erigendasque animi vires & arcanas in amore cogitationes prope diuinas de amore legere & audire non consentiet? De honesto illo amore dictum velim, quo cœlum, terra, omniaq; natura cõstantia quodã fauore & tacito consensu se miscere, iungi, maritariq; cupiunt. De infami illo & spurco, qui & in brutis cũctisq; animalibus, in homine autẽ male affecto ferocior, cõmunis est, alia cum adolescentib. habenda est ratio. Vtrumq; tamen quis expetiundum ambigit? cum in illo quid sequendum, in alio quid fugiendum, intelligere facile quis possit. Quocirca de vtriusq; amoris vi & importentia nihil vnquam inlustrius scriptum à poetis inuenio, quam illam Lucij Apulei speciosam fabulam, & eos quos de Transformatis, quindecim Ouidij libros legimus: In quibus poeta egregius de diuino creatoris in creaturam amore orsus, ex eoq; cœlum, terrã, & omnia vniuersitatis membra in Chao confusa, discreta & concordi fœdere & nexu vinculoq; amoris sociata & ligata cecinit. Is Amor, quem ignem, aquam, vaporem vel aerem Philosophi principium naturæ nominant; nos autem Deum Opt. Maximum dicimus, qui hominem ex terræ gleba & limo finxit, hominiq; & cunctis in natura viuentibus animalibus, plantis etiam, & seminibus, inanimatisq; rebus aliquibus, hoc est, gemmis, lapidibus, coloribus etiam vim & virtutem amoris indidit, vt quadam inter se cognatione naturæ, & tacito fauore & consensu coniungi gestiant, & gaudeant. In homine autem, qui maxima pars tanti opificij erat, maiorem Deus amoris partem esse voluit: tãtumq; in hos amoris imperiũ esse iussit, vt aliquos ob illius affectus impatientiã in saxi modum

dum glaciemque indurauerit: aliquos in liquidas vndas resoluerit. Quid referam, in arborum robora, truncos, radices, & herbas concretos, soloque affixos? quid in brutorum, ferarum, pecudum, piscium formas abiisse, volucrumque pennas induisse? vt illi proni terram, alij præpetibus & pernicibus alis, aut natatilibus conligatis cute vnguium digitis aëra & aquas tranarent? Quid autem animorum & mẽtium nexu mirabilius? quos amor inenarrabili quadam commixtione in vnam quandam substantiam rapit & vnit, quod Græci μετάψυχον, id est, transmutationem vocant, vt duo corpora vna se viuere anima, alteraque se cum altera viuere & spirare putat & credit? vnaque morte sublata tanquam partem animæ altera comitetur: vt nuper Ratisponæ accidit. Quas omnes ex Lucio & Ouidio fabulas, si ad affectum amoris & mentium nostrarum naturas interpretari vellem, non mihi Lunæ menstruæ aut Solis annua conuersio sufficeret. Amore totus orbis, in eo quo & pulcerrimo ornatu fabrefactum conspicimus, ortus & absolutus est, in præscriptumque ab auctore suo tempus manebit. Amore vrbes & regna & imperia incepere, constant & durabunt. Tanta cœli & terræ in mutuo amore societas est, vt Deorum Dearumque connubia, quas actiuas & passiuas Aristoteles virtutes vocat, poetæ confinxerint. Non enim semper οὐκ ἀεὶ πάσα ἀ ψυχὴ ἀοιδοῦ, plura mentiuntur cantores. Sic quendam inter has virtutes Aristoteles esse occultum appetitum scripsit, quem ille nomine priuationis tertium naturæ principium posuit. Hinc illi crebri de Amore in hominum conuiuiis & conloquiis & contuberniis sermones: hinc illi sales & dicteria, facetiæ & scommata variorumque casuum in amore mirabiles fabulæ & fortunæ: hinc illa Epithalamia & nuptiaha carmina: hinc ille vocum concentus, & musicalium instrumentorum modulamina. Quid militiæ ludos, saltationes, choros, tacitosque nutus & oculorum connixiones commemorem? Quæ omnia eo spectant, vt allectamenta quædam & semina amoris sint, quo quædam spirituum & animorum commixtio fit. Nec mirum, si in hoc potentissimo affectu naturæ quidam desipiscant & delirent. Pessima enim semper (vt aiunt) coniuncta sunt optimis, ex eodemque flore fauum apis & aranea venenum fugit & colligit. Hæc ego in nostras Ægyptiacas ranas dicta esse velim: quibus ego libros sacros & totum * * * * * πεντατεύχον. id est, quinque libros Mosi legendos propono: in quibus impletam diuisamque vniuersam gentibus terram per amoris propagationem legimus. Quid * * * * * id est, viginti quatuor libri sacri, Cantica Canticorum, Hester, Ruth, Regum, Iudith admirandæ historiæ aliud scribunt & canunt? quam male sani amoris importentiam & dementiam, & cœci pectoris ignes, qui Dauidem & Salomonem prorsus sui & suæ dignitatis immemores fecerunt Longum esset, si Asiæ, Africæ & Europæ reges & sapientissimos viros ex grauissimis & inlustribus historiographis recensere velem, quo pacto amore illos inretiuit & inlaqueauit. Facessant igitur illi nostri rabulæ, sinantque nos de amore scribere, audire & legere, laudentque illi cum Diuo Ἱερωνύμῳ contra Iouinianum cœlibatum, dummodo nobis schiraschiri legere permittant, sciantque nos secundum naturam scribere, qua se omnia animantia propagare & æternare, (quod diuinissimum est) cupiunt & appetunt. Viuant interea illi suo more, qui se castitati, pauperati & sacerdotio addixere, & se propter Christum castrauere: dummodo nos de illorum numero simus, quibus Græco prouerbio dicitur: φιλεῖ ἐπὶ φὼν, καὶ δυσαπαίτητος ἀφροδίτης: id est, Amabit sapiens; cruciabitur autem stultus. Et rursus in sacris litteris: Propterea relinquet homo patrem & matrem & adhærebit, &c. Non igitur, Rex Serenissime, aliquis ex his blateronibus arguet & causabit nos de amore scripsisse: qui si non esset, illi inter mortales non viuerent, librosque quatuor sub tui nominis sacratiss. tutela & patrocinio edidisse, in quibus adolescentes, alioqui in hunc affectum (natura monstrante viam) procliuissimos à prauarum mulierum fraudibus & sæuis blanditiis auocamus, cauereque meretricum congressus (vt Sapiens sæpe monet) & consuetudines docemus, illorum exemplo eos deterrentes, qui ob fœdum amorem in summas calamitates, miserias, mentisque & rationis euersionem, summasque ærumnas, & cædes, & id genus plura & ferme infinita, quæ hunc affectum potentissimum comitantur, adducti sunt. Qui, dum illa de amore poemata nostra legerint aut audierint, discant hallucinabundi inter modestiæ & temperantiæ fines viuere & se continere. Nam res illa, si quis huic alimenta dederit, aut in consuetudinem adduxerit, nec modum, nec rationem habet. Sed fortasse à plagiariis illis iterum ad iudicem vocabimur, dum nos subaccusabunt, spurca quædam, minusque pudica & verecunda, sed prurientia & utillantia quædam inseruisse carmina, & quæ castas innocentum adolescentium aures lædant & inebrient. Fatebimur equidem ingenue, & illis non aliud, quam quod in præfatione sua in Comœdias Horsuita nostra poeta Saxonica obtrectatoribus suis dederat, respondebimus: De amore scriptorem non tantum debere verba effingere, sed eorum, qui ita affecti essent, omnia etiam facta, & cogitationes: Idque poeticæ esse consentaneum, & ab amoris gradibus non alienum. Quocirca dum illi sanctum Iob & Salomonis * * qui de Sapientia liber inscribitur, legerint, sciant (vt ἁλοήτης in eius libri enarrationem scribit) illos non semper ex suo, sed ex stultorum aliquando hominum ore locutos: idque de industria & propolito factum, vt sapientis & stulti verba & cogitationes vir prudens cognosceret: Quod & nos, illos sequuti, sæpius in Elegiis fecimus. Quod si nostrarum rerum omnino adhuc sinceri iudices esse recusauerint: accipiant, quæso, in pensiunculæ modum circa lasciua quædam nostra carmina, quæ admodum pauca sunt, ita cogẽte materia scribendi ex Phi-

ex Philosophia summisq; viris, Platonicis, Pythagoricis, & Peripatēticis, Epicuroque, quem Seneca moralissimus, in suis vndique libris laudat & allegat, adducta loca: ob eamq; rem à nobis id factum esse, ne lubrica tota, inanis, superuacanea, sterilis deniq;, arida, ieiuna, siccaq; foret amoris tractatio, & vt in fabulis est. Dulcius arriderent seria mixta iocis, vtq; in conuiuiis fit, grata foret Lectori rerum varietas. Accipe igitur, Rex & Cæsar Auguste Maximyliane, hanc nostram decennalem lucubrationem: in qua Germaniam nostrā in paruæ tabulæ modum, & sua quatuor latera depictam intuebere: Inclytorum etiam fluminum nostrorum in Germania ortus & exitus, quotque illa milliaribus alueis suis ad maria deferantur: quantumque Germania nostra se in Italiæ, Galliæ, Pannoniæ, Daciæ, & Sarmatiæ fines, tua, Rex Inclyte, & priscorum Germanorum virtute & bellorum gloria extenderit. Suscipe dehinc nouam & generalem Germaniæ, vt hodie habitatur, carmine heroico descriptionem: Norimbergæ insuper nominatissimæ vrbis, & quæ nunc in Imperio Augusta Prætoria est, originem, situm, instituta, mores & ornamenta: quem ego librum cum vita Diui Sebaldi, eius vrbis patroni, nuper Senatui Norimbergensi dedicatum, oportuno his nostris de Amore libris adimpriendum curaui, vt Hercinia silua, quæ per Germaniam longe lateque diuagatur, & eius gentes & vrbes, abstrusaque gentium & locorum in ea vocabula apud insluſtres scriptores memorata, ab hominibus earum rerum studiosis intelligerentur, haberentque eius siluæ in toto orbe memorabilis propter suam magnitudinem ante oculos descriptam imaginem: Dianæ insuper ludum & Panegyricos pro erecto Poetarum & Mathematicorum conlegio. Sunt qui se Gallias, Hispanias, & vtramq; Sarmatiam & Pannoniam, transmarinas etiam terras lustrasse & vidisse gloriantur. Ego non minori gloria hominem Germanum Philosophiæ studiosum dignum existimo, qui patriæ suæ linguæ, fines & terminos, gentiumq; in ea diuersos ritus, leges, linguas, religiones, habitum deniq;, & affectiones corporumque varia lineamenta & figuras viderit & obseruauerit: Illaque omnia in illustrata Germania nostra, quæ in manibus est, fauentibus Germanis nostris numinibus, & tuæ inclytæ Maiestatis præsidio & auxilio, quatuor libris particularibus gentium tabulis explicabimus.

Vale, Rex & Cæsar Auguste, Romani Imperij dignissimus rector & arbiter, nostrumque perpetuum ornamentum & præsidium: Ex Norimberga, Diuersorio nostro litterario, ædibus Bilibaldi Pirckhamer, Patricij & Senatorij ordinis viri humanissimi, & vtriusque linguæ, Latiæ & Graiæ, non mediocriter docti: Reliquas Panegyrici nostri partes in præfationibus librorum Odarum nostrarum & Centepigrammaton breui accepturus.

Τίλος.

CAPITVLVM I.

Præfatio ad Senatum.

CVm nuper relaxandi animi gratia in vrbem vestram, ornatissimi & felicissimi Senatores, concessissem, vestramq; florentissimam Rempublicam, ordinem prudentissimi Senatus, modestissimos ciues, religionis superumque curam, sacras ædes, ceteraq; vrbis vestræ ornamenta diligentius contemplatus fuissem: cœpi multa apud me tacito animo cogitare, quonam pacto & ego vestris virtutibus monimentum aliquod relinquerem, & in ærarium vestrum vectigal aliquod nō vulgare inferrem. Persuasis igitur, quantum angustia temporis passa est, vt aliquid de vrbis vestræ origine, situ, institutis & moribus scriberem, litterisque commendarem, vt quemādmodum nomen vestrum, quod iam fere totum orbem sua fama impleuit, per cunctasque terras, maria & emporia circumferretur, ita quoque in libris & bibliothecis à Latinis & eruditis hominibus legi admiratique possit, maximeque Germaniæ nostræ, & eius inclitis vrbibus, earumque principibus & rectoribus exemplar & speculum quoddam imitabile fore, quo imperium Romani nominis, cuius vos specimen, decus & ornamentum estis, reuiresceret, resurgeretque Diui Maximiliani auspiciis: de quo vt ille iam pridem animos nostros multorum felicitate bellorum & gloria sustulerat: Ita nunc piissimo patre Cæsare Friderico ex humanis sublato, ipsoque ad Imperij habenas subfecto, pias & iustas spes nostras, quas concepimus, haud dubio dij patrij nostraq; Germana numina frustrari nō permittent. Quocirca ad vestræ felicitatis cumulum nihil ego egregius laudabiliusq; accedere posse existimaui, quām quod vestrę vrbis laudes & annales illustrem hodie aliquem scriptorē sortirentur, qui nomen vestrum & famam eloquentia Romana extolleret posteritatiq; cōsecraret, muro diuturniore & perenniore, quique à morte tueri vos possit, cingens. Qua in re maxime vos meminisse decet Græciæ & Italiæ vrbium, quæ etsi hodie magna ruina sepultæ & collapsæ conspiciuntur, tam celebri tamen nomine & recenti quadā fama apud nos non supereſſent, nili vt illorum ciues æternitatis fuerāt apperentissimi. Sua facta, dicta, & gesta litteris commendassent. Liberos suos non in quęstuosis tantū & futilibus artibus instituentes: sed longe speciosius rati, si in philosophia & ingenuis disciplinis erudirent: patriam suam ingenio, doctrina, litterarumque claritate illustrarent. Scientes, se suasque vrbes, opes & familias eluuionibus, incendiis, bellis, terræmotibus, aliisque mundi accidentibus, aliquando

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [143] - 119
PUBLIC DOMAIN

aliquando euerti interireque posse. Ideoque Solis litteris (quibus sub cœlo nihil æternius & per vniuersum orbem volantibus) gloriam suam & famam in longum læuum prorogare debere. Quorum hodie nomina non trabibus, aut saxis (quandoquidem & in illa tempus vires suas habet) sed monumentis æternæ laudis incisa videmus. In quibus, id est, in illorum libris & historiis, dum eorum facta & sapienter dicta legimus & audimus: & quantum illi humano generi profuerunt, non satis venerari & admirari possumus, dum in hodiernum vsque diem proficit per illos vniuersus orbis, & nedum reges & principes in illorum libris & sapientia se oblectant & consolantur, verum omnem Rempublicam, & totius vitæ seriem & imaginem ad illorum æmulationem, & tanquam ad speculum quoddam imitabile componere enituntur. O magna litterarum beneficia! O diuina mortalibus concessa munera! per quæ ab ignorantia & obliuione interituque vendicare nos possumus, memoriam nostram in longum æuum & secula transmissuri. Sed neque ego idcirco hæc dixerim: quo vos ab homine Germano, & in medio Herciniæ saltu nato, aliquid tale, id est, eloquentiam, quæ vrbem vestram digne prædicaret, expectare debebitis. Quæ etsi tanta in me foret, quæ vel nulli vnquam mortalium contigisset, tamen magnitudo & amplitudo laudum vestrarum, publicæ aut priuatæ virtutes, facile orationem & omnem dicendi ornatum extenuarent & vincerent, satis ego mihi fecisse arbitrabor, dum amicorum precibus paruerim. Quo ego obseruantiam & amorem meum in illos erga Rempubl. vestram quodam testimonio non vulgari comprobarem. Apud quos oro iudicium dictionis nostræ sit, vt quod illi me iusserint, examinent, & dein laudent, aut contemnant. Neque illorum iudicium qualecunque futurum est ab instituto me reuocare debet: dum contra officium minime facturum aut fecisse me arbitror, si Germaniæ meæ per has nostras lucubratiuncullas (tanquam aliquo munere) congratulatum ire cupio: quod talem hodie & nostra ætate vrbem fortunatissimam, & deinde pulcherrimum imperij nostri domicilium, in qua & nos quondam Imperator insigniuisset, nacta sit, quæ sua pulchitudine Rempubl. scientia nedum nostris, sed exteris gentibus admirationem, visendique desiderium & amorem iniecit. Ideoque famam eius & nomen laudesq; aliquas, etsi non omnes, quoad tamen fieri poterit ab homine Germano tentatas, nemo fortasse inconsultum, temere aut friuole factum existimet. Accedebat etiam, vt libentius huius rei assumeremus prouinciam: tanquam præludium quoddam & ingenij experimentum ante editionem illustratæ Germaniæ, quæ in manibus est, beniuolis lectoribus præmitteremus. Sed ne diutius hic immoremur ita vrbis situm exordior.

CAPITVLVM II.

De origine, & situ, & regione vrbis in genere.

EST locus in Hercinia quadraginta millibus passuum patens, cuius tota terræ superficies (quod nusquam alias in interiori Germania comperi) puluerulenta arena squalet, malignos & infœcundos vndique colles à radicibus alpium & molli deuexitate, in modum sellæ Germanicæ in Herciniũ iugum vsque percurrentes erigens. Passim castellis, vicis, arcibus, pagis, prout solum, fons, campus aut pascua inuitauerit, refertus: Siluæ tamen inexciduæ suus honos & perpetua frondis & intacti roboris gloria manet. Quæ variarum ferarum & volucrum altrix in diuersas cœli partes longos ramos, ingentes & æternos lucos, veluti quosdam maris sinus expandit. Sed haud fœlici limo, vel vbere gleba, lætave vligine, benigna vt obsequente tellure, verum ieiuna & infœcunda glarea, quam reluctante natura incolæ (vt ingenium & hominum industria est) ad partum fœcunditatemque susceptí seminis cogunt, vbi fimo mergoque & sarmentis arborum inter stratis arena impinguata, succum alimentumque vegetalis animæ attraxerit, parcissime tamen & admodum tenui fœnore votis respondent, neque quotannis, sed duobus tribusve annis ociosis. Amnes duo non ignobiles: Pegnesus & Regnesus in eius regionis tractu surgunt. Qui vbi se per bibulas arenas & sterile catectum euoluerint, haud procul ab vrbe cuius situm dicemus, miscentur. Sed alter vrbi influens per medium illam abluit diuiditque. Ratium tamen & nauigij vtcunque solutis niuibus aut effusis imbribus sociæ vndæ & confluus humor intumuerit prorsus impatiens est. Quem illi arte facile ratiferum facerent, nisi curruum magis quam nauium commoda animaduerterent. Piscosus alias & fertilis amnis sapidoque & vario genere piscium vbertim scatens, quorum nomina non facile dixerim, temulas, drutas, quas & varias à coloris varietate dicunt, aschias, fundulas. Priscis vocabulis affiimare fortasis non ausim. In eius regionis arenosæ ferme centro collis natiuus & arduus, qui vrbi nunc imminet, erigitur, Saxosus & vt naturæ est in vnam petram ex arenarum mole concretus: clementi tamen cliuo sensim & leniter assurgens, & placido ascensu se fastigians. In cuius summitatem & cacumen, cum peruentum est, cespitem amplum multa arbore vmbrosum in similitudinem theatri circumducit, æstuante syrio gratum perfugium. In quo dum circumlatis luminibus persisteris, vrbis situm ipsamque Herciniam ad primum ab vrbe lapidem, & quasi portis eius vndique imminentem, & instar coronæ circumduci intueberis. Sed vbi silua sterilitate arenæ exaruerit, illam, (quod mireris) lucis satiuis reparant: quandoquidem ferendarum siluarum scientia nostrorum hominum soler-

tia nu-

tia nuper inuenta est, tantus amor nemorum Germanis est. Siluæ ἀείμνηστοι sedecim millium est. Notici quondam, à quibus nomen colli (qui Principis venationi cubiculū erat) & vrbi est, dum ab Hunnis præmerentur, vt grauissimi authores produnt, ea natura loci perspecta, & quod esset ab incursionibus tutissimus, & ob amnis vicinitatē ad inhabitandum accommodus, in eo castellum rudi opere communiere. Ad amnisq; ripas, liquatorias & ferrarias elaborandi molliendique ferri officinas (qua arte gens illa ab antiquo claruisse memoratur) extruxerunt, rotasque impetu & rapiditate amnis, circumactas machinasque ad varias vsus & artes inuentas fabricauere. Aucta dehinc sobole (vt hominum societate fit) influentibusque assidue Herciniæ pastoribus, eiusq; loci Aboriginibus: hi congestis temere saxis & roboribus, fossaque oppidum cinxere. In quod diuersarum artium & morum homines colluuiæ quadā sine duce & legibus collecti coiuere, latrociniis & rapinis ferarū more diriti, infestam aliquā diu reddebant Germaniam. Quamobrem per Imperatores Conrados & Heinricos castellū cum arce sua direptum & expugnatū legimus. Neq; à latrociniis, ab indomitis & siluestrib. hominib. temperatum est, donec Imperator exercitū colli admouerit, muros erexerit, & coloniam deduxerit, domiciliū sibi in arce firmissima construens, veteranisq; & emeritis ibi relictis, quib. regendæ vrbis gubernacula commiserat, præcipiens, vt vastitas nemoris ob rerum commercia à latrociniis purgarent, tutumque redderent: cuius rei in hodiernum vsq; diem vrbis studiosissima est, & ad hanc rem emissarios semper equites & pedites plures habet, qui omnia nemoris latibula & lustra à latronibus infesta, diligenti indagine perquirunt, tutamque & securam negotiatoribus viam faciunt, hi publicis sumptibus & stipendiis aluntur. In eum igitur modum vrbs cœpta est, quæ deinceps Imperatorum nostrorum frequentia, & crebris conuentibus Germaniæ Principum, quibus illa situ & loco (vt dicemus) peroportuna est, incredibili memoratu in quas diuitias & opes ordinemque senatus (quem hodie videmus) breui coaluerit. Sed priusquam de vrbis situ dicamus, non incommode puto aliquid, de Hercinia silua inserere, quandoquidem per obscuritatem rerum Germaniæ partimque itinerum, & peregrinationum difficultate, partim etiam ignauia & nostrorum hominum inertia, quibus illas res (hoc est, naturæ maiestatem) inquirere ludibrio est, à nullo hactenus scriptore hunc locum plene absolutum reperio. Id ego non iniucundum litterarum studiosis futurum spero, si ita vt illam labore & cura nostra aliquot annis permensi sumus hic breuiter absoluemus. Non sine maleuolorum hominum obtrectationibus, eorum etiam qui se summas sapientiæ partes attigisse arbitrantur, vano nos quodam & ventoso spiritu, parumque stabili animo Vlixis errore teneri cauillantes. Ego autem inter difficiles illos peregrinationum mearum labores & æruminas (quæ peculium meum bonamque corporis valetudinem non mediocriter attriuerant) eo omnem animi cogitatum conuerti, vt si non patrianis & Germanis meis qui (vt Cornelij verbum est) hospitibus tantum fauent, placerem, externis tamen & doctis hominibus ad maius aliquid excudendum laboriosa illa mea doctrina occasio & inuitamentum esset. Imperitorum illorum & barbarorum hominum indicia de nostris rebus, perinde ac febricitantium gustum existimans, neque dignos, de quibus aliquis sermo habendus sit. Eos igitur congerones & verberones ab honestis litteris, & eorum cultoribus (vt eorum verbo vtar) excommunicamus, & cum sua ignorantia relinquamus.

CAPITVLVM III.

De Herciniæ siluæ magnitudine, & de eius in Europa definitione.

EST silua in Europa, quæ in Boream spectat, quæ se Rheni, Danubij, Albis, Visurgi, & Oderæ, (quem Sueuum & Guttulam à priscis vocatum reperio) Vistulæque, & aliorum inclitū amnium parentē iactat, Græcis & Latinis memorata scriptoribus. Hanc Germani (per quorum fines se maxime extendit) Herciniam à pice (quam patria lingua Harz vocamus) dixere. Hæc igitur vt Thaurus se per Asiam, & Atlas per Africam, ita illa se per vniuersam Europam spargens in Galliæ finibus ab Ardenna silua, quæ & hoc nomine hodie gaudet, initium originemque sumens: dein per Germaniam & Sarmatiam in vltimum Europæ angulum, & in ipsos cœli vertices sempiternis iugis concreatique mundo roboribus se propagat: vbi transthenanas vrbes Friburgum, Paduam, Heidelbergam, Franconofordiamque Mœni attigerit, diuersa nomina sibi consciscit, à Rhenique ripis ingentes saltus, immanes truceque veteri religione lucos per innumeros Germaniæ & Sarmatiæ populos efficit. Quos nos hic summatim perstringemus. A Friburgo igitur, in ortum & septentrionem vasto & perpetuo tractu occurrantes inter se colles excipiens & implicans, hinc ad Rheni latus, & in ipsis radicibus Alpium positos Rhetos, Vindelicosq; attingit, citra Oenum, Licum & Isarum longissimo dorso ad Danubij vsq; ripas porrecta, rariore tamen & humiliore virgulto, vt à frequenti habitatore excisa est, Frisingum, Ratisponam, Patauium Noricas vrbes, ipsumq; Cæcium (qui & mons Caluus) Norici terminum, & Viennam Pannoniæ attingens. Illic ad fontem Danubij & Necari per totam Sueuiam se late vasteque diffundens, Nigram siluam (quæ & Bacenis à maioribus dicta est) efficit, vt quæ illa centum olim pagis, ita hodie centum haud contemnendis Sueuię vrbibus referta est, donec

ad Eychistadium vsq; vrbem (à querceto siluæ nominata) & Almani amnis ripas attingat, quas aliquamdiu sequens, donec circa fauces Danubianas ab his per Norimbergensium arenas & transdanubianum Noricũ Hercinio iugo, quæ pars Germaniæ editior est, ingenti & æterno dorso committatur. A quo, h.e. à Pinifero monte, vt ille quatuor inclitos & dites amnes intra spacium dum ferme millia passuum, non sine admiratione & naturæ maiestate effundit, ita ab eo monte, amniũ & siluarum parente quatuor ramos veluti immania cornua in diuersas orbis partes porrigit, versus Arctum per Curiones cũ Sala fluuio, qui in Albim defertur, in Turogos ad Zephyrum, cũ Mœno Bacchifero in Francos. Quo tractu silua cũ amne progrediens, mox nomen à collibus, qua se in læuam fastigiat, accipit. Deinde vbi propior Rheno Mœnus factus est, vetustissima vrbe Ἐρεσίπολει Francorum metropoli irrigata, vnde & nobis origo est: ad Mildenburgum oppidum suis ripis siluestribus, siluę duo nomina imponit, vt dicemus. Ab Euro autem cum Egra fluuio, Nabo per Noricum transdanubianum fluenti in Boemos se erigit. Quos cum vndiq; tãquam natiuo muro cinxerit ad septentrionalia eius Albin & Oderam emittit: ad meridionale & orientale eius latus Marcomannos & Quados attingens, & ab his in Carpatum Germaniæ caput (qui & Sueuus est) consurgens, Lasigibus, Bastarnis, Dacis Gotisque contermina gentibus: Sed ad Carpathi montis (qui frons Germaniæ) radices reducto in Septentrionem impetu supra Istulæ & Oderæ, Memuli, Tibisci, Nestri, Boristhenis & Tunuri & Tanais (qui Europæ & Asiæ limes) fontes per Sarmatiam Europæ: per Agathirsos & Sauromatas, id est, Poloniam, Lyuaniam, Masouiam, Brussiam, Liuoniam immenso spacio & infinito tractu ad Europæ vsque fines diuagatur, cum ipso terrarum orbe definiens. Et is quidem Orientalis eius tractus à Rheno est, nunc Septentrionalem persequamur. Ab Heidelberga igitur Palatini Rheni regia (vbi Cattos à Cheruscis, & Francos à Sorabis diuidit) Oddonis silua ab incolis dicitur, siue ex Oddonis Imperatoris donatione Amberbacensis cœnobij: siue ex loco non ignobili Odonahaim, vbi Oddo in venationibus pernox agebat. Ex altera autem Mœni ripa, vbi Francofordiam & Astiburgium vrbes, montesque è regione Moguntinæ vrbis (*Quæ prima sculpsit solidos ære caracteres & versis docuit scribere litteris.*) attingit: ab abundantia picis Germanicæ Pechfarg/hoc est, picearia silua dicitur. Ibiq; vastissime se iterum dilatans, donec flexo in Septentrionem tergo in Obnobios (qui Alpium particula sunt) & Cattorum seu Hassiæ montes & ab his vsq; ad Sicambros, hoc est, Gelrenses, longis lateribus obtenditur. Quo etiam loco Tribochos, à tribus quercubus antiqua religione Nymphis consecratis includit: Qui cum Germani in Galliam erumperent, in altera Rheni ripa expulsis Gallis cõsedere, Triboteq; corrupto vocabulo, qui & Argentinenses, dicti sunt. Verum vbi se silua, vt diximus, per Cattos & Obnobios, & Bussacteres (quorum vetus & in hunc vsq; diem nomẽ & familia extat) extẽderit, mox Buchoniam regionẽ à proceritate fagorum dictam, apud insigne Druidum cœnobium Fuldã attingit. Ab his ad Visurgi & Vidri, Amasi & Salæ fontes in Saxones ad Goslariam, Alberstadium & Brunsuigum clarissimas vrbes se reflectit versus Septentrionem & Oceanum nostrum (quamuis gentes ibi etiam sine arbore viuant) longe lateque vastis solitudinibus diffusa, vbi etiam veterem sui vocabuli significationem adhuc seruat. Ab hisque iterũ in Turogos & Sorabos se recuruans, inclitamq; vrbem à nomine suo Hercinofordiam dictam præteriens, donec in Hercinium iugum, à quo tantam peregrinationem fecerat, ingenti fronte & cornu se attollat. Opulentas vndique vrbes quindecim publicis Gymnasiis ornatas, ditesque populos, arces aëreas & inexpugnabiles, argenti & auri, vniuersique generis metalli diuites & in exhaustas venas montibus Iaspide, Alabastro & diuerso marmorum genere, Cristalloque nobiles, vulcaneas, picearias, vitriarias & carbonarias, cyclopum officinas, quarum vt in plurimum Norimbergenses ciues domini sunt: Salis etiam fontibus, & subterraneis montibus sale lapideo veluti Saxo concretis: Fluuiis etiam margaritarum & auri feracibus. Hoc efficit, vt siluæ sicut & rerum non eadem apud omnes populos facies sit: vt enim illa glebam sabulumque arenamve solo strauerit: ita versus septentrionem maxime taxum & pinum producit, obscuris vallibus, sonoris torrentibus, & per saxa se præcipitantibus, parum lucida interni speciem præbens, versus meridiem autem quercum magis, & fago viburnisque fida, vt terra saxea & lapidosa est maxime ad Rhenum, Necarum, Mœnum & Danubium. Pecorum autem & nobilium ferarum in ea ingens & innumerabilis copia. Armenta etiam equorum multa, qui publice aluntur nullo mortali opere contacti. Thermarum etiam saluberrimarum aquarum fontes: Maxime vbi Rhenum attingit, lacus etiam vastos inexclusos & perpetuos piscososque & diuerso genere piscium scatentes, vt Aquillatim in Germania dicemus. De volucribus autem & de Syluro in Mœno fluuio, vt apud grauissimos authores est, nihil compertum habeo. *Multa enim desisse, quæ hodie non sint, & multa renascisse rerum natura, quæ olim non fuerint, noua cœlestium corporum.* Si quid in mundo nouum aliquid emergere potest, configuratione crediderim. Sed nihil in hac silua Druidum cœnobiis illustrius est, id est, Genus illud Philosophorum apud Gallos Græcanice viuentium erat: quos διὰ τὰ ἄκρα δρυὸς, à quercubus nominauere, inter quas ab illis antiquitus, vt Abrahæ & Gedeonis quercus testis est, oracula offundi credebantur, ita illi veluti oraculorum & sorcium fulminumque, quorum illa arbor obnoxia, interpretes: tales consedebant quales nudius vidimus, dum Iohannes Theophilus

philus vir summa eruditione & ingenio nos in patriam suam ad radices Piniferi secum adduceret. Hic cum forte in cœnobium diuertissemus, imagines lapideas sex vetustissimo saxo ad fores templi parieti insertas conspeximus, septem pedum singulæ, nudis pedibus, capita intecti, Græcanico pallio & cucullato, perulaque & barba ad inguina vsque promissa & circa naris fistulas bifurcata, in manibus liber & baculus Diogenicus, sæuera fronte & tristi supercilio, obstipo capite, figentes lumina terris. Hi quondam apud Gallos (siue interpretandæ religionis, siue solitudinis gratia, quo expeditiores in inquirendis rerum causis essent) in nemoribus & saltibus consedere, multitudinemque vulgi ad se pellexere. Postea autem quam Tyberius Cæsar ipsos propter factiones, quarum duces erant, Galliis excedere iussisset, illi in Germaniam commigrauere, & sub Carolis, Arnolphis & Oddonibus Christianam religionem interpretantes, totam Herciniam inamœnis & inguis vallibus, & aprorum & ceruorum saltibus, sub annosis & nigris quercubus, à quibus cœnobiorum suorum nomina sunt, occupauere. Qui nunc diuitiis & opibus ita creuere, vt regibus & principibus nostris non inferiores sunt, seu luxum, seu arma consideres. Multi ex his vt diuitiis & vrbibus aucti fuissent, & vt illis dinastiam coniungerent, excusso religionis seueriores iugo, abiectoque cucullo, quem adhuc statis anni temporibus ferunt, licentioris vitæ habitu populariter viuere cœperunt. Cuditur adhuc apud Francos nummi genus, apud quos Burgardus & Kilianus Britanni, à qua Religio ortum habuit, docuerant, quod à Druidum nomine Druidensis dicitur. Magna profecto Græcis nunc & sempiterna à nobis gratia habenda est, qui populum olim ferum, & quem nulla arma domare vnquam potuerint, nunc illi religione & vitæ sanctitate ad mitiora studia & ingenia conuerterunt, & qui prius in nemoribus & siluis vagi, iam per illos in cœtum & societatem congregati, clarissimo imperio, sanctis legibus & optimis moribus probe degunt. Ceterum silua ipsa trans Vistulam Visontes, quorum venatio Sarmatis gloriosa & Vros habet. Sed in Moscouia tantum finibus, à qua Imperator Fridericus Tertius maternum genus duxit. Montes etiam in Friderici Saxoniæ Principis terra, quæ Vesuuium & Ethnam sempiternis ignibus imitantur. Illud autem in eis nemoris montibus, qui ab Alpibus, vt diximus, per Germaniam & Sarmatiam perpetuo dorso in Carpathum vsque excurrunt, mira naturæ prouidentia accidit, vt flumina à medio illorum spina decidentia hinc in Oceanum & sinum Codonum à Gothis accolis dictum præcipitentur: hinc per Danubium in Pontum se euoluant, tantæ terræ fœcundus anguſtia, vt quædam arces & rusticorum casulæ dum imbres suscipiunt, in diuersa maria (sicut in Apennino fit) ab vno tecto transmittantur. Carolus Magnus, dum apud Francos ageret, pulcherrimum facinus, Herculem & Xerxem æmulaturus, animo agitauerat, dum persuasum sibi fuerat, posse percommode de Rheno in Danubium nauigare, & perinde ab Euxino in extremum Oceanum copias traiicere, si in Regnosum & Almonum fluuios, qui decem millibus passuum tantum distant, eiusmodi fossa duceretur, quæ esset nauium capax. Confestim Rex cum omni militum multitudine in eo labore totum autumni tempus consumpsit: Ductaque est fossa, cuius vestigia adhuc cernimus, quam & hodie accolæ Traiectum dicunt, duorum millium passuum longitudine & trecentorum pedum latitudine, sed in vanum labor omnis cessit. Nam propter iuges pluuias & terram, quæ fabulosa erat, opus fieri non potuit. Quantum enim terræ à militibus interdiu egestum erat, tantum noctibus humo iterum relabente subsidebat. Accessit ad tam pulcherrimi operis retardationem omnimoda & vltima Saxonum defectio. Hac igitur silua digestione definita, eius quidem longitudo in Europæ finibus à Mosa Galliæ fluuio in Tanais vsque fontes accipienda est, latitudine ab Alpibus in Oceanum ferme Germanicum portecta. Militaria, si quis rem curiosius inquirere velit, ex supputatione cœlestium circulorum & graduum colligat, in quo tractu, hoc est, septentrionali tres nobilissimas gentes Sueuos, Francos & Boemos, silua suis saltibus claudit, moribus tamen & lingua religioneque differentes, regiones ipsæ admodum lætæ & opimæ, perennibusque fontibus & fluminibus impeditæ. Gentes ipsæ pugnaces Regum & Imperatorum nostrorum parentes & nutrices, facileque gestarum rerum gloria hodie inter ceteros Germaniæ populos principes, ipse per Herciniam & eius colles in morem Tessalicorum tempe vndique circumseptæ, intus glebulentæ vini & frugum fecundæ. De quibus in Germania, quæ ad γεωγραφίαν attinere visa sunt, diffusius scripsimus.

CAPITVLVM IV.

De imagine & descriptione Norimbergæ, Insulisque eius & Thermis, & prato Allerio.

VRbs igitur Norimberga negociatrix tota & quæstuaria operosam quandam congeriem & negociationem continens, & quam ex coniectura longitudinum & latitudinum Segedonum

num à Claudio Ptolomæo nominatam inuenio. In mediis eius regionis & nemoris arenis ædificata spacio murorum octo millibus patet, triplici muro & fossa vna superbissime cincta. Veterem etiam fossam & antiquæ vrbis vestigia intus habens. Versus meridiem, vt ab amne recedit latior, in septentrionem adductior, nec omnino rotunda, sed de industria aliquando reducto sinu, vt obpugnatu difficilior foret angulosa, lapide murorum vndique secto & arenulento, quem passim in eius regionis collibus & compestribus locis terra effodiunt, cui peculiaris quædam mollitudo est, & vt coagulatæ arenæ natura facile ferro cedens. Qui vbi ad auras expositus est sole & ventorum flabris velut igne concoctus, indurescit: proinde struendis ædibus aliisque ædificiis peridoneus.

Fossa vrbis latitudine viginti cubitorum patet, altitudine ferme totidem eminens, inter duos muros perpendiculariter erectos interlabente riuulo, & cespide herbido, quem ferarum greges, cerui, hinnulique depascunt. Turres in interiore muro, qui æditior est quadrangulæ & tecti lapidis per circuitum eminentes pari spacio dispositæ. Ducentæ turres muri, quibus vigiles ad excubias vrbis impositi, qui vlulantibus cornibus, & clangentibus concisо, & continuo cantu tubis ingredientes hospites ipsumque sydus exoriens salutant & excipiunt. Vtque lux occiderit, cantu illam ex antiqua religione & veteri instituto persequuntur. Præcone etiam noctis horario & excubitore, qui per stationes vrbis, excubias noctis, vt ille in turribus singulas voce denunciat: horis diei & noctis ad annuam syderis declinationem, & eius supra Orisontem moram, id est, vmbræ & lucis quantitatem, non sine Solis accedentis & recedentis obseruatione inæqualiter discretis: Singulisque horis in quartas per pulsum mallei diuisis, & in quatuor vrbis regionibus à quatuor excellis turribus ordine denunciatis. Tanta apud fœlicissimos ciues temporis vsura est, cuius nulla honestior auaritia, & grauior iactura. In antemurali autem, quod fossæ vrbis imminet, fere turres totidem, humiliores tamen & vbi muri flexus poscit teretes & rotundæ: singulæ machinis & tormentis, balistis muralibus & armis, varioque & multo genere telorum obpletæ, & tanquam ad præsentaneam impugnationem instructæ. Mœnia pinnata cocti lateris tecta. Muri autem interioris crassitudo tanta est, vt bini armati per circuitum insertis mutuo brachiis sine periculo commeare possint. In antemurali identidem Portas ingentes in diuersas Germaniæ partes ducentes sex habet, & duas angustas, singulæ arduis turribus & fortissimis propugnaculis præmunitæ: in quarum frontispiciis cernere est aquilas bicipites multo auro vestitas! Optima nostrorum Imperatorum de Romanis quondam spolia, & iam portis nostris, vt quondam Romano foro locata rostra. Per portas autem consulto non recta, sed in obliquum flexa ducit in vrbem via, locum amplum, & multorum hominum capacem, mœniaque ambitiosa habentes, quæ vel præsidio portæ, dum impetus exigit esse possint, aut irrumpentes hostes desuper saxis telisque obruere. Portæ autem catenis, vectibus ferreis concellatis & pensilibus clatris seu cataractis obfirmatæ, ab imo præacuta cuspide & ferreis lanceis obductæ & aculeatæ, quæ dimissæ ingressum hostium arcent, aut subito decidentes impressores prosternunt, & confodiunt. Aquæductum vrbs à meridie habet abluendis dehendisque sordibus in diuersas plateas coactus: qui cœcis tandem cuniculis in amnis alueum defertur. Amnis autem vbi ab ortu per patentes arcus clatris & forticiis munitos vrbi infusus est duas Insulas efficit. Prima aut arte facta est, à congesta terra & arena nomen habet. Secunda angustior: sed illa prior latissima amœnissimum ambulacium per circuitum circumducens densum & plenum in speciem nemoris comata arbore, æstiuis vmbris peramœnum arboribus ad vtramque amnis ripam veluti columnis porticum efficientibus. Loco intus patentissimo & ad solem aperto, in quo lineam vestem, qua Germanæ mulieres frequentius vtuntur, ad Solem vndarum aspergine albore candoreque inficiunt. Hunc illi locum à pollore nos Colybium aut conditorium, si ita liceret loqui, diceremus. Quem circum vt æstiuis lauationibus amnis persalubris est ad lucis occasum & nocte intempesta multitudo hominum calorem releuantium confluit submissis cantibus & dulci murmure per opacas & tacitas vmbras gradientium. Audires tunc vatios adolescentum & iuuenum puellarumque concentus, blandeq; se salutantium & excipientium, mirumq; dictu, nullam vnquam hic factam cædem aut ortam controuersiam aut rixam, tanta animorum & naturæ consensu ad amorem & amicitiam properantium.

Adiacent Thermæ medendis releuandisque corporum ægritudinibus saluberrimæ, salutaris vnda, vbi verno tempore ab accessu syderis reporem, spiramentumque viuificum accepe-
rit, veriamque suam largius aperuerit multitudinem languentium in commune diuersorium re-
cipit: vires & vigorem sensificum membris & artubus in prauum delapsis restituens: maxime so-
le per taurum & geminos vernalia sydera transeunte, medicus & ad sanandum efficax liquor. Amnis
autem vbi per duodecim pontes siblicios, & tecti lapidis, quibus vrbis partes coniunguntur, &
per innumeras rotas, per quas arcus duos regios ferreo septo clatratos sese euoluerit, extra vrbis
muros ad ripam suam locum publicum & peramœnum habet: quem pratum Alletium ipsi dicunt.

In hoc

In hoc die festo iuuentus & omnis ætas effusa verno & æstiuo tempore velut in commune theatrum confluit. Iuuenes in palæstra, lucta, saltu, saxorum, stipitum, phalangæ & hastarum iaculatione, aliisque exercitiis & ludis contendunt, viresque & membrorum robur experiuntur, varioque applausu & cachinno vocanti populo præbent spectaculum. Locus is quingentis passibus longitudine patet, latitudine angustior. Intus quaterna serie arborum iusto interuallo distantium consitus, sub quibus quatuor fontes irrigui oriuntur. Tres in altum singuli quatuor fistulis & cannis æneis garrulum liquorem effundunt, in moremque imbrium spargunt, amplis lauacris colimbis & natatoriis, teretis & cauati lapidis suppositis. Quartus peripheria secti lapidis ad imum perspicuus in ipso prato erumpit vena, vberrima, largissima, & saluberrima haustu. Pegasum & Libethriden putares, si Musarum imagines, aut Phœbi simulacrum expressum haberet, tam læta facie, viridi & perdigo herbarum cespite & odoratum florent arborum opacitate: at strepentibus proximi amnis ripis, varioque & dulci concentu volucrum ex colle qui adiacet frugiferis arboribus & vitibus amictus, qui in arcem vsque Cæsaream porrigitur, vbi ab occasu arx prærupta petra. Fossæ vrbis altitudine centum cubitorum ambitiosissime imminet.

CAPITVLVM V.

De arce imperiali, fontibus ædificiisque, & foris vrbis, hortis & officinis metallariis.

VRbs igitur in eum modum sita ad vtramque amnis ripam prona est, tectaque & ædificia sua humiliat, molas machinarias, & papirianas, frangendæ frugis, formandi æris secturas & stridentis ferræ rotas, variasque metallarias officinas amplectens, quæ incredibili arte & mire ingenio, arma, enses, cuspides, loricas, frameas, tela, cultros, nouacula, caldaria, pelues, patellas, acus, forpices, sartagines, gyros, filaque ferrea, & ænea, & honestæ supellectilis varia vasa: sessaria, lotaria, & potoria cudunt & expoliunt, rotis ipsis malleisque & machinis velut in officina Brontis & Steropis inter se consonantibus, ipsisque aquarum nymphis de tanta seruitute & laboribus suis conquerentibus. Fe-nunt ibi primum artem extenuandi ducendiq; radij per rotarum labores inuentum, à quodam Rudolpho, qui dum arte velut arcanum obcultaret, magnasq; ex ea diuitias conquireret, ob hoc ceteris ciuibus (quemadmodū vsu venit in lucrosis prouentib. maxime apud auxionarios) inquirendæ eius actis cupidine iniecisse, qui filium eius induxerant & corruperant, vt interiorum rotularū labores & tenellas quæ ferream bracteolam per angustum foramē prendunt, sicq; pertinaciter trahendo extenuant archetypo aliquo exprimeret: quod factum dum pater comperit, velut in insaniam & furorem actus filium trucidare statuisse ferūt: nisi se ille aspectui suo subtraxisset, manibusq; elapsus effugisset. Ab amne autem vrbs sensim & leniter assurgens, versus Boream, Eurum & Occasum pomeria suburbana, viridaria hospitiua voluptuariosq; hortos innumeros extendēs, vario genere, fructuum, florum & herbarum, peregrinisq; arboribus, consitos oleribus, caulibus, rapis, ceterisq; fructib. præcocibus. In hortis interstructis ædiculis captandis vmbris æstiuis, deliciis, aucupiis, & declinandis imbrib. accommodis. Viuariis piscium & auiariis intus capacissimis viniq; feracibus. Oppidulum etiam orientali portę adiacet, quod Verdam à saliceto amnis dicunt, ad sagittæ ferme iactum, id quod tanquam coloniam multos ciues operarios, fullones, & diuersarum artium magistros vrbs ipsa deduxit. Et extra quidem vrbis imago cum arte sua sacrisq; ædib. pulcherrima specie ingredientium se oculis infert, & contemplationi præbet ingressos matori admiratione rapiens. Platęæ amplæ & mundæ, & ad solem apertæ. Saxo durissimo vndiq; propter onerarios currus stratæ: Catenisq; ingentib. maximo sumptu obseratis: vt si quando seditio principum orta esset, aut exercitus per vrbē iturus, ciuitas tuta & occlusa foret. Puteis publicis centum & viginti. Canalib. autem & fistularijs tribus supra viginti oportunis locis per vrbē ob incendia & necessarios vsus extructis, duobus etiam fontibus subterraneis venulis erumpētibus, aqua & per arenas collata est dilutissima & suauissima potu. Fora multa habet, taparium, porcorium, lactarium, vinarium, frumentarium, caballarium, oporionum vel obsonium à fructibus sic dictum, ex illis quod spaciosius est, negotiatorum fontem habet secto lapide multo auro vatioq; genere sculpturæ ornatum: virorum fortium imaginibus circumpositis. Materia eius insolar piramidis erigitur, opere mirabili ferreo & cancellato septo. Intus lauacro amplissimo subpositio, in quod sedecim cannis auratis profluens liquor se colligit. Adiacet diuæ virginis phanū per Columm IV. magnifico opere constructum, opibusq; Regiis dotatum, expulsis ab eo loco Iudæis, qui omnes fontes vrbis veneno infecisse causabantur, excindenda profecto gens aut ad Caucasum & vltra Sauromatas perpetuo exilio relegenda, quæ per vniuersum orbem in se totiens iram numinum concitat, humani generis societatem violans & conturbans. Ædificia autē publica vrbis & ædes eius priuatæ & publicę ingenti sumptu, & longo labore exornatæ: tectaq; largis infusa diuitiis, duplici latere rubentia, à base cubica & tetragona in trigonum, procliuatis tectis (vt dum imbres niuesq; soluę fuerint deducantur) in arctum liberalissime consurgunt. Parietes omnium ferme ædium secto lapide, olim ruderib. & virgultis pro simplicitate illius sæculi argilla obliti, cretaq; aut gypso cæmentario opere obducti, à fundamento largissimis impensis in summitatem erecti, eluceſcunt: vt plane

non ad ciuium, sed ad Regis & Principum humani generis & Imperij domicilium constructa existi-metur. Fenestræ patentes & columnulis postibusque fulcitæ, multo ferro circumseptæ, rotulis-que vitreis pro aeris intemperie obclusæ, ante quas multorum genera florum & peregrinæ herbæ testaceis vasis vernant & redolent, quæ vbi aura spiritui agitata fuerit, cubicula & ædes, vt patu-læ & perflabiles sunt odore suo implent. In ædibus penetralia & meditullia multa. In hisque mun-da variaque supellex auro, argento, ceterisque thesauris & metallis referta. Manifestior tamen nulla supellex, quam framea, camisea ferrea, claua, equus, ea quæ ad priscæ nobilitatis & antiquæ suæ stirpis & generis claritudinem in ostentatione habent: ad quem armorum apparatum tenues etiam operarij coguntur, tanquam ad necessariam suppellectilem, vt ad quemcunq; motum & trepidatio-nem (externam aut domesticam) manus prompta & expedita sit. Collis autem, cuius meminimus, latera sua in ortum & occasum circumducit, vrbemq; ipsam extendit multo vndiq; & frequente ha-bitatore circum radices suas domus regias, & diuersoria spaciosa amplexus, quæ Cæsaris familiam & eius amicos magnificentissime recipere possunt. In collis vertice duæ arces egregiæ. Maior in occasum respiciens ex vrbe angustum aditum per petram excisam admittit, quæ regias aulas & Cenatomnes laqueatas magnitudine patentes & ornatu locupletes habet. Illaq; Cæsaris & Romanorum regum domicilium est. Cæsar Fridericus, vt hortis plurimū se oblectare solebat, in ea arce pensiles sibi hor-tos fieri fecit, pilis onus sustinetur, altitudinem muri æquans, solumq; super stratum herbarum & ar-bustulorum patiens est. Altera autem arx, quæ huic ab ortu adiacet (à qua Comitib. illius loci quon-dam titulus erat) nunc pene excisa & demolita est proximo bello, & in eius locū publica domus fru-mentaria constructa, propugnaculum ad vrbis excubias habens, per quod porta in pomeria versus ἄρκτον ducit: quam vtriusq; arcis parietes per excisam rupem & propendiculū quadraginta cubitis sur-gunt, fossa velut immensa dehiscente & se laxante valle profundissima & latissima, ambitiosum sane opus & violatæ naturæ pulcrum spectaculum. Collis delubra tria & ornata habet, duo loco publico ciuibus semper patentia, diuę Margarethæ & Valpurgi dicata. Tertium in Imperiali arce angustius, quo Cæsar rei diuinæ & sacrificiis ceremoniisq; adsistit. Ferunt vulgo illud quondā Dianæ fuisse pha-num, eiusq; rei argumentum adducūt ἄγαλμα, ve tereſq; quasdā & incogniti simulacri imagines: quod ego, vt multa in Germaniā incomperta habeo, sic an hoc ita sit nec ne, nō quidem affirmauerim. Pu-teos duos collis habet, vnum mōtis radici & turri veteri adiacentem, alterum in vertice excisum, cu-ius profunditas visum frustratur, aqua machina miro ingenio & facilitate hauritur. Turres autē qua-tuor in circuitu collis, vasta & ardua mole circumpositæ eminēt: duæ ad Cæsaris arcem vrbem ipsam despiciunt. Reliquæ ad ortum solis adiacent in austrum & boream prospectantes, vna ex illis altior, & quæ in magnum cœli terræq; tractum visum admittat longo latoq; prospectu patens: regionum specula ab illis vocatur. Fama est, hanc Diui Sigismundi Imperiali tempore, tumultuario opere con-structam, dum ciues aliquorum Germaniæ Principum felicitati Vrbis, auctui & opulentiæ inuiden-tium, potentiam, dominationemq; suspectā haberent, veriti ne aliquem subitum motum aut sedi-tionem (vt nouarum rerum cupidi sunt) in vrbe excitarent. Ideoq; patres Cæsarem adisse, rogasseq;, vt vrbi & arci suæ præsidium tutamenq; aliquod ponere permitteret. At Cæsar quidquid, inquit, in Lunæ conuersione extruere poteritis, vobis permissum sit. Illi, priusquam sydus se impleret, & ad se-cundum coitum rediret, tantam molem in auras erexerant, multorum sane hominum & properan-tium opus. Altera turris veneranda antiquitate conspicua est, religioseque à ciuibus vetus Norim-berga nominatur, scabro lapide, & fœda situ, vt ab imbribus tempestatibusque exosa est, longi cui & mutati sæculi euidentis signum. Figura eius non rotunda neque tetragona: sed (præter consuetu-dinem ædificiorum nostrorum) longa absque deformata.

CAPITVLVM VI.

De verticalibus vrbis syderibus & qualitate aeris, valetudine & habitu populi.

SYdera verticalia, duæ de prima magnitudine stellæ, vrbem ferme intuentur: & vna, quā in libra, & altera quam in auriga conspicimus: quæque in latitudine eius inclinationis mundi intra circu-lum arcticum & æstiuum conuersorem in cœli imaginibus declarantur, vt genua Herculis, hume-ri Bootis, ala sinistra Oloris, Andromedæ pedes, poplitesque Cassiopeæ, Persei umbilicus, flexura-que posteriorum pedum maioris Vrsæ. Ex signifero vero maxime Virginis sydus imitatur: quod & ingenia & signa vrbis aquila virgineo capite deformata testantur, ex quorum naturis, quod cuique ingenio, arte, seu coniectura licet, & quod velit & potest eliciat. Vrbis paralellus, qui & per Boruſte-nis fluuij hostia ducitur, & latitudo septimi climatis, quæ ex terræ deuexitate accipitur, quadragin-ta nouem partibus & aliquot minutis ab æquatore abest, diem habens minorem paulo horarum sedecim: longitudine Europæ ferme media. Quo fit vt vrbs non modo vniuersæ Germaniæ: sed to-tius Europæ medio centro condita sit. Quippe quæ tantum à Codano & Adriatico sinu distat, & ab Oceano externo & Tanais ripis pari fere spacio. Quamobrē Io. de Monte regio, conterraneus noster, astronomorū & mathematicorū nostræ ætatis facile princeps, propter vniuersalem conuersationem hanc sibi vrbem in perpetuum domicilium elegit, vt cum viris mathematicæ studiosis commercia & obser-

obseruationes suas cœlestes oportune habere posset. Sed cœlestia forsan odia hunc virum (dum plura posteritati pararet) sustulerunt. Regio vrbis neque caloribus neque frigoribus nimis infestatur, aerisque & cœli illius clementia, & qua non benignior in Germania est, summa temperies & benignitas est, quippe quæ in arena sita est, amnesque duo quos diximus neque palustribus vtriusque, aut stagnantibus locis perfluant: illud maxime efficit, vt terra ipsa halitum puriorem spiret, & vaporem sicciorem exhalet. Hinc aer purgatior, & à vento tranquillior: Ipsaque corpora validiora, animique vigor cœlestior, ingeniaque eleuatiora & perspicaciora. Et quemadmodum alia ibi terræ superficies, ita illi à ceteris Germaniæ populis moribus, ingenio, lingua, & habitu discrepant, propter terræ exhalationem siccam: Et qualis Mercurii est, qué ego in eo tractu primum è terra progressum crediderim, si vt Hesiodo & doctissimis placet terra deorum parens extitit. Nec fidē quis detrectet, cum (vt apud Cornelium est) Germani antiquitus Mercurio & Isidi sacrificarint, vt in Germania illustrata dicemus. Qualitas igitur aeris & telluris huiusmodi est, quæ longe secus ad Danubii ripas propter humidiorem cœli dispositionem & Alpium propinquitatem, ob alimenti etiam naturam accidere videmus, vt ex illorum hominum lineamentis, sermone & ingeni deprehenditur. Idque mirum, vt ad quatuor vrbis portas & plateas diuersa & varia ciues inter se lingua loquantur: Sueuice, Francice, Bauarice, & montane, pro vt cum diuersis hospitibus vrbē frequentantibus lingua corrumpuntur & assuescunt: Frequentes tamen nebulas vrbs propter syluæ vicinitatem circa æquinoctia habet, vt in omnibus regionibus septentrionalibus accidit. Pestes luesq; corporum rarissime (nisi dum vniuersales sunt) patitur. Quas magis corporum contagione in tanta hominum multitudine, quam aliqua cœli iniuria accidere affirmare ausim. Sed vbi pestis illa & humani generis gratissimus hostis euolutis decem aut duodecim annis (vt fit per Germaniam) sæuire incipit, seu occulta quadam cœli terræue repugnantia, seu alimenti corruptione, seu regionum iniquitate syderumue passione, seu infausta cœlestium virtutum commixtione: deorumque ira, seu quæ natura ad certū numerum mortaliū per hanc luē reducatur, dum se ipsam purgat, & superuacaneum tollit & resecat, seu vt in aliis animalibus peculiares quædam plagæ & morbi sunt: ita quoq; in hominum genere accidit. Sed quis omnium eorum, quæ natura fiunt causas, certas reddiderit? coniectura nostra tenuis est & inuentio timida & incerta vtcumque sit: dum plaga illa inualuerit, membraque corporea incendio suo depascit, & ne contagio ad alios serpat singulari cura & prouidentia olim hospitis nostri Sebaldi Clamosi ad amnis ripam extra vrbem constructa publica domus est, (Lazaretum Itali vocant) spacioſa & aerosa inque varias cellas digesta, in quam aurigæ & baiuli cum sellis gestatoriis illos, quos lues corripuit, euehunt & abducunt. Seruis, proselitis, operariis, & cuiusque conditionis hominibus hæc pietas sit, domus ea diuo Sebastiano consecrata est, ab eoque nomen habet. Populus igitur Norinbergensis, vt cœli terræque tractus est, & pro Germanorum natura corpore validus, laborum, frigorum & æstus patiens, neruis & ossibus solidis, statura eleganti: vultu liberali & prospera valetudine, nisi quam intemperantia & non merentis stomachi accusatio (vt nostrorum sæculorum luxuria est) induxerit in libidinem, ventrisq; gaudia effusi, animo læto & hilari, & quod multum decoris apud illos est, in variarum linguarum loquelis gnari & prompti, nouitatum & rumorum auidi, ingenio vafro & solerti, lucrioso, elato & iactabundo, quique ad effectiones facile commoueantur, & cito resiliant, natura arenæ crederes, quæ facile commouentur & cito resiliant, quia facile à vento tollitur & dissipatur, elegantia morum & ciuilibus virturibus alias conspicui. Habitu corporis plerunque nigro, & vestium forma, sæpe mutabili, vt ab externis gentibus, quibus cum negotiantur, corrupti fuerint: vtque diuersæ nationes influunt, præbentibus maxime Principibus nostris occasionem, qui vt iam in multis aliis à prisca Germanorum virtute desciuerunt, ita quoque nedum à patrum suorum, verum etiam à patriæ moribus degenerauerunt, linguamque nouam vestemque sequuntur, & patriæ meminisse piget, vitæque priscis, dum pax atque fides fuit & constantia rebus: nunc Sarmatarum more laxa & sinuosa veste vitta caput redimit, pendentque à corpore pelles. Nunc Pannoniæ hasucum, & Italiæ cuculum patria veste commutantes: nunc Gallorum more limbatas chlamides & mar.icatas tunicellas induunt, nunc corpus caliga & tunicella interula strictissime singulaque membra exprimente stringunt: capitio posteriore parte phalerato & caudiculato supraiecto palliolo ad dexteram aperto, vixq; super inguina producto: calceis quondam rostratis, nunc vero obtusis, & circa talos Zonatis, crepidis & soleis substratis in Gallicanum morem fuerunt: Senatoribus tamen & honestis aliis ciuibus patricius hactenus amictus mansit, incincti tunica ad talos vsque demissa & ampliter manicata circa collum latum limbum circumducens, & à pectore ad pedes vsque notis fibulata. Pileoque suæ libertatis indice capita tecti, annulus aureus in læua, signaculo aut gemma incluso. Dextera autem Zona oraria cum ampulla oliaria tereti ambitu formata.

CAPITVLVM II.

De ingeniis & moratione virorum & mulierum.

VIri in armis expediti & exercitati (quippe qui vt plurimum iuuenes bella sequantur externa) quod vt in habitum consuetudinemque adducant exercitia bellorum semper habent: Die festo non ingurgitationibus aut ingluuie vacant, vino, somno, epulisque sepulti: sed vbi mane sacris interfuere, cibisque refecti, confestim bombardarii & sagittarii ante vrbis portas aut fossas coeunt, muneribus præmiisque iuuentutem ad certamen inuitantes, quique peritior & ad signum certior fuerit primum, ille munus consequitur. Ceteri ex ordine (vt singuli virtute præstiterint) inter se alia munuscula distribuunt. Hæc sunt annullus aureus, aut aliquid argento fabrefactum, arma etiam & framea, cantarus, scatellaque stannea, patera, phyala, lagena, & alia quæ suppellectilem decorare, & ornare possunt. At parte in alia centuriones (qui longo vsu bellorum in re militari excellunt) peditatus cohortiumque præfecti collectam ingenuam & plebeiam (prout fors quemque armauerit) iuuentutem, sub signis in fossas vrbis longe lateque patentes tympanis tubisque sonantibus deducunt, quam illi in cohortes, phalangas, alas, præsidia, & primipilares sub signis in duasque hostiles acies sub imagine veri futuri, & præsentanei prælii distribuunt, & signo dato armis se & sagittis primo lacessere, dein confligere, hactisque cedere: nunc instare & nutare: nunc fugam simulare & missilibus, seruato ordine & statione, nunc retrocedere, mutuoque tandem congressu concurrere, vtitimq; martem conserere cum aduersa acie docent, acclamationibusque nominatim quemque hortantes animant & instruunt: Gladiatorum etiam gymnasio ob eam rem militarem semper in diebus festis aperto & frequentato. Ingenia vtriusque sexus delicata & vafra, & quæ (vt à sapientibus quoque traditum) locorum quoque situs ita firmat: vt φιλόπρῳοι, honoris & gloriæ laudisque cupiditate maxime flagrent, parata ingenii simulatione, & lucri causa nihil intentatum relinquentes, vtque apes diuersos flores peruagantur, vt fauum construant, & aluearia ditent: Ita illi à diuersis regionibus diuitias & opes conquirunt, vbique suæ inuehunt, inde plurimum sibi tribuunt, & ad vulgi ostentationem se accommodant: Popularis auræ venatores & aucupes. Vrbs profecto omnium quæ in Europa aguntur gnara, & nil reticente, & sermonum auida, quæque sui generis, diuitiarum, facultatum, magistratuum, & honorum respectum maxime inter se & peregrinos haberi velint & cupiant, Quod vitium, vt in Principibus nostris dum conueniunt, conspicuum est, ita nunc in ciues contagione sua se latissime diffudit, concomitante semper inuidia & animi indolentia, si quem prælarum sibi ambitiosa mens videtit, quæ non parum tunc in illos potest, dum aut rebus diuinis intersunt, aut publicis perfunguntur honoribus, tunc turbato ordine aut à congressu se subtrahunt, aut alter alterum adhortatur, prensum manibus assequentem, attrahere pro viribus adhitens, quod si honorem illi præriperet, indelebilem adhortantis indignationem incurreret. Tantum nunc ora hominum ab animis dissident. Quandoquidem ex humanis mentibus amicitia priscum illud mortalium bonum nunc exoleuit, in cuius locum assentiones, blandiciæ, & quod optima nunc via processus amoris insimulatio submigrauit. Fœminarum autem hilaritas & eximia mansuetudo (plusquam credi par est) decora & venusta adest illis (quæ maxime animos conciliant,) comitas, affabilitas, mitisque humanitas, vt plane ad emollienda siluestrium virorum feritatem hatę videantur, mundæ, politæ, iucundæ, & maritis imperiosæ, & Andromedæ. Quapropter vrbano & lepido ioco in illos luditur, ob eam rem Imperatorem aquilam virigineo deformatam capite Vrbi insignum dedisse: placide tamen & ad obsequia virorum lætæ, contubernales, & conuiuatiæ, non segreges, aut conclauariæ, & non tantum in curanda educandaque prole (quam præter morem Germanorum in hac vrbe perfusa indulgentia & blandissima appellatione educant) solicite: Verum in gubernanda dirigendaque familia prudentes, merciumque & arithmeticæ & musicæ, Romanorumque caracterum & linguæ Romanæ intellectum, & vsum litterarum callentes. Ideoque quæstibus sellulariis deditę. Incessus autem & habitus matronalis, & qui pudorem vultu gestuque præ se ferat, peplo parum in fronte rugato septuplo aut decuplato ob frigoris asperitatem capita inuolutæ. Plærunque etiam velo (quod insigne matronale est) lato & sinuoso plicisque retorto, & circa tempora bicorniculato, quod non omnibus gestare concessum est, & quæ gestant si infamia aliqua notantur velum illis intetdicitur. Pallis nigris sinuosis & syrmata trahentibus, pudicitia, fide & obsequio erga maritos insignes, adeo fœcũdæ, vt nulla pene Europæ ciuitas à sobole sua vacet: ad quatuor fermè millia ciuium nasci quotannis perhibent. Cæsar Fridericus vt notissimæ Norimbergæ egerat, vt de multitudine puerorum vrbis sibi relatum erat, omnes pueros infra decimatum in foslam vrbis, cui arx imminet, vocari iubet. Iam tota vrbs in publicum gaudium & communem lætitiam effusa, & genetrices exultim in spem erectæ: quæ aliqua egregia munera ab Impetatore in eo delectu acceperi essent. Matresfamilias puerorum facies lætissimas lustrare, frontes ornare, comas pectere & diffundere, prætexta bulla candidaque toga & purpura, auro & margaritis onerare, & nihil eorum, quæ hanc ætatem gratiorem & fauorabilem reddere possunt, negligere. At Cæsar vbi collectam multitudinem & Germani sanguinis florem, oculosque hoc tenerrimo examine humani generis

neris satiasset, pueris placentulas tortulasque mellitas (vt ætas puerorum illarum rerum auida est) distribuit, sicque pistillis donatos parentibus remisit. Constituens ad futurum eorum conuentum nummum argenteum signatoria sua gemma notatum in singulos donare: quem illi in longa sæcula & in generationes & familias suas tanquam thesaurum aliquem asseruarent. Pueri tunc ingenui super quatuor millia numerati fuere. Compara nunc priscorum Imperatorum ciues Romanos donatiua & congiaria publica & sumptiosa conuiuia ad nostra tempora. Ornatus mulierum & corporis cultus, quod equidem in hoc sexu probauerim parcissimus est, aurum & gemmas, nisi in digito ferre concessum non est; Sarmaticas Scythicasq; pelles nulla, margaritas nulla, coccineasq; Coas aut ostrinas vestes nulla: sed has tantum limbis vestium assuunt: considerantes hac mulierum luxuria multas Germaniæ & Sarmatiæ vrbes in paupertatē adductas, dum viri mulieriarii corrupto fœminarum apperitui nimis indulgent, earumque ornatui, cuius ille sexus auidissimus est, & ab illis difficulter erigi potest, inconsulto fauent, quoad ære alieno & egestate oppressi, imprudentiæ & illius luxuriæ damna experiuntur.

CAPITVLVM VIII.

De duobus augustioribus templis & hospitalibus, eorumque opibus & reliquiis.

SAcras ædes & augustiores duas habent, παρθενίας Græco vocabulo vocant, has Romani quondam per prouinciarum suarum dispensationes, quas διοικήσεις vocant, instituerunt: Latine ædes præbitorias dicere possumus: vt quemadmodum illæ quondam prouinciarum suarum dispensationes præsidibus publicitus viaticum præbuere: Ita nunc mutata religione ex illis diuina Sacramenta erogentur. Primo & honoratior Petro Apostolo dicata, & diui Sebaldi corpore & sepultura eius celebris. Is dum paulo post Caroli Magni tempora, vt Britanni, Galli & Hibernici Christianam regionem in Germaniam inuexerant, cum aliis influens, primus eius collis & nemoris incolas ad religionem Christianam vitæ & morum sanctitate inuitauit, electis veteribus diis, quos priscorum hominum simplicitas suorum agrorum & locorum præsides & tutores putabat. Alia dicato Laurentio consecrata est. Regia sane Basilica & amplissima. Singulæ magnis opibus & multa supellectile sacra (vt liberalitas & pius in religionem ciuium affectus est) dicatæ, sumptuoso opere parietum, tectorum, columnarum, & fenestrarum patentissimarum conspicuæ: binis arduis turribus singulæ decoratæ, ingentibusque vasis æneis (quas campanas vocant) oneratæ: quorum sonitu & impulsu populum ad rem diuinam vocant, aut elata funera prosequuntur, & ingruentibus tempestatibus nubes (vt naturæ quoque interpretes tradidere) dissipant, rumpunt, & propellunt. Ædes autem intus cum absidibus suis fornicatis pilis & arcuatis testitudinibus duarum columnarum ordine in sublime eriguntur, vario genere cælaturæ parietum & fenestrarum & sculptura imaginum, auro, argento, gemmisque dotatæ, armaque & ingenuarum & veterum familiarum insignia ne dum in his ædibus sed & in aliis omnibus monasterii, & sacellis affixa, quod primoribus tantum, vt dicemus, permissum est. Vestibus & ornamentis ad rem diuinam perficiendam vario opere & labore exotico: arteque & materia peregrina preciosis. Organis (quæ Pipino à Constantino Græcorum Imperatore missa erant, primumque tunc in Germania & Gallia visa sunt) & fistulis, longitudine & magnitudine disparibus, maximo sumptu constructis, quæ vbi attracto per falles vento, manuum & pedum impulsu conceptum spiritum per vocales cannas euomuerint ingentes sonos & mugitus, resultante testudine & fornice, concordi cum harmonia reddunt; concentu tubarum, & cymbalorum interstrepente: Orgia crederes aut Choribantum chorum incedere. ξενοδοχεῖα id est, diuersoria ægrorum, educandis fouendisque pauperibus (quæ vulgo ipsi hospitalia) quatuor habent. Insignius (quod nouum vocant) super amnis ripas immensis opibus & structuris ad pauperum curam dotatum perenni stipendio φυσικὸν χειρουργικὸν, aromatariumque fouens, qui affatim & abunde, quæ ægris salutaria sunt, administrent, opemque ferant. In eius diuersorii templo sacro sanctæ Imperatorum nostrorum reliquiæ seruantur, maxime de Saluatoris cruce & lancea, & Caroli Magni insignibus, & vetera regum & imperii nostri diademata, quibus Imperatores nostri hodie ad Aquas Cranes, id est Appollineas, Mediolani & Romæ Cæsares declarantur. Has Sigismundus Cæsar in eo motu, quo Boemia à Religione Romana defecerat, à Praga Boemorum metropoli in Norinbergam (quam solam inter tot claras Germaniæ vrbes hoc munere dignam censebat) traduxit, quæ nunc quotannis exactis duobus & decem post pascha diebus in publico foro maxima veneratione & cultu ostendunt, tabernaculo miro apparatu in foro constructo, in qua Sacerdos vocalissimus astantibus Druidibus Sabino more præcinctis, & diuinis exuuiis onustis, vulgo proclamat magna circumiacentium regionum frequentia, & ex omni Germania ad hunc diem populo vrbem velut diluuio quodam inundante: ob id armatis

& cathafractis in ſpeciem prælii pedem tabernaculi forumque ipſum & portas vrbis cingentibus, ne per inſidias vrbi ſacro ſpectaculo vacanti trepidatio aliqua ſuboriatur. Referam in hoc loco ſubitum eius diei tumultum ludicra & vana re coortum. Coruus in foro aſtante multitudine culmini domus inſidebat, vtque aduecta præda ſe ſatiauerat: conſpecta inter lateres enata herbula mox vnguibus verrere, & roſtro laterem concutere & collidere: quo ad ſolutus calce ingenti ſonitu pes recta præceps euolutus ſecum alios ſua ruina trahebat, qui fruſtratim decedentes nonnullorum aſtantium capitibus impacti ſunt, & iam ad ſonitum & fragorem in profundo ſilentio (cum omnium animi & aures in concionatorem arrecti eſſent) turba veluti repentino malo correpta, ſilentium ruperat, ſtationesque ſoluerat: tum à laterculis vulnerati, veluti haſtis deſuper confoſſi eſſent ſublato ingenti clamore perſonabant: ſecuta mox mulierum & puerorum non minor (vt in trepidatione fit) vociferatio. Iamque ſalutis ſuæ quisque memor, tanquam vrbs capta eſſet, plateatim, vicatimque diſcurrere cœperant. Sed iam in ordines ſuos ſingulæ cohortes proceſſerant, & ſigno dato, tumultu autem populum, qui nullo alio remedio arceri & ſedari potuit, voce & verbere caſtigarunt, & confirmarunt. In eo tumultu aliquorum corpora protrita, aliquorum vulnerata reperta ſunt. Exin ſpectaculi die Senatus catenis ferreis forum claudit, armatos in modum coronæ circumſtare (vt nemo ad ſimilem vanum terrorem elabi extra ſeptum fori poſſit) iubet.

CAPITVLVM IX.

De nouem vrbis monaſteriis, & eorum ſanctis & probatis moribus.

MOnaſteria virorum & ſacra κοινόβια, id eſt, contubernia vrbs intra murum ſeptem habet, locis oportunis conſtructa, & per vrbem diuiſa: ædificiisque & ædibus idoneis donata: & illis quæ ad rem diuinam, religionemque ornandam, pertinent abunde locupletata: Illa non ſuo, ſed ſenatus decreto & arbitrio reguntur. Interdiu noctuque Deo & ſuperis pſallunt, non vt in multis Germaniæ locis per vrbem vagi, conuiuiorum, & caponarum importuni volucres, aut auaritiæ ſtudio animarum negociatores, & à pauperum menſis velut rapaciſſimæ Harpyæ cibos auferentes. Memores his moribus, religionem magis fœdari, labefactari, contamnarique poſſe, quam incrementa ſuſcipere. Sed vt Senatus iuſſit, & voluit, quotidianas ſupplicationes & ſacrificia pro ſalute reipub. ſancta & pia conuerſatione faciunt, ab alienis abſtinentes, & illis quæ poſſident, aut quæ vltro eorgantur caſte & modeſte vtentes, crebris concionib. populũ ad religionẽ Deiq; cultũ & metũ adhortantur, & à vitiis deterrentes, laudes præmiaq; virtutũ, quæ bono præpoſita ſunt, & pœnas ſontium proclamantes. Sacerdotibus etiam popularibus, honeſtis legibus à ſenatu coercitis: ne licentioſe viuant, vt in aliquibus vrbibus fit, in quibus ſibi omnia licere per religionem & dominationem putant. Duo etiam Sacrarum virginum **: quæ vt ſe perpetua caſtitate Deo deuouerunt, ita ab hominum aſpectu ſublatæ & occluſæ, nec amicorum aut parentum congreſſu aut viſu perfruuntur, ſed vt velut mortuæ vitam agunt. Quapropter dum aliqua conſecratur, plurima circum eam mortis imago, ante aras proſtrata candida veſte induitur, & velut ſepulchro iam compoſito, ſacri laticis aſperſione profunditur: ſuffitione & aliis mortuorum ceremoniis & orationibus luſtrata. Quæ vbi ſpectante populo peracta ſunt, ſacerdos candela ſibi in manus præſtita, ad hoſtium (per quod tantum virginibus ex religione ingredi licet) ſiſtit. Ibique ceteræ virgines cantu, orationibus, & oſculo ingredientem excipiunt; eam collaudantes & extollentes: quæ contemptis vrbicæ luxuriæ & ſuperbiæ deliciis, perenni & iugi ſe caſtitati & ſeruituti Dei, ſanctorum (qua nulla verior libertas eſt) deuotauerit.

CAPITVLVM X.

De Domibus publicis frumentariis, & de fame, & generibus panum inſolitis.

DOmus publicas in vrbe multas, & quotidie nouas extruentes, habent: maximasque & patentiores frumentarias. Quæ vrbem (dum annonæ charitas ex ſterilitate cœli aut calamitate bellorum accidit) ſuſtentare poſſunt. Frumenta annorum centum & quinquaginta habent acertis iam ſiue folliculis, & nuda adipe fatiſcente. Ex eo frumento Maximiliano nuper è Gallico bello in Pannoniam tendenti, panis, vt deſiderabat, piſtus eſt: quem & nos apud amicum & hoſpitem noſtrum Sebaldum Clamoſum antiquitatis & litterarum amatorem feruentiſſimum, deguſtauimus. Aliquasque ſpecies panis (de quibus dicemus) vidimus. Sed ille colore & ſapore ſubſtantiaque inter ceteros facile noſcibilis. Sed quoniam in hunc locum incidimus, quo panis mentionem facere mus, referenda etiam à nobis eſt noſtrorum temporum grauiſſima fames, quam ego inprimis memoratu dignam duxi, ne hoc, vt alia multa apud nos ſcriptorum penuria ab hominum memoria elaberetur, aut tempore interciderit. Hæc ad annum nonageſimum primum ſupra mille & quadringentos orbis Chriſtiani: Regni vero Maximiliani anno ſexto, ad biennium Germaniam afflixit furien-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [154] - 130
PUBLIC DOMAIN

furientibus etiam tunc, ne vlla calamitas sola esset, Galliæ, Pannoniæ & domesticis Germaniæ bellis. Quibusdam hominibus pro panis vsu erat pirum agreste, & corni fructus: sorbumq; contuitum modico furfure fermentoque congesto, ne partes massæ diffluerent. Alii ex fœno herbarum florumque semina & cum folliculis suis grana excutiebant, iunipero addito & farre modico, sicque in cibum & vitæ alimoniam accipiebant. Erant qui fame premente ad priscorum hominum cibum redibant, glandem, fagumque mola frangentes, & ex illis tortulas, quasi oleacei panis pinsebant. Fuerunt qui pirum sole aut furno siccatum farre & furfure tantum miscebant, fermentique & furfuris partem addebant, quo coagulato materiæ cohæreret. Quidam dum longa fame confecti fuissent, motis tandem dentibus consumptis gingiuis priuati sunt corrugatisque & intortis visceribus, dum panem cibumque accepissent, hærentem siccis faucibus alimento suffocati & extincti sunt. Compertum est, multos, ne fame contabescerent, in remedium vitæ caules, rapum & nucum putamina: concerptis arborum foliis & corticibus contudisse, & cum lacte, leniendæ famis gratia, absumpsisse. Alii amicorum & vicinorum conuiuia (vt Germani gentiliter epulones & manducones sunt) petentes, non prius domibus recepti sunt, quam tantum panis ante hostium secum attulisse demonstrarent, quantum ad cœnam illis sufficere possit. Vidisses tunc omnis ætatis & sexus homines, à rure ad vrbes commigrare: intonsum, hirtumque agricolam Herciniique nemoris incolam: Fœda & fruticante barba squalidam, pendentibus genis, macieque confectam: per plateas, vrbis hostiatim, velut iumentum famelicum ad vacua præsepia boans: ante sacras ædes cum coniuge & liberis stare, ingredientes acclamare, prehensare, elatisque ad sydera manibus & obortis lacrimis genu nixus rogare: priusquam superos placarent, pietatem aliquam, qua nihil gratius susceptusque diis immortalibus foret, in se suosque iam prope fame & inedia defecturos facerent. Memoriæ proditum est, quendam tunc in furto deprensum, laqueo, vt in iudicium tractus erat, addictum, vbi secum ante portam ad Gemonias ventum fuerat, scalæ per lictorem admouendus, ille vltro & exultabundus ter facto saltu ascendit, interrogatus cur ad paratum suplicium præsentemque mortem tam læto vultu, alacrique animo procederet? Mox ille ad multitudinem conuersus: Testor, inquit, superos, & semper mihi culta Christianorum numina, me non alia causa, quam cogente fame ad furtum coactum, cumque charissimam coniugem, & ex ea susceptos liberos mortuos fame iam terra condidissem, meque superstitem, nullo ingenio aut labore vitam redimere potuissem: ideo furti reus hac hora, fatis vrgentibus & se hac misera clade mea satiantibus, libens coniugem liberosque meos sequor: gaudeoque nunc me ab his vitæ liberari miseriis: coruis aliisq; fœtus alitibus nobis fœlicius natis hanc meam carnem, si qua adhuc ossibus heret, expositurus, & his dictis, iam laqueo implicitus se à scala, dum liberate illum supplicio populi pietas vellet, præcipitem dedit. Immotus prorsus & neque palpitans, oblisis faucibus, quasi cum sensus humani solacio esuriendam exhalabat animam. Ferunt multos tædio vitæ affectos necem sibi laqueo conciuisse. Dum hoc malum Sueuiam & Bauariam maxime grassaretur, iam vrbem populumque Norinbergensem veluti sæua quædam tempestas afflabat, omniumque animos perculerat, dum percrebuesset fine Bauariæ frumentis, quæ iam defecerant, vrbem ægre sustentari posse. Cumque in dies pistorum auaritia glisceret, panem miseris ciuibus & operariis pretio augescentes, eisque subtrahentes, vt vix diutino questu vulgus famē propulsare posset. Mox hac re comperta, Senatus, vt in aliis etiam prudens, frumentarias, butyri, salis, salitarum carnium, siccorumque piscium & leguminum ædes, cellasque vinarias, aperuit, pistoremque se publicum constituit & gessit, laborantibus ciuibus & animo consternatis panem, omnia quæ victui necessaria recto & iusto precio vendens, donec pistorum auaritia lapidata, totaque vrbs à fame releuata fuerat. Magnum profecto & memorabile & salutare Reipub. factum. Est præterea domus senatoria & prætoria aula patentissima, qua dum Germaniæ, aut Cæsaris aut Principum conuentus est, causæ discutiuntur, & publica nuptiarum & choreatum spectacula celebrantur, historiis & imaginibus vestussimis Imperatorum nostrorum & Regum depicta. Sed hæc vt bibliotheca publica & ornatissima eius domus publicæ pari incuria fulgiræ & puluere obsita est & neglecta.

CAPITVLVM XI.

De domibus cereuisiariis, & armamentarii, & expositorum.

Similiter dum populus cereuisiarios (ita vocant eos qui cereuisiam coquunt & vendunt) eodem scelere criminaretur, Senatus, vt lucri cupidinem ex illorum animis eraderet, mox tabernas cereuisiarias & brassiatorias ædificauit, publicumq; potum ex illis exhibuit. Potus is aqua est, decoctione fumati ordei (quod nunc vulgo Brasium vocant) aut alterius frugis adipe corrupta, cui (vt omnes in vitia ingenioli sumus) semina herbæ, cui humulo (ab ebriorum voce sic dicunt) nomen est, miscent & incoquunt, & vt herba plurimi fumi est, ita semen eius in aqua cum fruge decoctū immodesteq; hausturn potantes in hebetudinem sensuum & temulentiam agit: Vidimus dum in Saxonia & litorali Germania essemus, post decoctionē eius potus siliquas ad plateas vrbium expositas, iumētaq; ex illis fidorem fumumq;, vt adhuc tepebant, naribus attrahere, paulog; post in furiam actos boues vibratis

vibratis cornibus ad mutua prælia se lacessentes, herba profecto taxo & veneno Colchico nocentior,& quæ plerisque Germaniæ populis cœdium,& multorum malorum causa est,dum certa lege & artibus,poculorum vicissitudine inter se contendunt,& tanquam de hoste parta victoria sit virtute & gloria de eo, quem insensatum,& velut mortuum reddiderint gloriantibus. Potus alias,si modestiam & naturam sequeris,saluber sane: & nutriendis vegetandisque corporibus, leuandi æstus sedandæque sitis gratissimus humor. Armamentarias domus habent,ferramentis,machinis, bellicisque instrumentis locupletes. Nec facile quis in Europa vrbem nominauerit, quæ harum rerum studio & comparatione huic vrbi pars esse poterit. Nam si quid vnquam Germania ingenia pro armis,machinis,tormentisque rei bellicæ excogitare potuerunt: Illic affatim inuenies acutos & hamatas cuspides,mucronatas lanceas,trinodes & quadrinodes clauas,gesas,frameas,acinaces, falcatos currus,torraces,loricas trilices,papiliones,sarissas,macheras,catapultas. Cerneres instrumenta ad muros quatiendos dissiciendosque exquisita,& ad omnem apparatum bellorum, expugnationumque necessaria,seu castra ponere,seu martem emiuus,cominusque conserere oportuerit. Bombardarum,balistarum- mortariorum, tormentorum,fundarum omnique generis telorum infinita pene multitudo diuersis variisque formis admirabili ingenio & arte & diuersis vsibus aptæ: ingentes orbes,glandes & volantia saxa sternacem vagumque ignem, flammas tetasque, aliamque materiam pernicioſam & exitialem iaculantes,& quæcunque hostem in conditiones pacis & deditionem cogere,profligare exterminareque possunt emittentes:quorum omnium vsum & formam describere magis belli quam pacis scriptorem posceret. Exposititiorum domus, seu vt Græci omnia quam nos melius, βριφοτροφῖα. vt sexus maris & fœminæ est,duas publicas habent,quibus infantes à genetricibus paupertate,imbecillitate,infamia,timore aut pudore (vt affectiones illius sexus sunt) expositi educantur: his summa cura & studio nutricum maxima pietate incerta soboles adolescit. Collatis etiam nuper pio affectu pecuniis,vt vir & fœmina his domibus præceptionis munus obtent,qui pueros prius sine lege & institutione,barbaroque inter se fremitu & ritu viuentes, iam in ingenuis moribus & characterum Romanorum cognitione & formatione imbuunt. Eius pietatis & multarum aliarum aliquando hospes noster Sebaldus autor & sollicitator apud ciues extitit. Cum autem pueritiam in his domibus exegerint,iamque rationis compotes facti fuerint, ciuitate mas & fœmina donatur,& vt de ingenio indole aut industria spes est: ita mas negociatori aut operario (quos ἐργατῶπας Græci,id est, opere manuum victum quærentes vocant) commendatur: fœmella ex pietate dote assignata viro copulatur. A ciuibus orbatis plerique aut infœcundis adoptantur: sed quoniam in eum locum à nobis peruentum est,nunc etiam ceteras vrbis pietates commorabimus,quas illi,vt multa vocabula à Græcis etiam germana lingua accepimus, ἐλεημοσύνας,id est misericordias vocant.

CAPITVLVM XII.

De pietatibus & eleemosynis vrbis & leprosis.

NOn facile quis vrbem per religionem Christianam offendet,quam huic nostræ cõparare queat, tam propensa & expositа in pietatis opera est. Sunt plus quam quadringenti nummi aurei perenni redditu, qui quotannis in illorum ciuium subsidium & vitæ sustentationem erogantur, quos aut fatum aut iniqua sors externis & longus carcer, vel æs alienum (dummodo ex sua culpa obæratus non sit) fregerit, aut quas incendia latrociniaue oppresserint, & in egestatem compulerint,qui aliquando cum ignominia & contumelia vrbem cogerentur deserere,hocannuo & occulto stipendio,cum quibus ratio generis,dignitatis aut familiæ habetur, sustentantur, donec desaeuiente fortuna,redeuntibusque placidioribus astris tempestatem naufragiumque enatarint. Illud ego maximum pietatis opus dico, quo ingenui etiam & in tacita calamitate constituti consolantur. Sunt post hanc certi & publici redditus honestarum puellarum dotibus reseruati, quas parentes præinopia matrimonio locare non possunt,aut pupillæ orphanæque fuerint,dummodo spectata pudicitia & probitate morum sanctitateque insignes fuerint. Sunt duodecim virorum decrepitorum (quos illi duodecim frates vocant) duo contubernia,in quæ ciues, operarii colliguntur, qui senio aut longo labore effœtis iam viribus fessi,victum & corporis cura egentes. Hi à tredecimo fratre illorum curatore,omnibus vitæ necessariis prouidentur. Pro fœminis etiam multis domibus eadem pietate constructis & fundatis. Sunt hebdomadales,& vt ipsi dicunt,dires sportulæ (ita eam pietatem apud Romanos quondam extitisse & vocatum fuisse inuenio)hæ centum & sexaginta quatuor ciuibus egentibus singulis hebdomadibus die solis,vbi sacerdos sacras vndas in populum spargerit, perpetuis redditibus panem, carnem, laridum, aut dum ex religione à carnibus abstinetur, pisces sardani,quam illi allec,pisum,aliaque legumina elargiuntur. Decem sportulæ nummo aureo comparantur: constitutis dispensatoribus, qui de honestate,probitate, necessitateque accipientium cognoscant & examen faciant. Sunt insuper minores & perennes etiam,sed pecuniariæ sportulæ, quæ

quæ die veneris quinquaginta quinque ciuibus, sed aliis à superioribus, in singulas hebdomadas solidum (ita numisma vocant, quod vicies sumptum aureum Renensem reddit) erogantes. Est aliud pium opus quod sex ciuium filiis annuos sumptus quinque annis ad Gymnasia generalia mittit: Primi sacris litteris & theologiæ studeant. Secundi ordinis humanis & diuinis legibus operam dant: reliqui medicinæ. Hi dum suorum studiorum præmia honestioresque titulos doctorum, quod in eorum arbitrio positum est, merentur, in vrbem reuocantur, quorum opera si vrbs indiget digno à Senatu stipendio prouidentur, quotiesque in commune consulto opus his fuerit, consiliis adhibent: Quod si extra vrbem apud principes aut alias vrbes illos agere contingat, sacramento adacti sunt, dum suis consiliis opus est, reipubl. & ciuibus adesse. Est & aliud pietatis opus, & quod nusquam apud alias vrbes aut gentes inueneris aut audieris. In ea hebdomada, quam de Saluatoris nostri passione obseruamus, leprosi vtriusque sexus ex omni regione in vrbem confluunt. Sexcenti, octingenti aliquando conueniunt, domo publica in vrbe ad conuentum illorum constructa, qua per eos dies reficiuntur. Qui vbi conuenerunt, sacerdos & physicus eos, de quibus certitudo morbi non constat, lustrant & intuentur, signis eius plagæ diligenter aspectis: si aut lues cuti inolita, aut alterius ægritudinis causa caro polluta sit. Moxque iudicium mundi & immundi corporis præferentes, veluti in delectu militum fit, illos excludunt, alios ad collectam multitudinem conscribunt: datis litteris à Senatu his qui mundi reperti sunt, suam sanitatem testantibus. Quo delectu habito sacerdos dato ad concionem signo, omnes die quem de cœna domini appellant, in vnum locum cogit. Is est quem ad ædes diui Sebaldi, κοιμητήριον Græca voce dicunt, nos dormitorium mortuorum dicere possumus: scensoque suggestu, hortantur illos ad patientiam & tollerantiam: quodque commembrorum luem corpore fœditatem, & qui ab hominum societate extra vrbes & pagos eiecti viuant, æquo & placato patientique animo tollerent: sanctorum Martyrum & eremitarum meminisse velint, maximèque acerbissimam Saluatoris nostri passionem præ oculis habere & mente reuoluere, quantas ille pro humani generis salute & redemptione contumelias, suique sanctissimi corporis plagas sustulerit: cuius corpus mox peracta concione in memoriam passionis eius sumpturi sint. Quibus ita consolatis & confirmatis, post sacrificium in sacello, quod cimiterio adiacet, à peccatis purgati dominico corpore cibantur. Deinde instructa cœna lautissima, in commune cœnaculum omnes conueniunt. Videres tunc nobiles & insignes matronas, ingenuos & magnificos ciues velut ministris præcinctos, ad illorum menses stare incisorio propinatorioque munere, vel ad regum epulas gaudere, ministerioque inter se certare, conuiuantesque adhortari, consolarique, vt corpus cibo animique gaudio expleant. Tanta pientissimarum matronarum, & optimorum ciuium pietas & studium circa miseros est. Ast vbi iam epulæ mensæque remotæ, & hymno dicto singulis vestis pro tunica & linea commissa datur: cum viaticoque ad propria (salutatione & futuri anni inuitatione facta) remittuntur. Adde nunc ad has vrbis pietates quatuor ante portas domus leprarias, & duo publica in vrbe, & circa vrbem peregrinorum diuersoria, quæ ab omnibus regionibus & terris itinere fatigatos colligunt, cibo potuque per diem & noctem reficiunt. Secundo die recuperatis viribus cum viatico ad institutum iter dimittunt. Adde nunc huic pietati pauperes adolescentes à rure & ceteris vrbibus disciplinarum & litteratum causa influentes, quos vrbs quatuor publicis gymnasiis larga manu fouet. Accedit ad Italicarum vrbium morem & imitationem pro ingenuis pueris & adolescentibus erectum stipendium centum aureorum, quo vir in Romanis litteris eruditus, in poetica & oratoria, in publica domo legit, ad id stipendium primus à Monacho Henricus Greningerus vocatus, vir in Romanis litteris, exquisita doctrina olim in Italia institutus, vita & morum honestate conspicuus, & singulari humanitate & modestia præditus, Eius erectionis & stipendii auctor apud Senatum genitor hospitis mei Ioannes Pirckeimer, vtriusque Iuris professor fuit. Sed iam alia prosequamur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [157] - 133
PUBLIC DOMAIN

CAPITVLVM XIII.

De magistratibus vrbis.

VRBS trifariam, in plebem, mercatores, & Patres, qui antiqua generis claritudine insignes, diuisa est: Inter quos octo & viginti fere honestiores & veteres familiæ sunt, apud quos summa rerum & imperii est, quod Græci ἀριστοκρατίαν vocant, publicosque honores illi soli & magistratus, à plebe & mercatoribus separati, obeunt: in quorum manibus ratæ leges, & summum ius (quod nusquam in aliis Germaniæ vrbibus inuenies) repositum est. Hi ex agris & prædiis viuunt, negotiis tamen & mercibus, vt huius vrbis mores sunt, plerique dediti. Patrum & plebis ratum connubium. Corpus senatus sex & viginti viris constat: Tredecim ex his potestatem in ciues exercent, quos illi Scabinos (Romani Prætores vrbanos) vocant. Ceteri de Repub. consultant, duobus semper ex vtroque ordine per mensem Consulum nomine gaudentibus, quos ipsi Magistros ciuium vocant: quo instituto lunationes tredecim annua Solis conuersione illorum numero explentur. Quæstiones autem, qui ceteros senio, fide, modestia & probitate antecedunt, ex his duos habent: Isque summus apud eos magistratus est: qui omnium vectigalium, quæ Reipublicæ nerui sunt, sacrarum ædium, & monasteriorum, & eorum reddituum, totiusque vrbis ærarii curam habent. Sunt præter hos ferme ducenti, ex tribus, quos diximus, ordinibus, senatorii viri, qui semel in anno, & vbi ices arduæ postulauerint, coeunt, & in commune consultant. Hos ipsi Nominatos vocant. Est quinqueuiratus apud quem criminales causæ discutiuntur: hique tribus per hebdomadam diebus causas audiunt: Quibus etiam diebus Prætores vrbani in ciuilibus quæstionibus ius dicunt, assidentibus semper tribus Doctoribus Iuris peritis. Est præterea Prætor arualis, qui rusticis ius dicit, vbi ac ciuibus subiectis. Ex quibus, cum necessitas ingruit, supra decem millia armantur: Inter quos sex millia egregie bombardis periti. Currus autem falcatos ac præliares vltra tria millia ex his instruunt. Nullum in vrbe operariorum aut plebis publicum aut occultum conuentū patiuntur, nec conuium, religionis, aut exequiarum causa, pernicioſum illud & exitiale reipub. arbitrantes, quod ex talibus congressibus seditiones & factiones discriminaq; popularia seminentur & pullulent. Quæ res multis Germaniæ vrbibus libertatem nostra memoria ademit. Quod si aliqua inter operarios simultas aut dissensio orta fuerit, non ad capita operariorum, & ad primores artium, sed ad Senatum omnia referuntur: qui, vt Patres consederint, statim duos ad illos priuato colloquio mittunt, qui concordiam tentent: Et dum illi pertinaces perstiterint, confestim ad Senatum causa refertur, gratui mulcta concordiam empturi. Hac castigatione repressis, plures inter ciues controuersiæ tolluntur, & ab initiis abstinetur. Cæsar Fridericus dum Romæ consecrationem coronæ à Pontifice (vt Imperatores nostri ex religione solent) accepisset, vtque Norinbergam rediit, populi multitudinem effusam ante portas vndiq; videns, & vt vrbem intrasset ciuitatem in populum effusam, obsessas vndiq; plateas & tecta laborantia vt velut diluuia quædam vidisset, senioremvrbis, qui tunc læuæ eius adequitabat, interrogauit: Quo nam ingenio & arte tantam multitudinem sine seditione & tumultu regerent & continerent? At ille, vt vir venerand. da canitie & summa animi prudentia erat, verbis, inquit, Imperator inuictissime, & grauibus pecuniariis corporisque pœnis id efficimus: significans, ingenuos ciues verbis & piis adhortationibus monendos esse, hisque se emendare: Plebem vero, vt ferule & indomitum vulgus, non nisi corporis pœna aut pecuniæ mulcta à delictis arceri debere, ad cohibendaque peccata plus timorem quam pudorem apud vulgum valere. Vox digna & salutaris reipubl. cunctisque ciuitatum rectoribus & principibus memoriæ tradenda. Nullus in vrbe publicus aut priuatus locus patet aleæ, taxillis, potationibus, aut aliis, quæ corrumpere aut deprauare mores vrbis possunt, præter eum, quem Senatus pro ingenuis solum constituit relaxandorum animorum gratia, ne decoctoribus & abliguritoribus bonorum suorum, occasio aut irritamentum præberi possit: quod in illorum hodie vrbibus, qui ex religione sibi cuncta licere putant, tanquam in dectis & incrementum reipub. Christianæ, fieri videmus: qui nedum publicas lusorias tabernas vilissimis scurris Deorumque contemptoribus locant, verum etiam ipsi quæstum de his tanquam honestum lucrum quærunt & recipiunt: In quibus cerneres sacris initiatos, & quos nec habitu, verbis & moribus à plebe discernere possis, in corona sedere, aleam, pocula, taxillos pari furore & insania tractare, execrare, furere, & indignari, & quod magis stomacheris, in ruborem palloremque effervescere, brachia iactare, ingemiscere, seque suamque fortunam & vitam accusare, diritasque denuncere, iramque & trementia labra in Deos & homines exasperare. Hi seculi nostri mores, & Christianæ religionis principes sunt, in quorum vsum redditus à maioribus nostris relicti pio in religionem affectu: quorum hodie tanta luxuria & auaritia est, vt si totus orbis, ipsumque cœlum cum sole ab eis prendi posset, vectigale facerent. Honestatis curam vrbs talem & circa fœminas habet, vt ne dum de illarum vestibus, verum etiam de pedum vinculis leges tulerint, eiusque rei secretos delatores habent, qui eas, quæ legi non paruerint, denuntient. Feunt, multa

multam pecuniam publico ærario quot annis inferri quarundam fœminarum ad voluptatem instructarum licentia & immodesta lasciuia. Coguntur autem singulæ apud Sanatum comparere & mulctam offerre, vt illarum contumaciam verbis etiam & monitione benigna ad verecundiam & modestiam inducat. Quod si qua inter mulieres controuersia coorta fuerit, alteraque alteram iniuria, verbo, factoue indecoro (vt ille sexus maledicentior est) læserit, aut quæ pellicatui aut lenociniis fauerit, vel castitati puellarum posuerit insidias, aut adulterorum congressibus consuluerit, certo aut vago autore delata publico foro ante curiam Patrum magnum saxum in globi formam excisum humeris gestare cogitur, præcone cùm tympano & fistula præcedente, ad cuius pulsum in foro à toto vulgo concurritur, insequentibus & adclamantibus pueris & ætate prouectioribus, fœdaque sugillatione, cauillis & probris saxo onustam (vt lentiori gressu spectaculum præbeat, confusionique & calumniis subiaceat) infectantibus & per circum agitantibus. Ridiculum profecto & plenum cachinno spectaculum, & coercendis mulierum delictis satis efficax documentum. Has enim virtuperationes aliquando magis metuunt quam leges ad bene beateque viuendum constitutas. Sed nos iam reliqua vrbis ornamenta consectemur.

CAPITVLVM XIV.

De pœnis sontium.

SVmmam libertatis vrbis curam habent. Quod si qua contentio aut rixa in vulgo concitata fuerit, astansque ciuis illis, priusquam mutuis verberibus aut cædibus se affecerint, pacem venerari, & ab iurgiis abstinere Senatus auctoritate præceperit, & illi in furore pertinaces perstiterint: mox apparitores, qui libertati vrbis inuigilant, accurrunt, carceribus illos confestim mancipantes. Proscribunt vltra Germaniæ (vt longissime ab vrbe, qui in patriam deliquerint, absint) quatuor nemora & flumina, Bacenin, Sueuiæ, Piceariam, & Herciniam Franciæ & Turingiæ & Bohemiæ, Danubium, Album, Rhenum & Mœnum: quibus fluminibus & siluis vrbs ad quatuor mundi latera in medio sita circumsepta est. Eos autem qui delicta committunt, leui etiam aliquando causa diuersis pœnis & generibus tormentorum exquisitis afficiunt, aut quæstionibus subiectos damnant, vt sint reliquis documento, & magnitudo pœnæ alios perterreat. Alios ad palum in foro vinctos ferreo lupato circum collum adacto coram multitudine stare cogunt, publico foro, vulgique ludibriis & ignominiis exponentes. Alios per vrbem virgis ad cruorem cæsos ante portas deducunt, & extorres ab vrbe, & trans nemora & quatuor flumina proscribunt. Aliis oculorum orbes effodiant aut præfectis auribus, & amputata manu vrbe expellunt. Linguas Dei sanctorumque blasphematoribus præscindunt, digna Tragœdiis materia, & de Oedipo Tereoque decantata. Periurii reis digitos, quibus illi tactis sacris cœlestia numina in testes vocauerant, amputant. Falsariis monetæ (vt iam metallariæ artes adulterinæ prauorum hominum ingenio inuentæ sunt) aut alterius rei, cauterio, velut Pannoniis equis, frontibus aut genis indelebilem characterem inurunt, talique nota pœnas nefarii pendunt.

Neminem occulto veneno aut toxico, placidissimo genere mortis (quod equidem germanæ simplicitati tribuo) tollunt: In nullos sæuius grauiusque, quam in latrones, parricidas, fures, & patriæ hostes animaduertentes. Cerneres ante portas in Gemoniis damnatorum cadauera suspensa, mutuis inter se, dum aër mouetur, conflictari ictibus, & velut Diomedeis præsepiis à cornuorum scæuarumque volucrum rostris lacerari.

Falsatios mercium aut monetarum, sacrarumque ædium spoliatores & sacrilegos, viuos rogo impositos, aut ad stipitem vinctos cremant, inserto sub ascellis capiti, inguinibusque nitri puluere, vt flamma fomentum corripiat. Latrones & parricidas non crucibus agunt, aut culleis insuunt; sed aculeatis rotis tibias, & lacertorum moras confringunt: contritisque singulis ossibus carnifex ceruicem & præcordia humerosque ingentis rotæ citato impetu pulsat, à sedibus & amico domicilio latibulisque suis miseram explodens animam: dein lacerum & deforme cadauer spirantibus calentibusque adhuc venis, rota supra palum suffixa, in aura resupinatos volucribus exponunt. At quibus cum mitius agitur, viuos prius ense percutiunt, dein truncum ipsum supplicio rotæ afficiunt, in mortuos etiam & exanime corpus sæui.

Nec ad has pœnas miseris proficiscí datur ; sed equo alligatos supinos ad hæc tormenta trahunt per saxa, lacunas, voragines, imbricesque platearum miserorum corpora (vt de Hippolyto tragœdia gemit) lacerantes obiter vncis, flammarisque forcipibus suras, & musculos, aliaque carnulentiora corporis loca vellicantes, fœdum illud in germanicæ seueritatis triste spectaculum, nec ad coercenda latrocinia, cædes & rapinas perditissimorum hominum sufficiens & efficax exemplum, dum lacera corpora & truncos artus, & infecta tabo canibus & fœuis alitibus cadauera exponunt.

Hostibus patriæ, & in eam coniurantibus exta rimatur, vt veluti aruspicina aut ἀνατομὴ fietet, carnifex primum cor scrutatur: exectis deinde cæteris intestinis, corpus exenteratum in quatuor partes lancinat, vt manus & crura exeruntur. Has tanquam ex religione ante vrbis portas palis & crucibus affixas, ad quatuor mundi regiones & cœli cardines expohunt. Tanta Germanorum latrocinii & sacrilegii vindicta est. Nec mulieribus (tantus seueritatis & iustitiæ rigor est) parcitur: quæ cum (vt raro se à sceletibus abstinent) toxico aut amatorio poculo lymphaticos fecerint, aut fascinatione aut superstitione infamaræ fuerint, vel quæ partum necauerint aut immaturum excusserint, diuersis supplicíis afficiunt: aut culleo insutas submergunt, aut igne vitam adimunt, aut viuas humo defodiunt. Nec his tormentis & cruciatibus humana temeritas à flagitiis & sceleribus arceri & absterreri potest, quin semper scelus sceleri accumulent, nouis etiam ingeniis crimina perpetrantes, vt non satis illis digna supplicia & tormenta respondeant. Omnibus damnatis, cum ad supplicia ducuntur, cucullus capiti iniicitur, ne ex amicis, cognatis, notis aut ignotis, animi turbatio aut desperatio misero subortiatur; sed fixis humi & obductis obtutibus & facie, ad mortem quasi incognitus trahatur.

CAPITVLVM XV.

De vniuersali vrbis Iustitia, legibus conuiuiorum, nuptiarum: Iudæis, & vini corruptoribus.

VNiuersalis iustitiæ, quæ alienæ vtilitatis speculatrix est, & eorum, quæ ad ciuilem cultum pertinent, vigilantissimam curam agunt: Ponderum, regulæ, mensuræ, vtriusque ex auro & argento monetæ, & in cunctarum rerum administratione æquabilitatem seruare præcipientes.

Mercium adulteros grauissima animaduersione corporum & pecuniæ punientes. Nuptiarum & conuiuiorum, & quicquid eorum est, quæ in fauorem matrimonii contrahendæ amicitiæ causa fiunt, de cibo & potu, numeroque conuiuarum sumptuarias leges tulere: neque carnes & pisces simul sepelire ventribus concessum est. Satis visum, vnum elementum inguiue nostra spoliasse, & non cunctis naturæ membris, vt luxuriæ popinali modum ponant, propter gulam nostram insidias posuisse: easque comessationes velut iacturas & inanes sumptus, & quibus se ciues exhauriunt, damnauit. Lege etiam de canibus lata, vt singuli partes familias vnum tantum canem nutriant, venatione canum nocturna ob eam rem per vespillonem demandata, vt extorres nocte molossis suis prendat & mactet, venatore tamen cane ab hac lege immuni. In natiuitatibus prolis, & funeribus (vt per totam fere Germaniam fit) epulationes non concedunt, ne mulierum adgregationi occasiones ebrietatem dari contingat. In conuiuiis autem dum publicas voluptates instruunt, epularis sermo concinnus, & præter consuetudinem Germanorum sedatus, nec murmurabundus, nec in licentiosos cachinnos effusus; sed verecundo silentio præsidis, prudens & accuratus.

Vinorum etiam corruptores vtinam grauiore supplicio afficerent! cuius corruptelam, vt multa alia nostra secula excogitauere, ita illa quoque adulteratio & execrandum malum inuentum est; nec iam solum per Germaniam, sed & per Galliam, Pannoniam, Sarmatiam, aliasque terras scelus illud se plantauit, dum colorem, saporem, odorem, virtutem, substantiam, patriam etiam, in illis mutant. Inuentum illud Druidæ esse ferunt. Martino Banaro nomen illi erat, in Franciæ opido, quod à nigra quercu dicunt. Dignus profecto æternis suppliciis, qui liquorem, quo & res sacræ fiunt, corpori humano gratissimum, pestiferum & letalem fecit, naturæ munus, & quo non aliud præstantius sidera ipsa, ornamentumque mundi Phœbus excoquit, contaminans & inficiens, & quod iij gaudium & alacritatem & curarum nostrarum remedium natura nobis elargita est, ille in toxicum & varia-

variarum ægritudinum causas mutauit humani generis extinctor, sanguinarius & crudus carnifex. Quod si mercium & monetæ adulteratores capitali pœna apud vos, prudentissimi Senatores, plectuntur: quali illum supplicio afficiendũ censetis, qui tot homines occidit, aut in ægritudines coniicit, quot hodie vinum bibunt? Illi paucioribus corruptelas suas vendunt; Ille ætatem omnem & vtriusque sexus homines in varia pericula adducit: Mulieribus sterilitatẽ inducit, abortus facit, conceptumq; fœtum abigit, nutricibus lac inficit aut subtrahit: arthriticos dolores corpori immittit: In viris autem intestinorum renumque tormina (quo non maior dolor corporis est) & corrosiones viscerum inducit: &, vt plura paucis dicam, venenum inflammat, mordicat, adurit, extenuat, exiccat, nec sitim aufert, sed auget, vt natura sulphuris est: cuius magnam vim priusquam deferbuerint vina, commixtis aliis noxiis & venenosis rebus, quæ hic docere pudet, addunt, naturam transmutantes. Hoc nos sub dulci melle venenum amicis nostris, vxoribus & liberis, & nobis ipsis, (vt magna plurimus annis vini charitas fuit) tam magnis pecuniis emimus, natura tanti sceleris vltrice, quæ hunc liquorem per tot annos propter hos suos hostes & vniuersi generis humani exterminatores subtraxit. Quocirca, Patres prudentissimi, non solum eorum valis concussis in fluuium vestrum tale venenum effundere debetis; verum etiam huius vini propinatores in rogũ & ignem viuos præcipitare debetis, non minus huius toxici, quam latrocinii curam agentes. Hebræos in ea parte, quæ in septentrionem spectat, vrbs habuit, & fouit: sed ob iustas & necessarias reipublicæ vtilitates nuper expulit & explosit: gentem transmarinam insigni contumelia & ira numinum à patriis sedibus exulantem, quæ & suis sacris & superstitionibus adhuc dedita cunctis regionibus aduersa edurat. Nec satis erat tantum auri & argenti in Italiam mercium & conseruandæ religionis Christianæ gratia à nobis quot annis inuehere: Illos etiam pecuniarum nostrarum corrosores & fœneratores intra sinum nostrum per Germaniam fouemus: Et quod quorundam Principum nostrorum auaritia à suis extorquere non potest, hoc suorum subditorum & pauperum locationem & redemptionem efficiunt, vt tandem à Iudæis vsuras & vectigalia & tributum colligant. Felices profecto vrbes & terræ, quæ hac hominum lue carent, ne multis furti occasionem & bonorum suorum distractionem præbeant. Videres, ab illis Christianorum suppellectilem, vestes, aurum, argentum, sacra etiam vasa, calices: veluti proscriptam prædam sub hasta vendi: Christianorum pecunias non tantum, sed & sanguinem nostrum sitire, dum veteris superstitionis extispicia cum infantibus nostris, quos cruenter & atrociter mactant, celebrant, & hoc diuinationis genere futura perquirunt. Nullam Germaniæ vrbem immunem reliquere, quã hoc scelere non polluissent. Sacris etiam hostiis & Sacramentis nostris sæpe ablatis, contumeliaque & ignominia affectis. Quapropter flammis aliisque supplicis sæpe excruciati magnam suorum scelerum, fœditatis & perfidiæ reliquere infamiam.

CAPITVLVM XVI.

De annona & victualibus vrbis.

ARmenta & pecora, oues, & capræ, in vrbe non sunt, propter munditiam, quamuis ad primum ab ea lapidem ingens copia sit. Gregalium & cicurum ipsa prorsus expers: quippe, quæ in tam sterili solo sita est, vt vix locustis & formicis cicudisque (quod omnium insectorum maxime ieiunum genus est) alimentum cibumque procreet. Ipsa tamen annonæ & commeatus abundantia nullis Germaniæ vrbibus ad flumina & ad inclitos portus Codani & Oceani nostri constructis inferior est: quippe quæ sæpe triginta aut quadraginta Principibus, Imperatori & Regibus victum & omnia ad eorum familiam necessaria administrauerit: Nullius rei, quam vel luxuria Regum, aut ebrii seculi, aut naturæ necessitas requirit egens: vini, frumenti, olei, salis, carnis, piscium salitarum, volucrum, omniumque rerum victualiumque copia & affluentia abundans & exuberans, iustoque & legitimo pretio (tanquam apud se natiuis opibus genitum sit) quod inter licentem vendentemque conueniat, omnia affatim exhibens: A Mœno, Tubero, Cocero, Aesto, Franciæ amnibus, & Necaro Sueuiæ, & Reno patre fluminum, vina. Ex Pannonia & Boemia carnem, in singulas hebdomadas boues centum mactans, præterea vitulorum & pecorum multitudinem magnam: Ex Norico saltem ferrum & frumenta, cuius mille modios singulis septimanis absumut, quorum vnus hominem per annum pascit: ex qua re colligitur, ciuium numerum quinquaginta duo millia excedere: Ex Italia omnis generis fructus, & peregrina vina, succos, odores, aromata, transmarinasque opes, magis ad instrumenta gulæ & deliciarum patrocinia, quam ad vitæ necessaria inuectas. Hæ omnes res pecuniis, quæ à negotiatoribus importantur, commutatione mercium facta à ciuibus & operariis comparantur: Indidem victitantes, &, vt eorum verbum est, non terra cœlo, aut aere, vt ceteri mortales, sed solo nummo viuentes.

Quo circa magna mihi intuenti Rempubl. veſtram, grauiſſimi Senatores, admiratio ſubiit. Cum enim alias vrbes, quæ hodie adhuc florent, vel quæ iam longis ruinis excidere, celebritate tamen famæ aut litterarum beneficio adhuc apud nos memoratæ, has aut inclitis pontibus & fluminibus, marium commercio, vbertate terræ, aut pecore, mineris, bellorum gloria, aut imperio in vicinos auctas locupletatasque legimus & videmus: At vos in vicinos ſtudio, obſequio, amicitia & fide insignes, eiuſque rei gratia non fragili & facile peritura papyro, ſed firmo pergameno omnes veſtras Epiſtolas & Senatusconſulta emittitis. Et ſicut parandæ pacis, conſeruandæque fidei & fœderum authores, ita latrocinii, dominationis, & rapinarum ſemper impatientes, & infeſtiſſimi hoſtes fuiſtis. Quorum agrum dum luſtro, ſiluam, ſabulum & arenam inuenio: dum fluuium ſpecto, ceruum tranſilire coniicio: Et is veſter Oceanus, Rodanus, Rhenus & Danubius: Quibus rebus in eam opinionem adducor, vt crediderim, veſtram vrbem (ſicut Græcia de quibuſdam ſuis vrbibus canit) à Diis immortalibus conditam, & in hunc vſque diem in ornatiſſima ſua Republica, & in tanta populi multitudine, ſine ciuium ſeditione & tumultu, numinum fauore conſeruatam: in quam velut in communem patriam totius Germaniæ gentes & colimitiæ noſtræ nationes confluunt: quos à latrociniis tutantes vos recipitis, & variis mercibus onuſtos per vniuerſam Europam emittitis, ſocietatis humanæ & commerciorum conſeruatores (vt doctiſſimi de loci natura diſſerunt) in vrbem veſtram deſuper diuinitus infuſa. Quam precor fauſtam, felicem, ſtabilemque Dii immortales, vrbium & locorum antiſtites, & fatales genii indigetes & hoſpitales, diu in felicitate ſua, ſi quid ex voti noſtri nuncupatione illi accedere poteſt, conſeruent & tueantur,

dum rotat aſtra polus, feriunt dum littora venti.

FINIS

Libelli de ſitu, inſtituto & moribus Norinbergæ: Cenſoribus Ioanne Dalburgio, Vurmacienſi Epiſcopo, & Villibaldo Pirckheimero, Patricio & Senatorii ordinis viro integerrimo, Philoſophiæque & in vtraque lingua Græca & Romana eruditiſſimo; & Ioanne Coclite Ducali Senatore.

CONRA-

CONRADI CELTIS HYMNVS SAPPHICVS IN VITAM S. SEBALDI.

REgiæ ſtirpis ſoboles Sebalde,
Norica multum veneratus vrbe,
Da tuam nobis memorare ſanctam
Cármine vitam.

Te ſacris votis generant parentes,
Cum diu lecto ſterili vacaſſent,
Teque ſuſcepto ** ſtuere caſtam
Ducere vitam.

Natus his ſanctis puer ergo votis
Galliæ claram properas in vrbem,
Artibus ſacris animumque cultis
Moribus ornans.

Hauſeras ſanctas vbi mente leges
Patriam doctor rediens in aulam
Regiam, quærunt tibi mox venuſtam
Iungere ſponſam.

Vt dies lætis fuerat peracta
Nuptiis, virgo pudibunda vultu
Ducitur ceſſo tibi copulanda
Candida lecto.

Cumque iam clauſum fuerat cubile,
Et quies cunctis foret alta rebus,
Tu tuæ ſponſæ loqueris pudicæ
Talia verba:

Nata de magno mea ſponſa rege,
Non tuum caſtum violabo corpus,
Si placet mecum pia vota caſtæ
Iungere vitæ.

Adnuit virgo tenero pudore,
Et Deo magnas dedit ore grates,
Integram ſeruans generoſa caſto
Corpore vitam.

Ipſe mox celſam genitoris aulam
Spiritus ſancti monitu relinquens
Horridas ſiluas heremumque vaſtis
Saltibus intras;

Et per exeſæ caua ſaxa rupis
Stratus orabas manibus ſupinis
Feruidum Solem, boream, niueſque
Paſſus & imbres.

Et feras inter medius quieſcens
Sæpe montanis ſatiatus herbis
Hauſeras puram liquidis fluentem
Fontibus vndam.

His vbi corpus dapibus foueres
Mentis in puram renatus auram
Sæpe diuinos nitido videbas
Pectore vultus.

Sic tribus luſtris tacito peractis
Inde Romanam properas ad vrbem,
Qua Dei verbum monuit per orbem
Spargere paſtor.

Ipſe mandatum récipis paternum
Et vagus terras varias pererras,
Donec immenſam peregre venires
Lætus ad Hiſtrum.

Hic vbi cymbis tumidus careret,
Præbuit tutam pater alme nauem
Pallium: quo tunc fueras pudico
Corpore tectus.
Moxque per vastas nemoris latebras
Noricam lætus veniens in vrbem,
Hanc docens sacro monitu prophanos
Linquere cultus;
Et Deum celso residere cœlo
Prædicas: pœnas vitiis daturum,
Quique virtuti tribuat beatæ
Præmia vitæ.
Ille de casta genitrie natus
Corporis mortem tulerat cruentam
Tertio Phœbo rediens sepultis
Victor ab oris.
Approbas multis tua verba signis
Scriptaque libro reperi fideli,
Nec minus claris hodie coruscas
Inclyte insignis.
Cumque iam longo fueras labore
Fessus, & sedes meritus beatas
Te senem nostras Deus imperabat
Linquere terras.
Spiritus sanctos vbi liquit artus,
Mox boues corpus tulerant agrestes
Qua tuas sanctas modo personamus
Carmine laudes.
Ergo iam cœlo merito locatus
Hanc velis vrbem mediis arenis
Conditam, sanctis precibus iuuare
Sedulus orans.
Terra fœcundo madeat liquore
Et salutares habeat calores
Spiceam gestans Cereris coronam
Fœnore multo.
Spumet & plenis rubicundus vuis
Bacchus & frontes tetricas relaxet
Et pecus lætis numerosa carpat
Pascua pratis.
Prosperos seruent radiosa cursus
Astra: nec morbos subitos minentur
Paxque per nostras maneat perenni
Tempore terras.
Fata Germanis faueant triumphis,
Dum petet Thurcos gladiis cruentis,
Principis nostri iuuenile robur
Maximiliani.
Hinc vbi nostras animas solutis
Corporum vinclis Deus euocabit,
Confer vt tecum capiamus alti
Gaudia cœli.
Hæc vbi nobis, pater, impetrabis,
Ante supremi faciem tonantis
Hic tuas semper cumulemus aras
Thure benigno.

VRBS

VRBS NORIMBERGA,
ILLVSTRATA CARMINE HEROICO,

per

HELIVM EOBANVM HESSVM, CLIENTEM
PIRCKHEIMERIANVM.

Ad vrbem ipsam.

QVi tibi tot dedimus per tempora pauca libellos
Per noua nunc ipsam te tibi scripta damus.
In te nunc agnosce tuas, vrbs Norica, laudes,
Et, num de veteri sis noua facta, vide.
Tu qua fronte meum sis acceptura laborem,
Nescio; sed tamen hoc secla futura scient.

MAGNIFICIS AC SAPIENTISSIMIS VIRIS,
Dominis Consulibus, Prætoribus, Præfectis ærario etiam, totique Senatui inclitæ ciuitatis Norimbergæ, Dominis suis colendissimis

HELIVS EOBANVS HESSVS
S. D.

VRBIS NORIMBERGÆ descriptionem, sapientissimi Patres, non illam quidem ordine, sed per partes, vt quæq; se offerebat (intelligebam enim poema me nõ historiam contexere) compositam, cui potius quam vestro ornatissimo Ordini, in cuius maxime gratiam scribebatur, nũcupatem, dedicaremque non video, nec tum occurrebat vlla alia ratio, qua & felicius ederetur liber, & editus maiorem inueniret omnium hominum fauorem, quam si vestri clarissimi nominis patrocinio, veluti Palladis Hægide armatus ac decoratus, exisset in lucem. Nec enim dubitabam, quin si meo nomine periclitaturum esset poema intrà vestros, vt dicitur, parietes enatum, vestræ tamen Amplitudinis & gloriæ respectu aliquo certe populari applausu acciperetur, & quidquid meatum virium imbecillitati decederet, id vestræ authoritatis magnitudine libello ipsi adstrueretur. His de causis, bona spe animatus, libellum ipsum Typographis dedi, vt excuderetur, excususque non hic tantum legeretur. Et quanquam in tempora iniquissima incidisse me videbam, in quibus nec studiis litterarum satis dignus vllus habeatur honor, nec scribendorum librorum bonorum iuxta ac malorum aliquis, vt ille inquit, inueniatur finis, tamen cum & antea cõplures in hac ciuitate libros nõ omnino maligna, vt opinor, fama emisissem, non sum veritus & in hoc facto, vtinam tam felici, quam audaci, tãm meæ existimationis, quam vulgarium iudiciorum subire periculum, satius ducens, paucis bonis quam infinitæ malorum multitudini placuisse, cum hoc nulli fere sit difficile consequi; illud quam paucissimis, & per summos demum labores vix contingat. Quis enim nõ videat, hodie passim nullo iudicio summa impudentia libros edi: nec edi solum, sed etiam probari, & quo quisq; sit ineptior, eo citius inuenire lectorem? Ea est enim imperitæ multitudinis consuetudo, vt de bonis nunquam bene, de malis semper male iudicet, hoc est, contemnat optima: non probet, nisi quæ sint pessima, adeo vt quæ in studiis litterarũ vulgo fauorẽ inueniant, ea demum vere mala liceat intelligere. Atq; etiam quæ multitudini placeant, bonis viris non posse non esse suspecta. Ita fit, vt hoc tempore tam modis omnib. corrupto tot libri prodeant in lucem, boni iuxta ac mali. Bonorũ quidem & vtilium nihil fuit vnquã nimium: malorum vtinam tandem sit aliquã satietas. Et fuerat fortassis non omnino inutile, mala quoque in vulgus scripta spargere, si eorum comparatione bona cognoscerentur, & non etiam optimis fere neglectis pessima quæq; obuiis manib. excipientes toto etiam pectore amplexaremur. Hæc eo nõ scribo, quo meis libellis, quorũ non paucos & in hac vrbe euulgari, ipsemet patrocinatus, (q turpissimum sit) existimationẽ parem, quam tamen si ipsi nõ pepererunt hactenus, quid est quod hic anxie laborem, vt nunc tandẽ adstruatur mihi, quod tot annorum vigiliis ac sudoribꝰ comparare non potui? Sed eo, q indignor, indoctissimis etiam idiotis idem licere, q æquum fuerat doctis tãtum permittere. Quo in genere cũ odiosum valde sit vti exemplis, tum quia q qui id faciat nõ possit non haberi suspectus inuidiæ, tum qui ea ipsa quæ huiusce modi sunt, prorsus indigna censeri debent, de quib. anxia sit instituenda disputatio: Abstinebo nominibus, quæ recẽsere pene infinitum sit, & ipso quasi genere contentus, speciem non attingã, præsertim cũ hunc locum copiose doctorum quorũ vitorum stile exagitatum esse videam, nec tamẽ vllum hactenus afferri aut excogitari eius morbi remedium. Ego vero cũ in hac ornatissima vestra ciuitate, id quoq; vt par est, legib. esse cautũ videam,

Vins

Vt ne quis liber, nisi prius ab eo negotio præfectis approbatus, in lucem prodeat, non possum non admirari vestram cum in administranda Republ. prudentiam eximiam, tum singularem in prohibendis malis & ineptis libris probitatem. Cum enim hæc ciuitas velut exemplar quoddam ac regula viuendi gubernandique Respublicas, aliis multis sit proposita, periculum erat, ne, si reliquæ gentes mala & inepta scripta hic spargi viderent, existimare possent, hic recta quoq; studia contemni, cum contra nusquam foueantur maiori diligentia, vtinamque respondeat & successus. Quanquam hoc quidem in vestra manu non erat, qui collabentibus passim litterarum studiis, instituta hic magnis sumptibus Schola publica bene consultum voluistis. Culpa temporum hactenus fuit in causa, quo minus florerent per Germaniam, vel vetera vel noua gymnasia. Quę tamen culpa vereor ne adeo in se ipsam sit recasura, vt certis admodum signis diuinare liceat, breui tempore fore, vt doctorum hominum penuria, ciuitates ac Respubl. omnes vel maximæ periclitentur ac laborent, ἀπὸ ξυὸς μὴ ὀνίνε γ ἐγώ. Itaque reuertar ad rem. Ego quamuis (vt paulo ante dicebam) stomachatus eram, valde ridiculosa quædam scripta circumferri, non tamen adeo sum ea indignitate commotus, vt ab hoc ipse me adscribendum conferrem, qui probe intelligerem, tales libros, nec si legantur, adferre quicquam gloriæ, nec si contemnantur existimationis aliquid detrahere posse; sed magis animatus exemplo honesto doctissimi quondam viri ac elegantissimi Poetæ, Cunradi Celtis, vrbis vestræ dignitatem gloriamque versibus illustrandum mihi desumpsi. Quanquam vero Celtis longe fuisset aliud à meo proposito, sicut item aliud genus scripti, tamen cum intelligerem huiusce modi ingeniorum monumenta mille casibus exposita esse, & Celtim ipsum nec scripsisse omnia & pleraque nondum nata scribere non potuisse, existimabam & ego me facturum operæprecium, si tam ea, quæ scripsisset ille, quam quæ non scripsisset, heroico carmine facerem non paulo illustriora. Nam hoc vt existimo, meo mihi iure gloriari licet, multum lucis huius vrbis gloriæ ex meis versibus accessisse, non quia non aliunde quoque accesserit iam ante, vel accedere quotidie possit. *Sed quia doctissimorum virorum iudicium semper fuit, nullo alio genere scripti, æque stabilem, & certam gloriæ possessionem ac carmine acquiri, vel quod liberior sit in hoc genere stylus, & euagetur latius, eaque illustret & erigat, quæ si oratione prosa attingas, iaceant, & quasi suaso obscuritate subtrahant ac premant, vel quod æterniora putantur esse, quæcunque bono poemate sunt descripta.* Quanquam vero nequaquam gloriari possim, bona esse quæ scribam poemata, polliceri tamen mihi certo videor, posse nõ ita statim, ac alia pleraque interire, quæ ego quidem nescio, an natura vlla bona, cura certe multa studioque diligenti in vestram gratiam & honorem vrbis, cui gratum me ostendere volebam, elaborauí. Hoc simul indignum iudicans, cum per multos alios eruditos viros, lucubrationes suas vobis inscribere, gloriamque vestram variis monumentis illustrare videam, me qui sextum iam annum in vrbe vestra, vestro etiam sumptu ac stipendio viuam, nihil adhuc nominatim vobis inscripsisse. Quanquam enim multos hoc quinquennio libros emiserim, qui apud exteras quoque gentes, si non magno, aliquo certe in pretio habentur, tamen subpudet me, nihil extare hactenus, quod peculiari aliquo officio me vobis obnoxium esse doceat. Eo igitur consilio libellum hunc scripsi, vt &, quod ipsa res erat, de vrbe pulcherrima, deq; me ipso meisque studiis optime merita, non tacerem, & vobis animi mei gratitudinem ac beneuolentiam hoc non iniucundo, vt opinor, argumento declararem. Vos si vicissim hanc meam voluntatem probabitis, totum hoc, quicquid est laboris ac operæ hic insumptum, nusquam alio collocatum velim. Probaturus vestro cum vestra eximia virtus & sapientia, tum in studia litterarum ac eorum studiosos singularis benignitas ac munificentia iam dudum mihi tanquam certissima argumenta persuaserunt. Valete. Norimbergæ mense Martio, anno Christi M. D. XXXII.

IN VRBEM NORIMBERGAM ILLVSTRATAM, per Eobanum Hessum, Præfatio.

CAP. I.

VOs mihi prima noui date carminis orsa Camœnæ,
Quæ colitis placidum Pegnesi diuitis amnem.
Norida lustrantes circum genialibus vrbem
Deliciis, cultamque noua statione tenentes.
Herciniam, sterili iam dudum assuescitis oræ
Oblitæ patrios colles Heliconia regna,
Et nemus Aonium, & sacræ Permessidos vndas.
Dicam opus æternum vestro memorabile cantu,
Vrbis, Teutonici qua non est altera regni
Nobilis aut opulenta magis, vel fortior armis,
Legibus aut sanctis instructior, inclita cuius
Res ita ciuili floruit publica cultu,

Vt non

Vt non vlla magis concordia debeat vlli
Nixa bonis populo radicibus illa bonorum
Aucta magistratum meritis, virtute fideque
Tantum alias inter clarum caput extulit vrbes,
Quantum sydereos vaga Cynthia deprimit ignes,
Quantum alias inter volucres Iouis eminet ales.
Huius ego veras scripturum dicere laudes
Non ausim, nec enim capit hæc angustia tantum
Tam brevis illud opus, sed sicut in aere verno
Prata nouo florum lucentia gramine, parcæ
Libantes rimantur apes, ita nos quoque summis
Omnia ceu digitis tanti carpemus honoris
Maxima perpetuo ducturi carmina versu,
Æternos quod possit opus durare sub annos,
Et placuisse diu, numeris quia constet, & isthæc
Non ita vulgatum ratio commendet honorem.
Quanquam quæ ratio, quis honor, quæ temporis huius
Forma placere queat quam Pieris vlla coloret?
Non si Meonidæ, non si diuina Maronis
Musa suum præsens decus offerat, explicet, ornet.
Tam sunt ingeniis hæc tempora dura, fuisque
Moribus indurata malis, vt vera bonorum
Nec possint, neque si possint, agnoscere curent,
Ipsa sibi exitio propria feritate futura,
Ni sua forte bona incipiant agnoscere, & isthæc
Longa renascentum studiorum tædia ponant.
Non tamen huius erat locus, aut hic, vlla querelæ
Maioris ratio, quia nos & dicere laudes
Vrbis honoratæ conantes nulla moretur
Temporis improbitas, & sancti cura Senatus
Prouida confortare animo, nostrique leuare
Debuit ingenij vires, maiora volentis
Quam forlan præstare queat, sed vt omne sub isto
Pondere deficiat, non est culpanda voluntas,
Quæ sua propositi non æquet vota laboris.
Si tamen est ausus filo nouisse pedestri,
Qui prior huic vrbi potuit, nec numine læuo
Laudibus insignem meritis contexere pallam:
Denique si quædam vulgaribus edita chartis
Sordida, & in triuiis præconia nata feruntur,
A populoque legi laudata digna videntur.
Cur mea mansuras memorantia carmina laudes
Credere laudatis metuam? Cur si qua placere
Tempore scripta queant isto redolentia Musas,
Ne mea non placeant verear? quis denique tantus
Sit pudor ingenij sibi confidentis, vt istum
Credere laudandum non audeat esse laborem?
Eximiam meritis celebrari laudibus vrbem,
Præcipue cum sint, qui nulla laude ferendas
Res celebrent, & magna grani præconia versu
Vilibus adiiciant nullo discrimine, dum se
Venditat ignauum genus hoc, & nomine spirans
Magna, suum titulis alienis captat honorem.
Ipse nihil famæ ludibria vana moratus
Commoda vera sequar, quæ verba laude canentes
Digna sequi solet, & nunquam spes fallere honestas?
Nunc mihi dexter ades sancti sacer ordo Senatus,
Qui regis æquatis populosam legibus vrbem.
Noridos Herciniæ multa quam flauus arena,
Et placido mediam Pegnesus flumine scindit,

Huc ades & placidas aures mentemque benignam,
Verſibus his adhibe, ne noſtri ſumma laboris
Vana ſit, & nullum ſine te mereatur honorem.

VRBIS NORIMBERGÆ SITVS.

CAP. II.

ESt locus Hercinio qua ſe Germania ſaltu
Contrahit, & velut in centrum coit, vndique clauſus,
Perpetuis nemorum denſa compagine ſyluis,
In ſeſe toto tractu redeuntibus ipſas
Incluſumque vago curſu facientibus orbem.
Milia pauca quidem circum ſe quaque patentem,
Sed ſterili totum ſabulo infœlicis arenæ
Squalentem, neque diuitiis cerealibus aptam.
Ille locus nunquam grauidas produxit ariſtas,
Aut inopes multa ditauit meſſe colonos,
Nec placidas Bacchi pulcherrima munere vites
Protulit, aut vllo vineta obnoxia cultu
Ni cogas, etenim cogunt, tam eſt acre colonis
Ingenium, tam mens docilis, tam viuida virtus,
Vt quod naturæ eſt ipſis ratione negatum,
Arte patent. Sed & hæc alias, nunc cœpta ſequemur.
Præterea locus ille aliis eſt dotibus omni
Parte ſatis fœlix, quo nec ſit amœnior vllus
Et media tellure ſitis, nam proxima Ponto
Excipimus, ſeu flumina ames, ſunt flumina, ſeu te
Fœtibus oblectant pleni vernantibus horti,
Non hic defuerit natiui gratia veris.
Sunt fontes, ſunt egelidi prope flumina riui,
Sunt nemorum dulces vmbræ, lætiſſima totis
Paſcua ſunt pratis, pecori eſt ager vber alendo
Atque homini, nec tam populo natura maligna eſt,
Vt ſi pauca negat, neget omnia protinus vni.
Quid memorem cellis poſitas in collibus arces,
Oppidaque & pagos, totque ardua culmina villas,
Quæ magis opportuna loco mihi cuncta canentur.
Huius in orbe loci extremo, qua vergit in Eurum
Vrbs iacet egregiis operum circundata muris,
Ædificata ſolo ſterili, verum ipſa per artes
Facta opulenta ſuas, & florens rebus honeſtis,
Quæ, quia contigerit quondam hæc loca Norica pubes,
Norica nomen habet, iuncto cognomine montis,
Cuius inæquali cliuo & radicibus imis
Adiacet, Arctoi qua ſpectat ad ardua mundi
Sydera, viſendus procul arcis mole ſuperbæ
Ipſa cauam lato vallem complexa receſſu,
More ratis medio depreſſior vltima ſurgens,
Hinc atque hinc tollit ceu cornua, proſpicit horum
Celſius in Boream, madidum ſubiectius Auſtrum.
Ipſe vago mediam Pegneſus flumine ſcindens
Perfluit, & varios rerum ſe præbet ad vſus
Perfaciles, ſolis nec ſordibus abluit vrbem.
Qui vicini habitent populi, quæ proxima circum
Rura colant gentes forte hoc quoque ſcire neceſſe eſt.
Norica Teutonidas media vrbs regionis in ora,
Qua videt auroræ venientem à partibus Eurum
Regna tenent fortes ſyluis incluſa Bohemi.
Proxima quæ pluuiis afflatibus irrigat auſter,
Gens vetus & nullis belli virtute ſecunda,

Rura colunt niue Rhœtæa durata Sueui,
A prope quæ sole occiduo vineta tepescunt,
Magnanimi fœcunda colunt atque optima Franci.
Æquoris immunes partem, quæ vergit ad Arctos,
Duringi pingues habitant, quos inter & vrbem
Pars bona de Francis interuenit, ille profecto
Omnibus hanc populis propius sibi vendicat vrbem,
Hæc natura loci, situs hic regionis & vrbis.

VRBIS PVLCRITVDO ET ELEGANTIA.

CAP. III.

ORnarunt alij præstantes laudibus vrbes,
Ex quibus vt taceam veteres, & nomina tantum
Proxima commemorem laudauit carmine priscam
Treuirin Ausonius, patriæ non immemor idem
Burdegalam clara cantatam voce reliquit.
Tempore & ingenio minor hoc Sidonius vrbem
Laudibus æternis cecinit, quam diceris olim
Possedisse tuo miles Decumane colono.
Nec tibi vulgari cantata est Lypsia versu
Buschi Pieridum Comes inclyte. Quid loquar autem
Hanc quoque (quam nobis nunc est noua nata voluntas
Commendare nouo venturis carmine seclis)
Inuenisse suas qui posset dicere laudes.
Non tamen has aliquo cantatas carmine, Celtim
Quod magis illustrem poterat decuisse poetam,
Quod quia forte suis sic posse placere putauit
Temporibus magis, hoc nobis opus ille reliquit.
Nunc ego, quando alias alij cecinere poetæ,
Noricaberga tuas laudes, tua nomina dicam
Inclita, & æternæ tradam per carmina famæ.
Dum tamen hic dubito, quæ prima exordia sumam,
(Tantarum confundit enim me copia laudum)
Dumque oculos animo sequor, & contemplor in omnes
Mundiciem partes vrbis, cultumque domorum
Arte laboratum, non de vulgaribus vlla,
Sed quæ rara solent & non nisi magna patari.
Dij quales arces, dij qualia mœnia cerno,
Qualibus vrbanas extructas molibus ædes,
Qualia perpetuo surgentia culmina saxo.
Saxo quale genus producit Norica tellus,
Arcibus æternis haudquaquam vile locandis,
Naturæ ingenio quodam quo namque recisum est,
Tempore molle fuit, facile & tractabile ferro:
Postquam auras tetigit superas (mirabile dictu)
Durescit magis atque magis, roburque manendo,
Concipit, & senio superat durante iuuentam,
Pluraque non patrios in secula prorogat annos.
Hoc lapide assurgunt opera omnia, publica nedum
Verum etiam priuata, domus, fora, templa, per omnes
Æquatis certo regionibus ordine partes,
Supra priuatos quam possis credere sumptus
Sufficere, & tantas potuisse attollere moles,
Magnorum dicas æquare palatia regum.
Huc licet antiquas fama æmula conferat vrbes,
Vel nos vincemus, vel non cedemus honori
Temporis antiqui quantacunque arte superbo.
Non hic clara Rhodos certauerit, haud Mitylene,
Non Ephesus, duplici non æquore clausa Corinthus,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [169] - 145
PUBLIC DOMAIN

Si sint nunc etiam quales quandoque fuerunt,
Atque vt prætéream longis opera ædita ab annis
Si noua nunc etiam spectes surgentia, dicas
Post paulo eximiis, talem fore cultibus vrbem,
Qualem non aliam præsens conspexerit ætas
Quomodocunque patet latis Germania campis.

AMBITVS MVRORVM VRBIS.

CAP. IIII.

HIc quoque præfati veniam, si carminis huius
Paupertas brevibus non clauserit omnia chartis
Quæ vel erant dicenda, vel olim dicta supersunt
Aut non historiæ quo debent ordine leges
Cuncta velut radio contexant fila sequaci.
Hoc opus est musis omni ratione pudendum,
Nunc quoque quod faciunt vix excusabile factum.
Hanc præfati igitur veniam quia pinximus vrbis
Noridos expressi ceu prima insignia vultus,
Par erat hoc etiam dictæ adiecisse figuræ
Quanta sit, vt positos includat dicta colores
Linea, ne dubiis forsan fallore parergis.
Vrbs mihi sollicita nunc describenda Camœna
Omnis circuiti murorum milibus octo
Ambitur stadiis, ratione videlicet illa
Quatuor & bis tricenis duo millia, nostro
More, sed inde aufer duo millia cum quingentis
Passibus, hoc spatium est muris, hic ambitus vrbi
Haudquaquam exiguæ, nec quæ sit maxima, rerum
Proxima præcipuis, quanquam quid ad vrbis honorem
Quidve valent ad opes & honesta negotia rerum
Murorum ingentes gyri, si cultibus intus
Magna vacent spacia, & deformia tecta ruinis
Ciue egeant, quales heu multas vidimus vrbes?
Nam dolor est meminisse, sed hic non vlla locorum
Desolata iacent, nullus vacat angulus, omnis
Plena, nec ipsa suis satis est vrbs ampla colonis.
Atque hic multa meam subit admiratio mentem
Parte aliqua Solymas hac posse fuisse minores
Quæ tantum caperent populum, quo tempore pœnas
Persoluere suo crucifixo sanguine Christo,
Romanosque suis vinclis auxere triumphos,
Quandoquidem superet Solymas hæc millibus ipsas
Plus tribus antiquas, si littera vera loquuta est.
Quid tamen hoc refert, nec enim si plura velimus
Talia commemorare, modum statuisse queamus.

MVRI, FOSSA, TVRRES IN MVTIONE VRBIS.

CAP. V.

QVi primus tormenta sonos imitantia tetri
Fulminis inuenit, quisquis fuit ille, bonorum
Hostis & humanæ vitæ certissima clades
Ille fuit, stygiis hunc misit Erynnis in orbem

Sedibus

Sedibus, vt placidæ turbaret commoda pacis,
Hic ſcelere & Titanas, hic & Salmonea vicit
Impietate ſua, quo nec crudelius vllum
Immiſere malum Superi mortalibus ægris.
Quis neget iratos hoc inuentore fuiſſe
Humano generi, per quem ſimul aurea pacis
Ocia ſunt turbata, ſimul pulcherrima virtus,
Militiæ vis, fama, vigor, laus, gloria, robur
Turpiter interiere, nec vnde reſurgere poſſint
Inueniunt, hoc inuento victore quietis.
Hunc propter muniri vrbes, & cœpta profundis
Oppida concludi foſſis, atque aggere cingi,
Turribus & muris defendi, hic fecit vt eſſet
Tuta loco virtus, nec ſe iam crederet æquis
Armorum ſpatiis. Eadem tibi Noricaberga
Cauſa fuit validis circumdare mœnibus vrbem,
Et foſſas turreſque & propugnacula muris
Addere. nam triplici muro es circumdata, quorum
Turribus interior ſtat firma mole ducentis
Terribilis, ſpatio ſe inter diſtantibus æquo;
Hunc inter mediumque interſitus agger arenæ
Perpetuo tractu circum ſubit alta patenſque
Foſſa ter vndenis pedibus, quam flexibus ingens
Tertius æterno claudit munimine murus.
Conferat huc aliquis veteres mihi mœnia Thebes.,
Portarum numero falſis infamia ſcriptis,
Et liceat falſo portarum nomine turres,
Sicut Meonidæ nobis quoque dicere, duplo
Vincimus, & nullo tegimus mendacia fuco.
Quid noua nunc dicam ſurgentia mœnia? quantæ
Accreſcant veteri moles, quæ robora muro?
Magnorum videas dicas opera eſſe Gigantum
Cyclopum fabricata manu, vetereſque putabis
Hic iterum muris circumdare velle Mycenas.
Quid loquar æquatas valles, monteſque reciſos?
Tranſlatoſque alio tumulos? ne mœnibus vrbis
Obſtarent, damnoque forent, ſi perfidus hoſtis
Occupet, ac tumulis protectior incubet vrbi.
Quod fieri diuina vetat clementia, & ipſos
Hac hoſtes potius condemnet clade malorum.

ARX IMPERIALIS.

CAP. VI.

DIximus occiduum, qua parte vrbs vergit ad axem
Arcem cliuoſi ſuper alto vertice montis
Eſſe ſitam, poſitæ quæ deſuper imminet vrbi:
Vnde patet totos late proſpectus in agros,
Qui iuxta circumque patent, ſyluaſque patentes
Claudenteſque plagam turritæ more coronæ.
Illa igitur celſi ſurgens à vertice montis,
Sydera celſa petit, tectis cœloque minatur.
Alta domus Regum, domus inclita Cæſaris olim
Cum placet & quoties inuiſere Norica magnis
Mœnia Cæſaribus, namque & regaliter omni
Ædificata modo eſt intus, foris haud ita cultu
Conſpicienda pari, ſed in atri robore ſaxi
Impoſitum conſiſtit opus firmumque vetuſque
Non ſecus ac medio, quæ prominet æquore rupes,
Deſpicit & ventos, & rauca tonitrua cœli

Vi nulla concussa, nec vlla mobilis arte,
Sic firmata suo stat robore Norica moles,
De foris aspicias, Cyclopia saxa putaris,
Intus vbi ingressus fueris, simul omnia magno
Magnificaque opera admirabere condita sumptu,
Ornataque pari diuorum sedibus. Illic
Claudit inauratum conclauia picta lacunar
Plurima, sunt illic trabibus fulgentibus aulæ,
Illic incrustata nitent variante colores
Arte pauimenta, & radiantes ære columnæ,
Plenaque nobilibus cælata torcumata signis.
Et quæ cuncta piget breuibus numerare Camœnis
Ornamenta loci, quæ multo plura supersunt,
Quam canere heroi deceat modulamine versus.
Hoc stetit antiqua, si vera est fama, Dianæ
Ara loco, nostrique etiam Latonia syluis
Culta, Genethliaci liquit iuga frondea Cynthi,
Scilicet aut syluas, aut horrida bella colebant
Nostri maiores, nam seu pax læta vigebat,
Venatu, vitiis nondum corrupta iuuentus,
Ocia fallebat, doctissima viuere raptu.
Cum nisi parta graui res nulla labore iuuaret,
Seu feta sanguineum resonabant classica Martem
Bella sequebantur, bello gens nata gerendo,
Illecebrarum hostis, duræ virtutis amatrix.
Credibile ergo magis fuerit coluisse Dianam
Quam non legitumam Venerem, vel mollia Bacchi
Orgia vesani, nec gaudia honesta ferentes,
Vel quicquid luxu corrumpere deside vitam,
Et patriæ queat indignos inducere mores.
Adiacet vmbrosa tililetum fronde viresc̃ens,
Dum finit & melior cum sole reuertitur annus
Frigore grata quies solisque leuamen ab æstu
Igne suo steriles dum findit Sirius agros.
Nec desunt variis vernantes floribus horti,
Quales blanda Venus tibi pulcher Adoni parauit,
Pensile suffultum stat opus nixumque columnis,
Quale apud Assyriam memorant Babylona fuisse,
Si tamen exiguis componere maxima fas est.

PEGNESVS FLVVIVS.
CAP. VII.

QValis in Æmoniis Peneus nobilis oris
Inter amœna fluens cursu laureta secundo
Labitur, & viridis leniserit agmine ripas,
Talis ab æstiuo Phœbei syderis ortu
Piniferos placido Pegnesus flumine montes
Inter & arua secans ptaris spaciatur amœnis,
Norica lenifluo donec se in mœnia lapsu
Insinuans, mediam placido fluit amne per vrbem
Magnificasque vadis hinc atque hinc alluit ædes,
Lenibus ipse suis magis ac magis edita ripis,
Culmina miratus, semperque recentia cultu
Tecta nouo spectans, pontes subterfluit altos
Bis senos quorum quidam de marmore structi,
Quidam sublicij diuersis partibus vrbem
Coniungunt, subit ille rotasque & saxa molarum
Corripiens rotat, ac victricibus atterit vndis.
Non tenet innumeras non tantum farra molentes

Litteris

Littus vtrumque molas, sed & atra fragmina ferri
Cudentes, duraque trahentes forcipe lamnas,
In minimas donec ceu fila sequacia partes
Diducant longi stridentia pondera ferri.
Vno igitur primos illapsus flumine muros,
Scinditur in geminas vbi nascitur insula partes
Insula congesto, quæ sumit ab aggere nomen,
Lata satis, spacioque satis planissima longo
Efficit hippodromum, videas certamine multo
Cornipedum cursuque teri, cui margine vtroque
Prætexunt virides vmbracula frigida syluæ,
Cum furit & nimios igniti syderis æstus
Sirius ardor agit, tililetum subter amœnum.
Ille locus gratas præbet spaciantibus vmbras
Ad ripas vtriusque vadi, tum plena lauantum
Et releuantum æstus gelidæ sub tempora noctis
Flumina conspicias, ibi velamenta puellæ
Linea vicini madefactant fluminis vnda,
Et multo madidis immisso sole colorant,
Donec inoptatum certent niue versa nitorem.
Sunt quoque nascentes illic medicantia thermæ
Balnea corporibus morborum tabe grauatis,
Artificumque domus tenuissima fila trahentum
Texentumque nouos pannos, maioribus olim
Insuetum genus, nostra vix vrbe receptum
Nuper, & augendis opibus successio facta est.
Inde in se rediens vnum coit amnis in alueum
Vnus & ipse fluens, donec discrimine rursus
Dissectus duplici, partem circumfluit vrbis
Exiguam, clauditque forum, quo quicquid abusu
Displicuit, vel iam vetus est, vel inutile, venum
Adsolet exponi, post hoc sibi rursus ad imum
Redditus elapsum subit extra mœnia cursu.
Liniluo, multis paribus piscosior amnis.
Piscibus innumeris, siquidem Pegnesus abundat,
Non stupidis non insipidis, non qualibus agunt
Esse lacus plenos atque exundate palustres,
Qui limum turpisque trahunt scenosa fimeti
Pabula, sed viui gaudentes fluminis vnda,
Fercula ieiuno præbent iucunda palato.
Nomina quis referat? quorum vel barbara quædam,
Vel sunt nota parum, nec idonea carmine dici
Salue amnis victure diu, si forte Camœnas
Vlla manet nostras venturæ gloria famæ.

PRATVM ALLERIVM.

CAP. VIII.

ERgo vbi fluuius tulit extra mœnia, pratum
Alluit, & leni complectitur agmine, quantum
In longum possunt quingenti extendere passus,
Allerium dixere patres: nec prouida mutat
Nomen posteritas rationem nominis huius
Nec moror ipse, eadem nec dicitur esse per omnes.
Quis queat illius prati vernantis honorem
Æstiuumque decus verbis æquare canendo?
Non mihi tota satis fuerint Peneia tempe,
Si quis ad hæc diuum loca transferat, aut Sicularum
Regna voluptatum, quas aut in vallibus Æthnæ
Herbiferis, aut ad gelidum miremur Helorum.

Non ego delitias tales vidiſſe putarim
Thraca ſub Hemigenis labentem rupibus Hebrum,
Quales hic Pegneſe vides cum floriger annus
Regnat,& effudit plenum tibi noua copia cornu.
Huc ex Orchomeno Charitas migraſſe putaris,
Atque adeo nudas ſeſe exhibuiſſe videndas
Atque amplexandas,ita dotibus omnia fulgent
Hæc loca natiuis,alias hic frigida ſeues
Aura mouet, ſerie quas area longa quaterna
Continet impoſitas,quam totam ingentibus vmbris
Pene tegunt,grauidoſque leuant ſubeuntibus æſtu
Aera largifluum ſuffundit fiſtula rorem
Tam gelidum quam ſi brumali frigore manet,
Tam liquidum quam Blanduſiæ ſit vitreus humor,
Caſtalium dicas fontem,aut Aganippidos vndæ,
Huc aliquam tacitò delatam flumine venam.
Si modò ſint Muſæ,quæ Norica flumina potent,
Quanquam ſunt etiam,ſed nos decorâ inclita prati,
Conuenit Allerij nugis deducere omiſſis,
Parte quod à læua tranquillo cingitur amni
Dextera colle viret modico,leuiterque remiſſum
In cliuum ſurgente,ſed hortis arboribuſque
In ſpeciem nemoris cultum,quibus inuolitantes
Vernant argutæ volucres,& vocibus auras
Dulciſonis mulcent,ſeu Phœbus mane renaſcens
Infudit rebus quem nox tulit atra colorem,
Seu cum ſumma tenet,ſeu cum petit vltima cœli
Limina,Atlantico tincturus in æquore currum.
Ille locus nunquam vacat,aut conſortia neſcit,
Non tamen vſquè adeo capit immoderata voluptas
Iſta loci neque ſic mores euertit honeſtos,
Vt quicquam vel turpe gerant,vel inertia tractent
Ocia,ciuiles nec reſpicientia leges.
Quicunque iſta colunt læti viridaria prati
Nec quiſquam de tot ſubeuntum milibus vnquam
Iurgia funeſtæ mouit diſcordia pugnæ:
Tantus amor populo,tam cura eſt ſedula pacis,
Tam fundata bonis concordia legibus hæret
Omnibus inconcuſſa,nec eſt qui ſoluere tentet;
Nam ſcelus auſurum vera vltrix pœna feroci
Addita præſcripto,quoniam ſunt multa malorum
Milia,nec tanto in populo ſine legibus vnquam
Tranſierint iſtæ ſine cœde & ſanguine turbæ
Extra præcipue cohibentia mœnia fontes.
Quid memorem, quoties leuibus certare ſagittis
Collibuit,quam pulchra locum nôtet area,circum
Clauſa nouis trabibus, quam nullæ deſuper vmbræ
Impediant, quam colliculo ſtet condita turris
Æditiore ſcopum retinens,tum ſi qua frequenti
Sint ſtata,ſicut ſæpe ſolent,certamina ludo,
Ficta toreumaticis ſtatuunt tentoria ſignis
In medium,aduerſæ contra ſignacula metæ,
Vnde queant poſitum iaculis contingere circum,
Non oræ tantum Pegneſidos accola ciuis,
Verum etiam veniens aliis ex vrbibus hoſpes.
Vidimus hoc etiam magnos certamine Reges,
Vidimus Heroas claros,famaque ſuperbos
Decertare Duces in amœni puluere prati,
Prati carminibus noſtris nunc nobiliores,
Quam vel præſtiterint variis tot ſecula ludis,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [174] - 150
PUBLIC DOMAIN

Vel præstare queat venturis vlla diebus,
Æquatura licet regales pompa triumphos.

LAVS VRBIS A CLEMENTIA COELI. CAP. IX.

QVid quod non aliam clementior aeris vrbem
Spiritus afflauit, nec enim, pulcherrima sano
Ædificata loco, vitiantes accipit Austros.
Corpora lætiferi pereuntia tabe veneni
Sæpius vt fama est vinosæ Mœnia Lesbi,
Artifici structura operum, sed pestilis auræ
Illapsu fundata, sed hanc neq; pestifer vllus
Ventorum coniungit odor, quia dura salubris
Possidet arua soli, quod nec fregere paluſtres
Illuuie fœda, & vitiato humore lacunæ,
Frigida nec tetras exhalant rura Mephites.
Cum neq; sulphureæ subeant per concaua venæ,
Antra salebrosas subter squalentia rupes.
Sed sterili regio tota obducatur arenâ,
Et subtus nisi saxa iugo concreta perhenni
Dulcibus adfoueantur aquis, ac tota rigetur
Ora probabilibus potuq; salubribus vndis.
Nominum si nullus ab his vapor ater ad auras
Exhalet, latebris qui tristibus aere fumis
Inficiat, virusq; nocens in corpora spargat.
Adde quod hyberno plaga Norica frigore nunquam
Torpuit voti nimis, nec iniquis solibus arsit
Temporis æstiui nimium sed vtraq; vicissim
Temperie gaudens, raro mala tempora sensit,
Corpora tabe sua grassantis in omnia pestis.
Hinc etiam vigor ille animorum, hinc viuida gentis
Ingenia exultant, quando solet aeris idem
Qui fuit esse animis habitus, quando inde trahuntur
Virtutes, vicia & pestes, rerumque figuræ:
Qui quia Germani latissima regna per orbis
Purior est nulli, nullique benignior vrbi,
Non alibi meliora vigent in rebus agendis
Ingenia, aut animi magis ardua facta sequentes,
Corpora quin etiam robusta labori
Sufficiunt, & diu iuuentus.

SILVA VRBI CIRCVMFVSA. CAP. X.

CIrcuit inclusam pulchris amplexibus vrbem
Sylua patens passim per millia quinq; recessu
Interiore sui, vel paulo plura, nec vlli
Herciniæ nemorum cedens, si commoda spectes,
Aut etiam quæ syluarum solet esse voluptas
Te iuuet, arq; animi tantum oblectamina quæras,
Namq; hic immensis horrendos cornibus Vros,
Nec stupidas gignit prælongis cruribus Alces,
Qualia Sarmaticæ pascunt animalia syluæ,
Olim etiam nostras non ignorata per oras
Dum magis incultis Germania saltibus esset,
Horrida, quæ proprio nunc est ita splendida cultu
Vt nulli possit terrarum cedere, verum
Cuilibet æquari, quæcunque sit vrbibus ampla
Prædita & vberibus cultissima floreat agris.

Sunt tamen & nemora,& ſaltus,& plurima ſyluæ
Copia, venantum ſtudiis accommoda, nec dum
Arboribus nudi montes ingentibus omnes
Vnde ſit innumeris vis prodiga materiei
Vſibus,& noſtræ ne ea deſit gloria genti.
Quam vacui nunquam præſtarent iugera campi
Talis & hæc,cuius nobis nunc maxima ſylua
Vtilitas memoranda fuit,quæ Norica circum
Mœnia proſpiciens,ſimul amplis fructibus vrbem
Afficit,& multa,ſi qua eſt gloria,ditat
Dote voluptatum,quæ cum ſit honeſta voluptas,
Non ſpernenda fuit,ratio ſed maxima honeſtæ
Vtilitatis erat,cuius ſi carmine dici
Haud quaquam ſimplex facies potuiſſet in vllo.
Hoc etiam mihi dicta foret,nunc commoda præſtat
Plura,breui quam quis poſſit comprendere verſu.
Materia quodcunque ad opus,quacunque redundas.
Semper inexhauſto frondeſcent germine,quamuis
Innumeras laſſes,tot ſecula cæſa,ſecures.
Quod genus hoc Mutæ? ratio quæ? quasue per artes
Sylua nec immunis,nec maxima durat,& omnes
Viribus ipſa ſuis velut æmula creſcit in annos.
Gens nemorum ſtudioſa,ſuas Germania ſyluas
Ipſa erit cogitque nouo pubeſcere fœtu.
Cum vel arena ſiti ſterilis confecit iniqua,
Vel labor excidit diuturnus & arida facta eſt
Planities,tum ne iaceant loca vaſta reciſis
Arboribus,noua conficiunt,& ſemina mittunt
Sparſa ſolo vacuo,campisque iniecta relinquunt.
Tum videas prodire nouas ſine ſtipide frontes,
Mox quoque collicules tenues,tum cortice robur
Adcreſci,paruosque vmbram defendere ramos,
Exiguam,tenebramque nouo de germine ſyluam
Surgere,& in patrias paulatim adoleſcere formas,
Donec in antiquum redeat decus,altaque cœlo
Attollat capita, & concuſſo vertice nutet
Laſſatura iterum patrias ſam ſylua ſecures.
Has aliæ innumeræ per tot iam ſecula, terræ
Neſciuere artes reparandarum ſyluarum
Inuentrix docuit Germania,tanta cupido eſt,
Tantus amor nemorum,quorum vel blanda voluptas
Vel grauis vtilitas ſit reſponſura labori.
Cetera namque ferunt ſpacioſis iugera campis.
Sicut & hæc intra late proſpectat & extra
Vicinos plænis flaueſcere meſſibus agros.
Hæc eſt Herciniæ multum pars inclyta ſyluæ,
Norica quæ longo circumdat mœnia fluxu,
Extirpata diu,niſi ſic recidiua maneret,
Magna parte ſui,poſtquam defecit,& ipſam
Se reparans,ſemperque noua ſibi prole renaſcens.

LAPIDICINÆ, EX QVIBVS VRBIS ÆDIFICIA FIVNT. CAP. XI.

HÆc eſt Hercinii longo pars inclyta ſaltus,
Circumfuſa vagis incluſæ amplexibus vrbi,
Quæ non tecta modo ciuilia,materiei
Fœlici vbertate omnes conſeruat in annos,
Nec tantum bona delitiis,aut denique blandæ

Natæ

Nata voluptati, ac pinguis fœcunda ferinæ,
Verum etiam generosa suo se marmore iactat.
Quod fundis lapidum crescentem semper ad vrbem
Mittit inexhaustis, qua proxima spectat ad ortus
Hybernos aurora tuos, decliuis in Austrum
Diuita, vix passum tria milia, tam prope tantas
Naturæ produxit opes clementia, tanta est
Illius vbertas, tam diues copia syluæ.
Nam iuga paulatim qua surgit in ardua, totis
Saxea visceribus subsunt sola, dixeris vnum
Esse omnes lapidum colles, nam pluribus antris
Eruitur, passimque specus natiua theatra
Saxifragi ducunt, vnoque è marmore muros
Ingentes, nusquam rimæ, non vulnera saxum,
Vlla per integrum, nisi quæ fecere ruendo
Cædentes latomi lapidosi viscera montis.
Nam cuneis scindunt, multa vi fissile saxum,
In partesque secant varias, quadrasque recidunt
Informes grauibus poliendas inde dolabris,
Artificique manu structuræ in nomen ituras.
Assiduo videas studio feruere laborem.
Frustra recidentum camerati è fornice saxi
Atque ipsos pendere velut de rupibus altis
Molirique suis è sedibus ardua montis
Viscera, saxifrago valles plangore resultant.
Illi operi incumbunt, atque ictibus aera rumpunt
Perpetuis, iam saxa caua de sede recisa
Prona ruunt, vastoque trementem pondere terram
Concutiunt, longo sonitu nemus omne remugit.
Nec minor his labor est, qui fortibus ordine longo
Curribus expediunt, & in vrbem saxa reportant.

FONS AD LAPIDICINAS.

CAP. XII.

PRæterea arboribus locus est & amœnus & vmbris
Frigidus, & iuxta fons in conualle propinqua,
Abiete sub nigra manat gelidissimus vnda,
Inclusus secto lapidi, sitientibus olim
Dulce refugerium, non illum Solis iniqui
Contingunt radii, non densum frigus adurit,
Tam rami nemoris sempet frondentis inumbrant.
Et munit natura loci, nam pressas in ima
Valle coarctatur lapidum munimine pulchro.
Vt si forte sitim sis extincturus, ad ipsum
Descendisse tibi sit per bis terna necesse
Limina iunctorum graduum, nec prodiga tantum
Præbet adhærenti latomorum pocula turbæ:
Verum etiam vrbanæ sæpe oblectamina plebi,
Matronis, senibus, pueris, nutribusque puellis
Exhibet, siue etenim dum formosissimus annus
Permittit, veniunt, & vina liquentia secum
Vina cibosque ferunt, & grati fontis ad vndam
Syluestri celebrant conuiuia læta sub vmbra
Ipse ego (nam memini) lustro iam rite peracto
Ad fontem salientis aquæ cum sæpe venirem,
Tam sum conueniente loci dulcedine captus
Illius, vt cuperem tentoria figere, & illis
Exigere hoc reliquum (Musis præsentibus) æui,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [177] - 153
PUBLIC DOMAIN

Et locus eſt Muſis certe ſic commodus ipſis,
Vt ſi forte velint noſtras habitare per oras,
Non alium legiſſe locum, nec quærere vellent,
Non alios fontes. Sed enim quia fonte ſub iſto
Sæpe Venus latuit, leuis & ſua tela Cupido
Torſit ab his latebris per inertia pectora amantum
Diffugere Deæ, non tam loca pulchra peroſæ
Quam non eſſe loco ſua commoda, qualia vellent
Qualia vel deceant Heliconia templa colentes.

ARMAMENTARIVM VRBIS PVBLICVM. CAP. XIII.

AD luſus natæ, non ad dicenda Camœnæ
Arma mihi, nunc arma mihi memorare nec eſſe eſt.
Sed tantum memorare, nec in fera prælia ducta
Nec bello commiſſa, ſed in fera bella patata:
Qualia nulla prior vidit nec protulit ætas,
Talia, in euentum quemuis ſpectantia belli,
Continet vna domus, domus vna ſed ampla receſſu
Multiplici, rerumque capax, quis talia Regum
Arma habuiſſe queat? quamuis nunc omnia multis
Artibus armorum loca ſint plæniſſima, nulli
Contigit, illa tamen tantarum gloria rerum,
Quantas hic populus cumulatis poſſidet armis.
Quid moror in minimis, & nomina parua canendo
Defraudem maiora loco? Quis dixerit autem,
Quis facile expediat, quot milia chiriboardæ?
Quot baliſtarum pendentum? quantus aceruum
Congerat haſtarum numerus? vis quanta bipennum?
Quis modus harpagonum? quis ferrea tela, ſecures
Herculeasque ferat clauas? quis in ordine glandes,
Multiplici poſitas, globulosque ex ære rotundos?
Quid clypeos frameasque loquar grauidasq; pharetras?
Aclidas, Anconasque Macedoniasque fariſſas?
Quid tormenta vagas iaculantia in aere flammas,
Saxaque deciduo ſternentia pondere quicquid
Contigerint? quid mille aliis data nomina telis?
Omnia quis numero capiendis vrbibus apta
Inſtrumenta queat comprehendere? longior æquo
Efficiar, ſi cuncta velim deſcribere, quorum
Nomina vix capiunt faciles horrentia Muſæ.
Verum age terrifici veriſſima fulmina Martis
Expediam, ſonitus dictas de nomine rauci
Bombardas, hominum clades, rerumque ruinas,
Murorum tormenta, Deorum ſigna furoris.
Tales mille tamen, videas hic ære ſonoro
Artifici factas opera ſtant curribus altis
Innixæ validisque rotis, ſtant ordine longo,
Et vario tormenta Iouem motura tonantem,
Terribiles viſu formæ, licet arte magiſtra
Nulla laborati maior ſit gratia facti.
Illas ſæpe videns aliquis dubitauit, an eſſet
Plus operæ precii, quam quod foret artis in illis,
Cum tamen ex æquo ſpacio conſtaret vtrumque.
Nam quia non vſquam fundendi operoſior æris
Gens alia eſt, Europæ inter latiſſima regna,
Quam quæ de veteri, ſi vera eſt fama, profecta
Noride nomen habet, quæ nunc impoſta ſubacto
Mœnia Pegneſo colit, haud res mira videri

Debuit

Debuit his alias, si vincit rebus & vrbes,
Et populos, quando hæc etiam maioribus ætas
Prævalet armorum studio, decore artis & vsu.
Nam quid ad hæc collata queant vetera arma videri?
Queis neque nunc ratio vlla, nec est locus vllus, vt olim
Ariete cum duro quaterentur mœnia, nec dum
Tanta Cyclopæos afflarent fulmina muros,
Diruerentque etiam validas vno impetu turres,
Fœlices quos illa tulit prior omnibus ætas
Aurea, & insani studiis innoxia belli,
Et nihil armorum, nec talibus indiga rebus,
Quæ pia pacificæ tollunt commercia vitæ.

HORREA PVBLICA.

CAP. XIV.

VRbis in Herciniæ medio sterilique locatæ
In regione situm quis nesciat? vnde nec vsus
Diuitis vber agri, nec earum copia rerum
Vlla sit vnde famem propellere possit egentum
Turba hominum? tamen ex aliquo ceu diuite cornu
Affluere huic populo, quibus & se possit abunde
Atque alios plures, quis non miretur? in annos
Pascere si qua ferat rerum fortuna nouarum
(Quod procul auertant superi, tranquillaque pacis
Dona salutiferæ nostris superesse diebus
Annuat, atq; omnis tribuat Deus arbiter æui.)
Copia qua ratione tamen tam fertilis vrbi
Affluat huic, vt pauca loquar, nec singula dicam,
Vt taceam prudens quibus artibus ista Senatus
Prospiciat, qua sunt reliqui moderamine ciues.
Publica fruge grauem sunt horrea multa per vrbem
Horrea Trinacrii nunquam cessura coloni
Messibus, & flauo quæ Gargara ditia cultu,
Et quæ mirentur Lybiæ Cerealia ruta,
Horrea frumentis plenissima, finxeris autem
Esse humiles fortasse casas, ne talia fingas,
Horrea sunt magnorum operum, atque ingentia tecta,
Magnificæque domus, quarum par quælibet altis
Arcibus esse queat, sed non quam structa decenter
Exterius, sed quam sint intus ditia, refert
Quam iaceant frumentorum genera omnia magnis
Accumulata tot annorum per secula aceruis.
Et licet accumulent nunquam non horna vetustis
Plus veterum tamen esse ferunt, eademque manere
Posse decem decies, decies quoque quinque per annos,
Quorum multa tibi præbebunt horrea nostra,
Siue igitur dura sæuus, quod abominor, hostis
Obsidione premat, non vrbi copia deerit
Quarumcunque opus est per talia tempora rerum.
Non tantum frumenta etenim cumulata reponunt,
Verum aliis etiam penuaria plurima rebus
Plæna tenent, quibus excidium propellere possint
Incumbens, hostisque minas contemnere inanes,
Tempora seu diræ famis inclementia cœli
Duxerit aut duri, sternens furor omnia Martis
Nulla erit hic metuenda fames, quæ corpora letho
Hauriat, aut miseros cogat sua pignora ciues
Deserere, atque cibos aliena quærere terra.

Possumus

Possumus hoc testari etiam quod vidimus ipsi
Cum paucis annona fuisset carior annis
His aliquot, quali ciues pietate Senatus
Fouerit afflictos rerum & pietatis egentes.
Namq; vbi coacta Ceres magno veniret, & essent
Omnia difficili stipe per fora cuncta paranda,
Horrea clausa diu referari iussit, & inde
Sumptibus expositas magnis compinsere fruges,
Et populo Cereris iustissima pondera vendi
Dimidio precio illius, quo publica passim
Per fora vendebant alii, penuria donec
Desiit & rediit Christo duce frugifer annus.

CVRIA.
CAP. XV.

SEd quo te memorem domus inclyta carmine? cum sis
Non minima assumpti pars nec spernenda laboris,
Curarum domus, & sancti veneranda Senatus
Regia, Scotigenæ quæ prospicis alta Sebaldi
Culmina, viciniq; vides fora maxima circi.
Quanquam nemo satis te carmine pinxerit vllo
Pro meritis, pro laude tua, cui cedere iure
Debeat antiqua notissima curia Tulli:
Aggrediar tamen, & tantæ non omnia paruo
Ornamenta domus referam, sed pauca libello,
Quæ si non alio memorabilis esset honore
Hoc laudata satis fuerat, quod talibus esset,
Ingeniis habitata patrum, qui maxima rerum
Pondera cum subeant, possunt & maxima ferre.
Nunc est & reliquis ornatibus aucta, superbo
Structurarum opere & luxu loca sancta decenti,
Non nimio tamen, aut muliebriter informato,
Sed casta dignoque viris nam plurima Regum
Continet exterior simulachra, heroica gesta,
Picta per effigies auro minioque superbas.
Intus fornicibus surgunt de marmore secto
Atria, non vllo non tempore peruia, quorum
Clausa pauimento, subter loca carceris vmbræ,
In quibus aut meritos pœnam aut quos vltima fato
Supplicia expectant, custodia dura coercet.
Inde gradus surgunt duplices quibus itur in aulam,
Aulam tam iusto spacio quam diuite cultu
Conspicuam, totamque sua sibi mole patentem,
Nulla columnarum series intersecat, aut quæ
Libera præpediat spacia, aut testudinis altæ
Pondere sustineat, fulget laquearibus aureis
Nuda superficies, tastigia summa relucent
Auratis trabibus, connexique vltima tecti
Limina, subiectis multum est in partibus aurum.
Plurima parietibus fulgent decora inclyta pictis,
Siue ducum, quos iusticiæ pulcherrima vexit
Gloria, siue hominum, per honesta exempla beatis
Æquiparandorum superis, hic illa seueræ
Iusticiæ sedes, & dignum laude tribunal,
A quo nemo insons vnquam, nisi victor, abiuit,
Nemo nocens vnquam potuit, nisi victus abire,
Parte alia (nec enim simplex domus illa nec vna est)
Maxima porticibus surgunt conclauia latis,
Digna Deum dapibus, Regum dignissima mensis,

Tam

Tam sunt magnifico parte omni splendida sumptu,
Tam iucunda grauem commendat gratia luxum
Pulchra suis videas fulgere toreumata signis,
Nec tam facta manu, quam sponte enata putaris:
Nec desunt tabulæ præclara opera excellentum
Artificum, positæque alios leones in annos
Clarorum Heroum, quos maiestate verendos,
Maiestas plus ipsa loci commendat. Vt autem
Plurima prætream non his dicenda Camœnis:
Quid grauis eximium loquar Augustale Senatus?
Quo sacer ille patrum chorus, & clarissimus ordo
Confluit, & summis vrbana negocia curis
Versat, & æquata metitur cuncta bilance
Pondera. Cœliferos delassatuta Gigantes.
Sed tamen hic nolim disertior esse videri,
Ne malus obtrectet, sicut solet omnia liuor
Forsitan & causam dicat quæsisse ferendi
Auribus incautis, fucum facientia verba.
Hoc metuens nihil adiiciam, nihil amplius addam,
Vix etiam hæc ausus paucis attingere verbis.
Inde canam potius quæ plus habuisse fauoris,
Et minus inuidiæ possint, nunc cœpta sequemur.

FORVM MAXIMVM.

CAP. XVI.

IAm foro ciuili si prosequar omnia versu,
In quibus hic populus diuersa negocia tractat,
Offendam placidas nimiis ambagibus aures:
Non quia non meritæ sint eæ quoque nomina partes,
Sed quia de multis ego scribere pauca volebam,
Quæ cum ter tria sint, de ter tribus attinet vnum
Dicere, quod reliquis cum sit spatiosius omni
Præualet hoc etiam quod & est præciosius ipso
Cultus luxuria, rerumque frequentius vsu,
Cuius ad æquales quadrangula linea partes
Ducitur, æquali spacio sibi dissita ab omni
Limite, sic quadrata fori sit forma, patentis
Terque quaterque decem passus vel plus minus, omni
Parte sui, spaciis tam ingentibus area quadrat,
Tam celebris non pauca fori commertia possem
Si numerare velim, quæ vulgi postulat vsus,
Omnia quæ populo venduntur, emuntur, aguntur,
In medio conuenta foro, quod tempore nullo
Cessat, & insano strepitat prope murmure turbæ
Assedue eo euntis, & inter sese agitantis,
Magnaque, paruaque, facta infecta negotia rerum,
Milia tot capitum, nullo non pene dierum
Conueniunt, strepitu tanto feruore forensi,
Vt si cui vel apum libeat componere densis
Agminibus, cum tota suis ex anima lucis
Conglomerantur, & arboreis in frondibus hærent
Vel formicarum verno sub Sole ferenda
Mole laborantum turbis, non friuola peccet,
Non etiam simili non possit imagine duci
Vsus & apposita rem demonstrasse figura,
Quando per ingentem Germani nominis oram,
Non aliam populus numerosior incolit vrbem,
Nec minus est facies speciosa & splendida pulchri
Quam spatiosa fori, namque vndique pulchra coronant,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [181] - 157
PUBLIC DOMAIN

Atque opera atque domus pulchrę ſumptuque ſuperbæ,
Vtque aliquid (quoniam locus iſthoc poſtulat) horum
Libemus, paucis quædam liber ædere verbis.

FONTIS PVLCHERRIMI DESCRIPTIO.

CAP. XVII.

A Dextra regione fori qua cliuus ab arce
Deſinit extremus ſtat pyramis acta ſub auras
Perſpicua, & variis operum cælata figuris,
Marmore tota nitens, atque auro tota coruſcans,
Creber apylis, & multiplici, tanquam ordine ſtructis
Turribus aſſurgens, topiaria dicere poſſis
Eſſe opera, at mollem non fallunt marmora tactum.
Circumſtant ſimulachra virum de marmore ſculpta,
Atque auro cælata, quibus florere per orbem
Cura fuit rebus per fortia facta gerendis.
Totum opus exterius circumdat ferrea ſepes,
Cancellis contexta ſuis, de marmore Crater
Intus, & vndanti refluens aſpergine labrum,
In quod defluit vnda, bis octo canalibus æreis,
Quas capita humano rictu deformia ſæuis
Dentibus apprenſas retinent, teretesque tenaci
Ore ſpuunt vndas, quarum non larga ſcaturit
Illo vena loco, ſed quam de fonte ſequaci
Terreſtris longo deducit fiſtula tractu.
Non vt aquas olim plures Romana ſolebat
Ducere, & obiectos terebrare potentia montes,
Atque æquare cauas ſtructa teſtudine, valles.
Noſtrum opus eſt operæ leuioris, & approbat ætas
Ipſius hæc vſum. Quare ſeu nomine fontem
Seu quis caſtellum (quod nunc deſcribimus) olim
Hoc opus appellet, nihilum peccarit opinor,
Dummodo non merita fraudata hæc laude feratur
Pyramis, æternumque ex noſtro carmine nomen
Inueniat, quem nos fontem dixiſſe iuuabat.

TEMPLVM VIRGINIS MATRIS IN FORO.

CAP. XVIII.

AT parte ex alia templum adiacet, hoc opus ipſi
Non vulgare foro decus, ædificauit honori
Matris Chriſtiparæ, quæ quartus nominis huius
Carolaus Auguſtus Romani inſignia geſſit
Imperii, donisque volens Regalibus auxit
Templum à ſe poſitum fotibusque inſigne ſuperbis,
Quæ fora proſpiciunt, auroque & imagine multa
Veſtibulum adiecit, cuius ſuprema theatri
Pars ſpeciem præfert, & ſi res poſtulet vſum,
Namq; ex hac (velut arce) hominum conuentib. amplis,
Relliquiæ monſtrabantur, cum nuper adhuc dum
Vana ſuperſtitio floreret, & impia in iſthæc
Relligio vitio humanas terrentia mentes,
Ficta licet ſtolidæ, miracula credita, plebi
Relliquiæ fuerant, quæ nunc quoque nata ſuperſunt,
Carole Magne tua, & noſtrorum inſignia Regum,
De cruce ſaluifica, & quæ Chriſti exangue perempti
Tranſit haſta latus, non aſpernanda profecto

Munera

Munera,sed veneranda etiam,si sola vetestas
Commendat meritorum haud immemor,aut male grata
Non etiam cultis nimio obseruentur honore,
Sicut adorantum. Sed nos ad cœpta feramur,
Hoc seu vestibulum,seu verius æmula priscis
Porticus ista foro,lucem & decus adiicit ingens,
Quæ cum magnifice cælata sit intus & extra,
Eximio pede adusque alti fastigia tecti,
Diuersorum operum formis,vatiisque deorum
Atque hominum statuis,etiam,cum postulat vsus,
Præbet adorantum populo spectucula Regum,
Infantique Deo sua mystica dona ferentum:
Quæ super æquales,auratus circulus,horas
Indicat,& sonitu notat æris nola canori.
Tam speciosa igitur,tantoque extructa labore
Porticus,impensis templum superauerit ipsum,
Cui coniuncta pateris,in partes quatuor hæret.

XENODOCHION MAXIMVM INTRA VRBEM.

CAP. XIX.

SI quis honorificam qui laudibus euehat vrbem,
Noridos Herciniæ,summum pietatis honorem,
In miseros,& in afflictos,& rebus egentes
Prætereat, non ille satis fecisse labori
Assumpto queat,aut vere laudasse videri.
Non alium siquidum populum per Teutonis otam
Munificum magis,aut vera pietate priorem,
In miseros facile inuenias,tot præstat egenis
Officia,& totam tot Xenodochia per vrbem
Instituit,quorum quod præualet omnibus,atque est
Eximum, nunc carmen erit,sed vt omnia paucis
Cetera quæ canimus. Medio iacet vrbis ad amnem
Illa domus,cui siue voles dare nomen ab ægris,
Siue dare hospitibus ius & fas cuilibet esto,
Dummodo res constet nobis, nunc Xenodocheium
Arrisit,siquidem versu riderer inepto,
Si Nosocomion dixissem aut Nosocomion,
Et ferme his desunt Romana vocabula rebus.
Illa igitur domus in ripa Pegnesidos vndæ
Vrbe sita est media,specie pulcherrima, sumptu
Splendida,structura insignis,quo nomine magnorum
Arcibus æquiparanda Ducum, nam magna vetustæ
Accessit domui pars nuper,vt amplior esset,
Atque capax hominum magis vt crescentibus annis
Crescit,& vrbanæ maior fit copia turbæ:
Atque ideo plures etiam quos tristis egestas
Opprimit,aut morbo populati corporis artus
Destituunt,nec cura domi potis vlla leuare est:
Quin pereant dulcesque relinquant luminis auras,
Rebus id angustis & dura sorte coacti:
Ni cito magnifici pietas animosa Senatus
Suscipiat,curamque aliis quoque mandat haberi,
Qui domui præsunt,quorum domus omnibus apta est
Ista ministerio miseris,& agentibus ægris,
Quorum ingens numerus,que semper maxima turba est:
Sumptibus immensis alitur,sed & arte medendi
Præditus ingenti conducitur ære Machaon:
Qui læuet auxilio,quibus est opus,atque ita seruet,

Quos patitur ſeruare datam natura per artem,
Vſibus iis præſens vt ſit medicina, ſub ipſis
Ædibus adiectum eſt non pharmacopolion vllt
Deterius, totam quæ ſunt non pauca per orbem.

TEMPLVM XENODOCHEO IVNCTVM. CAP. XX.

His etiam adiunctum templum vetus ædibus hæret:
Non tam mole ſua, aut vlla memorabile cauſa,
Quamque relliquias (quas diximus ante) receptas
Continet & Romanorum diademata Regum
Queis ſine nec fieri, Cæſar nec verus haberi
Auguſtus poterit, ſi non inſignia ſumat
Hinc ſua, Cæſareæ namque eſt hic illa coronæ
Gloria, qua regni conſtat jus atq; poteſtas
Maxima Romani (namque hoc nunc more loquuntur)
Hæc quoties alicui defertur tanta poteſtas,
Hinc petitur, delata huc conditione refertur.
O decus, o vrbis pulcherrima gloria noſtræ,
Quæ ſola hanc meruit, quæ nulli contigit vrbi
Gloria perpetuis non interitura diebus.

XENODOCHIVM AD DIVVM SEBASTIANVM. CAP. XXI.

Atque vt præteream duo Xenodochia, nec omnem
Materiam quæcunque offert ſe ſponte, loquaci
Carmine conſecter, certe quod carmine dignum
Xenodochion erat longe hoc meliore, canemus.
Planitie diſtante ſitum, ſub mœnibus vrbis
Milſe fere paſſus præterlabentis ad amnem
Pegneſi ſacrum diuo quem tela Tyranni
Confeciſſe ferunt magnum ſpernentis Ieſum
Templum hic exiguum, ſed cultum & denique multa
Relligione ſacrum, iuxta domus ædibus amplis
Quatuor in partes diuiſa, nec ordinis vllum
Commodioris opus quenquam vidiſſe putarim
Tam ſunt porticibus adſtructa cubilia lor, gis
Ordine perpetuo ſibi reſpondentia, quantum
Quattuor in ſpacium patet area lata domorum,
Totum opus æquali ſpecie parte extat, ab omni
Quadrato extructum ſaxo, locus arte ſituque
Pulcher & eximius, nec quo ſit amœniot alter,
Huc cum ſæuit atrox inimico ſydere peſtis,
Crebraque vulgati popularunt corpora morbi,
Infecti lue peſtifera triſtique veneno
Portantur, ne dira lues collectior vrbem
Polluat, & regnet totum intra mœnia virus.
Ergo extra ægra ferunt Iethali corpora morbo
Seu ruitura neci, ſeu reſtituenda ſaluti.
Et curas adhibent, dum ſpes ſuper vlla trahatur.
Præterea quos Mentagræ ſerpentis adurens
Corrupuit ſcabies, illo curantur, & illo
Accipiunt alimenta loco, dum corpora morbus
Deſerat & membris decedat noxius humor.
I nunc eſſe nega veræ pietatis amantes,
Quos tam certa trahunt alienæ vota ſalutis.
I confer quoscunque potes per Chriſtidos orbem
Subiectum regno fidei, quando iſta per omnes
Nota plagas, alios durant memoranda ſub annos.

QVA-

QVATVOR LEPROSORVM XENODOCHIA EXTRA VRBEM. CAP. XXII.

SVnt etiam ſua leproſis, regionis ad oras
Quatuor ante vrbem, partem ſub quamlibet vnum
Hoſpitia ædificata foris, qua ſtrata viarum
Publica, diuerſis ducunt regionibus vrbem,
Sumptibus omnia munificis dotata, nec vlla
Vel decorata minus, vel egentia parte relicta
Singula templa adſunt illis quoque cuilibet horum
Adlidet & ſtudii & morum ratione probatus
Sacrarum interpres rerum, verbique miniſter.
Vſque adeo nullis (quanquam vel inutilis) ordo
Negligitur, quin corporibus quodcunque mederi
Atque animis poſſit, larga pietate miniſtrent,
Qui Pegneſiacam populus ſacer incolit vrbem.

TEMPLVM DIVI PETRI, QVOD SEBALDINVM VOCANT. CAP. XXIII.

NOn quia templa Deo placeant, quæ marmore & ære
Humanæ fecere manus, qui corda piorum
Incolit, & mentes habitat ſummo æthere dignas;
Sed quia magnificum nihil omiſiſſe per vrbem
Illuſtrem, mihi cura fuit, quod carmine nullo
Attigerim, breuibus licet omnia exequar dictis
Hanc etiam memorare animo calor incidit ædem
Sacram Patre tibi cœleſtis clauiger aulæ.
Tum quia magnifico ſtructa eſt opere, atq; labore
Artifici perfecta nitet, tum ſacra vetuſta
Relligione patrum, & multos celebrata per annos
Templum auguſtum, ingens, celſis ſublime columnis
Ædificatum intus, latum teſtudinis altæ
Fornicibus crebris, & totum marmore ſecto
Præterea donis opulentum, diues & auri
Diues & argenti, quæque eſt memorare moleſtum
Nobilibus gemmis pictai veſtis & oſtro.

SEPVLCHRVM DIVI SEBALDI. CAP. XXIV.

EXtat in hoc templo monumentum inſigne Sebaldi
Quem diuum pars magna vocant, hic primus ab orbe
Externo veniens, fertur loca noſtra colentes
Chriſticolam docuiſſe fidem, pro cuius honore
Officii meritisque piis his cultibus illum
Affecit pia cura patrum, teſtata ſalutem
Hoc primum doctore ſibique ſuisque paratam,
Atque ideo hoc illi poſuere inſigne ſepulchrum
Officii memores, quo non præſtantius vllum
Siue manu ſiue ingenio, ſiue arte magiſtra
Contendiſſe libet, totum eſt ex ære intenti
Artificis cælata manu, pulcherrima moles,
Naturæ variis operum, forma omnis ab imo
Surgit epiſtiliis fracta excreſcentibus inter
Serpentum ſpecies operoſa toreumata florum,
In ſumma coit & pulchri faſtigia tecti
Contrahit, ipſa etiam variis cælata figuris.

Non augusta tamen, ne vertex summis acutum
Pyramidem faciat, quanquam tres pyramidales
Adsimilet conos, circum capitella columnis
Addita sunt, spiræque breues, torulique rotundi
Atque abaci teretres quibus, aut simulachra Deorum
Aut hominum insistunt, videas colludere fictas
Arte puellarum effigies semperque nouatos
Formarum vultus, colubros adrepere, nudas
Stare puellarum species tenus ilia, donec
In caudas abeant media plus parte Draconum.
Quid statuas alias memorem matrumque virorumque
Has nudas, illas armis & vestibus aptas?
Quid tot quadrupedum formas? tot sculpta leonum
Corpora? nudorum infantum quid mille figuras?
Musa nec vlla queat tanto satis esse labori,
Nec verbis æquare opus immortale futurum,
Quod neque praxiteles, nec Myron, nec Polycletus,
Nemo Chares, nemo Scopas reprehendere possit.
Quanquam fama illos sculpendi nobilis ætis
Commendat, nostros melior peruenit in annos
Gloria. Sicut enim fuit ignorantior ætas
Et rudis illa prior, sic nos crescentibus annis
Crescere, & inuentis meliores addere rebus
Par fuit, & veterum vinci feliciter artes.

TEMPLVM DIVI LAVRENTII.
CAP. XXV.

DIximus augustam legati principis ædem
Qua magis eximio structuræ excellet honore,
Cratifero sacrum iuueni, quod in æditiori
Arce situm, se mole sua, spectabile templum,
Exhibet, apparetque procul, sublime duabus
Turribus assurgens, paribusque sub æthera tendens
Pyramidum tectis fulgentibus, ære coruſco,
Quæ super aurati, & vicini nubibus orbes
Stant gemini, tum tecta auro distincta refulgent.
At pars inferior quadrati è marmore saxi
Stat solida ipsa suo velut in se pondere nitens:
Parte hac vestibulum vergens in syderis oram
Occidui, stat magno aditu, stat limine celso,
Stat fotibus fultum egregiis, magnoque labore.
Arte laboratis magna tam pulchra rotundis
Signa Peristyliis superastant, qualia circum
Parte ab vtraque fores ornant, & limina templi
Ipsa intus templi facies, tam plæna decoris
Omnigeni apparet, tam maiestate verenda
Ingressis patet, vt tacita perfundere possit
Religione animos, fornix altissimus ipsos
Pene etiam visus refugit, populoque minatur,
Cuius magna tamen grauibus testudo columnis
Suffulcita sedet, quarum longissimus ordo
Agmine dimensus duplici, discrimina præbet
Fornicibus tria, quos inter celsissimus omnes
Est medius, minor extremos mensura coercet.
Huius diuitias templi nec dicere promptum est,
Nec libet, & nec erat nunc his locus, ergo relictis
Templorum sacris aditis, ciuilia rursus
Aggressurus eram miracula, ni mea vota
Iam directa alio res vna morata fuisset.

ÆDICV-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [186] - 162
PUBLIC DOMAIN

ÆDICVLA CORPORIS CHRISTI IBIDEM.

CAP. XXVI.

ÆDicula hæc illa est, in qua secrata reponi
Hostia consueuit, crucifixi corpus Iesu.
Hostia non iterum sacras mactanda per aras,
Pro nobis mactata semel, quæ nullius vnquam
Siue domus eguit, seu captu ignobilis arcæ
Includi potuit, tamen hic humana voluntas
Anxia plus æquo diuini semper honoris,
Per cultus operum, fidei pietate sepulta,
Talia construxit sacras monumenta per ædes.
Sed quia nunc fidei non est susceptа tuendæ
Vlla mihi ratio, sed tantum opera inclita rerum
Dicere, quæ nostram sunt plurima nota per vrbem,
Sed celebrata minus, visum est & carmine dignum
Hoc opus ædiculæ nulli fortasse secundum.
De genere hoc operum, niueo stat marmore fultum
Vegrandi pede, quam subtus nituntur Atlantes
Tres, velut incumbat moles ruitura, nisi ipsi
Sustineant, mox cœpta basi consurgit ab ima
Celsæ Pyramidos turris simulata figuram.
Quanquam stricta magis longæque simillima virgæ
Ardua conuexa testudinis vltima tangat:
Marmore tota nitens, tota exactissima miro
Ingenio artificis, variusque & lumina fallens
Ordo columnarum, quas circum perque supraque
Textile surgit opus, tanquam si marmora flexu
Curuentur, flexusque sequacia fila morentur.
Non secus ac ramis sese textura recurtis
Implicet ac mutata loco noua fiat, ita omni
Arte columellæ variant, semperque renata
Consurgunt aliæ, quas inter mille relucent
Signa velut viuum spirantia, dixeris ipsi
Infudisse animas lapidi qui fecit, vbi autem
In summum iam creuit opus, iam contigit arctum
Fornicis excelsi, nec iam super vlla relicta est
Crescendi ratio, tum se de vertice summo
Tanquam obstante sibi testudine fracta recurvat,
Quæ si cuncta aliquis miranda putarit in ære,
Quod fundi fingique potest, flecti atque reflecti,
Cur non hoc potius miretur marmora frangi
Dura modo vt manibus videantur posse reflecti?
Cetera quæ dicenda super mihi plura fuerunt
Admirata operis splendorem, Musa negauit.

OFFICINÆ FERRARIÆ.

CAP. XXVII.

SI gens præcipuo laudata est Norica ferro
Semper, & hoc veterum testantur scripta virorum.
Quid mirum si qui populus sit origine auita
Noricus, vt fama est, patriæ memor antiquæ,
Ferrum amat, vt ferri laudem sibi vendicet vni,
Tractandi per mille modos, ac mille per artes
In ferrum gens nata, piæ seu commoda pacis,
Seu gerat insani furiosa negotia Martis,
Nam modo quis populus Vulcania doctius arma,
Quaque supra petit illabens, per summa domando

Complures posuere domos miracula ferro
Namque quis aspiciens quanta se mole rotarum
Voluat opus, quanta ferrum vi distrahat, vt sit
Perfectum ingenio, iam possit vt vnus & alter
Quod non mille viri poterant nondum arte reperta.
Ista videns, quis non miretur? & omnia retro
Secula desidiæ damnet, qui talia nunquam
Cognorint nostrorum hominum præclara reperta.
Magna rota ingentem vi fluminis acta cylindrum
Fert secum voluitque rotans, pars vltima cuius
Dentibus armata est crebris, qui fortiter acti
Obstantes sibi machinulas rapiuntque feruntque,
Ni rapiant remotaturos ipsosque rotamque
Vndasque grauidumque ingenti mole cylindrum.
Ergo vbi vi tanta correpta est machina pendens
Inferius, molem supra mouet ocyus omnem,
Instrumenta regens, quibus atri lamina ferri
Scinditur, & varios rerum tenuatur in vsus.
Nunc has nunc alias aptissimas sumere formas,
Vi nempe indomita iussu parere coacta.
Ferrea nam videas capita assimulata Dracones
Alterum ab alterius morsu diuellere ferrum
Dentibus, hic retinet, massam trahit ille Draconum.
At hoc dum faciunt, ita se perniciter vrgent,
Certantes crebris inter se alsultibus, ac si
Pro vita non pro ferro certatur vtrinque,
Atque ita dum rapidis ferrum rude morsibus arcent,
In filum teres expoliunt, quod ab ore receptum
Vipereo, adsistens in mille volumina curuat.
Quis Deus hanc Musæ, quis tam memorabilis artem
Ostendit cæsus? non ille aut Thracius, aut Cres,
Aut Italus fuit, ingen o qui claruit illo,
Vnde hanc humanis concesserit vsibus artem,
Sed Germanus erat, sed Noricus ille diu rem
Inuentam occuluit, quia sicut semper auarum est
Humanum ingenium, solus percepit & artis
Commoda multiplici sibi respondentia fructu,
Inuiditque aliis, quod per se solus habebat
Inuentum, ac prope se natum, haud aliunde repertum.
Donec (vt æternum non res potis vlla latere est)
Ars noua clausa diu erupit, venitque sub auras
Sponte sua, vinctam sese indignata teneri.
Parua gradu primo, mox euulgata frequenti
Ambitione hominum creuit, nec se amplius intra
Antiquos tenuit fines, iam libera, iam se
Ipsam non capiens in summum euasit, ab illo
Non habituro locum, quod deinde ascendere possit
Hoc opus in tenues ferrum deducere chordos.
Nec minor ille labor, quo cetera ferrea cudunt
Instrumenta vel armorum vel pacis amicæ,
Loricas, ocreas, galeas, thoraces & enses:
Quæque alia armorum norunt genera arma periti.
Sponte ea prætereo, quæ sunt vulgaria, quæque
Non solum rigidi fiunt de robore ferri,
Verum etiam varias ex ære parantur in vsus,
Seu tu signa voles, seu vasa Corinthia nusquam
Vel plura inuenies vel nobiliora parari.
Seu te flexibilis liuentia pondera stanni:
Siue sonora iuuant de flauo facta orichalco,
Grandibus hic liquefacta fluunt tibi cuncta caminis,

In ma-

In massasque abeunt ingentes, inde rebelles
Informant variis impostea incudibus ictus
Ter centum in species, circum fragor intonat ingens,
Non secus ac vastis Siculæ sub molibus Ætnæ
Fulminei Cyclopes in æra sonantia crebros
Ingeminant ictus, repetitaque verbera miscent.
Lata sonant maria & vicinæ Doridos vndæ.

VERDA SVBVRBIVM. CAP. XXVIII.

POstquam laudatæ scribendo excessimus vrbis
Mœnibus & fluuium iuxta spatiamur amœnum,
Admonet ipse locus, ne cum tot carmine in isto
Dixerimus partes vrbis, decora inclita, laudes,
Delicias vernæ fugiamus dicere Verdæ.
Passibus hæc domina quingentis distat ab vrbe
Qua videt exorti venientia lumina Solis.
Dulce sub vrbani ruris decus atque voluptas,
Præcipue cum floret ager, cum germinat arbos
Cum leuat vmbra graues æstus, cum gratus ad amnem.
Est locus in molli nobis spatiantibus herba,
Tunc locus ille suis pene ipsa gratior vrbe
Dotibus esse solet, siquidem situs vndique aperta
Planicie, quoquo versus tibi præbet amœnum
Prospectum, seu te libeat viridantia prata
Visere, prata iacent liquidum iucunda sub amnem,
Seu te syluarum facies frondosa virentum
Oblectat, prope sunt syluæ circumque renident.
Ipse inter saliceta virentia labitur amnis
Tam placidus quam purus aquæ, lenisque susurro
Formosam tenui redimitus arundine frontem,
Quem circum tenera saltans lasciuit in herba
Naiadum chorus, & nuper quoque nostra sequutæ
Pierides vestigia colludunt ludentibus vltro.
Heu quia tam pulchrum decus, & quia gaudia tanta
Deformat glacialis hyems, pro floribus almis
Spargens Sithoniasque niues gelidasque pruinas.

HORTI EXTRA VRBEM. CAP. XXIX.

NEc minor hortorum memorandis laudibus vrbem,
Gloria commendat, quorum tam copia diues,
Quam fuit Alcinoi nemorum, quæ mala ferebant
Punica, & ingentes malos, vuasque virentes.
Et dulces ficus, & florens germen oliuæ;
In quibus æterno florebant omnia vere,
Et fructus fructu super exoriente recenti
Consenuit, nulloque peribant tempore flores;
Et si qua his alia affinxit diuinus Homerus.
Nos neque fabellas, nos nec mendacia picta
Fingentes, canimus quæ nos conspeximus ipsi;
Delitiæ tantæ hic hortorum, tanta voluptas,
Quantas vix animo, qui non conspexerit ipse,
Concipiat, tanto pomaria ditia cultu
Florescunt, tanto superant pira mustea fœtu,
Quanto non aliis hortorum sepibus vsquam
Inclusi potuere piri, nec dulcia desunt
Poma breuis cerasi, nec mora rubentia succo
Sanguineo, est nucibus sua gratia, siue columnas,
Siue ea iuglandes tibi conciliare sueuit.

Noster

Noſter vt autumnus fert omnia, ſic quoque noſtros
Pruna Damaſcenis, nunquam ceſſura per hortos
Producit, nec quiſquam hic Perſica poma requirat.
Sunt & amigdalinæ glandes, ſunt mollia ſorba
Meſpilaque & lento ſtipata Cydonia ſucco,
Quid memorem totas contectos vitibus hortos?
Quarum palmitibus crebro topiaria flexu
Contexunt opera vmbrantes teſtudine denſa
Diſſectas per culta vias, arcentique moleſti
Sideris ardorem, pendent à vitibus vuæ
Deſuper, & poſitis præbent ſpectacula menſis
Grata toros viridi ſpargentes fronde comantes.
Maxima pars habet adiectas non deſide factas
Arte domos, ſed delitiis & luſibus aptas
Permiſſis, non luxuriæ aut ignobilis oci,
In quas vrbanis plerumque laboribus ægri
Exhauſtique ſuis quærentes ſumere curis,
Grata refrigeria, atque animos laxare volentes
Secedunt, gaudentque auræ tum deniqúe flatu
Liberiore frui, dum clauſis mœnibus aer
Æſtuat, & nulli perflant loca preſſa Fauoni.
Adſunt rorantes geniali aſpergine fontes,
Diſpergunt que lenes circum loca conſita lymphas,
Vitalique rigant pluuia, nam ſæpe ſub auras
Laxa relapſurum iaculatur fiſtula rorem.
Hæc eſt naturæ facies lætiſſima, ſeu ver
Intepuit, ſiue æſtatis tenet omnia feruor,
Siue ſeneſcentem concludit fructifer annum
Autumnus, nam triſtis hyems læta omnia turbat.
Has ego delitias hortorum, hæc gaudia tanta
Prætulere cunctis opibus, vitæque forenſi,
Et regum cellis domibus menſiſque Deorum.
Quod ſi ſic fortuna aliquando errarit, vt horum
Egerit huc aliquid, tum me vel diuite Crœſo,
Aurificoque Midæ credam magis eſſe beatum.

SCHOLA NVPER INSTITVTA. CAP. XXX.

SIue eſt hæc rabies plus quam ſcelerata malorum,
Siue eſt hoc fatale malum, quo tempore noſtro
Cuncta repentino ſunt præcipitata tumultu,
Artes, & ſtudia, & mores, & præmia recti
Quicquid id eſt, ſiue ira Deum, ſeu pœna malorum.
Præcipitata iacent vtique & vix poſſe videntur
A tam peſtiferæ ſe attollere cladè ruinæ
Rurſus & amiſſas per ſe ipſa reſumere vires:
Ni caueant vrbes, quarum eſt magis omnibus inter
Amiſſum reuocare decus, niſi denique Reges
Fractarum pergant opera inſtaurare ſcholarum,
Quod ſi non facient, quod ſi contemnere pergent
Hæc monita, has fido promptas de pectore voces,
Ne mihi ne libeat fœdam Germania cladem
Diuinare tibi, nec enim nunc vera monenti
Tu credes, donec veniant tibi plena querelis
Tempora cum ſeruo cupies ſapuiſſe, nec vlla
Cladibus ipſa tuis poteris ratione mederi.
Cum neque qui mores, neque qui ciuilia iura
Conſtituant, puerique tuis oſtendere poſſint
Cognita maiorum veſtigia, cum nec haberis,
Qui tibi vel magni poſſint oracula Chriſti.

vel

Vel sacra ventosæ mysteria tradere plebi.
Huius id aspiciens vrbis pia cura Senatus,
Hæc metuens ne damna suis in ciuibus olim
Contingant, cupiens miseram sarcire ruinam
Præmia proposuit studiis, eademque professis
Inuitans, qui forte velint cum laude futuros
Munere gratuito studiorum carpere fructus.
Interea & dandæ in paruis præludere palmæ
Muneribus, dum cuncta retro sublapsa feruntur,
In peiusque ruunt, nec erat satis æra magistris
Constituisse, ipsos etiam iussere foueri
Discipulos, gratæque dederunt commoda mensæ
Pluribus O Sancti nunquam laudata Senatus
Cura satis, quæ digna satis præconia tantæ
Vlla feram laudi, non si mihi ferrea pectus
Roboreum vox æquet, & vt mea carmina lucis
Vel minimum attulerint, at nos ventura loquentur
Secula, quæ sacris venient meliora Camœnis.
Atque vtinam plures imitantur, sicut ad omnes
Pertinet exemplum, quod vos imitabile cunctis
Proposuistis opus. Sed enim nunc denique sentit
Quantum vesanis Germania Bardocucullis
Debeat, in vulgum qui primi spargere voces
Ambiguas ausi, turbarunt iura scholarum,
Et morem discendi arteis, cœlestia dona:
Quæ quia sunt alio mihi deplorata libello:
Hic pretium non est operæ reuocare querelas
Ingratas, & nil vltra vtilitatis habentes.
Vester honos ô Noricidæ delecte Senatus
Vrbis, & inclita fama & gloria vera manebit,
Dum trahet instabiles vester Pegnesus arenas.

AD VRBEM NORIMBERGAM OPERIS CONCLVSIO.

CAP. XXXI.

ACcipe nunc mihi dicta tuas Vrbs inclita laudes,
Quas tibi nos quanquam plures debere fatemur,
Non tamen idcireo paucas spreuisse decorum
Has tibi erit. Quamuis mereantur maxima Diui
Munera, fronte solent hilari tamen omnia ferre
Qualicunque damus, sic te quoque munera vatis
Accipere ista tui, meritam meliora, decebit.
Qui maiora tamen potuit dare nulla, nisi ipsam
Vt tibi te daret, & tibi te laudaret, vt esses
Non aliis modo, verum etiam laudata tibi ipsi.
Nam nisi tu nostras auersa mente Camœnas,
(Quod de te prohibet probitas tua summa vereri)
Accipias, iam parta meo tibi carmine fama est.
Iamque ea succreuit nostro tibi gloria versu,
Quam nonnulla dies, non vlla extinguere possit
Mors, adeo cunctis veniens iniuria rebus.
Quod dare non potuit tantarum opulentia rerum,
Hoc tibi perpetuos abiturum nomen in annos,
Nos damus, hoc nostris nunc Noricaberga Camœnis
Si te sponte tua debere fatebere, maius
Nil mihi præstiteris, nostri hæc satis ampla laboris,
Summa erit, & merces mihi tu numerosa futura es.

FINIS.

EOBANI

EOBANI HESSI IDYLLION IN LAVDEM VRBIS NORICÆ

ad Doctissimum virum D. Hieronymum Baumgartnerum, scriptum & primo editum Norimbergæ, anno M. D. XXVII.

Hic quoque sylvestres paulum secedite Musæ,
Assuetæ salices mecum canere inter opacas
Naiadum chorus omnis, Hamadriadesque puellæ,
Syluarum Dominæ Dryades, florumque Napeæ,
Quæque vagæ summas habitatis Oreades arces,
Hæc agedum nemora, & vestri colite auia regni
Interea, & Satyris leuibusque assuescite Faunis.
Nos maiora vocant reduces in carmina Musæ,
Musæ non tantum caulas cantare suetæ,
Verum etiam claraſque domos, & culta potentum
Quantumuis timido pede, limina tangere regum,
Oblitæ syluarum, in opesque per auia vitæ.
Huc ades ergo mei pars non iniusta laboris,
Qui patrium cultis ducis cognomen ab hortis,
Pieridum sacris, Hieronyme docte, sub vmbris
Ocia ciuiles non destituentia curas;
Quem fautrix gremio fotum fortuna benigno
Extulit, & merito virtus in honore locauit,
Huc ades, & mecum ruralia verba perosus,
Ad desueta redi ciuilis carmina famæ.
Dum canimus claris præstantem dotibus vrbem,
Vrbibus ingenti quaſcunque in Teutonis ora
Sol videt, Europæ media in regione locatam.
Hic vbi flauentes pulcher Pegnesus arenas
Voluit, & eximiam piscosis flexibus vrbem
Per medium secat, & fluuio perfundit amœno.
Salue amnis victure diu, si forte camœnas
Vlla manet nostras venturæ gloria famæ.
Qui rapidus primo Phœbi nascentis ab ortu
Norica lenisluo percurris mœnia lapsu,
Vltima cum magno venturus in æquora Rheno.
Fœlix ante alias vrbes vrbs Noricabergi,
Digna tuæ qua voce feram præconia laudis?
Nulla reponendæ sat erunt Idyllia famæ,
Et referenda olim memores tua facta sub annos,
Fortunam Domina siquidem virtute gubernans,
Diues opum, fœcunda viri, pulcherrima cultu,
Legitimæ studiis asperrima militiei,
Nobilibus clara ingeniis quaſcunque per artes
Ire libet. Seu naturæ secreta latenis,
Seu te multiplicis Zonas & Climata mundi,
Astrorum ve iuuat casus cognoscere & ortus:
Nusquam culta magis floret diuina Mathesis.
Seu numeris opus est, seu mensi partibus orbis,
Seu ratione operum, videas certantia mille
Ingenia artificum, parat hic ductura sub altum
Æthera præruptas ærata volumina moles.
Ille mathematico certas in puluere metas
Destinat, & radio nunquam fallente gubernat.
Quid rupti tormenta sonos imitantia cœli?
Quid statuas Polycletæa non arte minores?
Cetera quid memorem non his accommoda Musis?
Arduiora quidem syluis, non ista professis
Grandia, & heroo tollenda ad sidera cantu,
Nunc velut è gelida tecum spatiatus in vmbra,
Rure sub vrbano patrias Hieronyme laudes
Ipse tibi calamo pingam non semper agresti.

Ma-

Macte animo nostris iuuenum gratissime Musis
Digne tuis annis, patria dignissime tali.
Quam tibi si patriam contingere fata negassent,
Esse velis patriam, postquam nunc dotibus istis
Innumeris, quibus ante alias sic eminet vrbes,
Vt Sol ante alios astrorum prominet ignes:
Adiicit ingenuas, cumulat, fouet, erigit artes.
Nam velut exilio pulsis hoc tempore Musis
Hospitium dedit, & profugis patefecit asylum.
Solaque tot gentes inter per Teutona regna
Luminibus captas mentis, sua commoda vidit,
Et bona cognouit sua, quæ nec passa perire est,
Sed tenuit, stabilique locauit in arce retenta,
Fœlicem populum, qui tam florere beatis,
Ingeniis voluit, quam multa pollet opum vi.
Hoc erat Attidibus præceptum nomen Athenis,
Inuexisse suis per honestas mœnibus artes.
Sic æquanda fuit florendis gloria Romæ.
Parte aliqua, quis enim totam petet improbus? ergo
Nate bonis auibus patriæ gratare potenti,
Quæ te nunc alacris vernantem in flore iuuentæ
Florens ipsa suis dignatur honoribus, auctum
Præter opes etiam fortunatis Hymenæis.
Sed quis in eximiis præstanti laudibus vrbe,
Non etiam priuatus amet latuisse? focosque
Exiguas colat, & tacitis agat otia curis,
Iustitiamque patrum miretur, & omnibus æquos
Quis credat? populi per tot discrimina leges.
Fortunata tuis meritis Respublica, cuius
Iura regit sapiens tranquilla in pace Senatus.
Sic paci fidens, ne munera militiei
Negligat, & positis ignauiter incumbet annis.
Nec luxu vacuam corrumpi deside plebem
Permittat, non illecebris ignaua iuuenta
Otia in vtilibus foueat, non vlla voluptas
Prævaleat, non hic turpi locus ebrietati.
Nulla hic infames vulgata libido popinas
Inficit, aut vires melioribus eripit annis.
Oppressas multa vitiorum aspergine, verum
Si qua dies requiem curis ciuilibus affert,
Passim exerceri videas iuuenesque senesque
Artibus amorum, & veri præludia belli,
Martiaque vrbanis meditari castra togatos.
Hinc aliis studium celeres torquere sagittas
Præfixamque leui contingere arundine metam.
Agmina componunt alij properata, docentque
Signa sequi, densant cuneos, hi cornua ducunt,
Extenduntque aciem, firmantque sequacibus alis.
Hæc ita si qua tulit ratio, ne semper aguntur.
Nec tantum his studiis adolescit Norica pubes,
Verum etiam quibus & mores animique vigorem
Erudiant, nec enim naturæ sponte diserti
Aucto deest studio facundæ copia linguæ.
Aspice quemque suo conscriptos ordine patres,
Nemo erit ex illis quem linguæ dona latinæ
Destituant, quosdam Graia mirere loquentes.
Doctus honorata tam regnat in vrbe Senatus,
Legibus hinc firmata suis Respublica, nullos
Fortunæ insultus metuit, sic viribus omnes
In casus armata suis, sibi sola superque
Est satis, hinc quoque priuatis accessio rebus.

Hinc fouet vnanimes ſtabilis concordia ciues,
Prætereo ſanctos in publica commoda mores
Impoſitos, vitæque datas communis habenas;
Præſcriptoque pudicitiam ſe fine tenentem,
Legitimi veritam temerare cubilia lecti.
Chriſticolas animos & Religionis amorem,
Cultaque præcipue diuini oracula verbi.
Ipſa tacere volet, hæc enim ſibi laudibus iſtis
Vrbs placet, aut vllos iſtis ex rebus honores
Arrogat, ipſa ſui teſtis ſibi proxima ſenſus,
Ipſe ego Hiericola nuper digreſſus ab vrbe,
Per nemora Hercinii iam non incognita ſaltus,
Nomina Pegneſi ſtabam miratus & vndas,
Theſſala ceu pulchrum peragrantem Penea tempe.
Dij quales arces, dij qualia mœnia vidi,
Qualibus vrbanas extructas moribus ædes,
Qualia marmoreis ſurgentia tecta columnis,
Marmore quale ſolet producere Norica tellus,
Arcibus æternis haudquaquam vile locandis.
Naturæ ingenio quodam, quo namque reciſum eſt
Tempore molle nitet, facile & tractabile ferro,
Poſtquam auras tetigit ſuperas, mirabile dictu,
Dureſcit magis atque magis, roburque manendo
Concipit, & ſenio ſuperat durante iuuentam,
Pluraque non patrios in ſecula prorogat annos.
Hoc lapide aſſurgunt ciuilia tecta, per omnes
Æquatis certo regionibus ordine partes,
Supra priuatos quam poſſis credere ſumptus
Sufficere, & tantas potuiſſe attollere moles,
Magnorum dicas æquare palatia regum.
Publica quid memorem longis opera ædita ab annis?
Quid noua quotidie ſurgentia? qualibus autem,
Et quibus æreas templorum culmina turres,
Murorum impoſitas foſſis ingentibus arces,
Horrea, phana, lacus, fontes, xenodochia, thermas,
Marmoreis medium coniunctum pontibus amnem
Proſequar exemplis? quibus exequar omnia verbis?
Quo ruis imprudens ſyluarum oblita, tuique
Muſa? quid vrbanas affectas ruſtica laudes
Duere, vix humilem bene ſufflatura menauſon?
Hæc tibi ſunt alia præconia voce canenda,
Tunc vbi grandiſono dignum pede nacta cothurnum,
Liberiore manu ſublimia plectra mouebis.
Nunc pede te decuit proprio conſiſtere menſam
Limite præſcripto, nec parui ſepta peculi
Tranſiliiſſe licet, veniam præfata, relictis
Me duce vicinam ſyluis intraueris vrbem.
Non tamen vſque adeo verbis ciuilibus vſam
Efferi decuit, quin tu quoque laudibus iſtis
Iamdudum vacuas Hieronyme ſubtrahis aures,
Et meliora vacaturas in carmine ſeruas.
Vt tamen hæc, ſi non intempeſtiua fuerunt;
Conſuluiſſe velis æquique bonique rogamus.
Carmina deinde tibi meliora canemus & vrbi;
Poſtquam hæc, quæ dedimus, non diſplicuiſſe ſciemus, &c.

IN LAVDEM SENATVS NORIMBERGENSIS
Epigramma Ioan. Alexandri Braſſicani I. C.

REgum erat hoc olim, ſtudiis prodeſſe beatis,
Tollere & ingenua pectora docta fide.
Nunc laudem hanc ſolidam ſibi vendicat ille Senatus
Noricus, ingeniis pulchra trophæa parans.

VIRI

VIRI ILLVSTRIS

BILIBALDI PIRCK-HEIMERI, CONSI-LIARII CÆSAREÆ MAIESTATIS

POLITICA.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [195] - -

PUBLIC DOMAIN

CVRRVS TRIVMPHALIS, HONORI ET MEMORIÆ IMMORTALI

DIVI MAXIMILIANI PRIMI ROMANORVM IMPERATORIS

Inuentus

A CL. V. BILIBALDO PIRCKHEIMERO,

Eiusdem, vt & nepotis eius

DIVI CAROLI V. CONSILIARIO ET SENATORE Reipublicæ Norimbergensis.

EDITVS NORIMBERGÆ AB ALBERTO Durero, Apelle Germanico.

MAXIMILIANVS, DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR Electus.

Honorabili nostro & Imperij fideli dilecto, Bilibaldo Pirckheimer, Consiliario nostro.

HOnorabilis, fidelis, dilecte, currum triumphalem, quem ad triumphum nostrum ordinandum excogitasti, ac per Albertum Durer designare curasti, vna cum expositione per harum latorem accepimus, ac diligenter inspeximus, summeque nobis placuit, & inuentio tua & animi promptitudo, meritoque te pro tanto beneficio summa complectimur benevolentia & omni officio prosequemur. Datum in ciuitate nostra Inspruck, die XXIX. Martij, anno Salutis M.D.XVIII. Regnii vero nostri XXXII.

Ad mandatum Cæsareæ Maiestatis proprium,

Wessner.

DESCRIPTIO CVRRVS TRIVMPHALIS, BIL. PIRCKHEIMERO AVTORE.

CVrrus hic triumphalis ad honorem Inuictissimi & Glotiosissimi Principis, Diui Maximiliani Cæsaris, semper Augusti, concinnatus ac per Albertum Durer delineatus est.

Currus hic quatuor vehitur rotis: GLORIÆ nempe, MAGNIFICENTIÆ, DIGNITATIS & HONORIS: quoniam ijs sua Maiestas inter cunctos alios excellebat Reges & Principes.

Deinde in quatuor angulis currus quatuor constitutæ sunt columnæ: IVSTITIA nempe, FORTITVDO, PRVDENTIA, TEMPERANTIA: Ex quibus reliquæ virtutes cunctæ exordium sumunt, citra quas nemo vel Rex, vel Princeps, recte gubernare & regere potest.

Et ex quo virtutes hæ cardinales ita inter se connexæ sunt, vt vna sine alijs perfecta esse neqneat, patitet & reliquæ virtutes ex ipsis ortum sumunt: ideo inter se colligantur. Siquidem cum ex Iustitia Veritas oriatur, illa sinistra coronam Veritatis retinet, quam & Temperantia dextera sua tangit: quia sine Veritate Iustitia consistere nequit: nec sine illa Temperantia esse potest.

Iustitia.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [196] - 172
PUBLIC DOMAIN

Iuſtitia, dextera ſua coronam tangit Clementiæ, quoniam Iuſtitia non nimis rigida, ſed Clementia permixta eſſe debet: cui Clemẽtiæ inſerta eſt corona media, Æquitas nempe: quia quemadmodum Iuſtitia nimio rigore carere, ita non ſemper remiſſa & leuis eſſe debet.

Fortitudo ſiniſtra manu coronam Bonitatis retinet, quia vera Fortitudo ſine Bonitate conſiſtere non poteſt. Eadem ratione Bonitatis corona Æquitatis connexa eſt coronæ, à qua Bonitas ſperari nequit.

Dextera Fortitudo coronam tenet Conſtantię, ſine qua Fortitudo nulla eſt: quæ ideo in anteriori & dextera parte currus conſtituta eſt, quoniam Cæſarea ſua Maieſtas, & animi & corporis fortitudine, tam in bellicis rebus quam reliquis aduerſitatibus omnes Reges & Principes ſuperauit.

Temperantia ſiniſtra coronam Libertatis retinet, qua virtute præ ceteris Maieſtas ſua prædita fuit, quemadmodum plane liquet. Quæ corona conſerta eſt coronæ mediæ Manſuetudinis nempe, qua ſua Maieſtas ita prædita fuit, vt in cunctis negotiis Manſuetudo recte ſuas obtinuerit partes.

E regione Temperantiæ conſtituta eſt Prudentia, quæ ſiniſtra retinet coronam Conſtantiæ, quæ non minus Prudentiæ quam Fortitudini conuenit: Dextera vero coronam Intelligentiæ tenet, quæ cum corona Manſuetudinis colligata eſt.

Sub vmbra & harum virtutum protectione merito conſtituitur Cæſarea ſedes, vtpote quæ in terris nullo alio ornatu magis quam virtutibus decorati poteſt.

Victoria vero, ex priſca, tam Græcorum, quam Romanorum manſuetudine à tergo Cæſareæ Maieſtatis conſiſtit, ac illam corona victoriæ coronat, in cuius alis nonnullorum Regum & deuictorum populorum nomina ſunt inſcripta.

Currum vero ne ille vacillet quatuor concomitantur virtutes: Securitas nempe, Fidentia, Grauitas & Perſeuerantia, quia concurrentibus illis, currus non niſi ſecure procedere poteſt.

Ceterum vt rite currus incedat, Ratio tanquã auriga illum moderatur, quoniam ſine ea nil recte peragi poteſt: retinetque manibus ambabus habenas, Nobilitatis nempe & Potentiæ: Quibus Cæſarea Maieſtas omnes Reges & Principes ſuperauit.

Ne vero equi tanquam animalia rationis expertia è via Intelligentiæ exorbitent, ſed rationabiliter incedant vnuſquiſque ſuo agitur ductore, vt iuxta proprietatem virtutis eiuſdem incedere valeat.

Et quamuis omnes homines ſub manu Dei ſunt, præcipue tamen, ſententia Sapientum, cor Regis in manu Dei eſt, qui illud diuino ſuo dirigit nutu. Ideo ante Cæſaream ſuam Maieſtatem tabula eadem inſcriptione dependet, & pro verbo Cor, depictum eſt (Cor) laurea coronatum, ſignificans Cor Cæſareæ Maieſtatis cunctis virtutibus & honoribus ornatum & coronatum eſſe.

Et quia veriſſime conſtat, Maieſtatem quondam Cęſaream claritate ſua & ornatu illud idem fuiſſe in terris, quod ſplendor Solis in cœlis: ideo ſupra illam ſcriptum eſt: Quod in cœlis Sol, hoc in terra Cæſar. Pro verbo vero Solis depictus eſt (Sol) & pro verbo Cæſar, Aquila.

Et quoniam Moderatio & Prouidentia, Rationi ſunt coniunctæ, ideo equi duo, Rationi propinqui, duabus illis diriguntur virtutibus, vt currus moderate & omni gubernetur prouidentia.

Sequentes duo equi per Alacritatem & Opportunitatem diriguntur: quia quemadmodum opportune currum incedere decet, ita id alacriter fieri oportet.

Firmitudo & Velocitas duos ſequentes equos ducunt, vt cum currus velocitate agatur, firme tamen & inconcuſſe procedat.

Acrimonia & Virilitas ſubſequentes duos moderantur equos, vt viriliter & cum acrimonia currus incedere poſſit.

Ante illos equos duo alij incedunt, qui ſemper progredi conantur, & per Magnanimitatem & Audaciam gubernantur. Verum ne Magnanimitas & Audacia currum per auia rapiant, ante illos duos equos alij duo incedunt, qui per Experientiam & Solertiam reguntur: quoniam niſi Experientia & Solertia inhibeant, faciliter Magnanimitas & Audacia currum inuertere poſſent.

DESCRIPTIO CVRRVS TRIVMPHALIS, quem Bilibaldus Birckheimerus in honorem Imperatoris Maximiliani Primi inuenit.

SEreniſſime, Potentiſſime ac Inuictiſſime Imperator, Domine Clementiſſime, ad Cæſareæ veſtræ Maieſtatis mandatum, iſti currum huncce triumphalem tramitto, qui quidem non auro, lapidibus pretioſis vel aliis diuitiis, quæ tam malis, quam bonis communes, exornatus eſt, ſed ſolummodo virtutibus, quarum nemo (niſi viri boni ac honeſti) fit particeps, quæque non dumtaxat in præſenti hac ac caduca vita, ſed etiam poſt cuiusuis hominis diſceſſum mortalem, rectiſſima ac veriſſima ſunt ornamenta, &, cum reliquæ res omnes euaneſcunt, ſolæ firmæ manent ac conſtantes.

Cum igitur Cæſarea veſtra Maieſtas, præ omnibus ceteris Regibus ac Dominis, penes inenarra-

bilem dignitatem, honorem ac potestatem, etiam Virtutibus quibusdam singularibus, à Deo omnipotente, non exigue, dotata & exornata sit, en currum hunc triumphalem ad humillimum beneplacitum & in signum debiti obsequij, isti, quippe cui soli & non immerito debetur, finxi & in vnum corpus redegi, quemadmodum istum Cæsarea vestra Maiestas hisce videre licet. Et vt Cæsarea vestra Maiestas hancce meam inuentionem recte, attamen breuissime, queat percipere, currū istum ad quatuor rotas esse positum asseuero, Gloriam videlicet, Magnificentiam, Dignitatem & Honorem, idq; potissimum hac de causa, quoniam Maiestas vestra omnes Reges ac Principes Gloria, Honore, Magnificentia & Dignitate longe antecellit, idcirco etiam iudico quod Maiestas vestra non aliter, quam hisce rotis honoris in altum tolli debeat.

Postea in quatuor currus angulis, quatuor virtutes Angelicæ, loco quatuor columnarum constitutæ sunt, vtpote Iustitia, Fortitudo, Prudentia & Temperantia: Ex quibus omnes reliquæ virtutes sumunt exordium, sine quibus nec Rex nec Princeps perfectus esse poterit. Nam vbi Iustitia, Fortitudo animi, Prudentia & Temperantia desunt, ibi etiam nullum regnum stabile ac firmum esse potest, vt Cęsarea vestra Maiestas, tanquam sapientissima, aliquanto altius perpendit, idcirco ego causam istam, quæ quidem cum veritate & copiosioribus indicare possit, intermisi.

Quoniam etiam quatuor hæ virtutes à se inuicem separari nequeunt, sed ita copulatæ sunt, vt si vna earum desit, altera perfecta esse non queat, ideo hæ quatuor cum annexis suis virtutibus, & quæ ex illis dimanant, coniunctæ & inter se connexæ sunt, videlicet quoniam Iustitia parit & requirit Veritatem, ideo manu sinistra coronam Veritatis tenet, quam etiam Temperantia dextera sua apprehendit, quoniam vbi Veritas exulat, Iustitia ibidem consistere & locum habere nequit, nec Temperantia, quatenus ex Veritate exorta est, non amplius Temperantia appellari potest.

Dextera manu Iustitia coronam tenet Clementiæ, quoniam Iustitia non nimis austera & rigida, sed Clementia permixta esse debet. Huic coronæ inserta & implicata est corona media, Æquitas scilicet, quia quemadmodum Iustitia non in excessu, ita nec in defectu peccare & in omnibus nimis remissa, sed æqua & conformis esse debet: sine qua Æquitate, nec Iustitia esse nequit.

Similiter & Fortitudo læua coronam Bonitatis retinet, quia absq; vera ac pia Bonitate nulla Fortitudo, Fortitudo nuncupari potest, & eadem de causa corona Bonitatis, coronæ Æquitatis, à qua Bonitas nunquam separatur, est connexa.

Fortitudo dextera Constantiam tangit, siquidem vbi Constantia non regnauerit, ibidem & Fortitudo mox exulare cogetur. Et hæc, Fortitudo videlicet, in anteriori & dextero latere ideo collocata est, quia toti terrarum orbi innotuit Cæsaream vestram Maiestatem, cum animi tum corporis Fortitudine, tam in bellicis, quam aliis aduersis casib. omnes Reges adhuc viuentes, quam ante hac demortuos, superare.

Temperantia læua sua coronam Liberalitatis arripit, qua virtute Maiestas vestra, præ ceteris, innumeris primis exornata conspicitur. Hæc corona, mediæ coronæ, Mansuetudinis nimirum, copulata est, ideo, quia nulli nō notum Maiestatem vestram, Mansuetudinem adeo amplecti, vt nemo (nisi mendacium veritati præponere velit) audeat proloqui, eandem quippiam cum rigore & asperitate peragere, sed in omnibus negotiis Mansuetudo, tanquam nobilissima Temperantiæ filia, semper & vbique sese immiscet.

E regione Temperantiæ sita est Prudentia, læua coronam Constantiæ apprehendens, siquidem Costantia Temperantiæ, æque ac Fortitudo conuenit. Dextera coronam Intelligentiæ seruat, quæ cum corona Mansuetudinis implicatur ideo, quia Prudentia Intelligentia neutiquam carere potest. Sub vmbra & operimento huius Virtutis commodissime Maiestatis vestræ thronus collocatur, vtpote quæ exceptis virtutibus, nullo ornatu splendidiore condecorari potest.

Secundum priscam autem, tum Græcorum & Romanorum, cōsuetudinem Victoria, à tergo Maiestatis vestræ, consistit, Maiestatem vestram, in curru triumphali, corona victoriæ coronans. In huius alis victoriæ quædam sunt descriptæ, quæ pro lubitu Maiestatis vestræ augeri vel minui poterunt.

Currui huic vt erectus incedat, quatuor virtutues, fulcri loco, sunt adiunctæ, nempe Securitas, Fidentia, Grauitas, Perseuerantia. Nam si Securitas cum Fidentia coniungitur, & Grauitas cum Perseuerantia concurrit, non nisi bene proceditur.

Et vt currus hic à recto tramite non declinet, Ratio, auriga loco, primas tenet. Ratione enim res omnes & singulæ peragantur. Illa Ratio duabus munita est habenis, Nobilitate scilicet & Potentia: Siquidem Cæsarea vestra Maiestas Nobilitate & Potentia, omnibus Regibus & Principibus antecellit.

Ne vero equi currui alligati, tanquam animalia irrationalia viam Intelligentię declinent, sed à ratione melius regnantur, ideo cuilibet peculiaris ductor adiunctus est, ne aliter, quam istius virtutis proprietas requirit, incedere valeat.

Et quoniam Moderatio & Prouidentia, Rationem proxime insequuntur, duæ istæ virtutes, duos equos, Rationi propinquos dirigunt, vt currus eo decentius & omni Prouidentia gubernetur.

Duo-

Duo equi proxime subsequentes, Alacritate & Opportunitate ducuntur, ideo cum deceat, vt currus, tempore opportuno, procedat, ita vicissim necessum est, vt id fiat alacritate & hilaritate.

Firmitudo & Velocitas duos equos sequentes dirigunt, vt cum currus pernicitate ducatur, attamen inconcusse & cum firmitudine trahatur.

Equis autem sequentibus Acrimonia & Virilitas adiunguntur ideo, ne currus absque virilitate & acrimonia procedat.

Hisce, duo alii equi præcedunt, qui semper progredi conantur, reguntur autem isti Magnanimitate & Audacia.

Ne autem Magnanimitas & Audacia currum seducant, duo alii equi illos antecedunt, quos Experientia & Solertia moderatur. Nisi enim experientia & solertia adsint, Audacia & Magnanimitas currui facilime damnum inferre possent.

Licet autem omnes homines diuina prouidentia regantur, nihilominus tamen, testimonio Sapientum Cor Regis in manu Dei est, qui illud diuino nutu dirigit, ideo in conspectu Cæsareæ vestræ Maiestatis, hæc conspicitur in scriptio: In manu Dei Cor Regis est: Maioris autem ornatus ittræ Maiestatis, hæc conspicitur in scriptio: In manu Dei Cor Regis est: Maioris autem ornatus gratia pro verbo Cor, (Cor) depictum est laurea insignitum; innuens Cor Maiestatis vestræ omni laudum & Virtutum cumulo esse refertum & ornatum

Cumque absque omni dubio & vere dici possit Cæsaream vestram Maiestatem decore & Magnificentia sua in terris idem esse quod Solis splendor in firmamento Cœli, ideo supra Cæsaream vestram Maiestatem hæc scripta leguntur: Quod in cœlis Sol, hoc in terra Cæsar: pro verbo autem Sol pictus est (Sol) & loco verbi, Cæsar, Aquila.

Currus autem hicce, Domine Clementissime, non hunc in finem à me excogitatus est, tamquam omni opere absolutus ac perfectus, sed quicquid Cæsarea vestra Maiestas in eodem correctione dignum existimauerit, id facilime mutari vel prorsus amoueri poterit. Spe autem humilima lactor, hancce meam inuentionem non solummodo triumphalem, sed etiam philosophicomoralem, Cæsareæ Vestræ Maiestati tamquam sapientissimæ non displicituram: licet etiam in opere hoc defectus quidam appareant, nihilominus tamen ex eodem diligens inquisitio, prompta ac humilima mea voluntas cognosci poterit, quæ hac inuentione non desistat, sed in iisdem indies pergat, quibus Cæsareæ vestræ Maiestati aliis & nouis inuentionibus inseruire queam, modo si cognouero me hac in re Cæsareæ vestræ Maiestati gratificaturum. Hisce me Cæsareæ vestræ Maiestati humilimo obsequio commendo eamdemve rogo, vt dominus meus Clementissimus esse non desistat.

Ad moram autem tramissi huius currus, Domine Clementissime, quod attinet, copia Virtutum, ad eundem pertinentium, in causa fuit, quæ multum temporis vorarunt vsque dum in ordinem redactæ sunt. Et nisi Albrechtus Durerus, Cæsareæ vestræ Maiestatis minister summam diligentiam impendisset remque ipsus expediuisset, molestia rem diutius procrastinari coactus fuissem. Id quod hac de causa Maiestati vestræ significo, vt tam ipsam moram quam exquisitam Albrechti Dureri diligentiam cognoscat.

Cæsareæ Vestræ Maiestatis

Humilimus

Bilibaldus Pirckeimerus.
Norinbergæ.

NOSTRO ET IMPERII FIDELI, DILECTO BILIBALDO Pirckeymero, consiliario nostro,

MAXIMILIANVS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, ELECTVS ROMANORVM IMPERATOR,

FIdelis, dilecte, Lauream (ad Triumphum nostrum pertinentem) quam superioribus diebus nobis tramisisti singulari clementia ac beneplacito vidimus & accepimus, idque non absque ingenti gaudio atque lætitia, siquidem per eamdem prefatus noster Triumphus magis magisque condecoretur: Iccirco huiusce tuæ nouæ inuentionis & condecorationis propositi nostri operis, non solummodo erimus haud immemores, verum etiam id singulari clementiæ adfectu aliquando compensabimus. Indicauit insuper nobis consiliarius noster Melchior Pfintzingius, Præpositus, se nouum currum, prò nostra & curribus prioribus longe dissimilem, inuenisse. Quapropter summo seueritatis studio abs te petimus, vt præconcepti, istiusmodi tui currus, prototypon prædicto nostro consiliario ac præpositò indesinenter tramittas. Qua in re nobis facis officium gratissimum, quodqi suo loco clementissime tibi remunerabimur. Dabantur Augustæ 5. Februarii Anno LVIII. & Imperii nostri XXXII.

Ad Mandatum Cæsar. Maiest. proprium.

S. Westner prop. manu.

PORTA HONORIS,

Hoc est,

DESCRIPTIO PORTÆ HONORIS QVONDAM CÆSAREÆ MAIESTATI MAXIMIliano primo, Anno 1515. Erecta,

per

IOANNEM STABIVM VIENNENSEM MAIESTATIS illius ibidem Historiographum.

POrta Honoris Serenissimi, Potentissimi Imperatoris ac Regis Maximiliani, illa forma, qua olim Arcus Triumphales Romanis Imperatoribus in vrbe Roma (quorum quidam collapsi, quidam vero adhuc visuntur) per me Ioannem Stabium, istius Romanæ Cæsareæ Maiestatis Historiographum & Poëtam, facta, erecta, ac in septem partes distributa est, vt ex picturis suo loco & ex eo scripto manifesto liquet.

Prima pars continet tres portas maiores quæ infimo loco visuntur.

Secunda pars magnam turrim, in media magna porta sitam vna cum suis partibus.

Tertia pars ostendit figuras memorabilium, factorum tum etiam Fortunæ Imperatoris Maximiliani, quæ in quardipartitis campis in duabus portis minoribus, nempe superiori & inferiori (vel dextera & læua) parte pictæ sunt.

Quarta pars nucleum præstantissimorum Imperatorum ac Regum omnium complectitur, quem Stellagia in superiori ac anteriori latere ibidem circumdant.

Quinta pars Agnationes, Cognationes & Adfinitates visui exponit, quas quadripartita Stellagia in latere inferiori includunt.

In sexta parte duæ Turres, quæ in fine portæ Honoris superius & inferius (vel ad dexteram vel ad læuam) sitæ sunt, conspiciuntur.

In septima & vltima parte Ornamenta, quibus porta hæc Honoris vndique vestita est, complectuntur.

Principio itaque supra victoriam, in duabus partibus tituli portæ honoris duo feciales, cum duobus Tubicinibus conspicuntur, qui in vniuersum omnes conuocant, iisdemque Maiestatem honorem, potentiam, agnationem & cognationem, fortia denique & præclara facinora, quæ in hac honoris porta contenta & descripta sunt, annunciant. Sunt itidem in tribus portis peculiares tituli, cum eorundem explicatione, descripti: vtpote porta meda, omnium est dignissima, & porta Honoris

horis & potẽtiæ ideo vocatã, qui laus virtutis maxima merces. Cũ ideirco Imp. Maximilianus multis & pręclaris facinorib. quæ partim hic inserta sunt, insignis sit, ideo etiã eidẽ porta hæc erecta, reserata & aperta est, quã etiã Cæsarea sua Maiestas, alto & honorifico animo ingressa est. Similiter & potentia quã Imperator hic cum corona Imperii coniunctã habet, vna cum suæ Maiestatis, hęredũ itidẽ & successorum Regnis, indicatur per diuersimoda nimirũ insignia Regnorũ, Archiducatuum, Ducatuum, Marchionatuum, Landgrauionatuum, Palatino-comitatuum, Principatuum, Principatorum, Comitatuum & Dominatuum. Qui omnes per dictam Cæsaream Maiestatem laudatissimæ domui Austr. accreuere: Horum singula etiam insignia in sublimi huius portæ ex vtroque latere, nomine & pictura, visui adaptata sunt, nempe in superiori (vel dextero) latere, quæ per Hæreditates & ex veteri consuetudine Regionibus Austriacis inseruiunt: in inferiori vero (vel sinistro latere quæ per matrimonia acquisita, ad domum Austriacam pertinere.

Porta in superiori vel priori latere sita. Porta laudis ideo dicta est, quod laus & dignitas vero honori semper adhæreant, itaque etiam Cæsareæ huic honoris portæ, ad latus superius vel dexterum, non immerito adiuncta est.

Porta Tertia, porta Nobilitatis dicta, & portæ honoris Agnationibus Cognationibus & Affinitatibus præstantissimis, ab inferiori vel sinistro latere, adsociata est. Turris Media per quam magnæ honoris portæ transitus patet, continet Genealogiam & fumosas imagines laudatissimæ domus Austriacæ ex qua hic Imperator primæuam suam ducit originem. Primo autem inferius tres sedent fœminæ per quas celeberrimæ & notissimæ Nationes & Regiones, Troia, Sicambria & Francia significantur: Quod tali sensu acceptandum stirpem Mergo-vingico-Masculam primorum Regum Franciæ à Magnanimo Troiano ex recta linea descendente conseruisse ac desisse, quo medio Regiones istæ Pannonicæ (hodie Hungaria & Austria) Item Sicambria, hac parte Rheni, expugnatæ & occupatæ, ac hinc inde Sicambri & Franci dicti sunt, quemadmodũ & vniuersam Galliam, pari modo in suam potestatem redegere. Et quamuis per paucis Reges Ethnici ad hanc Genealogiã sanguinis à gradu paterno ad sequentem pertinent, qui hoc loco neglecti & non positi, id tamen potissimum hac de causa intermissum est, quia iidem Christiano baptismo & fide caruerunt: Singulorum tamen singula nomina in libro peculiari pertractantur ac describuntur. Præsens autem Genealogia à Clodouco, primo Regum Christianorum, præfatæ Merouęicæ Francico-Regiæ familiæ Masculinæ, deducta est: à quo etiam stirps hæc gradatim à parente ad parentem & per diuersimodos casus, ad principes Habspurgenses, ab his ad Archiduces Austriæ vsque ad præsentem Imperatorem Maximilianum derivata est. Is ipsus Imperator Maximilianus, qui, vt pictura monstrat, supremo loco in pompa ac Maiestate Cæsarea sedet, sub pedibus suæ Maiestatis, à dextero latere sedentem cernit Dominam Mariam, Archiducissam Burgundiæ, natam ex hodierna familia Regio-francica, coniugem suam: à sinistris vero Dominam Iohannam Reginam Hispaniæ; etiam à Regiis patentibus fagiliæ Hispaniæ, & Castiliæ procreatam coniugem Philippi Regis Hispaniæ & Castiliæ: & à dexteris, sub prænominatæ suæ Maiestatis coniugis solio, sedet Domina Margaretha ab Austria & Burgundia, Cæsareæ suæ Maiestatis filia vnica, lidus mulierum omnium. Postmodum à Cæsareæ Maiestatis Excellentia Stirps hæc sanguinea cum surculis & fructibus suis aliquantulum curuatus est: Nam sub Cæsarea Maiestate situs est Illustrissimus & Nobilissimus Rex Philippus, Maiestatis suę filius vnicus; Cui à dexteris assident Serenissimi Principes, Carolus & Ferdinandus, Regis Philippi & Dominæ Iohannæ Regis & Reginæ Hispaniæ & Castiliæ filii: à sinistris vero Domina Leonora & Isabella, Domina Maria & Domina Catharina modo dicti Regis & Reginæ Hispaniæ & Castiliæ filiæ.

In turri, ab vtroque latere, penes stemmata illa sanguinea insignia ista, de quibus antea mentionem fecimus, visuntur, quemadmodum etiam supra Cæsaream Maiestatem viginti ties victoriæ depictæ conspiciuntur, quæ sunt alatæ istæ fœminæ Laureas manibus suis gestantes, innuentes Laurum apud priscos victoriæ esse attributam; quaque victores eadem coronati fuerint: Et quoniam Arbor ista semper virescit foliaque sua numquam deserit, ita etiam æqua ac iusta victoria semper viresceret nec vnquam ex posterorum memoria aboleri debet. Victoriarum autem harum significatio dilucidius ex Rhythmis adscriptis explicatur.

Conspicitur etiam in tabernaculo, supra titulum, Mysterium Hieroglyphicum à Rege Ofyride exortum, quod hunc in sequentem sensum explicatur, vtpote: Maximilianus prudentissimus, magnanimus, potens, fortis & prouidus princeps, dominus perpetui æterni & suauissimi odoris, ex antiquissima familia oriundus, omnibus Naturæ donis ornatus, Artibus liberalibus & præclara doctrina sufficienter instructus, Romanus Imperator, Dominus magnæ partis orbis terrarũ, forti manu, summa prudentia & cum præclarissima victoria subegit potentissimum hoc in loco nominatum Regem, quod tamen omnibus hominibus factu videbatur impossibile, quo sese ab insidiis dicti hostis prudentissime vindicauit & tutatus est.

Tertia

Tertia pars. Supra duas portas, ab vtroque latere, rursus apparent stellagia, numero viginti quatuor, in quibus viginti tres numquam satis laudabiles materiæ depictæ sunt, quid autem singulæ sibi velint, hoc in cuiusuis superscriptione & adiunctis rhytmis explicatur; fit insuper de hisce factis & historiis aliis in libris vberior mentio & explicatio, quare de hisce plura scribere hic supersedeo.

Quarta pars. Imperatores & Reges illi qui excellentissimarum historiarum & honestissimarum materiarum stellagia, à dextero & priori latere, circumdant ex Ordine & Catalogo Imperatorum & Regum tamquam præstantissimi & honestissimi electi sunt; circa portam laudis ideo collocati, quia Imperator Maximilianus per virtutem & fidelitatem suam numero istorum non immerito adsociatur, ipsisque in perpetuum pari laude ac honore conformem præbet comitem, siquidem Romanum Imperium & alias regiones suas hæreditarias is cum lenitate, prudentia, iustitia, pace & quiete non solummodo regit, verum etiam contumaces durissime castigauit, id quod adhuc facit indies, & per Dei gratiam diutius adhuc facturus est.

Quinta pars. Reges & alii potentissimi principes ac domini, qui stellagia cum dictis materiis factorum honoris à ministris suis insigniis & nominibus amplectuntur, sunt Cæsareæ Maiestatis propinqui & adfinitate dum taxat coniuncti, & illi gradus cognationis qui secundum cypheras collocati sunt. Est autem eorumdem hic pars minima, sed solummodo ex diuersis regnis, domibus & familiis interdum vnus & alter, paucissimi tres, qui tempore Maximiliani vixeruut & partim adhuc in viuis sunt, indicati & comprehensi sunt.

Nam si omnes & singuli qui Cæsareæ Maiestati tali adfinitatis gradu & cognatione sunt coniuncti hic apponerentur Augusta illa Honoris porta omnes comprehendendi nimis foret angusta, sed illud ipsum postmodum aliis in libris compendiose descriptum reperietur. Et quoniam laude dignissima domus Austriacæ Amicitia sese vbivis gentium extenderit, ideo porta Nobilitatis non temere Regiis, Principalibus & aliis Illustribus personis condecorata est.

Sexta pars. In ista parte duæ sunt turres quæ ambæ portam honoris muniunt, istic continentur, in quibus salutaribus & vtilissimis rebus Cæsarea sua Maiestas ab in eunte ætate sese exercuerit & quę indies adhuc sectetur, primo acquisitio Dei gratiæ, Prudentia & Regimen Imperii, inuentio tunicæ & vestitus Saluatoris nostri Iesu Christi, qui in vrbe Treuiri per aliquot secula occultus latuit, elatio & canonisatio Leopoldi, benignissimi principis Austriaci, studiu variorũ armorũ & torméntorum, vénationum, architecturæ exercitatio, itidem peregrinarum & diuersarũ linguarum, ludorum equestrium & aliorum Christianorum opetum, quorum Cæsatea sua Maiestas quædam perfecit, quædam vero adhuc à sua Cæsarea Maiestate in effectum producenda sunt, videlicet fundatio ordinis S. Georgii, transmutatio domuum Austriæ & Burgundiæ in Regna, communis expeditio contra Saracenos auxilio omnium Christianorum Regum & principum, absolutio Cæsareæ Maiestatis sépulchri, multis ac nouis inuentionibus, thesauris, clenodiis & pretiosis lapidibus, auro ac argento, conseruatione cultus diuini, status Ecclesiastici & pauperum maximopere exornati, vna cum honestissimo sepulchro Imperatoris Friderici tertii. Quoniam vero hæ materiæ non adeo dignæ, sed solummodo spectabiles aliisque ad exemplum & imitationem æstimari debent, ideo non in hanc honoris portam, sed ab istius latere eædem collocatę sunt adiunctis earumdem significationibus rhytmis ibidem explicatis.

Septima pars. Penes magnam istam honoris portam, ab inferiori parte, duo Archiduces Austriæ, in suo ornatu conspiciuntur, vnus à dextris armatus, alter vero à sinistris principali vestitu indutus ac inarmatus, quib. singulis in honorem minister armis & vexillo subministrat. Per dictos istos Archiduces intelligendum est, quod omnes futuri principes Austriaci & alii magnates portam honoris perambulare volentes, non solum principali habitu & armis, externe, sed etiam interne omnibus virtutibus heroicis & principe viro dignis condecorati esse debeant: per armatum vero significatur conseruatio & propagatio Iustitiæ & quomodo subditi à maliuolis & hostibus in pace & tranquillitate conseruari debeant: Habitus vero & atma volunt & expetunt amorem Iusticiæ, recta ac incuruata iudicia tum pauperibus & diuitibus adiudicanda. Cum iccirco Imperator Maximilianus omnibus heroicis virtutibus insignitus sit, & ex domo Austriaca omnes hasce tres portas, maxima cum laude & honore perambularit, quilibet ideo futurus princeps Austriacus & alii Magnates ab Imperatoria magnanima, principali, heroica ac virtuosa hac vita exemplum sibi capiant, tunc pari laude, summo decore ac honestate portam eamdem permigrare poterunt. Supra istos Archiduces Austriacos in columnis minoribus non procul à porta maiori, aliquot Sirenes appensæ sunt quæ (vt aliis in libris explicatur) Maris tempestates & clandestinas calamitates innuunt, quæque apud priscos poetas cantu suo suauisono naues euertendo suffocarunt, hodie communes mundanæ calamitates nuncupatæ: sed hæ omnes nobilissimæ huic honoris portæ nullam vim intulere, nec vlla læsione molestæ fuere neque imposterum, auxiliante diuina gratia, simile quippiam vnquam molientur. Prope has Sirenes in columnis maioribus ab vtroque latere alia figmenta poetica cernuntur dicta Harpyiæ, quas Virgilius facie virginea, impuris corporibus, membris claudicantibus, facie semper pallida, famelica ac auara specie formatas esse describit; ex quibus colligitur Imperatorem Maximi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [202] - 178
PUBLIC DOMAIN

Maximilianum diuitias suas amplissimas & voluptates honestissimas non ex transuerso coluisse. In columnis maioribus extremo loco quadrati Stellagii sitis, duo collocati sunt Sancti, primo ad priorem columnam Sanctus Arnolphus Episcoptus Metensis, qui hanc familiam (ex qua oriundus fuit) initiauerat ac consecrauerat, vt videlicet in virtutibus ac dignitatibus heroicis cresseret & accresseret: Ad columnam vero inferiorem S. Leopoldus, mitissimus ille Princeps Austriacus, qui hanc familiam, hac cum benedictione penes diuinum auxilium perpetuo defendere ac clementer tueti dignetur. In superioribus autem quatuor magnarum columnarum capitibus, quatuor serenissimi potentissimi ac inuictissimi Imperatores ac Reges Romani siti sunt, Ruldolphus nimirum Bellicosus, Albrechtus Victoriosus, Albrechtus Fortunatus & Fridericus Deuotus, qui vna cum Imperatore Maximiliano, ex domo Austriaca & principatu Habspurgensi, exorti sunt: Et quamuis iidem ad arborem sanguinis collati sint, nihilominus tamen exterius in columnis depinguntur, tamquam ii qui domum Austriacam maxime illustrem reddiderunt. In supremo loco, quatuor Gryphones quatuor columnis maioribus insident, quos Imperator Maximilianus suæ Maiestati in Deuisam vel Liuream, vt vulgo loquuntur, hoc est, in symbolum clypeare & insigne militare elegit, nempe duos ad magnam turrim Stirpis sanguinis, tenentes signa fortunata ordinis & societatis Nobilissimi Toison & aurei velleris Burgundici. Ex duobus Gryphonibus exterioribus, vnus à dextris tenet malum punicum Imperatoris Maximiliani Deuisam vel Liuream, quam Maiestas sua sibi in iuuentute elegit, & tantum significat quamuis malum punicum externa forma sapore ac dulci odore careat, interius tamen nobilissima dulcedine & beneformatis granis ornatum est, quemadmodum etiam sua Maiestas sibi proposuit similes tales occultas ac tacitas Virtutes cum lenitate, & tempore successiuo plantare ac manifestare. A sinistris Columnæ Maioris, Gryphon quartus in sublimi residet, tenens Cæsareæ Maiestatis symbolum: Tene Mediocritatem: significans; licet potentissimus Imperator ac ferocissimus princeps sit & fuerit, in omnibus tamen rebus Mediocritatem seruasse ac prudentia semper vsum fuisse. In duabus Portis, Laudis scilicet & Nobilitatis, singularis ornamenti gratia, depictus est Laudabilis Ordo Toison, qui per laudatissimum principem Burgundiæ Ducem Philippum, cognomento Bonum inuentus & erectus est.

Supra ordinem Toison vel aurei velleris duo cupidines ab vtroque latere consistunt, indicantes: quod Imperator Maxilianus res multas præclare gesserit similes ouationi (quæ priscis Romanis honor fuit paulo minor triumpho, & quibus Imperatoribus talis honor exhibeatur, illi coronobantur sirculis & foliis Mirti quæ Veneri stellæ lætitiarum adiuncta est.)

Et postquam ista ouatio penes tot tantaque præclara ac triumpho dignissima facta in historiis Imperatoris, respectu singulari careat, ideo per istos duos cupidines de istis satis dictum est, sunt insuper cuilibet cupidini, duo alii cupidines vna cum buccinis ouationem istam annunciantes, de quibus alio in libro copiosius scriptum est.

Sub fecialibus iuxta magnam turrim & supra Gryphones, duo viri armatura prisca muniti, certuntur, antiqua Romanorum vexilla tenentes, vnus à dextris Aquilam, & alter à sinistris Draconem apprehendit, quæ signa vel clenodia Romani suo tempore in bellis plurimum vsurparunt, & Vexiliferi isti inde Aquiliferi & Draconiferi dicti sunt. Cum itaque Imperator Maximilianus in numerum Romanorum istorum Imperatorum & Regum nunc, laudabili more, suffectus, etiam à sua Maiestate Romana, ista corona maximis honoribus gestata, eidem insuper Porta Honoris, sub forma arcus triumphalis, erecta sit: non immerito duo Aquiliferi & Draconiferi vna cum suis Tibicinibus & Buccinatoribus, in perpetuam memoriam, ad hanc Honoris portam collocati sunt.

Ignes in porta Honoris vndique volitantes, ad illustrationem omnium prædictorum, Cæsareæ Maiestatis, honorum ac laudum, & ad dilucidationem veritatis ordinati sunt. Corona itidem & pileus Archiducalis, quo duæ turres, superior ac inferior ab vtroque latere, coronatæ sunt, significant: vtpote pileus Archiducalis, Archiducatum Austriacum, à Iulio & Nerone Imperatoribus, vetustissimum & liberrimum principatum, esse Marcham ab Oriente solis dictum, & ex eadem laudatissimum Regnum Hungariæ, olim dictum Sicambria, originem suam traxisse, vt expresse patet ex media fœmina Sicambria, quæ in Stirpe sanguinis inter tres fœminas, inferiori loco depicta est. Per Coronam autem intelligitur Præstantia, Laus & Honor principum Habspurgensium iam Austriacorum, vt aliis in libris copiosioribus explicatur: Sunt & quam plurima ornamenta, in hac Honoris porta comprehensa, quæ breuitatis causa hic intermitto, quamuis multa adhuc de iisdem scribi possent, quilibet autem pro lubitu, & forsitan melius, eadem interpretabitur.

SEQVI-

SEQVITVR NVNC AD VBERIOREM EXPLICATIONEM PRÆSCRIPTÆ PORTÆ HONORIS, QVÆ PROPTER MAGNITVDINEM IN FIGVRA INSERI non potuit, delineatio: omnium inscriptionum, titulorum, superscriptionum, encomiorum & materiarum, quæ singulæ loco suo conueniente, eidem portæ, cum scripturis insertæ sunt.

ET primo superius in media magna turri portæ honoris, sub tabernaculo mystico seu Hieroglyphico, inter precedentem dictorum fecialium descriptionem, quadratum ac magnum conspicitur stellagium, quod titulum & dedicationem totius operis, expressa scriptura verbis sequentibus complectitur.

Serenissimo, Potentissimo Principi ac Domino, Domino Maximiliano, Electo Romanorum Imperatori & Capiti Christianitatis, septem Christianorum Regnorum Regi ac hæredi, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, aliorumue potentissimorum principatuum in Europa &c. in laudem & memoriam sempiternam honestissimi sui Imperii, Lenitatis & Magnanimitatis, gloriosissimarumque victoriarum, hæc PORTA HONORIS annexis aliquot luis rebus gestis, erecta est.

Proxime sub hac inscription in duobus stellagiis Rhytmi sequentes leguntur.

Diese Victorien hie gemahlt
Solt jhr verstehn in der gestalt/
Das Keyserliche Mayestat
So viel vnd mehr getrieben hat
Fürstlicher ding vnd grosser Sach
Als je von Fürsten mehr geschach.

Sub hisce Cæsarea Maiestas Maximilianus, in suo ornatu Cæsareo & Imperii insigniis throno suo insidet. Sub se autem, apud supra citatam turrim mediam, sedentes habet coniugem, filium, filiam, nurum & nepotes, quemadmodum superius & in parte prima illorum facta mentio.

Sub & iuxta istum gradum ascendentem Arbor & Stirps Cæsarei sanguinis, recta ad arcum portæ honoris, in præscriptis fœminis Troia, Sicambria & Francia à læua ad dextram incipit.

Quæ tres fœminæ vel Regiones vna cum suis clypeis dictum arcum supra portam & inferius in illa sitam turrim, attingunt.

Et quoniam Cæsarei isti Maiores & Antecessores propter ramos arboris incuruatos non adeo congrue coniungi potuerunt, tamen eo ordine, quo videlicet in Francia & in linea ascendente successerunt, huc sunt transpositi, vtpote:

Clodoueus, Magnus.
Clotharius, Potens.
Chilpericus, Ingeniosus.
Theodobertus, Illustris.
Ottpertus, Nobilis.
Bobo, Fortis.
Rhoteries, Mansuetus.
Ethobertus, Bellicosus.
Gelbo, Firmus.
Rampertus, Christianus.
Gunthrannus, Cordatus.
Luitgardus, Sapiens.
Luitfridus, Laudabilis.
Hunfridus, Honorabilis.
Gunthranus, Fortis.
Bezelinus, Magnanimus.
Radepoto, Constans.
Wenherus, Bonus.

Otto-

Otto, Conſolator.
Bernher, Beneficus.
Albrechtus, Diues.
Rudolphus, Tacitus.
Albrechtus, Hilaris
Rudolphus, Bellicoſus.
Albrechtus, Victorioſus.
Albrectus, Sapiens.
Leopoldus, Pius
Erneſtus. Ferreus.
Fridericus, Deuotus, & ab ipſius latere:
Leonora Imperatoris Friderici coniunx.

Hoſce ſequitur Philippus Rex Hiſpaniæ, Imperatoris Maximiliani filius, dicti Imperatoris Friderici Nepos: Poſtmodum thronus Cælareus conſpicitur, vna cum perſonis antea citatis.

Apud hanc ſuæ Maieſtatis Genealogiam, in turri media, à dexteris, ſequentes nominatæ Regiones, Regna, Principatus, Comitatus & Dominatus ad domum Auſtriacam ſpectantes cum clypeis & titulis cernuntur.

Hungaria,	Portugalia,	Anglia.
Bohemia,	Dalmatia,	Croatia.
Boſnia,	Inferior Lombardia,	Auſtria.
Styria,	Carinthia,	Crania,
Alſatia,	Habspurgum,	Sueuia.
Tyrolis,	Goritium,	Phiretum.
Kyburgum,	Regio ſupra Aniſum,	Burgouia.
Morauia,	Sclauonia,	Portenauia.
Cilia,	Schwartzwaldum,	Nellenburgum.
Hohenburgum,	Glarona,	Sonnenberga.
Feldtkirchum,	Ortenburgum,	Tripergum.
Stauffum,	Achimum,	Freyburgum.
Beregentza,	Saulgauia,	Wallhuſia.
Kauenſpurgum,	Kirchbergum,	Tockenburgum.
Andechſum,	Kazinckſum,	Turgauia.
Reineckum,	Achigerichtum,	Lybeinum.
Ehrenberga,	Weiſſenhornia,	Wallſeia.
Kitzbuhelium,	Rodenburgum,	Kuffſteynium.

A ſiniſtris ſtant ſequentia, ex Regno Hiſpaniæ & Burgundiæ, oriunda.

Caſtilia,	Arragonia,	Legion.
Sicilia citra Pharum,	Sicilia vltra Pharum,	Ieruſalem.
Neapolis,	Nauarra,	Granaten.
Toletum,	Valentia,	Gallitia.
Maiorica,	Hiſpolis,	Sardinia.
Corduba,	Corſica,	Murcia.
Goennis,	Algalbi,	Algiſire.

Gibraltaris & Inſularum Indiarum maris Oceani, XV. Inſulæ Inſularum Canariæ.

Burgundia,	Loterichia,	Brabantia.
Limburgum,	Luzelburgum,	Geldria.
Calabria,	Apulia,	Athenæ.
Neopatria,	Flandria,	Burgundia.
Hennegouia,	Handtorffum,	Hollandia.
Seelandia,	Frieslandia,	Arthois.
Barchinona,	Roſſilion,	Ceritania.
Oriſtan	Gotian.	Biſcaia.
Molinia,	Mechlinia,	Salinia.

Sequitur iam porta Laudis à dextris, media maiore aliquando inferior. Iſta ſuperius, quemadmodum & porta Nobilitatis à ſiniſtris tenet aureum vellus. In huius portæ columna vna, à ſiniſtris, quæ portam Honoris, mediæ maioris turris, attingit, in ſublimiori inter alia ornamenta conſpicitur imago Imperatoris Friderici ſtaturæ medicoris cum hac inſcriptione.

Fridericus III. Deuotus.

In altera columna è regione sita, à dextris & superius:
Albrchtus Victoriosus, inferius autem: S. Arnolphus.
In medio hocce & superiori parte huius Portæ, inferius apud aureum vellus, in quadrato Stellagio, hæc leguntur.

Der Keyser / so hie sein Formirt /
Der mehrer theyl hat wol regiert /
Zu macht das Römisch Reich gebracht /
Allzeit nach Lob vnd Ehr gedacht:
Nicht minder Maximilian /
Mag löblich bey den Alten stahn /
Bey jhm so viel geschehen ist /
Als Mann von keinem Keyser liest /
Trefflicher ding vnd groser That /
Darzu jhm Gott geholffen hat /
Dann Er den hochberümbten Standt /
Beschirmet hat mit streytbar Handt.

Post hæc ab inferiori parte, quatuor Stellagia similia sequuntur, in quibus singulis tres Imperatores à sinistris huius portæ incipiunt, & ad dexteram sese extendunt cum his subscriptionibus.

I.

Tibetius Durus.	Augustus Fortunatus.	Iulius initium Cæs. Maiestatis.

II.

Titus Deliciæ humani generis.	Vespasianus, Vindicta Dei.	Claudius, Mirabilium.

III.

Hadrianus Mansuetus.	Traianus Optimus.	Nerua Concors.

IV.

Alexander Pacificus.	Seuerus Vehemens.	Antonius Bonus.

Hi Imperatores & Reges iuxta columnam à dextris, in qua Albrechtus Victoriosus & S. Arnolphus consistunt nouem in Stellagiis continentur.

V.

1.	Gordianus Oblitor	Philippus, primus Imperator Christianus.	Decius Velox.

VI.

2.	Aurelianus Retributor	Probus vere Probus.	Diocletianus Potens.

VII.

3.	Constantinus Christianus.	Valentinianus Fortis.	Gratianus Misericors.

VIII.

4.	Theodosius Pius.	Arcadius Suauis.	Honorius Mirabilis.

IX.

5.	Odaccerus Dux Militum	Theodoricus Veronensis, Nobilis ex Hispania.	Anastasius Placator

X.

6.	Iustinianus Legislator.	Heraclius Recuperator Sanctæ Crucis.	Carolus Magnus.

7. Ludoui-

XI.

7. Ludouicus Optimus	Carolus caluus Nobilis ex Flandria.	Otto. I. Magnus.

XII.

8. Otto. II. atra mors Sarracenorum	Otto III. miraculum mundi	Henricus II. Sanctus.

XIII.

9. Henricus IV. Tentator.	Hericus III. Quietus.	Conradus II. Fundator.

Vlterius continuantur & duabus in Stellagiis columnæ hi ponuntur:

XIV.

Fridericus II. Bellicosus.	Henricus VI. Potens.	

XV.

Ludouicus Magnanimus. Henricus VI. Consideratus.
Sub S. Arnolpho apud Columnam proximam, in duabus Stellagiis

XVI.

Fridericus. I. punitor	Cunradus III. cognomento der Creutzer.	Rudolphus. I. Lumen altarum rupium in Germania.

XVII.

Alphonsus Ornamentum Hispaniæ	Reichardus honor Angliæ	Wilhelmus Corona Hollandiæ.

Hæc porta, laudis nimirum, sub introitu ab vtroque latere duas paruas columnas in se complectitur, quarum sinistra stellagium continet cum prototypo horum Regum & eorum titulorum.

XVIII.

Lasla eo tempore potentissimus Rex Christianitatis.	Sigismundus diligens.	Carolus. IV. Indigens.

Stellagium è regione à dextris, in duabus paruis columnis iuxta S. Arnolphum, Aquilam tenet Cæsaream.

Inter prædicta quatuor priora Stellagia, à Cæsare Iulio incipientia, in sublimi turris supra hanc portam, quatuordecim alia & maiora Stellagia consistunt, terno numero semper coniuncta vel terno ordine numeroque quaterno superascendentia, in quibus suæ Maiestatis præstantissima achoica facta depicta, quæ à dextris cum aliis Stellagiis, in quibus prædicti Imperatores conspiciuntur circumdantur. Quorum inscriptiones, sequentes Rhytmos & Elogia complectuntur.

I.

1. Gott hat sein Genadt an jhm erzeigt/
Dann Er zu Frömmkeit wardt geneygt/
Geschickt zu Ritterlichem Schertz/
Darzu stundt jhm sein Muth vnd Hertz/
Das fieng Er an in seiner Jugendt/
Darinn Er wuchs mit groser Tugendt.

2.

Daß Mann die Sach doch recht versieh/
Ein Furstin nam Er zu der Ehe/
Die Erblich Tochter von Burgundt/
Deßhalb erdacht ein solchen Fundt/
Wie Er sein Kindern Erblich macht/
Mehr Fürstenthumb mit Friedt vnd Schlacht.

3.

Sein ersten Krieg fieng er wol an/
Halb Heimgauw ritterlich gewan/

Auch Picardey mit Krieg bezwang/
Zu rück sein Feindt gär trößlich drang/
Groß Ehr darumb zu Ruhm einlegt/
Deßhalb ein Cron Er billich tregt.

4.

II. Vor Terwänden hub sich ein Noth/
Dreyzehen Tausend blieben Todt/
Mit wenig Volck doch solch geschach/
An seinen Feynden da sich rach/
Daß Feldt behielt Er Ritterlich/
Daß ich jhm Lob vnd Ehr versich.

5.

Im Krieg so Er im Geldern führt/
Dabey Mann noch sein Mannheit spürt/
Manch ritterliches Blut vergoß/
Wie wols sein Wiedertheyl verdroß/
Doch macht Er sie bäldt Still vnd Zähm/
Daß Landt gewaltiglich Einnam.

6.

Bischoff von Vtrecht Gefangen wardt/
Verdroß den Edlen Prinßen hart/
Von seinet wegen das Geschach/
Darumb Er sich herwieder rach/
Die Statt mit Geschütz gar baldt bezwang/
Wiewol Er leydet manchen drang.

7.

III. Die Flemming seinen Sohn vnd Landt/
Vorhielten jhm das war ein Schandt/
Daß sie hernach entgalten viel/
Dann Gott die Boßheit straffen will/
Durch stete Krieg vnd harte Schlacht/
Sein Sohn Er wider Ledig macht.

8.

Er zog darnach mit streytbar Handt/
Jnn daß von Luttig eygen Landt/
Der Sachen Endt gar wol betracht/
Daß Volck bezwang mit groser Schlächt/
Den rechten Bischoff Er einsetzt/
Daß Landt jhm huldet doch zu Letzt.

9.

Daß Römisch Reich vmb solche that/
Jhn zum König erwehlet hat/
Mit solcher Würd billich geziert/
Dann Er sein Landt gantz wol regiert/

Er

Er macht gut Friedt/vnd ziemlich Recht/
Durch jhn viel Auffruhr wurden schlecht.

10.

IV. Die Flemming nun zum andern mahl
Erhuben sich mit Krieges fall/
Darumb inn Stürmen Schlachten groß/
Ein newes Blut Er da vergoß/
Mit jhn so manchen Sinn erdacht/
Biß Er sie zu Gehorsam bracht.

11.

Er Kriegt den König von Engellandt/
Deßhalb ein solchen Anschlag fandt/
Mit jhm macht Er ein Brüderschafft/
Gantz hoch vnd in der besten Krafft/
Damit sein Feyndt destbaß bezwang/
Die jhm vortheten Vberdrang.

12.

Da Er sein Tochter ledig macht/
Gar baldt in seinem Muth gedacht/
Wie Er sich wieder rechen möcht/
An dem Frantzosen/das es döcht.
Darumb mit seiner streitbarn Handt
Jhm abedrang gar baldt zwey Landt.

Simili ratione supra portam Nobilitatis, inter quatuor stellagia cognationis superius (de quibus postea dicetur) duodecim alia existunt, quorum primum, iuxta Rudolphi bellicosi imaginem, in columna, è regione maioris portæ, sitam, incipiat, ac sequentes Rhytmos in se continet.

1.

I. Sein Vatter etwa viel dauor
Vom Hauß von Osterreich verlohr/
Durch Matthias von Vngerlandt/
Mit langem Krieg vnd grosem Brandt/
Eh dann drey Monat jhren schein
Erfülten/nam Ers wieder ein.

2.

Er zog ins Vngerlandt mit macht/
Stulweissenburg zum Sturme bracht/
Das Königreich wol halb gewahn/
Dasselb verdroß gar manchen Mann/
An Osterreich/daß war der bescheydt/
Musten sie schweren eygnen Eydt.

3.

Die Sachen Er gantz wolbetracht/
Seim Sohn ein Gemahl zu wegen bracht/

Deß Königs Tochter wolbekandt/
Von Hispania/damit zu Handt
Er zu jhm bracht erblicher weyß
Sechs Königreich mit hohem Preyß.

4.

II. Die Schweitzer Kriegten mit dem Bundt/
Das wardt dem Edlen König kundt/
Er zog gar baldt auß Niederlandt/
Also den Krieg auch vberwandt/
Dann Er dem Bundt war gantz geneygt/
An dem sein Trew auch offt erzeigt.

5.

Neapolis die Kron so gut/
Halff Er gar schnell vnd guter Hut/
Seim Bruder von Hispania
Dem Königg gewinnen/auch alda/
Mit seinem Volck trieb Er zu Handt
Die Frantzosen baldt auß dem Landt/

6.

Im Beytischen Krieg viel Schloß vnd Stätt/
Mit seiner Macht bezwingen thät/
Die Behmen zogen auß mit Macht/
Den gewan Er ab ein trefflich Schlacht/
Jhr etlich auch Gefangen nam/
Als seinen Ehren wolgezahm.

7.

III. Geldern daß Landt seins Eydts vergaß/
Das wardt bezahlt in solcher Maß/
Daß jhn hernach kam Leydt vnd Schandt/
Er ließ sie Straffen in dem Landt/
Mit Todtschlag/Brandt vnd Rauberey/
Mit anderm Zwangs all auch dabey.

8.

Meylandt hat Er zu jhm gebracht/
Mit groser Mühe/gar wol betracht/
Wiewol sie durch argsinnig Listi/
Von jhm darnach gefallen ist:
Durch sein Vernunfft zum Reich behendt/
Mit Lehenschafft sie wieder wendt.

9.

Venedig greyff Er darnach an/
Schlug jhn zu Todt viel tausendt Mann/
Die Zahl nicht wol zunemen ist/
Von grösse wegen/als jhr wist/
Auch abgewann manch Flecken gut/
Damit auch strafft jhrn Vbermuth.

Er

10.

IV. Er zog darnach in Niderlandt/
Zu hülff dem König von Engellandt/
Bald samlten sie ein Heere groß/
Die Frantzosen solches verdroß/
Ihr mannicher darnider lag/
Terwann ward geschleifft / Tornay sich gab.

11.

Von Hungern/Böhem vnd Pollan/
Die werthen König wolgethan/
Kommen zu jm in sein eigen Landt/
Groß Zucht vnd Ehr ward jhn bekannt/
Neuw Heyrath vnd Bündtnuß man macht/
Groß Nutz der Christenheit das bracht.

12. Vacat.

Huius suæ Gloriæ & memorabilium principalium factorum delineationes, vna cum Encomiis extremo loco, in duab. turribus, ab vtroq; latere (quæ superius in parte sexta, commemorata sunt) quatuordecim in stellagiis continuantur. Et quidem turris vel columna prima, cui prisci Imperatores, vt dictum, proxime & ordine assistunt, septem eorundem continet, quorum summa sequitur.

1.

In Sorgen groß vnd Gefährligkeit/
Hat er beweist sein Dapfferkeit/
Darumb jm Gott sein Leben frist/
Deß er jm Danckbar worden ist/
Dann mit jhm S. Georgens Orden/
Viel streitbar Helden/sein Brüder worden.

2.

Grossen Fleiß vnd Ernst er fürwendt/
Damit der Vnglaub würd zertrennt/
Ein gemeiner Zug solt für sich gahn/
Derhalb mahnt er all Fürsten schon:
Gott wöll daß man jm folg bey zeit/
Zu Trost der gantzen Christenheit.

3.

Er hat das grewlichst Geschütz erdacht/
Mit grosser Kost zuwegen bracht/
Damit manch Schlosß in Grundt gefellt/
Man schätzt jhn billich für ein Held/
Dann er zu ritterlicher That/
Sich allezeit gefürdert hat.

4.

Sibnerley Sprach seind jm bekannt/
Dann wo er kompt in frembde Landt/
Redt er mit mancher Nation/
Die man sah etwa bey jm stahn:

Damit sich auch behelffen thet/
In grossen Kriegen so er het.

5.

Auch Trier in der berühmbten Statt/
Sein Keyserliche Mayestat/
Den Rock deß HERREN Jesu Christ
Gefunden hat/wie jr dann wist:
Erhebt S. Leopold deßgleich/
Ein Marggraffen von Oesterreich.

6. vacat.

7.

In Weydwerck er sich sorglich wagt/
Gantz dürstiglich vnd vnuerzagt/
Nach Gembsen/Eber/Hirsch vnd Bern/
Mit den er hat sein kurtzweil gern/
Die auch gezügelt in seim Landt.
Gefangen mit sein selbes Handt.

Extrema læua Turris in fine portæ Nobilitatis, proxime isti columnæ, in qua propinquitas descendendo continuatur, similiter, a superiori initium sortiendo, septem hæcce sequentia continet.

1.

Er hat getrieben Ritterspiel/
Darinn erzeigt auch kurtzweil viel/
Mit Warheit ich das sprechen kan/
Als vormals nie kein Fürst gethan/
Das alles doch mit solchem Schimpff/
Darauß jm kan Lob/Ehr vnd Glimpff.

2.

Die Häuser Burgnudt/Oesterreich/
Hat er gemacht zierte Königreich/
Darinn erhebt sein hohen Stamm/
Die Wapen zogen schon zusamm/
Sein Erben als zu Nutz vnd Ehr/
Zu dem jm stundt sein Fürstlich geehr/

3.

Seins Vatters Grab hat er vollnbracht/
Deß seinen auch dabey gedacht/
Vnd diß mit solcher Kost vollführt/
Als von keim Keyser ist gespürt:
Dann Er daran kein Gelt nicht spart/
Nach Kunst sein Ding must haben art.

4.

Den grösten Schatz hat Er allein
Von Silber/Goldt/vnd Edelgestein/

Den

Von Perlen gut/auch köstlich Gwandt/
Als nie keim Fürsten ward bekannt/
Davon zu Gottesdienst vnd Ehr
Viel geben hat/vnd gibt noch mehr.

5.& 6.vacant.

7.

Er hat gemacht groß Lust von Bäuwen/
Daß sich sein Nachkommen erfreuwen/
Darauff gelegt viel Kost vnd Gelt/
Mehr dann viel Fürsten in der Welt/
Das ziempt seim Keyserlichen Standt/
Dann er regiert viel Leut vnd Landt.

Quod hoc in loco stellagia quæpiam vacua relicta sunt, id potissimum & sine dubio hac de causa, factum est, quod in ista Cæsareæ Maiestatis egregia facta, quæ eadem partim exorsa, partim vero adhuc perfectura est (vt superius ex parte sexta colligitur) transferri possint.

Porro vt nunc etiam ad portam proximam à sinistris, quæ Porta Nobilitatis insignitur, perueniamus, ista, quemadmodum & porta Laudis, inter principales columnas duas collocata est, altam turrim, portæ Honoris, attingentes, in qua vna cum imagine sua & ornamentis consistit Rudolphus Bellicosus.

In altera ad sinistram; superius:

Albrechtus II. Fortunatus; inferius: S. Leopoldus.

In suprema, huius columnæ, parte, vnus ex quatuor Gryphonibus, quorum superius in parte septima mentionem fecimus, prominet, vnguibus prioribus schedam tenens, in qua Cęsareæ suæ Maiestatis symbolum inscriptum est: Tene mediocritatem.

Inter dictas autem duas columnas, in fastigio portæ Nobilitatis, sub aureo vellere, quadratum & stellagium, simile isti quod in porta Laudis situm, cum hac inscriptione:

So ich die Schrifft gantz wol betracht/
Find ich/ daß dieser hoch geacht
Jetzt Keyser Maximilian/
Deß Lob ich nicht wol sprechen kan/
Den Fürsten auch hie wol bekannt/
Mit Sipschafft allen war verwandt:
Ist solches nicht ein grosse Ehr/
Daß er diese Fürsten vnd noch mehr/
All hat gehabt in seim Geschlecht/
Als viel jhr hie gemahlet secht/
Der aller Schilt bezeichnet sind
Mit Namen/als man sie hie find.

Sub hac & alia quatuor paruæ stellagia conspiciuntur, in vnoquoque autem tres personæ regiæ & principales, quæ suæ Maiestati Propinquitate Cognatione & Adfinitate sunt coniunctæ, vna cum clypeis & insigniis suis depictæ sunt, quæ à sinistris portæ Honoris incipientes, hic sequuntur:

1. Loys Rex Franciæ, propinquus in 4. gradu.
   Ferdinandus Rex Hispaniæ, Adfinis in 2. gradu.
   Isabella Regina Castiliæ, Adfinitate coniuncta in 2. gradu.
2. Vladislaus Rex Hungatiæ & Bohemiæ, propinquus in 4. gradu.
   Henricus Rex Angliæ, Adfinis in 4. gradu.
   Iohannes Rex Portugaliæ, propinquus in 2. gradu.
3. Sigismundus Rex Poloniæ, propinquus in 4. gradu.
   Iacobus Rex Scotiæ, Adfinis in quarto gradu.
   Christophorus Rex Daniæ, Adfinis in tertio gradu.

4. Al-

4. Alphonſus rex Neapolis propinquus in 4.gradu. | Ludouicus rex Hungariæ propinqu⁹ in 5.Adfinis in 2.grad. | Iohannes princeps Hiſpaniæ Adfinis in 1.gradu.

Hæ Propinquitates & Adfinitates, in nouem aliis ſtellagiis continuantur, prope columnam, quæ extremam læuam turrim attingit iuxta duodecim alia ſtellagia deſcendentia.

L.

5. Eduardus Princeps Portugaliæ propinquus in 4.gradu. | † | †

II.

6. † | † | †

III.

7. Albrechtus Saxo Archiepiſcopus Moguntiæ propinquus in 3.gradu. | Iacobus Badenſis Archiepiſcopus Treuirenſis propinquus in 3.gradu. | Ludouicus Comes Palat. Rhen. Elect. propinquus in 4. & Adfinis in 2.gradu.

IV.

8. Fridericus Dux Saxoniæ Elect. propinquus in 3. gradu. | Albrechtus Marchio Brandenburg. Adfinis in 2.gradu, | Sigiſmundus Archidux Auſtriæ cognatus & propinquus in 3. gradu.

V.

9. Carolus Dux Burgundiæ ſocer ac loco parentis. | Albrechtus Dux Saxoniæ propinquus in 2.gradu. | Ludouicus Senior Dux Bauariæ Adfinis in 4.gradu.

VI.

10. Wilhelmus Dux Bauariæ, propinquus in 2.gradu. | Ludouicus Iunior Dux Bauariæ, propinquus in 2.gradu. | Iohannes Dux ab Orliens in 4. gradu.

VII.

11. Iohannes Dux à Burbon, Adfinis in 4.gradu. | Carolus Dux in Angulem, Delphin, Adfinis in 4.gradu. | Iohannes Dux in Alantzon, Adfinis in 5.gradu.

VIII.

12. Franciſcus Dux Britanniæ, Adfinis in 2.gradu. | Antonius Dux Lotharingiæ, Adfinis in 3.gradu. | Ericus Dux Brunouicenſis, Adfinis in 3.gradu.

IX.

13. Cunradus Dux Maſſouiæ, propinquus in 3.gradu. | Fridericus & Sigiſmundus fratres, propinqui in 3.gradu.

Item, in duobus ſtellagiis minoribus, columnæ eiuſdem, duæ perſonæ.

14. Vlricus Dux Wirtenbergicus, Adfinis in 2.gradu. | Philippus princeps à Neuers, Adfinis in 4.gradu.

15. Iohannes princeps ab Vranien, Adfinis in 2.gradu. | Wilhelmus Marchio Montferatenſis, Adfinis in 5.gradu.

Item, in altera columna ſub S. Leopoldo, duo ſtellagia vna cum tribus perſonis principalibus & earum inſigniis.

16. Iohannes Dux Cliuenſis, Adfinis in 3.gradu. | Philibertus Dux Saphoiæ, Adfinis in 1.gradu. | Dux à Kukumbre, propinquus in 3.gradu.

17. Chriſtophorus Marchio Badenſis, propinquus in 2. gradu. | Albrechtus Marchio Badenſis, propinquus in 2.gradu. | Wilhelmus Landgrauius Haſſiæ, Adfinis in 5.gradu.

Item, in duabus paruis columnis prope introitum huius portæ Nobilitatis, à dextris.

18. Leonhardus Comes Hericius, Adfinis in 5.gradn. | Hermannus Comes Hennebergenſis, Adfinis in 5.gradu. | Comites à Werdenberg, propinqui in 3.gradu.

Et denique in duabus columnis paruis, à ſiniſtris & è regione.

19. Franciſcus Comes à Zollern, Adfinis in 3 gradu. | Philippus Comes Hanouiæ, Adfinis in 3.gradu.

Et tantum de porta Honoris.

MAV-

MAVSEOLVM DIVI MAXIMILIANI I.

&c. Oeniponte in aula noua conspiciendum.

QVoniam superior currus triumphalis & porta Honoris in glorioſiſſimi Diuæ memoriæ pr. Maximiliani I. Imper. Auguſtiſs. laudem & honorem efficta & depicta, deſcriptaque fuerunt: in iſque pleræque ipſius Maieſtatis res ſumma cum laude, virtute, felicitate, & totius mundi admiratione geſtæ breuiter attinguntur: non alienum à præſenti opuſculo fore exiſtimauimus, ſi eiuſdem Maieſtatis epitaphium vere Imperatorium, à Sereniſs. recordationis pr. Inuictiſs. D. Ferdinando Rom. Imp. itidem Aug. in templo aulæ Oenipontanæ, contiguo, quod lingua vernacula, den newen Bauw / vocant, ſplendidiſſime & magnificentiſſime exſtructum, huc relatum litteratenus inſereremus: Quia & hoc ipſius Maieſt. decantatiora & magis illuſtria facta, elegantiſſimo & cœlo & calamo effigiata, complectitur. Extat autem in templo iſtius media, ferreis clathris, ſatis artificioſis, & velis ſuis contra iniurias circumdatum: quibus remotis apparent ad caput & pedes, & ex vtroque latere 24. tabellæ, de puriſſimo & candidiſſimo marmore, opere eleuato ſeu anaglyptico ſcitiſſime & fabrefime exſculptæ, nigroq; non minus ſplendicanti ſuis ſpatiis inſertæ: quæ prætacta ipſius Maieſtatis illuſtriora, & nunquam intermoritura facinora, ſummo artificio expreſſa, gratiſſimo ſpectaculo viſenda exhibent. Hiſtoriæ vero ſingulæ ſcriptura ſua aureis litteris, nigricanti marmore graphice inciſis, ſubtus compendioſe explicantur: quas antequam recenſeamus, inſcriptionem, quæ in ſuprema circumferentia circum circa aureis etiam legitur litteris, præmittemus: & eſt eiuſmodi.

IMPERATORI CÆS. MAXIMILIANO, PIO, FELICI, AVGVSTO, PRINCIPI TVM PACIS, TVM BELLI ARTIBVS OMNIVM ÆTATIS SVÆ REGVM LONGE CLARISSIMO; SVB CVIVS FELICI IMPERIO INCLITA GERMANIA, DVLCISSIMA IPSIVS PATRIA, TAM ARMIS, QVAM LITTERARVM STVDIIS; PLVS QVAM ANTE HAC FLORERE, CAPVTQVE SVPER ALIAS NATIONES EXTOLLERE COEPIT. CVIVS INSIGNIA FACTA, TABELLIS INTERIORIBVS, QVAMVIS SVB COMPENDIO EXPRESSA CONSPICIVNTVR.

IMPERATOR CÆSAR, FERDINANDVS, PIVS, FELIX, AVGVSTVS, AVO PATERNO PLVSQVAM COLENDO AC BENEMERITO, PIETATIS ATQVE GRATITVDINIS ERGO P.

NATVS EST XXVII. MARTII, ANNO DOMINI CCCC. LIX. OBIIT ANNO DOMINI M. D. XIX. XI. MENSIS IANVARII.

Tabularum ſubſcriptiones & hiſtoriarum declarationes ſunt ſequentes:

I.

Matrimonio, cum Maria potentiſſimi Burgundionum Ducis Caroli filia, contracto, opulentiſſimæ Belgarum Sequanorumque ditiones, Auſtriacæ domui adiectæ.

II.

Fuſo ad Guynegatam vicum Gallorum, qui ex ttiginta millibus hominum conſtabat, exercitu, magna pars Hannoniæ, vna cum Imperiali vrbe Cameraco recepta.

III.

Atrebatum Arteſiæ Metropolis, quæ antea Gallorum armis ceſſerat, egregio ſtratagemate per nocturas inſidias, deceptis hoſtium cuſtodiis, in poteſtatem redacta.

IV.

Viuente adhuc patre Friderico III. Imperatore, à ſacri Rom. Imperii Electoribus in regem Rom. vnanimiter electus, ac paulo poſt Aquiſgrani, adhibitis rite ceremoniis coronatus.

V.

Iunctis cum patruele Sigiſmundo armis Roueretum oppidum expugnatum, ac Venetorum copiæ vna cum duce Roberto Sanſeuerino ad vicum Collianum deletæ.

VI.

Vniuerſa inferioris Auſtriæ prouincia, quæ vna cum Metropoli Vienna in poteſtatem Matthiæ Coruini, inclitæ Hungariæ regis, deuenerat, intra trium menſium ſpatium, recuperata.

VII.

Alba Regalis, vrbs nobiliſſima, in qua reges Hungariæ & inaugurari & ſepeliri ſolent, valido exercitu cincta & expugnata, ingenſque illi regno terror illatus.

Facta

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [215] - 191
PUBLIC DOMAIN

VIII.

Facta cum Carolo Octauo Gallorum rege pace, Margarita filia vna cum opulentissimis Burgundiæ ac Arteſiæ Comitatibus, ante tempus à Ludouico XI. occupatis, recepta.

IX.

Turcarum ingens multitudo, quæ in Croatia & Sclauonia cuncta ferro & igni vaſtauerat, ſolius ipſius auſpiciis, ac aliorum ope ne quicquam implorata, inde eiecta.

X.

Fœdus cum Alexandro VI. Pontifice Maximo, Senatu Veneto, ac Ludouico Sfortia initum, quo mediante Carolus VIII. Gallorum rex, regnum Neapolitanum, à ſe ſubiugatum, deſerere ac domum redire coactus.

XI.

Ducta in matrimonium Blanca Maria, principis Mediolani filia, receptoque à Lud. Sfortia fidei iuramento, ducatus Mediolani ad Imperij obedientiam ſine ſanguine reductus.

XII.

Conciliatis inter filium ſuum Philippum, ac inclitorum regum Ferdinandi & Eliſabethæ, filiam Iohannam nuptiis, ad ampliſſimorum Hiſpaniæ regnorum ſucceſſionē aditus poſteris ipſius apertus.

XIII.

Bohemi, qui ſororium ipſius Albertum Bauariæ ducem mercede conducti oppugnatum aduenerant, memorabili prælio, prope vrbem Ratiſponam, plurimis illorum interfectis, ſuperati.

XIV.

Kuefſtainio & Geroltzeckio munitiſſimis arcibus expugnatis, ſeptenæ inſignes præfecturæ ditioni Auſtriacæ partim adiectæ, partim quaſi poſtliminio quodam reſtitutæ.

XV.

Arnhemio, quod primarium Geldriæ oppidum eſt, capto Carolo, duce Geldriæ, qui, Gallorum partes ſecutus, rebus in inferiori Germania nouandis ſemper ſtuduerat, pax ſupplici data.

XVI.

Percuſſo cum Iulio XI. Pontifice Maximo ac Hiſpaniarum & Galliæ regibus fœdere, Veneti tota propemodum continenti, quam in Italia poſſidebant, depulſi, & ad ſummam rerum deſperationem adacti.

XVII.

Inſignes Venetorum vrbes, Patauium, Verona, Vicentia, vna cum magna Fori Iulij parte in poteſtatem redactæ; Brixia vero auxiliaribus Gallorum armis expugnata.

XVIII.

Societate cum Iulio Pontifice & pagis Heluetiorum contracta, Galli penitus Italia eiecti, Maximilianuſque Sfortia, tot iam annis exul, paterno Inſubriæ principatui reſtitutus.

XIX.

Iunctis cum Henrico VIII. Anglorum rege viribus, iterum ad vicum Guynegatam, locum antiqua Cæſaris victoria fatalem, inſigni prælio profligatus Gallorum exercitus.

XX.

Terouanna Morinorum exciſa, Tornacum vero priſca bellicoſi ac fortiſſimi Neruiorum populi gloriæ inſignis ciuitas, poſt leuem oppugnationem in fidem accepta.

XXI.

Bartholomæus Liuianus excelſi nominis Dux, cum ingenti Venetorum copiarum apparatu à parua Cæſareanorum militum Germanorum ac Hiſpanorum manu prope Vicentiam fuſus & fugatus.

XXII.

Maranum oppidum aſtu captum, obſidentibuſque id paulo poſt Venetis, eruptione inde facta, cum Paulo Manfronnno & Balthaſaro Scipione, acerrimis hoſtium ducibus, feliciter pugnatum.

XXIII.

Conuentu cum Hungariæ ac Poloniæ regibus Viennæ habito, contractiſque hinc inde matrimoniis, nepotibus ipſius via acquirendis ampliſſimis Hungariæ ac Bohemiæ regnis ſtrata.

XXIV.

Vrbs Verona opera Marci Antonij Columnæ, ſubmiſſiſque per Guilhelmum Roggendorffium commeatu & ſubſidiis, aduerſus immenſam vim oppugnantium Gallorum & Venetorum ſtrenue defenſa eſt.

Hactenus Epitaphium Maximiliani I.

PORTÆ

PORTÆ TRIVMPHALES ALIÆ.

PRopter argumenti similitudinem non absurdum putauimus hoc loco breuissime attexere duas alias portas triumphales, Norimbergæ olim erectas: Earum vero typus seu delineatio, licet neutiquam adeo operosa & prolixa, ob causas partim supradictas, partim alia impedimenta, operi pro tempore inseri non potuit. Interim beneuolus lector, quali quali hac descriptiuncula, desiderium, si quod habet, expleat. Atque altera quidem iusta dimensionis proportione columnis Corinthiacis ornatam, Inuictiss. Imper. Cæs. Carolo, eius nominis V. Senatus Populusque Norimbergensis, cum XVI. Februarij, anno M. D. XLI. primum eam vrbem esset ingressurus: Alteram vero, eodem dimensionis & columnarum ornatu, Inuictiss. Imp. Cæs. Maximiliano, eius nominis II. idem S. P. Q. N. cum VII. Iunij, anno M. D. LXX. vrbem primum ingrederetur, honoris ac reuerentiæ ergo erexere.

Erat autem tota earum altitudo, vsque ad Aquilam (bicipitem atque versatilem) pedum 60. Latitudo vero pedum 82. Color vndique natiuum marmor referebat. Habebantque supra portam (mediam seu regiam) cuius altitudo 24. pedum erat, duas tabulas, vnam versus forum, alteram versus arcem: Ac quatuor virtutes cardinales, ab vtroque scilicet vtriusq; tabulæ latere vnam, elegantissimis inscriptionibus ac epigrammatis inscriptas: prout sic subnectuntur.

I.

VERSVS FORVM.

IMPERATORI CÆSARI AVGVSTO CAROLO V. HISPANIARVM REGI, &c. ARCHIDVCI AVSTRIÆ, CLEMENTISSIMO AC FELICISSIMO PRINCIPI S. P. Q. N. HONORIS ET REVERENTIÆ ERGO P.

VERSVS ARCEM.

Victrices Aquilas, victricia signa potentis
Imperij, tibi quod CAROLE magne subest:
Norica venturo Respublica Cæsare gaudens,
Officium posuit testificata suum.

SVPRA IMAGINEM IVSTITIÆ.

Parcere subiectis, & debellare superbos,
Conuenit ingenio Cæsar inesse tuo,
Sentiat optatam per te tua turba quietem,
Subque iugum per te barbarus hostis erat.

PRVDENTIÆ.

Quod tibi tam constans faueat victoria Cæsar,
Non modo Fortunæ muneris esse puta:
Sacra sed augustum moderans Prudentia pectus,
Hunc titulum laudis maluit esse suum.

FORTITVDINIS.

Sic per te placidam capiat Germania pacem,
Vt tibi nunc animis carminibusque fauet.
Sic per te Geticus nostris à finibus hostis
Pellatur, vires sensit vt ante tuas.

TEMPERANTIÆ.

Inter opes tantas, inter tot regia sceptra,
Quæ tu diuino munere Cæsar habes;
Temperat excelsam mitis moderatio mentem.
Principe quid tanto dignius esse queat?

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [217] - 193
PUBLIC DOMAIN

DILVCIDA AC BREVIS DESCRIPTIO PORTÆ HONORIS QVATENVS VIDELICET IN forma Corinthiaca, inuictissimo Imperatori Carolo V. in Cæsareæ suæ Maiestatis honorem & aduentum (die videlicet 16. Februarij, anno 1541.) à prudentissimo Senatu Populoque Norimbergico, humilimi obsequij gratia ibidem erecta fuit.

ALtitudo istius portæ Honoris vsque ad Aquilam (quæ Cæsaream Maiestatem aduentantem ad forum inclinando excipiebat, & postea sese inuertens eidem ad arcem approperanti parem honorem exhibebat) pedum erat saxaginta, Latitudo vero octuaginta duo. Vndique etiam adeo apposite perpolita erat, tanquam è puro marmore fabrefacta & extructa fuisset. Supra ingressum, portæ huius, qui ex viginti duobus pedibus constabat, duæ pendebant tabulæ cum scripturis Latinis; vna iuxta forum, altera iuxta arcem & penes hasce virtutes quatuor cardinales, itidem in scripturis latinis admodum scite comprehensæ, adeo vt difficulter in linguam nostram maternam transmutari queant. Cuius tamen sensum hunc fuisse autumo.

Supra portam maiorem, iuxta forum.

IMPERATORI CAROLO V. AVGVSTO, REGI HISPANIARVM, &c. ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DOMINO SVO CLEMENTISSIMO SENATVS POPVLVSQVE NORIMBERGENSIS HOC IN HONOREM ET REVERENTIAM P.

Supra magnam portam, iuxta arcem.

Nürnberg zu Zeugnuß jrer Pflicht/
Guten Willens vnd Zuuersicht/
Sieghafft Adler vnd sieghafft Zeichen/
CAROLO dem Großmächtigen reichen
Keyser/welcher jetzt regiert/
Im Römischen Reich guberniert/
Vor Zukunfft seiner Mayestat/
Zu Ehren auffgerichtet hat.

Supra imaginem Iustitiæ.

Keyser/es geziempt dir voran/
Daß du der deinen Vnderthan
Verschonen solt/welche dir neigen:
Den Hoffärtigen thue Krieg erzeigen.
Die dir vngehorsam widerstreben/
Auff daß dein Volck im Fried mög leben/
Vnd daß nach der Gerechtigkeit hoch/
Der Türck auch komm vnter dein Joch.

Supra imaginem Prudentiæ.

Keyser/daß du so grosse Sieg/
Erlanget hast in manchem Krieg/
Solt du nicht zumessen dem Glück/
Welches gantz wanckel ist vnd flück/
Sondern der heiligen Weißheit/
Welche dein Hertz regiert allzeit/
Die wil auch haben dieses Lob/
Wann sie schwebet ewiglich hoch.

Supra

Supra imaginem Fortitudinis.

Keyser/wie dir die Teutschen dein/
Mit Gmüth vnd Schrifften günstig seyn/
Also verhoffens Fried von dir
Zu erwerben nach Hertzen gir.
Vnd wie der Türck vormals dein Gwalt
Befunden hat gar mannigfalt/
So werd er widerumb geplagt/
Vnd von vnsern Grentzen verjagt.

Supra imaginem Temperantiæ.

O Keyser/der durch Gottes Krafft/
Hast so viel Schätz/Reich vnd Herrschafft/
Darinn du gwaltiglich regierst/
Vnd so großmächtig gubernierst/
Noch regiert dein edel Gemüth/
Die Mässigkeit mit jhrer Güt.
Was kündt eim solchen Fürsten auff Erden/
Löblichers zugemessen werden.

II.

VERSVS FORVM.

IMPERATORI CÆSARI AVGVSTO MAXIMILIANO II. GERMA. HVNGA. BOHEM. SCLAV. REGI. ARCHIDVCI AVSTRIÆ CLEMENTISSIMO AC FELICISSIMO PRINCIPI S. P. Q. N. HONORIS AC REVERENTIÆ ERGO POSVIT.

VERSVS ARCEM,

En, Regina auium pennis nigrantibus alas
Explicat, & geminum tollit ad astra caput.
Sic tua Maiestas, tua gloria, Cæsar, Olympum
Compleat, & Solis pulset vtramque domum.

SVPRA IMAGINEM IVSTITIÆ,

VERSVS FORVM.

Sic commune bonum, Cæsar, sic iura tueris,
Pro merito vt quiuis, te tribuente, ferat.
Iustus es, Austriaco digna est hæc sanguine Virtus,
Hoc pater, hoc patruus nomine magnus erat.

SVPRA IMAGINEM PRVDENTIÆ,

VERSVS FORVM.

Iudicium ratio stabilit, solertia mentem
Exacuit, grauitas intima sensa mouet.
Hinc nihil indignum sceptro, nec inutile voluis,
Nil inconsulto pectore, Cæsar, agis.

SVPRA IMAGINEM FORTITVDINIS,

VERSVS ARCEM.

Turca ferox sæuit, gelidoque profectus ab Istro
Vastat, & immani cæde cruentat agros.
Fortiter hunc Cæsar cohibe, defende Penates,
Pelle Pharetratos, vindice Marte, Getas.

SVPRA IMAGINEM TEMPERANTIÆ,

VERSVS ARCEM.

Sic geris Imperij fasces, vt mitior alter
Te non sit, vires & moderare tuas.
Hoc agis, vt leges populi, pacemque sequantur,
Et qui te metuant, te quoque, Cæsar, ament.

BREVIS DESCRIPTIO II. PORTÆ HONORIS, QVATENVS VIDELICET EADEM, IN FORMA CORINTHIACA POTENTISSIMO IMPERATORI MAXIMILIANO II. IN CÆSAREÆ SUÆ MAIESTATIS HONOREM & ADVENTUM (DIE VIDELICET 7. IUNIJ, ANNO 1570. À SENATU POPULOQUE NORIMBERGICO, HUMILIS OBSEQUIJ & REVERENTIÆ ERGO ERECTA FUIT.

SVPRA MAGNAM PORTAM, VERSVS FORVM.

IMPERATORI MAXIMILIANO II. AVGVSTO, IN GERMANIA, HVNGARIA, BOHEMIA, SCLAVONIA, &c. REGI. ARCHIDVCI AVSTRIÆ, &c. DOMINO SVO CLEMENTISSIMO SENATVS POPVLVSQVE NORIMBERGEN. HOC, HONORIS ET REVERENTIÆ ERGO, EREXIT.

Supra magnam portam, versus arcem.

Sih an der Vögel König dort/
Mit breiten Flügeln auff der Pfort/
Wie er sein Kopff gar hoch auffreckt/
Vnd sein Gefider weit außstreckt:
Also auch deine Mayestät/
Wachse/zunemm/vnd mehr sich stet/
Daß jr Lob/Preiß/Tugend vnd Ehr/
Erschall in d Lufft biß vber Meer.

Supra imaginem Iustitiæ, versus forum.

Keyser/Recht vnd Gerechtigkeit/
Vnd was da dient der Christenheit/
Wirdt von dir stets also gehöcht/
Daß jeder nach seim verdienst empfächt/
Du bist gerecht/lobsam deßgleich/
Erhebst das Hauß von Oesterreich.
So ward dein Vatter Ferdinand
Vnd Carolus allen bekannt.

Supra imaginem Prudentiæ, versus forum.

Weißheit/Verstandt vnd Gschickligkeit/
Vernunfft vnd alle Erbarkeit/
Deß Menschen Sinn allzeit regiern/
Daß jhn niemand kan leicht verführn/
Also allzeit dein Mayestat/
Bedachtsam als vollendet hat/
Vnd nichts anfächt ohn guten Rath/
Damits dein Vnterthan nichts schad.

Supra imaginem Fortitudinis, versus arcem.

Der grawsam Türck mit Vngestüm/
Raubt was er find/bringts alles vmb/
Bey der Thonaw in vnserm Land/
Zeucht jmmer fort/ohn Widerstandt/

Dem

Dem wehr Keyser/vnd treib zu rück
Sein Fürnemmen vnd böse Stück/
Beschütz vns Hauß/Leib/Ehr vnd Gut/
Vnerschrocken mit bhertztem Muth.

Supra imaginem Temperantiæ, versus arcem.

Mit Glimpff erheltst dein Regiment/
Dein Gütigkeit hat gar kein End.
Richst alles auß mit Bescheidenheit/
Vnd sihst nicht an deine Hoheit/
Begerst von Vnderthan nicht mehr/
Dann Ghorsam vnd Keyserlich Ehr/
Mit dem hast du jetzt bracht zuwegen/
Daß auch die Feinde dir sind gwegen.

FINIS.

DVX ET SENATVS VENETORVM, REIPVBLIcæ & communitati Norimbergensi.

NOn equidem nostra culpa, P.N. Cæsar nobis hostis est; atque adeo eius aures obduratæ sunt, vt colloquendi nusquam facultas sit. Neque id tamen in ipsum referimus, qui clementissimus est, sed potius id fieri putamus suggestione maleuolentium, qui dum sibi tantum eõsultum existimant, nullam habent rationem collapsuri Romani Imperij. Etenim muneribus capti sunt, & non videnr, Gallos natura Germanis infestos esse, & gestire coronam Imperij. Et quidem ea Cæsari in aperto res est. Namque ipse sæpe etiam profitebatur, facile collapsura machiramenta huiusmodi, si celeri remedio occurratur, sicut & nos futurum credimus, si modo Cæsar ita velit, vt potest, obuiam ire: atque ea, quæ facimus, & quæ per Oratores facturi dicturique sumus, in bonam partem accipere. Et quænam nos egimus aduersus Cæsarem, nisi ea, quæ plena officij sunt? Bello lacessiti, tuendi nos gratia obsistimus; & quæ ceperamus, vltro reddidimus, dum ea re regem Maximilianum placatum iri merito putaremus. Insuper modo nedum cupimus fœdus ritè factum validum & inuiolatum esse, sed etiam pacem perpetuam intercedere cum vestro Cæsare, cuius, si possumus, esse volumus semper cultores obsequentissimi. Verum obstant obtrectatores, quibus vos obuiam ire par est, dum nostra simul & res vestra agitur, quando mutua nostra commercia vicissim semper vsui sint. Nostra præsertim in vobis spes est, & in Deo Optimo Maximo, quem procul dubio speramus nobis auxilio fore, non immemorem eorum, quæ semper egimus, seruandæ & augendæ Christianæ religionis gratia. Namq; alioquin reges terræ nobis infesti sunt magis, quam vnquam in Turcas fuerint, & rem Venetam quanto maximo possunt studio perditum eunt. Vos igitur, auctore Deo, in vobis, qui semper antiqua beneuolentia nobis coniuncti fuistis, nostram quæso causam agite apud Cæsarem, vt vestra opera ipso conciliato, nobiscum vos rebus nostris omnibus vti possitis, atque conseruata dignitas & ciuitas nostra non magis, quam vobis semper vsui sit.

BILIBALDI PIRCKHEIMERI ORATIO AD DIuum Carolum V. Imper. in legatione pro Republica Norimbergensi.

TAmetsi, Inuictissime ac Serenissime Rex, Maiestatis tuæ ac sacri Romani Imperij fideles subditi Senatus Magistratusq; Norimbergensis tibi per oratores suos in terra Hispaniæ palam ostenderũt, quali gaudio, quantaque lætitia affecti fuerint, ob felicissimam ac nullo æuo intermorituram gloriosam electionem illam, qua ad Romani Imperij culmen dignissime euectus & exaltatus es: vt tamen nil intermitterent, quo perpetuam suam obseruantiam ac fidelitatem erga Maiestatem tuam declararent, mox vt perceperunt, illam Germaniæ littora classe potentissima attigisse, nos in occursum serenitatis tuæ properare iusserunt, addito mandato, vt post humilimam eorum commendationem Maiestati tuæ omnia fausta & prospera imprecaremur, ac immensam lætitiam, quam ex tam fortunato aduentu concepere, coram ostenderemus. Nos igitur iussa illa humiliter exequentes, optamus obiter ac precamur, vt accessus exoptatissimus Maiestatis tuæ Deo Optimo ac Maximo in

primis sit gratus & acceptus, Maiestati tuæ faustus & felix: Ipsis vero Norimbergensibus & cunctis subditis secundus & fortunatus. Proinde etsi non dubitant, Maiestatem tuam meminisse, quæ de primo conuentu celebrando rogauerint, ac quæ Maiestas tua benignissime promiserit: vt tamen in ea quoque parte officio suo satisfaciant, iterum humiliter & obnixe Maiestatem tuam rogant, vt illa non tam promissorum, quam veteris Romanorum principum instituti, ac præcipue Aureæ, quam vocant, Bullæ memor esse velit, ac sactatissimum conuentum primum Norimbergæ, & non alibi celebrare. Id si fiet (quemadmodum haud dubitamus) sentiet profecto Maiestas tua, non tam loci situm, commeatusque abundantiam omnifariam, quam Norimbergensium subditam humilitatem ac beneuolum animum commoditatem opportunitatemque Maiestati tuæ desideratam attulisse. Nec est quod Maiestas tua pestis deterreatur fama. Nam quamuis illa superiori anno aliqualiter glisscere cœperat, Dei tamẽ inprimis benignitate, deinde sedula cura ac prouidentia diligenti adeo sedata est, atque extincta, vt penitus nullum mali illius restet vestigium: ita vt non solum populus vniuersus Norimbergensis auidissime felicissimum tuæ Maiestatis præstoletur aduentum, sed & auræ salubritas & cœli temperies illam inuitare & allicere videatur: sentietq; Maiestas tua, Senatum Magistratumque Norimbergensem non tam verbis quam factis debitum præstitisse officium.

ORATIO BILIBALDI PIRCKHEIMERI AD S. C. Maiest. Locumtenentem generalem, habita in legatione pro Republ. Norimbergensi aduersus eam infestantes, &c.

ILlustrissime ac potentissime Princeps, Cęsareæ Maiestatis Locumtenens Generalis, Domine Gratiosissime, ex commissione Senatus huius vrbis, Dominorum & amicorum nostrorum Illustrissimam Dominationem vestram adire, ac illi grauamina quædam, quæ eisdem Dominis nostris quotidie accidunt, enumerare cogimur, suppliciter rogantes, vt Dominatio vestra Illustrissima benigne ac hileratioſe nos audire dignetur.

Illustrissime Princeps: Licet Domini & amici nostri semper & vbiq; in omnib. tam belli, quã aliis Imperij negotiis, ita se erga laudabilis memorię Cęsares & Reges gessere superiores, vt quã æquissime etiam vltra vires suas, præ ceteris & bona & corpora impenderint propria: nilominus tamẽ longissimo iam tempore & vltro viginti quatuor annos tot & tanta eis accidere incommoda & damna cum manifestis tum occultis hostium insidiis, latrociniis, cædibus, populationib. & incendiis, aliisq; interandis & assiduis grauaminibus, vt mirũ non esset, si ciuitas Norimbergensis, ob tam inauditas, diuturnas & indefinẽtes aduersitates, ita exhausta & depauperata fuisset, vt penitus nulla amplius auxilia & officia sua, sacrosancto Romano Imperio impendere posset: Quod profecto factũ esset, nisi diuina clemẽtia tam abunde & quodammodo miraculose vrbẽ hanc protexisset. Nilominus tamẽ ita semper erga Cęsaream Maiestatẽ domini nostri se gessere, vt illa & paratum animum & summã obedientiam plane percipere valuerit. Ac vltra id ob commodũ & vtilitatem communem iustitiæ & paci totis viribus studuere, ac vias publicas ab assiduis latrociniis ac furtis defenderunt, ac quãtum potuere securas reddiderunt, non sine impensis & laboribus maximis. Et quamuis non parvam laudem se inde acquisiuisse sperant: nilominus tamen ab improbis iustitiæque & pacis osoribus tanto ob hanc rem violentiorem perpessi sunt persecutionem, quanto ipsi fidelius Sacri Romani Imperij honori, & publicis commodis operam impenderunt. Inter cetera vero sæua, inaudita & tyrannica nuper accidere scelera, non obstante quod Regimen Sacri Imperij Norimbergæ esset, quemadmodum Illustrissima Dominatio vestra non ignorat. Quidam enim tam eiusdem Celsitudinem quam aliorum, nec non dominorum & amicorum nostrorum subditi partim crudeliter sunt interfecti, partim vero vulnerati: Quidam vero manubus miserabiliter sunt mutilati, ita vt amplius ad laborandum & ad vxores ac liberos alendos penitus sint inutiles. Quæ quidem facinora (quemadmodum Illustr. Dominatio vestra facile perpendere potest) non solum ita sunt atrocia, vt & omnipotentis Dei aures assiduis fletibus impleant, sed & condignam exigant vindictam ac vnumquemque iustitiæ ac probitatis cultorem summopere offendant, & pietate commoueant.

Ceterum cum Norimberga ciuitas existat Imperialis, quæ non solum vndiq; truculentis circumdata sit hostibus, sed & in loco sit condita sterili, nec flumine aliquo nauigabili prædita, coganturq; ciues & incolæ ex mercib. & manuum viuere operibus: facile perpendi potest, si tam assiduis ac intolerandis quotidie damnis, offensionib. & violentissimis latrociniis grauari deberet, quisnã tot malorũ finis nõ solum ciues & incolas priuatim, sed & Remp. vniuersam maneret. Hæc omnia domini & amici nostri ob singularẽ spem ac confidentiam, quã erga Illust. Dominationem vestram gerunt, illi ostendere ac quã succinẽte ad memoriam eius redigere voluerunt. Proinde cũ Celsitudo vestra passim ab omnib. vel optime audiat, tanquã iustitiæ & pacis amator protector ac fautor singularis seuerusq; scelerũ & latrociniorum osor & vindex, ac Resp. Norimbergẽsis omnem suam spem post summum Deum & Cæs. Maiestatẽ in Illust. vestram Celsitudinem ponat: tanquã Principem optimum, Romaniq; Imperij locumtenẽtem nomine dominorum & amicorum nostrorũ humiliter supplicamus, ac totis viribus summopere oramus, vt Illust. Dominatio vestra dignetur scelerata hęc, nec non Tyrannica & nefanda facinora clemẽnter ad mentem reuocare, ac insuper diligenter expendere, cuius

cuiusnam momenti sint principaliores Respublicæ Imperiales, quantumque interfit tam ipsarum quam totius Imperii Romani eas à vi & iniuria maleficioque sartas tectas conseruari.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI DOMINO EGIdio de Viterbio, Sacræ Theologiæ Doctori eximio, totiusque ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini priori generali dignissimo.

REuerende pater, consueuerunt maiores nostri, tanquam veræ fidei Zelatores, religionem Christianam summis semper viribus tutari, augere ac Sacrosanctæ apostolicæ sedis auctoritate conseruare, tamen euenit, vt cum temporibus elapsis, Fratres ordinis Heremitarum, in vrbe nostra in reprobum dari sensum, multa absurda ac religioni minus conuenientia, quotidie perpetrarent, labore haud paruo, expensisque non contemnendis, illorum absolutam vitam ad frugaliores honestioresque perduxerint mores, id quod intercessione, auctoritate ac decreto Beatæ memoriæ Pii Secundi, cuius sanctitati res Christiana demandata erat. Coaluit itaque breui religio prædictorum fratrum, eoque res processit, vt ob vitæ bonitatem, conuersationem honestam non solum nobis, sed & cunctis ditioni nostræ ac dominio subiectis, clarissimi esse cœperint; quapropter eos non solum diligere, sed & vehementer amare cogimur, ita vt benigno animo (vtpote maiorum nostrorum insistentes vestigiis) cunctis in licitis & honestis, illos amplecti, tutari, ac defendere inclinati sumus. Cum vero in præsens haud leue dissidium inter fratres prædictos eorum adhærentes, & nonnullos, qui sub bonitatis prætextu religionem labefactare conantur, intercesserit, admodum vicerunt, ne ex presumpta illa Saxoniæ vnione, exitiosa sequantur scandala, periculumque imminet, vt non solum opera, impensa, ac diligẽtia maiorum nostrorum pereat, sed & regularis vita ac honesta conuersatio funditus ruat, ac collabatur, quantũ id religioni ignominiosum, nobis vero molestum esset, P. V. facile perpendere potest. Quapropter paternitatem vestram ex cordis affectu rogamus, ac in Domino obsecramus, ne rem tam nefandam accidere patiatur, sed benigne, vt vestram decet Reuerentiam, causam hanc sedare ac discutere velit, ac operam dare, vt prænominati fratres illorum sectatores & adhærentes, quiete & absq; vlla molestia, quemadmodum huc vsq; vixerunt, honesta ac regulari vita perfrui queant, sin vero ob aduersariorum importunitatem P. V. id minus liceat, saltem prædictis fratribus Iuris via haud intercludatur, sed libere pateat: quemadmodum P. V. ex harum litterarum consignatoribus latius informari poterit; Erit id iusticię consonum, P. V. dignum, nobis vero admodum acceptum. Datum &c.

Senatus Magistratusq; &c. Nurembergensis.

BILIBALDI PIRCKEIMERI ET LAZARI SPENGLERI

Scheda Appellationis ad Leonem, X. P. M.

CVm appellationis & prouocationis ac supplicationis remedia in subsidium & refugium grauatorum & se grauari veri similiter formidantium ab vtriusque iuris conditoribus sint rationabiliter inuenta & permissa: Hinc nos Bilibaldus Pirckeimer consulatis, & Lazarus Spengler Secretarius consulatus ciuitatis Imperialis Nurenbergensis, Bambergensis diocesis communiter & diuisum, & testibus hic præsentibus & rogatis, animo & intentione ad sanctissimum in Christo Patrem & dominum nostrum, Dominum diuina prouidentia Papam Decimum, Sanctamque sedem Apostolicam, vt infra sequitur, appellandi & prouocandi ac supplicandi, saluis aliis appellationibus, per nos alias interpositis, citra tamen quorumcumque iniuriam (de quo protestamur) dicimus & allegamus, Quod licet à tempore, quo ad discretionis annos peruenimus, vnam sanctam, Catholicam, Apostolicam, & orthodoxam Ecclesiam semper firmiter crediderimus, eiusque mandatis deuote obtemperauerimus, neque vnquam hæreticis, schismaticis, aut de fide Catholica male sentientibus, legitime coniunctis, condemnatis & debite publicatis, consenserimus, adhæserimus, aut tales publice fouerimus, receperimus, defenderimus, aut eisdem in eo auxilium, consiliũ, vel fauorem præstiterimus, imo vt fideles & deuotos sanctæ matris Ecclesiæ filios decet, nos, quantũ humana fragilitas permiserat, semper gesserimus, habuerimus & ostenderimus, absq; omni arrogantia, iactantia & fictione loquendo, fuerimusq; ab eo tẽpore citra, vt tales & pro talibus ab omnib. notitiã nostri habẽtibus etiam grauibus, altis, dignis & præeminentibus, & honestis viris, cum quib. conuersari sumus, habiti, tenti, nominati & reputati palam & publice: Tamen quidã dominus Ioannes Eckius doctor, se præfati sanctissimi domini nostri Papæ nuntium & executorẽ gerens & asserens, quasdã litteras & bullas apostolicas eiusdem Sanctissimi Domini nostri Papę, de datis videlicet Romæ anno incarnationis dominicæ M. D. XX. XVII. Kal. Iulii, Pontificatus sui anno octauo, contra & aduersus quẽdam dominũ Martinũ Luther Augustinianum, Doctorẽ Wittenbergensem, & eiusdem nonnullos articulos & errores respectiue tanquã hæreticos, scandalosos aut falsos, offensiuos & seductiuos, dãnatos & reprobatos, prout in eisdẽ Bullis contineri fertur, emanatas ipso Martino Luther in eadem bulla nominatim & eius nomine & cognomine expressis. Ac contra eiusdẽ Martini in eo complices, fautores, adhęrentes & receptatores, nullo tñ per prefatũ sanctiss. dominũ nostrum in eisdem litteris seu bullis nominato, specificato aut nominatim expressio ad valuas Ecclesiarũ Cathedraliũ sc. Misnẽsis XXI. Mersenburgensis XXV. & Brandenburgensis XXIX. Septẽbris proxime elapsi anno, sc. XX. currente

currente publicari,& eo non contentus etiam nos duos noſtris,& quosdam etiam alios eorum nominibus & cognominibus expreſſis & ſpecificatis vti complices & adherentes ſæpe fati Martini nominando contra tenorem ipſius aſſertæ bullæ. In qua nos duo præfati nuſquam nominati ſumus, taliter qualiter licet de facto & minus iuſte,non abſque noſtri graui ignominia, iniuria & infamia, cum tales & pro talibus nunquam reperti,confeſſi,conuicti,aut condemnati, neque ad id aut propterea à quoquam extra iudicium à perſona priuata vel ſuperiore interpellati aut moniti,multo minus iudicialiter conuenti,impetiti,neque requiſiti ſimus, promulgati & requiri per coaffixionem cuiuſdam ſchedulæ ad dictas valuas feciſſe, & extra noſtram ciuitatem & dioceſin & diuerſis aliis remotis ciuitatibus & diocæſibus,vt præfertur,vt maiori nos iniuria & infamia afficeret publicaſſe dicitur,prout poſt plures dies poſt dictum diem XXIX. Septembris vaga declaratione dici auditimus, in eo fines mandati, vt prætendit, conceſſi nulliter & illegitime plurimum transgr. diendo. Non etiam curans diſtantiam tantam inter ciuitatem Nurembergenſem,vbi moramur, & domicilia habemus, vſq; ad ciuitatem Brandenburgenſem præfatã,cum a Nurenberga vſq; Brandenburgã ſint communi computatione & computentur quinquaginta duo miliaria Almanica vel citra, quæ faciunt decem dietas legales vel citra. Imo per certas ſuas litteras & ſcripta ad alios miſſa vult,ſcribit, dicit & publicat terminum in ſæpe fatis bullis expreſſum & ſtatutum à dicta die aſcriptæ publicationis & requiſitionis Brandeburgæ factæ incurere nobis debere, non abſq; ſiniſtra machinatione & noſtri præiudicio,cum tamen id ſibi minime competat,nec conceſſum ſit, cum etiam, ſi litteris & æque contra nos procedere voluiſſet,tutum & patentem acceſſum per ſe aut ſuos in Nurembergã, & copiam noſtri quotidie,cum non latitauerimus, habere potuiſſet, nam & ex tunc dictis temporibus & ante hac,& ex poſt prope Nurenbergam iuit,prætertiuit,& hoſpitio ſteterit dies & noctes absque omni cuiusuis impedimento. Præfatus etiam Iohannes præmiſſis non ſatiatus ad importunam ſuam inſtantiam poſt præmiſſa apud Reuerendum in Chriſto patrem & dominum noſtrum Dn.Georgium Epiſc.Bambergenſem; tanquã loci ordinarium & in ſpiritualibus ſuperiorẽ noſtrum tanto inſtetit & obtinuit,vt paternitas ſua quandam nudam non ſigillatam non autenticam, ſed de quadam alia copia, non de vera originali bulla ſupra memorata contra ipſum Martinum,vt præfertur & aſſeritur emanata, ſcriptam, ac quandam aliam etiam nudam copiam aſſertarum litterarum commiſſionis & facultatis Apoſtolicæ eidem domino Iohanni Eckio, vti nuncio & executori apoſtolico aſſerto de datis videlicet XV. Cal. Auguſti anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo & viceſimo emanatarum nobis transmiſerit, & die XIX. menſis Octobri proxime lapſis huius anni vigeſimi currentis præſentari fecerit. Ad quarum litterarum ſeu copiarum transmiſſionem & præſentationem nobis factam eidem Reuerendo patri Domino Epiſcopo ordinario noſtro per certas noſtras litteras de lingua vulgari Teutonica impreſſas,ad quas nos refetimus & præſentes pro expreſſis habere volentes purum,verum & ſyncerum animum ac mentem detexi-mus,inter alia in eum effectum & intentionem. Quod hactenus ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ,Romanæ ſedi, ſanctiſſimo Domino noſtro Papæ in nullo quod obedientes filios & membra Eccleſiæ Chriſtianæ concernit,vnquam oppoſuerimus,prout neque hodie opponimus. Neque vnquam intentionis noſtræ fuerit,nec hodie ſit Doctoris Martini Luther doctrinis & opinionibus, ſiue ſint in ſcriptis redactæ aut à ſe promulgatæ quouis modo adhærere,eas promouere,obſeruare & defendere,niſi dum ſaltem Chriſtianæ fidei & Euangelicæ veritati conſonæ & conformes,& huic quod quiuis Chriſtianus credere debet, non contrarientur, quod & hodie volumus. Et quid id quod Eccleſia Catholica concorditer in præmiſſis concluſerit aut decreuerit, id pro parte noſtra prout obedientes ſubditi etiam acceptare & obſeruare velimus. Ac quod ſanctæ Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ in omnibus quæ nobis credenda & obſeruanda & obmittenda ſunt & concernunt, vti obedientes ſubditi nos ſubiicimus,& vſque ad vltimum exitum inhærere intendimus, prout hæc & alia in dictis litteris,& ſcriptis noſtris ad præfatum Dominum noſtrum Bambergenſem latius & longius ad quę nos breuitatis cauſa referimus,& præſentibus repetimus,& repetita volumus continentur. Et licet præfatus Reuerendus Dominus Bambergenſis huiusmodi noſtras litteras,ſcripturas, exhibitiones ac oblationes aliaque in eis contenta (atque nos ex ſuperabundantia potius quam de neceſſitate obtulimus) ſæpe nominato Domino Iohanni Eckio intimauerit,& ruſtus transmiſerit idem tamen Dominus Iohannes omnia temere recuſauit,reiecit,repulit,& minime aduertit. Cum autem per & ex præmiſſis claro clarius conſtet,quod ſæpe dictus Iohannes nos prænominatos, innocentes non conuictos,confeſſos aut condemnatos, neque in bullis præfatis nominatos, pro ſolo ſuo beneplacito ex ſingulari odio contra nos motus tanquam fautores,cõplices & adhęrentes hęreticorũ & ſchiſmaticos per præmiſſa & alias apud graues & honeſtos viros & in diuerſis locis verbo, ſcriptis & litteris ſuis nominare & publice diffamare & proclamare nõ erubuit, nulla præcedente infamia,confeſſione,ſententia,condemnatione,aut legitima monitione,metas etiam ſibi per ſupra fatas litteras Apoſtolicas,vt prætendit,datas & conceſſas temere & iniurioſe excedendo,ac nos indebite moleſtando: Vnde ſentientes,nos exinde indebite moleſtari,& præmiſſa in grauem honoris & ſtatus noſtri ignominiam & iniuriam vergere, & per ea multipliciter læſos & grauatos, timentesque

esque ex prædictis de futuris coniicientes in futurum ex eiusdem Iohannis Eckii siniſtris machinationibus atrocius & fortius grauari posſe: Quare omnibus melioribus modo & iure, quibus melius possumus & valemus, ab huiusmodi prætensis & indebitis Iohannis Eckii molestationibus & perturbationibus, infamationibus, litterarum, processuum Apostolicorum minus legitima contra nos publicatione & affixione, ac ab eisdem processibus Apostolicis, requisitionibus, pœnis, sententiis & censuris, ac quibuscunque grauaminibus aliis, nobis & contra nos, vt præfertur, latis, comminatis, & ferendis, ac illatis & inferendis ex causis superius expressis, & suis loco & tempore latius exprimendis, ad supra dictum Dominum nostrum Papam, Sanctamque sedem Apostolicam in his scriptis prouocamus & appellamus, ac ad melius de præmissis & aliis sanctitatem suam informandū supplicamus, respectiue & recurrimus, & causam ac negocium huiusmodi deuoluimus: Nobisque desuper apostolos seu litteras testimoniales siue vnum vel plura, & tot instrumentum & instrumenta publica propterea per vos notarium dari, instanter & instantissime petentes: Subiicientes nos ad omnes & singulos huic nostræ appellationi seu supplicationi inhærentes, tuitioni & defensioni ptædicti Domini nostri Papæ, sanctæque sedis Apostolicæ: Reseruata etiam nobis potestate huiusmodi appellationem ac supplicationem alterandi, augendi, minuendi & declarandi, aliam vel alias interponendi, atq; etiā suis loco & tempore his, quorum interest, intimandi, & insinuandi, atq; prosequendi, aliasque & alia in præmissis nobis faciendi, de quib. publice protestamur per præsentes.

Præsens appellatio est insinuata Domino Martino Geuder, & Conrado Haller eo tempore Magistratuum, per Dominum Notarium Gabrielem Scheidner Clericum &c. in præsentia Hoie Krichheiner, Iori Hehrel, & Stephani Bayers testium ad hoc specialiter rogatorum, in prætorio communi, ante stubam consulatus. Datum prima Decembris, Anno milleſimo, quingenteſimo, vigeſimo.

BILIBALDI PIRCKEIMERI CENSVRA,

De Germaniæ Rebuspublicis.

BILIBALDVS PIRCKEIMERVS BAPTISTÆ EGNATIO PIO VENETO.

S. D.

AVdieram iam pridem, Egnati ornatissime, te virum esse bonum & apprime eruditum. Nunc vero tuis acceptis literis etiam summa humanitate præditum intelligo, non ideo, quia tot laudes mihi attribuis, quas, etiamsi impudentissimus essem, minime agnoscerem; sed quia nepotem meum tam benigne suscepisti, & mihi ipsiq; nil de te merito operam tuam tam parate offers. Nec satis id erat, nisi me Erasmo nostro & reliquis doctis comparasses hominibus, à quorum eruditione tam longe absum, quam illi à me corpore sunt remoti. Distat vero ad me Zasius duodecim dierum itinere: totidem Huttenus: Erasmus autem viginti,

Vide nunc, quam prope ad illorū accedā doctrinam. Quid n. præstare possem, homo ita publicis obrutus negotiis, vt vix nocte mihi quiescere detur. Sed voluisti hoc pacto singularem tuam ostendere humanitatem, vt etiam erga eos, quos nunquam vidisti, esses officiosus. Nec inficias eo, fatalem quandam & innatam animi propensionem esse inter Venetos & Nurembergenses, non solum ob mercaturæ commercium, sed, vt tu quoque scribis, ob similem reipublicæ admnistrationem, si saltem parua magnis conferre licet, quam à vobis olim accepisse adeo non pudet, vt eiusce rei gratia libenter etiam gloriamur. Accedit, quod inter omnes Germaniæ Respublicas sola nostra, instar vestræ, ab optimatibus & patriciis gubernetur. Quid quod annis superioribus, quibus Illustris Venetorum Status bellorum mole conflictatus est, nos quoque nunquam quieuimus; sed aut hostes repellere, aut iniuriam retaliare coacti fuimus, quod adeo non siniſtre cessit, vt & vrbes arcesque ceperimus quam plurimas, quas adhuc tenemus, cum hostes penitus nihil ex nostro possideant. Cum igitur tot nominibus inuicem simus obstricti, cur non tē, qui singulari polles eruditione ac virtute, præcipue amem? Omnia igitur, quæ amicus amico debet, lubens offero: & quoniam te rerum nostrarum cupidum intelligo, frequenter ad te scribere curabo. Mitto interim censuram quandam meam de Germaniæ rebus publicis. Vale mi Egnati.

Quæ de Rebuspublicis nostris scire desideras, ita ferme se habent. Fuit olim Germania pluribus ac potentibus ornata Rebuspublicis: Sed vt sunt res humanæ, maior illarum pars pessundata est, cum Tyrannorum violentia, tum regiminis peruersitate. Præcipue vero illas afflixit Episcoporum insolentia ac auaritia, non secus ac flamma quædam cuncta hauriens. Cum enim Imperatores prisci, Principum consilio vere pernicioso, ius, quod ipsi in ciuitatibus habebant

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [225] - 201
PUBLIC DOMAIN

habebant Imperialibus, Episcopis concessissent, illi haud segniter tanto munere vsi sunt; sed cũ primum plebem contra optimates instigassent, breui eos vbique eiecere, ac inde stulto oppresso populo, omnia suæ ditioni subiecere. Sic periit antiquissima illa Treueris, sic potens Moguntia, sic aurea Colonia: vixq; ex tanta multitudine vna aut altera ciuitas Episcopalis tam sæuam calamitatem euadere potuit. Iãq; Episcopi ciuitates illas obtinent opibus exhaustas, ac ita cultoribus oppressis, vt Turcarum iugum longe videatur esse leuius. Nec secus Tyranni egere cum ciuitatibus iis, quas vel vi oppresserant, vel pignoris loco, vel precario à Cæsaribus acceperant: quamuis non defuerint, quæ sibi consuluere, ac vim illam vi repellere ausæ fuerint, veluti Turegum, Berna, Sola-turris, & reliquæ, quæ confœderatis, quos Suitenses appellant, adhæsere. Horum exemplum paucos ante annos Basilea sequuta est, iamque Episcopali iugo reiecto, sub Heluetiorum vmbra pristinas vires resumere incipit. Et quamuis infinitæ ciuitates eo pessum datæ sunt modo, non pauciores tamen ob reginminis periere imperitiam. Dum enim potentiores plebem opprimere contendunt, illam insurgere coegerunt: ac ita factum est, vt ferme vbique popularis inualuerit status, præcipue in vrbibus maritimis, & quæ Germanico alluuntur Oceano, à ciuitate Rigensi, quæ ita septemtrionalis est, vt diem longiorem XX. habeat horarum, vsque in Germaniam inferiorem, tractu fere immenso: Ex quibus etsi hodie plerique polleant martimis præcipue viribus, priuatis tamen potius quam publicis præstant opibus. Vnusquisque enim rei suæ studet; communiter vero omnes bona publica depeculantur, ac ideo assiduis fluctuant seditionibus, Genuensium instar: quas strenue Danorum Reges fouent, qui illas nunc vi aperta, nunc clandestina fraude, frequenter vero subimissis piratis, aterunt, alioqui adeo potentes, vt nemo illis formidini esset. Confœderatæ enim sunt septuaginta numero. Verum omnes eodem morbo laborant. Cæsari non cuncti parent, sed abiecto iugo libertate male parta peius abutuntur, ac ideo rebelles censentur: Veluti Dantiscum ad Vistulæ ostia situm: quod eam ob causam anno elapso à magno Prussiæ magistro obsidionem pertulit. Sed conatus ille inanis fuit, quia mare liberum erat, & præsidium validum à reliquis immissum est confœderatis. Quin & Hamburgum ad Cimbricam Chersonesum & Albis ostia positum, contumax censetur, & soli ex potentioribus Lubecenses rite imperio parent. Adiacent ii quoque Cimbricæ Chersoneso, orientem versus. Ciuitates vero Friliæ, Holandiæ, Seelandiæ, Flandriæ, Brabãtiæ, & vniuersæ Germaniæ inferioris Respulicas, quamuis superiorem recognoscant, minime tamen parent, nisi quantum eis collibuit, vere potentes, si non ita publica expilarent. Solæ igitur Germaniæ superioris Ciuitates quædam recte & fideliter publica gerunt, ac ideo potentiores inferioribus, quamuis longe à matis absint vsu: Ex quibus Augusta Vindelicorum mirum quam paucis his annis ob Monopolia, quæ vocant Portugallensia diuitiis creuerit. Vlma quamuis Augustæ priuatis cedat diuitiis, publicis tamen viribus ac ditione illam superat. His Francfordia ad Mœnum sita addi poterit, quamuis viribus sit inferior: Quibus si nostrã addideris, nihil peccaueris. Et hæ quatuor solæ sunt Respublicæ in Germania superiori cis Rhenum, quæ alicuius potentiæ censeantur. Vltra Rhenum vero Argentina est, olim potentior; sed ne nunc quidem contemnenda. Ceterum vrbs Metensis in Lotharingia sita, quæ & ipsa Imperio rite paret, omnes præter nostram rempubl. potentia superat.

INTERPRETATIO QVARVNDAM LITERARVM ÆGYPTIACARVM EX ORONILIACO, BILIBALDO PIRckeimero auctore.

Immortalis ac sempiternæ famæ heros.

AEgyptii immortalitatem ac famam sempiternam Basilisci figura exprimebant. Nam cum tria sint genera serpentum, reliqua animalia absque morsu ab illo interimi asserunt: vnde cum pariter vitæ ac mortis dominus esse videatur, Deorum capiti ac Heroum imponere consueuerunt, vt manifeste numismata ostendunt antiqua, in quibus sæpissime Basiliscus Imperatorum capitibus impositus cernitur, quoniam immortalis ac sempiternæ famæ existunt.

Antiqua ab origine natus.

Stirpem vero antiquam pingentes, papyri exprimunt fasciculum, per hoc ptiscorum ostendentes escam. Nam alimenti aut stipitis nemo initium inuenire potest. Sedens itaque imago super papyri fasciculum, designat, quod antiqua origine sit nata.

Princeps optimus.

Principem optimum exprimere volentes, Canem stola decoratum pingebant, quoniam animal hoc templa ingreditur, & Deorum imagines acute aspicit. Priscis quoque temporibus Iudices soli Regem videbant stola amicti.

Animo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [226] - 202
PUBLIC DOMAIN

Animosissimus, fortissimus, vigilantissimus.

Animositatem vero, fortitudinem, ac vigilantiam designantes, Leonis imaginem pingebant, quoniam animal hoc sit fortissimum, ac animosissimum, omnesque videntes timore perterreat: Vigilantiam vero, quoniam Leo dormiendo ac vigilando oculos semper apertos tenere consueuerit, quod custodiæ signum esse videtur. Ideo symbolice Templorum claustris Leones tanquam custodes apponere solent.

Cunctis naturæ bonis præditus, artibus & disciplinis egregie eruditus.

Bona vero naturæ, disciplinasque designantes, Cœlum rorans pingunt, ostendentes, quod per cœli rorem ac humorem, omnia bona naturæ oriantur, quodque ros plantas & cetera germinantia emolliat: Quæ vero sui natura dura sunt, minime molliri queant. Nam homines ingeniosi disciplinam vt rorem suscipiant, ac per illummet excoluntur: Insulsi vero hoc minime facere possunt.

Diuinus.

Stellam quoque pingentes, inter cetera, diuinitatem per illam designant, quoniam Dei prouidentia victoria & cuncta bona tribuantur, stellarumque & vniuersi cœli motus ex illo pendeat, nam absque Deo nil constare videtur.

Aquil. Rom. Imp.

Per Aquilam à tergo Romanum signatur Imperium, vt manifeste cuncti intelligunt.

Magnæ orbis terrarum partis Dominus.

Regem vero magnæ terrarum partis Dominum significare volentes, semisectum anguem depingunt, Regem per hoc reptile exprimentes. Sed quia semisectum sit, non vniuersi orbis, sed magnæ partis regem esse demonstrant.

Virtute bellica summaque modestia.

Virtutem vero bellicam, seu virilitatem cum modestia ostendere volentes, Taurum depingunt. Calidissimum enim animal hoc esse narrant, ita, vt quam primum fœminæ genituram ineat, sine omni motu sperma emittat. Quod si à genitura aberrat, ac in alium locum vaccæ corporis veretrum impingit, nimia ac vehementi intensione vaccam fauciat. Præterea admodum modestum animal esse deprehenditur, quoniam post conceptionem vaccam non ascendit.

Victoriaque excellenti superauit.

Excellentiam vero, ac victoriam ostendentes, accipitrem pingunt. Excellentiam, quoniam omnia alia volatilia excellere videatur: Victoriam vero, quoniam accipiter volucres omnes vincere consueuerit. Cum enium à fortiori premitur aue, se in aere resupinat, ita, vt sursum vngues; deorsum vero alæ ac posteriora tendant. Id cum ipsi congrediens auis facere haud queat, ab accipitre demum vincitur.

Regem Gallum potentissimum.

Regem vero potentissimum significare volentes, anguem pingunt, in medioque domum magnam, vel aliud quid constituunt. Gallus itaque super medio constitutus angue, regem Gallum potentissimum designat.

Quod ferme impossibile videbatur omnibus hominibus.

Impossibile vero quid factu designantes, pedes hominis in aqua deambulantis exprimunt; & quoniam impossibile videatur, quod homo per aquam incedat, rationabiliter per hoc impossibilitatem significant.

Bilibaldus Pirckeimerus colligebat, destinabatque honori Inuictissimi Imp. Caroli V. posteaquam is Franciscum I. Galliarum Regem victum cœperat.

APOLO-

APOLOGIA SEV LAVS PODAGRÆ,

Bilibaldo Pirckeimero autore.

REVERENDO DOMINO IACOBO BANNISSIO, DECANO TRIDENTINO D-

gnissimo, Bilibaldus Pirckeimer

S. D.

DVo mihi longe diuersa accidere solent, Bannissi præstantissime. Amici enim quotidie mihi scripta, & conuitiis quidem extorquere nituntur, turpe esse contendentes, cum docti pariter & indocti hac tempestate scribant, me solum perituræ parcere chartæ. At æmuli nunquam non mihi vitio vertunt, quod homo, vt vocant, Laicus, me litteris & negotiis, minus ad me pertinentibus immiscere audeam. Vt igitur amicis morem gererem, non tamen offenderem æmulorum aures delicatiores, materiam sumpsi, nemini præterquam podagricis molestam, quorum tamen indignatio, ob pedum tarditatem minus mihi timenda erit. Chiragra vero egregia, me etiam ab manibus illorum defendet, ita vt vndique tutus videar. Nec insuaue fuit vetera repetere studia, acea refricare in ludicris, quæ olim etiam inuitus tractare cogebar, nam & veteranus aliquando arma desueta & nauita rudentes attrectare gaudet depositos, & ni fallor ineptiendo senti, me non in concinne nugari, & si frontem perfricare vellem, longe argutius mentiri posse, quam plerosque qui nimis insulse etiam in seriis nugantur, nemini tamen vnquam persuadent. Sed & exemplum habeo, cum quidam tyrannidem, alius febrem, ille caluitiem, hic vero stultitiam laudauerit. Cur igitur mihi soli non liceret, quod nemini prohibitum esse cernimus? Tibi vero, Bannissi oprime, non ob communem calamitatem, aut ideo has nugas mitto, vt tu illas aliquid esse censeas, sed vt veterem nostram & nunquam intermorituram refricem amicitiam. Proinde, si potes, consolationem aliquam expiscare, nam tantum abest, quo ego vllam Podagræ beneficium agnoscam, vt illam quotidie sentiam molestiorem, nisi inter secunda„& non potius ridenda putes collocandum, quod stultus ego, à stultis persuasus medicis, perpetuum septennium frustra ab omni vini abstinuerim vsu, idque ir.ter peregrinationes multiplices, & legationes ferme assiduas, cum Diuum nostrum Cæsarem Maximilianum, nonnunquam per eas regiones sequi cogeret, vbi aquæ potus quoque pestilens esset, sed tandem resipui. Tu vero ni irrideri velis, ne in similem aliquando errorem incidas caue, & me vt semper fecisti amantem ama. Nurembergæ Kalen. Octobris, Anno Salutis M.D.XXI.

Non sum ignara, Iudices æquissimi, quam sit res difficilis, ac odii plena, opinionem semel conceptam, ac iam diu inueteratam ex hominum delere mentibus, maxime inconditi & imperiti vulgi, quod non tam prudentia ad iudicandum duci, quam omni quodam impetu & furore rapi soleat. Nec mirum, cum delectu careat, si etiam absque discrimine sententiam ferat. Quo pacto enim recte iudicari posset, vbi stoliditas prudentiam, temeritas rationem, consilium animi superauit impotentia? Proinde summopere lætor, tempus mihi aliquando oblatum, ac facultatem concessam esse, vt tandem inimicorum maledictis respondere, & insani vulgo obiecta diluere valeam, ne semper male audire cogar, & nunquam mihi libere loqui permittatur. Quamuis non tam mea, Iudices, quam vestra interesse rear, ne quis accusatus tãtum, minime vero auditus seu conuictus pereat, quo non optimus quisque à pessimis hominibus temere insimuletur, insimulatus condemnetur, condemnatus vltimo afficiatur supplicio. Non iniuria igitur conspectus hic vester, clementiæ ac mansuetudinis index, vehementer me recreat, ac confessus celeberrimus ita reficit, vt omnem timorem, omnemque suspitionem, penitus ex animo reiecisse videar. Cur enim timerem? cum ea vos sapientia, ea integritate & innocentia præditos sciam, vt non solum nil malt suspicari, sed cuncta sperare debeam, quæ apud homines sancta, iusta, pia, & plane existimatione vestra digna habeantur.

Verum antequam de causa dicere incipio, vos, Iudices clementissimi, oro & obtestor, vt attente & cum bona venia, verba mea ad finem vsque audiatis, & me meum dicendi ordinem seruare patiamini, ac interim donec à me peroratum fuerit, sententiam vestram suspensam teneatis. Deinde siquam contra me concepistis iracundiam, exuatis, odium seponatis, indignationem abiiciatis, potiusque rem ac causam ipsam, quam aduersariorum dicta, aut personam meam consideretis. Tum autem ne ægre feratis, si opinionem aliquam sinistram, ac temere contra me conflctam, sermo conuellat, ratio labefactet, veritas denique extorqueat. Id si fier, plus hodie apud vos veritatem & iustitiam valituram spero, quam nequitiam, inuidiam aut omnes omnium criminationes & calumnias. Plane enim me ostensutam confido, tot ac tanta, quæ mihi obiiciuntur mala, vt plurimum, non tam mea, quam aduersariorum culpa accidere. Inde si quæ sunt non tam grauia, sed longe

longe esse leuiora, quam illi velint aut censeant. Demum me etiam multorum bonorum causam esse, ac maxima & innumera sæpius afferre commoda. Nolite Iudices nolite perturbari, sed quieti, vt cepistis, me quæso audite, nisi enim cuncta quæ promitto, & plane quidem ostendero, in arbitrium vestrum positum erit, me etiam post causam auditam condemnare, ac ita fiet, vt vosmetipsi ab omni suspicione liberi & à culpa alieni esse videamini, nec ego, si conicta fuero, vllam pœnam recusare ausim. Sin vero omnia quæ polliceor præstitero, rogo, vt non tam mihi fauere quam officii vestri memores esse velitis, quo ea quę fas & iura permittit, sententiis etiam consequi possim æquissimis.

Ceterum priusquam aduersariorum obiecta diluere aggrediar, ante omnia mihi necessarium arbitror, ad populi rumorem & famæ malum respondere. Nam si bona (aduersarii inquiunt) & tam multorum commodorum ex causa, quare omnes tam impense te oderunt, execrantur ac detestantur? Nam & si fama sæpius, non tamen semper errare consueuit, præcipue cum inueterauit tam diu ac passim & vbique increbuit. At ego egregios illos accusatores meos vicissim interrogauero, cur & pueri magistros suos, etiam sapientissimos, odere? cur improbi etiam leges optimas vituperent? Ideo nempe, quia præceptores discipulos bonis imbuunt artibus, ac meliores reddunt: leges vero malis impedimento sunt, ne cuncta, quæ volunt ac cupiunt, patrare audeant. Verum non ideo magistri mali, quoniam à pueris odio habentur, nec leges iniquæ, quoniam à pessimis hominibus vituperantur, sed potius iudicio pueri carent, ac quemadmodum febricitantes de potu, ita illi de institutione male iudicant. Flagitiosi vero cum sceleribus cunctis sint inquinati, vellent reiectis legibus, omnia quæ luberent, potius licere, quam mala eorum facinora frœnis quibusdam coerceri. Non igitur confestim malus erit, qui à multis, sed qui iuste & à bonis vituperatur hominibus: quemadmodum nec ille bonus, qui multorum, sed qui proborum tollitur præconiis.

Cum enim semper & vbique malorum superet numerus, nemo bonus illorum iudicio bonus esset, cum neminem nisi sui similem laudare consueuerint. At tantum abest, vt inertis vulgi iudicium, præcipue apud bonos, alicuius sit momenti, vt quam sæpissime, qui male à malis audiunt, optimi censeantur viri: quemadmodum è conuerso pessimi & nullius frugis sunt homines, qui populari aura in cœlum vsque feruntur. Vnde & diuinus ille Plato recte censebat, Quicquid vulgo placeret, vel solum ideo suspicione dignum esse, etiamsi virtutis specimen quoddam præ se ferre videretur. Desinant igitur aduersarii mei, & mihi quoque rumores obiicere insanos, ac potius sibiipsis incommoda, dolores & diros, quo non nunquam patiuntur, cruciatus, acceptos referant.

Ita enim viuunt, imo ita bibunt, ita luxu & delitiis cunctis diffluunt, vt etiam me inuitam sæpissime reluctantem, in suum contubernium pertrahant, ac festinare compellant. Raro enim, imo vero nunquam sponte, sed semper coacte, ad illos accedere soleo. Quod si pestis, vt ipsi volunt, vniuersi humani generis forem, non solum quibusdam, sed omnibus molesta essem, nunc vero tantum abest, vt cunctis nocere valeam, vt etiam à multis quam lubentissime declinem. Non enim duris illis & agrestibus oblector hominibus, qui nunquam quiescunt, sed assidue corpus labore exercent, nunquam vel raro genio indulgent, famem tolerant, ac simplici satiantur cibo, sitim aquæ potu sedant, male vestiuntur, peius cubant, & qui ita sunt animati, vt voluptatibus cunctis renuntiarint.

At præclari illi accusatores mei, dum die noctuque pergræcantur, ocio marcent, labores vti pestem execrantur, voluptatibus cunctis, maxime venereis, eneruantur, cibos terra marique conquirunt preciosos, gulam assidue cõdimentis omnifariis irritant, bibendi modum non nescitate, sed libidine metiuntur, ac sitim minime vino extingunt prouinciali, sed exotico irritant, super plumis voluuntur mollissimis, ac non superbe tantum, verum monstrose quoque vestiuntur, & omnibus delitiis, quæ humana adinuenit nequitia, abutuntur, ita vt animum pariter & corpus eneruent, mihique sæpius, quamuis sim delicatissima, ob luxus nimios nauseam concitent, omnem tamen culpam in me vnam conferre solent, penitus immemores, vitam suam corruptissimam, ac pessimis vitiis contaminatam tot malorum causam esse, cumque ipsi tota errent vita, me tamen, si diis placet, nunquam accusare & traducere desinunt, nihilo iustius, quam si quis violenter seipsum in ignem aut mare præcipitaret, obiterque flammas, seu vndas inculsaret, tanquam periculi sui causa essent præcipua, & non potius ipsemet sponte se perditum iret. Sed ita natura comparatum humana, vt vnusquisque culpam propriam lubens in alium reiiciat, vt dum illum incusat, ipse innocens esse videatur, etiamsi solus totius mali causa existat. Sane non hoc exigo, vt verbis meis solis, fides adhibeatur, ipsos precor intueamini, Iudices, ipsorum inspicite corpora, facies, cutim, ora, colorem, aspectum, incessum, & nisi hæc omnia extremæ luxuriæ signa esse inuenietis, nihil moror, quin vltimum subeam discrimen. Non igitur tam ego noxia; sed ipsi sunt, qui me delitiis suis inescarunt, ipsi sunt qui me inuitam retinent, ipsi sunt qui omnia peruertunt,

ac inde totam in me culpam conuertunt. Adsum, abesse me volunt: absum, vitiis suis reuocant; in morbo sanitatem, in sanitate morbum quærunt, salutem propriam negligunt, ac illum à me non desinunt repetere, sibi ipsis malefaciunt, ac à me beneficentiam exigere iustum putant, turpiter volunt viuere, inde mihi nequiter maledicere. Considerate igitur, Iudices, quid eos impetrare conueniat, quos vita propria arguit, quos corporis habitudo prodit, quos consuetudo inueterata reprehendit. Non cogitant eos bibere ac esse oportere, vt viuant, & non ideo viuere, vt edant & bibant. Non perpendunt tantum lurcones, & ventri deditos mihi infestos esse. Nemo enim, nemo inquam, tam impense me accusat, nisi luxuriosi; nemo me crudelitatis arguit, nisi luxuriosi: nemo me inauditam esse damnatam clamitat, nisi luxuriosi. Hæc cum ita se habeant, Iudices audentne aduersarij mei contra hiscere? audentne in conspectum vestrum prodire, audentne pœnam, quam mihi innocenti irrogare contendunt, deprecari? sed ego illis infensa, & inimica sum. Cupiunt igitur inimicam vlcisci, vt ipsi plane inimicissimi esse inueniantur? Equidem si mihi tam odiosæ nullâ concedendam esse putant veniam, cur totis viribus contendunt, vt ad eos veniam? Cur non talem viuendi modum instituunt, vt nil mihi in eos nec liceat nec lubeat? Etenim si efferuescentem suam aliquando fœnarent libidinem, & non tam procaciter omnibus abuterentur voluptatibus, forsitan & me quoq; aliquando mitiorem experirentur: sin minus, tum saltem iustam indignandi haberent occasionem. Sed difficile est, eum esse abstemium, qui nil nisi luxuriari nouit, difficile est hominem frugi esse, qui in tota vita nil nisi potari consueuit. Ferant igitur quod euitare nolunt, & ira valeant vt viuere consueuerunt. Etenim ita existimo, qui nil habent in vita iucundius, quam vt vitam turpissimis vitiis inquinent, vita eos ac sanitate penitus esse indignos. Nam vehementer errant, qui in tantis voluptatibus sanitatem quærunt, quemadmodum sapientes agunt, qui sanitatis tempore, cupiditates cohercent, assidueque de incolumitate cogitant. Porro cum me multis inescarunt modis & annis, ac vix tot delitiis obsequentem reddidere, indeque repentereiicere, & omnem culpam in me vnam vertere conantur. Quid mirum? si & ego obnitar, vindictamque aliquando condignam ab eis exigam, & me durius quam vellent, ob acceptas vltiscor iniurias? Proinde multos enumerare possem, qui cum inuiti, & vltima coacti pauperie, in quam ob luxum inciderant nimium, à lautiori cibo & potu abstinuissent, pristinam receperint sanitatem, quod minime euenire potuisset, nisi ipse potius, quam ego in culpa fuissent. Atqui cum laboribus cedam, nec penitus sobrietate eluctet, plane liquet, an ego iniqua sim, vel potius egregii accusatores mei delinquent. Quæ vero ad personam meam attinent adeo vilipendo, vt etiam inde gloriari soleam. Etenim qualiscunque sum, omnibus tamen æqualem necesse scio: Regibus, Pontificibus, Principibus, opulentis, tenuioribus, nobilibus & ignobilibus. Nulla enim apud me personarum est electio, nullum discrimen, nisi quod apud molles & delicatos potius, quam sobrios & abstemios esse cogor: non solum qui ita me suis blanditiis sollicitent, sed qui vi, & duris aliquando vinculis coerceant. Ceterum obiiciet aliquis, non solum nepotes à me infestari, sed etiam temperatissimos quandoque homines, & qui mirum in modum à delitiis & luxu abstinent, male affici, vetum si id aliquando, raro tamen accidere solet, ac ideo haud iuste in exemplum trahi debet, aut potest. Atqui nec tum ego quidem potius, quam illorum parentes, sum accusanda. Quid mirum enim? cum maiores cuiuspiam, valetudinarii existant, similes sibi quoque procreent liberos. Nihil enim conuenientius quam à simili generari simile: quo pacto igitur, quod illis à natura ingeneratum est aut parentum vitio euenit, iuste mihi obiici poterit? Cum nec maiorum stemmata, nec opum splendores, mihi referantur accepti. Desinant igitur mihi alienum vitium tanquam proprium imponere, & si maiorum dignitate & diuitiis gaudere iustum putant, non indignentur, si etiam in morbis & ægritudinibus succedant hæreditariis, qui si illi quoque modeste viuunt, & à superfluis temperant delitiis, longe mitius cum eis ago, quam aut parentum merita aut naturæ exigat peruersitas. Neque enim vtcunque de me sentiant homines, tam improba sum, vt pari pœna, noxios iuxta & innoxios affligam. Nec etiam tam immanis & fera, vt nunquam acerbitatem remittam, quemadmodum multi alii facere solent morbi, qui perpetuo cruciatu miseros affligere solent homines, veluti mentagra, phtiriasis, lepra, & reliquæ id genus infirmitates innumeræ, quæ præterquam qui omnem cutam respuant, ad vltimam mortales perducunt desperationem. Etenim ab insidia infestationum aliquando interquiesco, & subditis meis, sæpius longa dolorum concedo interualla. Non secus ac quispiam agricola, qui fessos boues suo tempore ab aratro soluit, & optata quiete refocillat. Porro quod non tam noxia sim, vt me quidem insimulant, vel inde liquet, quod raro quis molestè ferre consueuit, cum primum amicum aliquem à me correptum audiuerit, sed potius in risum soluitur, accurrit, iocatur, & ferme congratulari videtur. Quod profecto nunquam eueniret, si ego tam noxia aut molesta, vt ipsi prætendunt, existerem. Vnusquisque enim cum amicum suum morbo aliquo insanabile corripi audit, haud ridere vel exultare, sed flere, aut saltem dolere consueuit. Quo pacto enim amicus esset, si ob amici calamitatem rideret? Cum vero rider, non me adeo manifestam & humani generis perniciem esse demonstrat. Etenim sæpius videres totum amicorum agmen,

agmen, ad aliquem, à me correptum, aduolare, non insuauibus cauillis lacessere, & totos dies lætos ducere, quod nunquam, si ego tantæ lætitiæ & iucunditatis conciliatrix abessem, euenire posset. Ex quibus plane constare arbitror, neminem tam obtusæ mentis esse, quin plane videat, aduersari os meos non tam me iniustæ accusare, quam seipsos præcipuam mali sui causam ostendere. & si qua in me culpa deprehenditur, longe esse leuiorem, quam illi arbitrentur, aut forsitan vellent.

Nunc vero si potero, edocere pergam, quæ commoda, qualiaque sæpius affero hominibus bona. Vos tantum Iudices oro, vt mihi, sicut huc vsque fecistis, aures atque animos benigne præbeatis. Sane haud nego, me plerisque & admodum molestam esse. Verum si recte considerare voluerint, inuenient profecto, multa eis euenire bona, quibus penitus carerent, ni illa meo prouenirent beneficio. Quot enim mei gratia honorantur, cui nemo alias à via cederet? Nam quam primum me homines al cui comitem esse cernunt, illi locum dant, secedunt, & ob me solam honore afficiunt, etiamsi longe, vel ætate, fortuna, aut conditione præstent seu superent. Multos curru sublimes, aut equis phaleratis vehi, sellave gestari cernitis, qui nisi meo vterentur beneficio, pedibus iter facere cogerentur. Quibusdam, cunctis aliis stantibus, & inter Reges & Magnates, sedere licet, quin non desunt principes ipsi, qui id iubeant & hortentur, cum interim clientes puluinaria & scabella sedilia afferant, ac eos omni demereantur officio, & cuncta, quæ illis grata esse putant, subministrent, cum alioqui & citra meum fauorem vix illos alloquio dignos ducerent. Considerate, Iudices, num hæc sint vilia, & non potius votis etiam expetenda? Quin non solum in conuentibus, sed & in conuiuiis præ ceteris honorantur. Nam vt plurimum in superiori accumbunt loco, & quamuis lautissima apponatur mensa, & quæ cibo ac potu, vt tunc fieri solet, illustrissima sit, meis tamen causa semper aliquid accedit, aut cibus delicatior, aut vinum suauius. Quinimo cunctis aliis tacentibus, & præsenti contentis abundantia, solummodo meis concessum est, quidquid lubet postulare, imo illos hospites vltro hortari ac rogare solent, vt reiecto pudore libere postulent, quid quid appetant. Id enim beneficii loco acceptare consueuerunt. Sed dicet quispiam morosior, non tam honoribus, quam calamitatis gratia hęc accidere. Ego vero non tam considerandũ arbitror, cur aliquid fiat, quam quid boni inde eueniat, ac satis esse tibi soli permitti, quod alias nemini concedi tur. Nam nec egenus quispiam, cur, aut vnde accipiat, tanti facere solet, quanti, vt habeat, acceptisq; iucunde frui possit. Quid dico de egenis, nonne Reges ipsos quotidie cernimus, integra occupare regna, nec interim curare, si iuste id fiat, aut iniuste, dummodo illa possidere, & suæ possit subiicere cupiditati. Nec dubito, quin innumeros reperire possit inopes, qui se fœlicissimos putarẽt, si tali calamitate frui, & interim à labore, & dura pauperie interquiescere possent. Quid enim diuitib. illis delicatius? quid ornatu eorum cultius? quid habitaculis elegantius? ad quorum ædes si accesseris, minime vt aliorum hominum situ squallẽt, aut neglectæ iacẽt, sed omnia tident, omnia fulgent, non secus ac in nundinis institorum tabernæ, aut festis diebus Deorum templa splendent, ita vt multos inuenias, qui in tanta abundantia ægrotare mallent, quam in vltima illa paupertate recte valere. Adde quod huc defertur, quidquid egregii, aut elegantis in vrbe est, quod vel visum oblectare aut gustum recreare, siue auditum demulcere potest. Hic egregia artificum conspiciuntur opera, huc fructuum apportantur primitiæ, & si quid noui annua producit temperies. Hic demum cernere est, quicquid inter homines varium & delectabile habetur. Nec desunt interim, qui assidue rumores afferant nouos, & identidem fabulis suauissimis aures meorum impleant, ita vt & Imperatorum, Regum, gentium, ac cunctorum hominum, siue pacis siue belli negotia præclare ibi expediantur, nec quempiã latere possit, quid apud Thraces, quid apud Seres, quid etiam apud vltimos getatur Indos. Hæc omnia mea proueniunt opera & sedulitate, etiamsi interim homines ignorent, quid in propria agatur domuncula. Porro dum mortales negotiis meis detineo, sæpius à variis grauissimisque periculorum conseruo casibus. Quam diu enim mihi sunt obnixii, nec mari se credunt furenti, non venando rabidis se obiiciunt feris, nõ rixas suscitant, non cædes committunt nephandas, non capiti ob tegularum casum timere coguntur: Sed extra teli iactum positi aliorum pericula ocioſi ipsi recensere audiunt, quod plerosque à rerum publicarum administratione, nec non à molestissimis Tyrannorum & Aulæ libero negotiis, qui citra fauorem meum, curis indefinentibus & perpetuis subiacetent ærumnis? Atqui nec interim rei desum domesticæ, sed strenue meos ad hanc augendam hortor, & impello. Quod eo est facilius, quo minus ob deambulandi impediuntur negotium. Non enim quia pedes aliquando suum negant officium, ideo & illi à sellularis & quæstuariis arcentur artibus, sed tanto ad eos sunt aptiores, quanto ad ambulandum impotentiores. Igitur sedendo longe maiores aliquando conquirunt opes quã vnquã currendo, aut etiam saltando cogere possent, quibus penitus carerent, si vagabundi hinc inde discurrere, & plena libertate possent frui. Non sunt hęc contemnenda, Iudices, sed longe maiora audietis. Etenim dum corporis gero curam, minime interim animum negligo, præcipue vero ingenium excolo. Etenim nulli vestrum dubiũ est, litterarum, ac bonarum artium scientiam longe honoribus & multis antestare diuitiis. Atqui ego illas egregie doceo, ac plurimos enumerare possem, qui meo beneficio ad linguarum cognitionem,

& doctrinam pertenerunt ſummam. Dum enim non habent quod agant, litteris bonis non deſinunt incumbere: & ne fruſtra tempus labatur, quotidie eruditiores euadere contendunt. Sed quid dico de linguis & litteris, cum etiam meos egregie in diſciplinis liberalibus, & vniuerſa circulari ſcientia inſtituere conſueuerim? Potiſſimum vero lepidiſſima illa Muſica, cuius harmonia & concentu, identidem curas pellere, & aures modulaminibus oblectare valeant ſuauiſſimis, Præterea & perbelle Rhetoriſſare doceo: nam me artis eiuſce non penitus ignaram eſſe, vel iam puto intelexiſtis. Quam primum enim inuado quempiam, pariter & excuſationis materiam etiam ex peritiſſimis Rhetorum locis ſubminiſtro, ita vt hic talum intorſiſſe, ille pedem ad lapidem offendeſſe, alius ab alto cecidiſſe, aut aliud quid reticuli prætendat & inueniat, quo hominum oculos præſtringere, & cauſam ſuam quam fauerrime defendere queat, idque non ſolum Rhetorum more verſibiliter, aut perſuaſiue, ſed ad dialecticorum conſuetudinem neceſſario & vere addito etiam iuramento, vbi fides defecerit, aut ita negotium exigere videtur. Sed vt obmittamus ſcientias humanas, nonne etiam cœleſtibus meos imbuere ſoleo? veluti Aſtrologia illa, arte vera diuina & antiquiſſima, cuius laudes etiamſi vellem, minime tamen explicare poſſem. Nam & propter excellentiam ſingularem, Deos inuentores habere meruit, ac in tanto olim fuit honore, vt ſolum Regibus & prudentiſſimis cognita eſſet hominibus. Hanc ego præcipue meis trado, ac ita eorum corporibus infundo, vt eam citra calculos, & numerandi artem pernoſcant. Non qui Arithmeticam ignorant, quam vt audiſtis, dum rei pecuniariæ ſtudent, vel præcipue meo tenent beneficio: ſed vt res miraculo ſimilis videatur, & vis mea ſingularis & induſtria ab omnibus cognoſci valeat. Non igitur ob motum cognoſcendum cœleſtem, tabulis quibuſdam, aut inſtrumentis indigent aſtronomicis, ſed priusquam Phœbus Chintiam ad ſuam admiſit complexum, aut per diametrum claro impleuit lumine, efficio, vt affectiones illorum non tam mente intelligere, quam corpore, & re ipſa ſentire queant. Nec ſolum id in luminaribus ſplendidioribus, ſed etiam in aſtris præſto errantibus, ita, vt nunquam eos, ſiue frigidi Saturni, aut tabidi Martis, infauſtus latere poſſit aſpectus, ſiue ſe inuicem oblique intueantur, ſeu horoſcopum ipſum, aut corporis gubernatricem lunam, vi ſua infecerint, Nullus igitur vates, ſolis aut lunæ deliquium, verius, quam mei diſcernere; nullus tempeſtates, niues, grandines, aut imbres certius prædicere poteſt, ita, vt prius quam aeris mutatio aliqua accidat, illi antea, toto etiam triduo, ita euenturum, certiſſime præſagiant. Nonne hæc ingentia Iudices? nonne admirationis plena? Ceterum non minore præconio, & laude dignum, qui inſignem medicandi artem, & qua vix aliud præſtantius Dei hominibus conceſſere, meis etiam inuitis inculcare ſoleo, ita, vt etiam aliquando medicis ipſis exactius herbarum, florum, plantarum, ſeminum, radicum, arborum, foliorum, fructuum, lacrymarum, metallorum vim intelligant & pernoſcant, vt interim de animalium ſanguine, pelle, adipe, lacte, felle, oſſib. neruis, lotio &c. egregie ſileam, quid frigidum, quid calidũ, quid aridum, quid humidum, quid ſtipticũ, qd repulſiuũ, quid apertiuum, quid attractiuũ, quid reſolutiuũ, quid inſtauratiuũ, quid primę, quid ſecundæ, quid tertiæ ſit virtutis egregie informo, nec intellectus cognitione ſolum, ſed etiam ad actum (vt vocant) practicum deduco, quemadmodum & meis, in cunctis reliquis tribuere ſoleo, vt non minus in rebus agendis quam cognoſcendis & diuidicandis excellant. Nec mirum, cum & dono meo cunctarum gentium hiſtorias, omnium Poetarum fabulas legant & cognoſcant, & quod præcipue generoſi animi eſt indicium, cum omnes homines ad quæſtum ſuum reſpiciunt, ſola ego hæc cuncta gratis, & absque mercede doceo.

Hæc igitur cum ita ſe habeant, & mea vt arbitror, Iudices æquiſſimi, in accuſatores beneficia cognoſcitis, & quemadmodum mihi gratiam referre ſtudeant videtis. Verum enim vero quid iam diu parturiant, & contra hæc noſtra intendant obiicere, perbelle noui, nempe hæc omnia non tam beneficii, quam ſummæ calamitatis eſſe indicia, ac me potius humani generis luem & pernicium, quam fautricem aut benefactricem eſſe, vtpote quæ formæ ſtatum immutem, ſanguinem exhauriam, colorem inuertam, vires atteram, ſomnos adimam, lumina hebetem, alacritatem demam, lætitiam auferam, lepores, riſus iocos pellam, manus, digitos, articulos, humeros, genua, talos, totum denique corpus incuruem, frangam, debilitem: atqui dum talia mihi obiicere contendunt, illis accidit, quod cunctis euenire ſolet, qui animi potius morbo, quam ratione certa diuidicant: Ignorant enim homines inepti, & vere ignorant plus ſe mihi accuſatione ſua laudis tribuere, quam obiicere turpitudinis, aut vitii. Etenim dum corpus debilito, animum ſano, dum carnem affligo, ſpiritum corroboro, dum terrenum expurgo, quod cœleſte eſt introduco, dum temporarium adimo, quod immortale eſt confero.

Proinde nemo veſtrum Iudices equiſſimi, tam eſt inſultus, qui ignoret corpus animæ eſſe contagionem, quæ nunquam florere queat, ni illud defloreſcat, ſemper enim craſſa hæc moles, impedimento eſt, quo minus homines ad cœleſtia valeant eniti. Siquidem innumera corpus impedimenta obiicit, ac tanquam nebulas quasdam offundit, quibus mentis hebetetur acies & obſtupefactetur, quo minus verum cernere, aut ſequi valeat, quantis enim ærumnis homines agitantur, vt ſolum

vt ſolum mortali huic corpori, quæ ad vitæ vſum ſpectant, poſſint ſuppeditare? Non dico de ſuperfluis, ſed etiam ſumme neceſſariis, tametſi pauciſſimis natura ſit contenta. Sequuntur animi ægritudines, nempe, voluptates, opiniones, timores, conturbationes, cupiditates, amores, odia, & reliqua id genus vitia, quæ raro aut nunquam animum quieſcere permittunt, ſed ſemper exagitant, non ſecus ac ignis vis quædam violenta, quæ ſubinde aquam feruefcentem ebullire cogit. Bella vero, ſeditiones, pugnas, iniurias, cædes, rapinas, incendia, quid aliud concitat, quam corpus & immenſa eius libido habendi, ac nunquã exſatiata cupido? Omnia enim pecuniæ gratia fieri cernimus. At illas, corporis cauſa, & eius vſu quærere cogimur, ac ita fit, dum corpori indulgemus, vt ſolum mortali huic corpori, quæ ad vitæ vſum ſpectant, poſſint ſuppeditare? Non dico de ſuperfluis, ſed etiam ſumme neceſſariis, tametſi pauciſſimis natura ſit contenta. Sequuntur animi ægritudines, nempe, voluptates, opiniones, timores, conturbationes, cupiditates, amores, odia, & reliqua id genus vitia, quæ raro aut nunquam animum quieſcere permittunt, ſed ſemper exagitant, non ſecus ac ignis vis quædam violenta, quæ ſubinde aquam feruefcentem ebullire cogit. Bella vero, ſeditiones, pugnas, iniurias, cædes, rapinas, incendia, quid aliud concitat, quam corpus & immenſa eius libido habendi, ac nunquã exſatiata cupido? Omnia enim pecuniæ gratia fieri cernimus. At illas, corporis cauſa, & eius vſu quærere cogimur, ac ita fit, dum corpori indulgemus, quam longiſſime ab animo diſtrahamur. Sunt enim corporis ſenſus, tanquam equi quadrigæ ſine vlla ratione currentes, animus vero inſtar aurigæ currentium fræna retinet, ac ideo, quemadmodum equi absque rectore præcipites ruunt, ita corpus ſine ratione & animi imperio, in ſummum fertur interitum.

Vnde ſapiens quiſq;, quam longiſſime à corporis ſe commertio ſegregat, vt animum ad ſupremum tollere, & recte iuxta illum viuere poſſit. Quantum enim ſe à corpore auertit, tantum ſe ad animum conuertit, à corporalibus que deſideriis abſtinet, voluptatibus dominatur cunctis, honores, fortunam, diuitias, nobilitatem, famam, & quicquid apud homines beatum ducitur, flocci pendit, ſpernit, contemnit. Non ignominiam, non paupertatem, non afflictationem, non mortem denique ipſam formidat: ac omnia, quæ corpori ſunt contraria deſiderat: at qui corporis obſequitur ſenſibus, præterquam quod ei à virtutibus excidere neceſſe ſit, nunquam quod deſiderat conſequitur, nam falſis impeditus, quæ vere bona ſunt, perſpicere nequit. Et quemadmodum corpus è terra ortum ſumpſit, ita animi origo de cœlo manat, ac is de mente diuina eſt decerptus, vt non inepte dictum ſit,

Senſum à cœleſti demiſſum traximus arce.

Et alibi:

Animi imperio, corporis ſeruitio magis vltimur:
Alterum nobis cum diis, alterum commune eſt cum beluis.

Nil igitur animo præſtantius, nil diuinum magis; tantumque corpori præſtat, quantum dominus ſeruo, aut viuens mortuo, ac quemadmodum corpus nil niſi terrena curat, ita animus liber & rectus, nil niſi cœleſtia cogitat. Videtis ergo, iudices optimi, quanto res ſit præſtantior animus, corpore.

At nunc ſi potero oſtendam, quam egregie ſim mentis excultrix, ac quantum cœleſtem animum efferam, dum corporis vitia contingo, quamuis nec corpori ipſi ſemper nocere, ſed plerunque prodeſſe ſoleam. Nam & pinguedinem ſuperfluam, ac ſuperabundantem attenuo, exſicco, humoresque ob intemperantiam aſſidue reduntantes, conſumo, ac ni id facerem, ſæpius in molem immenſam ſurgeret, & ob nimiam obeſitatem haud paruum incurreret periculum. Deinde & vitam, vt medicorum norunt pueri, prolongo, niſi enim noxiam, ac furentẽ materiam illam, ad membrorum articulos impellerem, abſque dubio in cerebrum, cor, epar aut ſtomachum impetum facerent, ac per quam facile ſpiritum extinguerent vitalem. Ceterum omiſſis iis quæ carnis ſunt, ad hominum deueniamus vitia, quæ ego præ cunctis egregie curare noui: ita vt nemini hac arte cedã, ſiue ille ſit Philoſophus ſiue ſit Theologus. Non ſolum enim impedimento ſum, ne mei præcipites in ſcelera ruant, ſed etiam mala, quæ iam diu inoleuere, deleo, ac ſæpius penitus expello, obiterque, ne impune peccaſſe videantur, diligenter annitor, & ni hæc cuncta præſtarem, plerique nunquam à vitiis deſiſterent, ſed aſſidue cumularent malum malo. Sub initium igitur, parentem ferme omnium malorum, ſuperbiam, & ambitionem domito, ac quam nihil ſit humana atrogantia viribus meis demonſtro, quam euanidum formæ bonum, quam facile corporis pereat robur, quam fluxi ſint humores, quam opes labiles, quam generis nobilitas nihil, quam inanis ſit omnis omnium mortalium glotia, ac ita efficio, vt homines, ſe homines eſſe, meminerint, nec diis ſe cenſeant æquales. Prętereadum illis humanas oſtendo ærumnas, inuidentiam, æmulationem, obtrectationem, ac plane rerum alienarum curam impertinentem extinguo. Quo pacto enim curioſe de alienis cogitarent, qui nequirent ſatagare in propriis? Omnem igitur maleuolentiam adimo, ita, vt mei ne vllas calumnias, fraudes, aut dolos nectere cogitent, non inimicitias, non diſcordias, non rixas concitent vllas, ſed ſatis ſuperque rebus ſuis negotioſi exiſtant. Nam quantum pertinet ad odium, inuidiamq;, efficio, vt nec ipſi inuidi eſſe poſſint, minus vero inuiſi, ſed potius conſolatione & omni miſericordia digni videantur. Non ſunt hæc leuia Iudices, ſed præſtantiora audietis. Tria ſunt, quæ potiſſimũ meis ſunt infeſta, licet ſemper accepta, mihi vero nunquam non vtiliſſima; ingluuies, amor, & excandeſcentia. Atqui ego non tam ad commodum proprium, quam accuſatorum meorum ſalutem reſpicere conſueui. Illos enim identidem moneo, vt ab hoſtibus tam infenſis diligenter cauere diſcant. Si vero mandata mea neglecta eſſe comperio, & me de illis egregie ob contemptum vlciſcor, & in futurum cautiores reddo, ne tam facile imperium meũ contemnere audeant. Quotienscunq;

igitur, vorando se nimium repleuerint, aut merum ingurgitauerint superflue, continuo vindex sum præsto acerrima, & pœnas quas meruere exigo, & ne de hinc vires meas hoccifaciunt, adhortor. Quamuis non sim tam agrestis, vt vel cibum debitum subtraham, aut Bacchi liquorē penitus denegem: sed meo beneficio, mei non nunquam & delicatius vesci, & suauius bibere consueuerunt, præcipue cum nymphis sacrafacere haud neglexerunt. Porro ne libere agresti illo domino inseruiant, aut pulchrę Veneris moueantur blanditiis, frequenter deterreo. Nam & eos ab impudicitia conseruo, ac nuptis pariter, & puellis, pacem impetro, ita, vt nunquam, aut raro, mei stupra seu adulteria committere audeant. Sin secus, ita eos accipio, vt non minus facti pœniteat, quam subeat odium fœminei sexus vniuersi. Et quid maius amicissimus quispiam conferre possit? quam hominem a tot liberare incommodis, totque eximere periculis, quæ semper & vbique imberbem illum, & matrem, plane tale prole dignam, sequi consueuerunt. Ceterum quid de excandescentia dicam furoris & insaniæ plena, quam nemo æque ac ego emendare nouit, adeo, vt etiam iræ ac indignationis seruos, libertate donare, contemptores vero, pro meritis corripere soleam. Talia sunt, quæ mihi accusatores mei obiiciunt, talia in me reprehendunt, dum corpus inseruitutem redigo, meliorem vero partem subleuo quam iuste, neminem vestrum iudices latere arbitror. Proinde quemadmodum carnem vitiis infectam expurgo, exorno animum, à virtutibus cunctis decoro, nec illum iacere sino, sed assidue in altum erigo. Equidem minime vos Iudices latere arbitror, magnam hominum partem ita animatam esse, vt si semper secunda vterentur fortuna, nunquam conditionem suam expenderent, nunquam ad superna respicerent, sed semper inferna illis essent curæ. Pecorum instar voluptatibus dediti, à virtutibus vero penitus alieni: corporis ac ventris curam gerentes, ducem autem animum negligentes: adeo, vt tales, neque philosophorum præcepta, nec sanctorum adhortatio, non ius, fas, pietas, non leges humanæ, minus diuinæ à tanta mentis cœcitate eruerent. Ac ego illis, tanquam nitidissimum iubar exortior, & dispulsa caligine ita tenebras illorum illumino, vt relictis terrenis, plane animum ad cœlestia tollant, ac cogitent, quam vana sit omnis mundana gloria, quam fragile & nullius momenti humanum corpusculum, quam spes, cura, sollicitudo inanis, quis rerum exitus, quæ tandem bonos præmia, quæ malos supplicia maneant. Hæc dum meis redigo in mentem, vt Deum vere non vt hypocritæ solent, ficte adorent, largior, illum cognoscant, illum inuocent, illum venerantur, illum demum boni & mali diei esse factorem & dominum esse sciant, ac intelligant. Et quid præstantius, quid vtilius hominibus concedi posset? quam & creatorem suum agnoscere, & illi dignas gratias agere quirent, non solum ob secunda, sed etiam aduersa, id enim vel præcipue largior, vt mei dum affliguntur, non minus quam cum prospere agunt, deum laudent & extollant. Quoniam æquanimes esse, & omnes dolores ac labores toleranter perferre didicerunt. Deum igitur variis lachrymis inuocant, ac corde adorant humili. Quod si voti compotes euadunt, laudibus laudes accumulant: Sin minus, omnem aduersitatem fortiter sustinent. Quoniam præstantissimam virtutum patientiam, meo consequuti sunt beneficio. Cuius laudes enumerare pergerem, nisi scirem, neminem pro meritis illam extollere posse. Proin si quispiam in manus meas incidit, qui reluctando, aut indignando superbire, seu obnitri audeat, ita illum demulceo, vt & Gratiis humanior, & seruis ipsis humilior esse videatur. Quis enim viribus, & potentiæ meæ immensæ resistere posset? At qui quanto obnitentibus sum superior, tanto * * in ratione manentibus indulgeo, ac ita fidem corroboro, pariterque spem firmiter in Deo ponere doceo. Quo pacto enim non in Deo sperarent? qui certo certius cognoscerent, nec bonos meritis, nec malos carituros suppliciis. Quandoquidem nullum exactius fœlicitatis est signum, quam huius seculi calamitas, nam quod hic eluitur, minime seruatur futuro. Possem hoc multis ostendere argumentis, possem sacris probare litteris, nisi auribus vestris parcendum, & sexus, ac conditionis meæ rationem habendam esse scirem. Proinde mei disciplina mea eruditi, præ aliis charitatis opera exercere norunt: non solū in iis, quę ad cultum spectant diuinum, sed etiam quæ ad subsidium humanum pertinent, nam ærumnis edocti propriis, libenter necessitatibus subueniunt alienis, sperantes hoc pacto, & saluti suæ melius consulere, & necessitati alienæ succurrere posse. Et hæc sunt, Iudices æquissimi, malefacta illa nefanda, quæ perpetro, dum corpus humilio, animum vero in libertatem asserto, vt purgari & superna recte valeat considerare. Nam ex sceleratis pios, fraudulentis & dolosis officiosos, ex petulantibus continentes, ex iratis mansuetos, ex asperis clementes, ex socordibus strenuos numinis cultores, ex indignantibus patientes, ex auaris liberales: fidem, spem, charitatem infundo: humana contemnere, & solum cœlestia amplecti doceo: omnia recto modo diffinire, ac certa ratione & consilio regere, bona & mala discernere, hæc diligenda, illa vero fugienda. Deum colere, mandata eius, fidem, veritatem seruare, charitatem exercere, pietatem non negligere, honeste ac bene viuere, alium non lædere, contra fas nihil agere, innocenti misereri, benemerentibus gratiam referre, malum pro malo haud reddere, nullo precio, nulla gratia, nulla spe, à semita recta deflectere, sed in omnibus solam iustitiam præ oculis habere: intrepi-

intrepidum, ac minime meticulosum esse, res humiles spernere, ac solum excelsas, & magnas expetere: ardua & difficilia quoque honestatis gratia voluntarie tolerare, stabiliter in ratione permanere, contra stimulum non calcitrare, nullo dolore ab officio discedere, sed semper ad veram gloriam aspirare, voluptates turpes non suscipere, cupiditates temnere, calcare, consiliis gubernare, non temere in odium, iram, vindictamve ruere, humanis casibus compati, comitatem, mansuetudinem, clementiam habere, pudorem, honestatem, autoritatem, modum denique in omnibus rebus seruare, cunctaque certo termino metiri, seipsum cognoscere, finem, qui omnem manet carnem assidue præ oculis habere: ob recte facta præmia, ob vitia certissima expectare supplicia, & quid plura? Nihil denique, dum carnem affligo, soleo omittere, quo animus melior reddatur, emenderur, & originis sui memor esse valeat. Videtis nunc Iudices, melius sit corpus, quam animum ægrotare? ac nunquam rectius valere homines, quam cum minime valent. Cernitisne, aduersarios meos ad veritatem cœcutire, non secus ac oculos infirmos ad solis splendorem? Intelligitisne oportunissimis remediis, me vitia sanare: ac minime reprehendendam, si id quod immedicabile est, durius aliquando curare videar, cum nec medici ipsi, crudeles censeantur, aut iniqui, si igne, aut ferro vtantur, quotiens remedia cetera incassum fuerint adhibita: imo sæpius etiam mercede ingenti conducantur, vt vel vrendo, aut secando sanitatem restituant hominibus. Sane si quis mihi obiecerit, & alios quoque morbos cuncta, quæ enumeraui, præstare, id non solum nego, sed etiam pernego. Nam vt audistis, aut cito mortales opprimunt aut ita affligunt, vt vix aliquãdo de animæ salute cogitare possint, cum ego penitus contraria facere soleam. Nam & recte vires meas intendere, & cum vsus postulauerit oportune remittere noui.

Proinde, Iudices, licet innumera adhuc essent recensenda, finem tamen dicendi faciam, si prius magnorum hominum exemplo ostendero, neque turpem meum existere consortium, neque miserum. Excelsi vero animi esse & prospera pariter, & aduersa æquanimiter proferre, diramque ineluctabilem necessitatem, in virtutis specimen conuertere. Et vt seculi huius magnates præteream, me Troię ille dominator Priamus in aurea sua tecta admisit: me Peleus, me Bellerophontes, me Oedipus non exclusit: me Plisthenes, me Protheselaus, me sapiens ille Vlixes humane suscepit. Et quod forsitan mirum videri possit, nec Achilles ipse, licet pedibus velox, meum effugere potuit imperium. Nugentur Græci vt velint, & ob amicam ereptam iratum fingant, ego tamen eum à prœlio prohibebam, ego illa Briseis eram, ego Danaum preces spernere cogebam. Nonne igitur prudens quisque in innocentia mea, ac iustitia vestra, quam in eloquentia vlla spem omnem constituens. Hoc oro, vt ita decernere velitis, ne mihi miseræ, vulgi rumorem, plus quam culpam meam nocuisse sentiam. Nam si etiam persona sim inuisa, causa tamen non inferiorem me esse noui. Si digna sum, quæ male audiam, & vos indigni, qui male iudicetis, nec mea plus quam vestra interesse reor, vt vel vos existimationem vestram conseruetis illæsam, aut ego vobis salutem meam acceptam referam. Nam ea de vobis hominum expectatio est, vt non minus fama vestra, quam caput meum periclitari videatur. Quapropter quanto magis damnatio iniusta vobis dedecori esset, tanto magis absolutio æqua erit gloriosa, non solum opinione mea, sed omnium mortalium, amicorum pariter & inimicorum. Proinde quemadmodum nec personam meam mihi obesse, ita nec accusatoribus suam prodesse decet, sed potius res ipsa expendenda erit & sola veritas præualere est digna. Nam illi, dummodo voti compotes euadere possent, parui ducerent, si fama vestra, innocẽtia mea, fas, pietas, iustitia demum ipsa periret. Quid enim cũ me ita crudeliter damnari petunt, aliud quam vt iustitiam negligatis rogant, demum vt leges ipsorum libidini subiiciantur rogant. Atqui vos diligenter considerare oportet, quid tales impetrare conueniat, qui totius mali causa sunt & origo, qui morum improbitate semetipsos in tantas præcipitant calamitates, qui tot vitiis obruti, ad alienam tamen famam depeculandam parati accedunt. Cauete igitur, & diligenter cauete, Iudices cõscripti, ne intemperatissimorum hominũ verbis callidissimis circumscripti videamini, sed potius si sapitis, quidnam officij vestri, non illorum temeritatis sit, considerabitis. Id si feceritis, ni fallor, me abiectam, me nocentem, me miseram communi vestro calculo, vnanimiter condemnabitis, &c.

MAGNIFICO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO Norimbergenſi, amico & vti fratri.

Theophraſti Characteres illuſtrati à Bilibaldo Pirckheimero.

SAlue. En tibi Theophraſti characteres exſcriptos Græce. Relue iam debitum ex tua ephemeride. Si caſtigatius volumen fortaſſe deſideraris, culpabis librarium, dabiſque ſimul veniam mihi nunc in Italiæ crebris magniſq; tumultibus occupatiſſimo, cui per aſſiduas moleſtiarum moles non licuit libellum per ſe percurrere, ne dum ad exemplar perpendendo conferre. Vale. Mirandulæ die VIII. Septemb. 1515.

Tuus Io. Fr. Picus Mir. Co.

NOBILI ET EXCELLENTI VIRO, DOMINO BILIBALDO Pirckheimero, amico plurimum honorando.

SI ſerius quam aut ego vellem, aut tu fortaſſe cuperes, noſtræ ad Te litteræ perferuntur, in cauſa eſt fidorum tabellariorum inopia. Obtulit ſeſe nobis nuper occaſio, quam præterirſſe, pene nefas exiſtimamus. Primum igitur te ſaluto. Deinde certiorem facio, bona nos vti valetudine: demum, in otio eſſe nos, tibi ſignifico, nec eo abuti, Dei Optimi Maximi clementia. Abſoluimus examen doctrinæ gentium, & veritatis Chriſtianæ diſciplinæ, diſtinctum in libros ſex, quorum tribus vetus omnis & antiqua prorſus Philoſophia ducitur in controuerſiam: Tribus reliquis Peripatetica doctrina bilance ponitur. Librum item de cauſis calamitatum noſtræ tempeſtatis compoſuimus, & alia. Pleraque nunc ſtanneis litteris exarantur omnia: daboque operam, vti ad vos perferantur, ſi reſciuero, non perdituros operam & impenſam eos, qui impreſſas lucubrationes eiuſmodi curabunt in Germaniam deuehendas. Vale, & Conradum noſtrum Peutingerum meo nomine, ſi commodo id tuo fieri poteſt, ſaluere iube, & eorum, quæ ad te ſcripſimus, certiorem redde. Mirandulæ XIX. Aprilis, 1519.

Tuus Io. Fr. P. &c.

EXCELLENTI IN LITTERIS VIRO, ET AMICO PRÆcipuo, Domino Bilibaldo Pirckheimero.

Io. Fr. Picus, Bilibaldo ſuo.

NActus occaſionem præſentis nuntij, non putaui cõmittendum, quin has meas ipſi ad te darem, tanquam obſides veteris in te amoris mei, ſinceræque beneuolentiæ. Cupio plurimum reſcire de valetudine tua, deque omnibus rebus tuis, quas non incolumes modo, ſed omnifariam florentes eſſe, qui ad me perferat, tam gratum facier, quam qui maxime. Neque enim potui non triſtari, tanta nos intercapedine diſſiungi, tantoque bellorum incommodo tamdiu vetitum fuiſſe, ne quis in Germaniam tuto, ne quis contra in Italiam proficiſci potuerit. Proindeq; non parum ſuccreuit auiditas ad te ſcribendi, atque vti reſcribas, expectandi. Pelles Zobellinas, quas in Francorum emporio nobili per te meo nomine emptas ad me mitti optaueram, nunc maturius opto. Sint numero centum viginti, quarum quadraginta inſigniores, nigrore ſuffulgido & canis interſperſæ pilis plane conſpicuæ. Mirandulam ſi commode perferri poterunt, gratum fuerit. Sin minus, Venetias. Vbi pretium nouero, ad te illico perferetur. Vale, noſtri memor. Bononiæ Id. Mart. M. D. XXX.

BILIBALDVS PIRCKHEIMERVS SVO ALBERTO DVRERO S.

[*Theophraſti Characteres, ex Græcis Latinos ab ſe redditos, ei dedicat.*]

LEpidum hunc libellum, à lepido quodam mihi amico donatum, tibi, mi lepidiſſime Alberte, dono dare conſtitui, nõ ſolum ob amicitiam noſtram mutuam, ſed quoniam pingendi arte admodum præcellis, vt cerneres etiam, quã affabre ſenex ille & ſapiens Theophraſtus humanas affectiones depingere nouiſſet. Quæ refrænatæ diutiſſime, tamen aliquando ſe occulere ſolent, & non niſi data oportunitate ex altiſſimis cordium erumpere receſſibus, ac ſi tum primum oriantur, & non potius legalis illius Pædagogi timore, iam pridem conſtrictæ delituerint, quo è medio ſublato, tum demum palam in lucem prodire, & manifeſte ſe oſtendere audent. Quod quidem veriſſimum eſſe, vel præſentia tempora præ ceteris declarant, quibus nimia liberras, nimium etiam procreat contemptum: Ita, vt licet paſſim veritas prædicetur, nil minus tamen interim quam quod illa exigit, peragatur, perinde ac ſi regnum Dei in verbis potius nudis, quam operibus conſiſtat peragendis. Perinde quum omnes adeo teneri ſimus, vt nemo vitia ſua libenter reprehendere audeat, nihil vtilius cenſeo, quam eos relegere libellos, in quibus vnuſquiſque proprij animi habitum tanquam in ſpeculo quodam contemplari, ac contemplando emendare poteſt. Ex quibus hunc vel præſtantiſſimum iudico,

dico, ita acri perlotus aceto, festiuissime circa præcordia ludit. Accepi illum dono olim Græcum à doctissimo & amicissimo principe, à Iohanne Francisco Pico Mirandulę Comite & Domino Cõcordiæ: nunc autem tibi quoque amicissimo & Græcum pariter dedico & Latinum, vt studiosi habeant, quo se in vtraq; lingua valeant oblectare. Tametsi plerisq; in locis scriptoris incuria, aut etiam cura, nõ parum fuerit corruptus, restitui tamen illum, quantum licuit, donec emendatius aliquando prodierit exemplar. Proinde etsi eum stylo elegantiori vertere potuissem, nolui tamen longius à Græca discedere phrasi, etiamsi eam ob causam obscurior nonnunquam videri possit: Sed mox, vt Græca cum Latinis fuerint collata, omnia reddentur clariora. Tametsi in dictionibus quibusdam transfendis, nec mihi ipsi satisfacere potuerim. Quod quidem nõ tam culpa propria, quam Latinæ linguæ accidit penuria. Quo pacto enim ἀρετακείαν, λογγυοειδίαν, μικρολογίαν ac σκληρότητα aliter vertere potuissem? Nec ignoro, quædam esse, quæ coniectore potius quam interprete indigeant.

Verum vnicuique liberum erit iudicare, aut singula pro libito vertere. Tu vero, mi Alberte, benigne graphicam hanc Theophrasti picturam accipe, & si illam penicillo imitari nequis, mente saltem diligenter reuolue: nam præterquam quod non parum proderit, abunde risum prębebit, ac multum oblectare poterit. Bene vale. Ex ædibus nostris, Kal. Septemb. anno Salutis M. D. XXVII. &c.

BILIBALDVS PIRCKHEIMER, IOANNI REVCHLIN. SALVTEM.

POssem merito negligentiæ argui, vir clarissime, si antequam amicitia mihi iunctus eras, te ob virtutes doctrinamque egregiam non solum admiratus sim, verum etiam dilexerim, vehementerq; amauerim: nunc vero, cum arctiore vinculo mihi astrictus sis, tui penitus oblitus videar. Vt igitur amicitiæ nostræ officioque meo pariter satisfaciam, præsentibus litteris earumque latore, homine mihi sanguinis necessitate coniuncto, nec litterarum experti, te saluto, admodumque valere cupio. Audio enim te nonnihil animo, ob nescio quas aduersitates perturbatum esse. Sed cum sis vir cunctis virtutibus, omniumque disciplinarum genere non solum excellens, verum extra fortunæ quoq; aleam positus, nemo, crede mihi, Therstites seu Zoilus, tuam candidam denigrare famam ac dignitatem poterit. Fac igitur, vt non solum animo forti, quemadmodum tuam decet prudentiam, obtrectationes inimicorumque calumnias feras, sed & magnanimiter contemnas. Mementoque, solum modo vitia inuidentiæ esse expertia: virtutes vero semper fuisse & esse inuidiæ sycophantiis ac æmulationibus obnoxias. Nosti enim, ὅτι τοῖς ἀεὶ τὸ ἦθος σπουδαρίοις ὑπεστιν καὶ αὐλιγκὸν σκιά. τοῖς δὲ ἀεὶ τὰς ψυχὰς βαθείαν, ἀκλινθὲς φῶς. Vale, & si tantillum tibi supereſt otij, quemadmodum habeas, rescribe. Ex Norimberga, Kalen. Octobris, M. D. XI.

BILIBALDVS PIRCKHEIMER, IOANNI REVCHLIN. SALVTEM.

SCripsi, vir clarissime, æstate elapsa cum hinc Treuerim abiturus essem, simulque tibi ostendi, Demosthenis orationes vna cum commentariis ex Venetiis allatas esse. Inde cum reuersus essem, à meis intellexi, libros illos ad te fuisse transmissos, vtrum vero illos receperis, nec ne, haud dum compertum habeo. Bene itaque feceris, si hac de re me certiorem reddas. Scripsissem confestim post reditum meum: sed vix limini pedem intuleram, cum iterum abire coactus fui, nũcq; demum post multos reuersus sum labores. Sed quæ scribenda erant, breuibus accipe. Prohibuere olim Ephesij nomen scelerati illius hominis, qui Dianæ templum succenderat, litterarum monumentis inseri scileret, ne ex facinore illo nefasto perpetuam memoriam assequutus esse videretur. Tu vero hominem tibi inimicissimum, & qui aliter, doctis præcipue, ignotus fuisset, libris tuis celebras. Vidi enim nuper libellos tuos à te emissos, in quibus semiiudæi illius mentionem facis, hominis, cuius memoria de terra viuentium delenda esset. Sed scio respondes, te non laudibus, sed meritis conuitiis illum prosequutum esse: & recte quidem. An non vides, id quod antea dixeram? illum hoc pacto famam, seu magis infamiam assequutum esse, & quod propriis virtutibus sibi denegatum viderat, id inimici opera quæsiuisse, scilicet, vt doctorum volaret per ora virorum. nollem itaque dehinc opuscula tua tali piaculo fœdares, præcipue cum nil ad monstrum illud attinerent. Hæc vt amicus, qui te ob virtutes tuas innumeras suspicit & vehementer amat, scribo. Tu vero, quid faciendum sit, mature consideraris. Reperi Treueri antiquitates varias tam Græcas, quam Latinas. Ex quibus Græca ista mitto, missurus & Latina, si tibi id placere intellexero. Tuum itaque erit, rescribere. Vale, & quæcunque præstare potero à me fidenter exige. Ex Norimberga, Kal. Decembris, anno M. D. XII.

THEO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [237] - 213
PUBLIC DOMAIN

THEOPHRASTI CHARACTERES
INTERPRETE BIL. PIRCKHEIMERO.

IRoniæ, Assentationis, Garrulitatis, Rusticitatis, Placentiæ, Pigritiæ, Loquacitatis, Confictionis, Impudentiæ, Illiberalitatis, Inuerecundiæ, Intempestiuitatis, Sedulitatis, Hebetudinis, Peruicaciæ, * * Iam pridem sæpius animo voluens, admiratus sum, & forsitan mirari non desinam, qui nam, quum Græcia sub eodem sit aere, ac omnes Græci æqualiter sint instituti, accidat nobis, vt haud quaquam eundem morum habeamus ordinem. Ego sane, Polycles, quoniam diu humanam contemplatus sum naturam, nam annos vixi nonaginta nouem, præterea cum multis ac omnifariis conuersatus sum naturis, multaque diligentia bonos & malos consideraui homines, operæpretium putaui, conscribere, quę nam alterutri eorum exerceant in vita. Exponam autem tibi secundum genus, quæ nam iis geneta morum peculiaria existant, ac quo pacto œconomia vtantur. Existimo enim, ô Polycles, filios nostros meliores futuros, si admonitiones tales adepti fuerint, quorum exemplo vtentes, electuri sunt, cum modestissimis agere & conuersari, quo illis haud inferiores existant. Proinde ad sermonem nunc conuertar, tu vero animaduertendo subsequere, & num recte dicam cognosces. Primum igitur sermonem faciam de iis, qui Ironiam æmulantur, præfari intermittens, ac multa de re dicere, incipiamque primum ab Ironia, quam & definiam, deinde ironicum, qualis nam sit, explicabo, & ad quales mores sit inclinatus, nec non passiones reliquas, quemadmodum pollicitus sum, secundum genus manifestas reddere conabor.

De Ironia.

Ironia igitur videtur accipienda, vt sit simulatio in deterius, tam operum quam sermonum. Ironicus vero talis quidam, vt cum inimicis congrediens, videri velit illos alloqui, non odisse, præsentesque laudare, quibus clam insidietur, & illis oppressis condolere, & ignoscere iis, qui male de eo loquuntur, & quæ de ipso feruntur: humaniterque cum iniuria affectis & indignantibus reconciliari. Solet præterea iubere eos, qui illum properiter conuenire volunt, redire, & nihil ex iis, quæ facit profiteri, sed dicere, deliberare, & simulare, nuper aduenisse, & sero factum ipsumque defessum esse. Apud fœneratores vero & emendi cupidos, simulat se vendere nolle, & non vendens venditurumque se dicit, & laudens quid, videri vult non animaduertisse, & cernens, inquit non vidisse, & quæ confessus est non meminisse, & aliqua consideraſse dicit, alia nescire, nonnulla admirari, quædam vero & ipse quandoque ita considerauit: & in summa, assidue tali sermonis tropo vtendo est moleitus: non credo, non suspicor, admiror: dicit insuper seipsum alium fuisse: & hæc haud quaquam mihi enarra: res hæc miranda mihi est, alteri cuipiam refero: nondum tamen diffidam tibi, aut illum reprehendo; dubito: sed vide ne tu has voces cito credas: & tricas & effudias, non malum est confingere nihil, nam ea, quæ sincera non sunt, sed insidiosa, potius custodire oportet, quam quos habes.

De Assentatione.

Assentationem autem quis censere potest conuersationem esse turpem, quæ tamen prosit assentanti. Assentatorem autem talem quendam, vt cum aliquem concomitatur dicere soleat, considera quemadmodum homines te aspiciant: hoc nulli in ciuitate præterquam tibi contingit, celebratus fuisti heri in porta, plus quam triginta hominibus ibi considentibus, quumq; sermo incidisset, quis nam optimus esset, omnes ab ipso incepisse, ac in nomen ipsius consensisse, & alia similia dicere consueuit, & à vestimento festucas tollere: quod si palea quædam vento agitata in capitis comam inciderit, illas colligere, ac subridens dicere, vide si duobus diebus tibi obuiam haud fierem, barbam multis plenam haberes, & iuxta annos comam habes nigram, ac si quis alius. quumque ille quid dicere incipit, alios iubet tacere, & laudare solet eo inuito, & innuere quam recte ille finierit, & mordens quid, amariter arridere, ac vestimento os obstruere ac risum continere nequeat. Consueuitque iubere obuiam venientes consistere, donec ille prætereat, ac liberis eius mala & pira coëmens ac inferens, tradere illo videnti, & deosculans dicere: boni patris iuuentutem. Coëmensque crepidas pedem dicere calciamento esse concinniorem, quumq; iis quem sectatur ad amicum quendam vadit, præcurrens nunciare consueuit illum aduenire, conuersusque dicere annunciaui. Denique & in iis, quæ ad muliebrem spectant congregationem, expedite ministrare nouit, & inter manducantes primus vinum laudare solet, & accumbens dicere, nonne delicate vescris? ac tollens quid à mensa illi dicere, summum quam bonum est istud, ac interrogare num frigeat, & num adapetiri velit. Insuper ipsum tegere solet, & hæc dicens, inclinans se in aurem susurrare, & in illum aspiciens aliis loqui, & à puero in theatro auferens puluinaria ipsi substernere ac dicere: domum affabre ædificatam esse, & agrum bene cultum esse, & imaginem similem esse, & in summa assentatorem cernere est, omnia dicentem & facientem quibus gratificari posse suspicatur.

De Garrulitate.

At garrulitas narratio est verborum prolixorum & inconsideratorum. Garrulus vero talis est, vt prope illum consideat, quem non cognoscit, & primum vxoris propriæ laudes enarrat. Deinde quæ nocte in somnio conspexit referre solet, deinde singula recensere, quæ habuit in cœna, inde negotio proce-

procedente, dicere homines qui nunc viuunt longe priſcis eſſe deteriores, & quod triticum carum factum ſit in foro, & quod multi adueniunt hoſpites, & mare poſt Dionyſia nauigabile eſſe, & ſi luter plueret omnia, quæ in terra ſunt, meliora fore, & ager colendo ad iuuentutem redibit, & quod vita difficultatis eſt plena, & quod Damippus maximam facem in myſteriis poſuit, & quod ſunt columnæ in templo odio, & heri vomui, & quinam dies hodie eſt, & quis illum ſuffert, nequaquã eum dimittit. Et quemadmodum Bædromionis myſteria, & Anepſionis Apaturia, & Neptunin per agros Dionyſia, ita homines tales depellere oportet, & conuitiis abigere, ſi quis febricitare voluerit, molestum enim opus eſt, eos ſuſtinere, qui nec otij neque negotij tempora norunt.

De Ruſticitate.

Ruſticitas autem videri poteſt eſſe ruditas indecora. Ruſticanus vero talis quidam eſt, vt Cyceonam faciens ad congregationem pergat diciq; , vnguentum minime cepit ſuauius redolere, ſolerq; calceamenta pede maiora geſtare, & magna voce loqui, amicis præterea & domeſticis haud credere, cum ſeruis vero propriis de maximis etiam communicare, & iis qui apud eum in agro mercede laborant, omnia ex concione referre, & attractibus genibus conſidere, ita vt nuda eius appareant, ac nullam rem aliam in viis mirari, aut vlla percelli, præterquam ſi bouem viderit, aut aſinum aut hircum: tum enim ſubſiſtens inſpicere, & quam quid è penu deprompſerit, auide vocare & meracius bibere, idque clam proma facere conſueuit; diminuens cum omnibus, quæ intus ſunt etiam neceſſaria ſia, prandens vero pariter & iumentis fœnum iniicere, & quum quis hoſtium pulſat ipſe exaudite, & canem acerſens, acroſtro capiens dicere ſolet: heus tu villam nobis & domum, & eos qui intus ſunt cuſtodi, in argento autem recipiendo vltra reprobationem valde moleſtus eſſe, & identidem permutare & quum aratrum aut cophinum ſe bipennem, vel ſacculum vtendum dedit, illorum nocet mirum in modum ambabus manibus ſatagens ne dimittat, & parumper præmittens, & interrogans, quando ipſum viderit, etiam diſcedendo laudans. ad arbitrandum vero vocatus, non ſolum ili cui aſſiſtit vult placere, ſed & eius aduerſario, quo indifferens videatur. Ad hoſpites autem dicere ſolet, quod iuſtiora loquuntur quam ciues, ad cœnam vero vocatus hoſpitẽ iubere, vt liberos quoq; aduocet, quumque ingreſſi fuerint, dicere patri ſimiliores eſſe quam inter ſe ficus, compellanſq; deoſculari, & iuxta ſe conſtituere ſolet, hiſquemet colludere inquiens, vter, bipennis. At quę circa ventrem ſunt quum dormit ſimul premens. Ac ſæpius tonderi, denteſque albos habere, veſtes vero bonos permutare, vnguentiſque perfundi conſueuit, & in foro ad numularias menſas accedere, in vero illis gymnaſiis verſari, in quibus exercentur ephœbi, in theatro vero quum ſpectacula eduntur propę primarios conſidere. Sane ipſe nihil emere ſolet, ſed hoſpitibus in Byſantium corollas, canesque Laconicos in Cyzicum, ac mel thymetium in Rhodum, hæc faciens cunctis in vrbe prædicare ſolet. Sed & ſimiam alere eſt potens, & ſatyrum poſſidere, columboſque Siculas, ac talos ex Dorcade, nec non Leeythos feneſtratos & rotundis illis, & baculum curuum ex Lacedæmone, & auleam habentem Perſos intextos, Atriolum quoque palæſtricum habentem cinerem & ſphærulam, & cum illa obtrans ſemper vaticinari ac oſtendere, Philoſophis, Sophiſtis, Optomachis, Harmonicis & poſt ſpectaculorum æditionem ipſe enarrare, & ad ſpectantium alium dicere, cuiusnam fuerit palæſtra illa.

De Pigritia.

Pigritia autem eſt tolerantia turpium operum & verborum. At piger talis quiſpiam, vt pariter cito male audire, & conuitia ſuſtinere poſſit, moribus vrbanus quiſpiam & comtus, & omnia faciens, denique & ſaltare potens, ſobrius cordacenſe tripudium, & perſonam gerens in Comico Choro, & mirum in modum æreos eligere nouit, ſingulos diſcernens, & pugnare cum iis, qui ſymbolum ferunt, & dotem ſeculari dignioribus, & qui poſſit res vendere viles, & lenocinari, ac publicani officio fungi, penituſque nil turpe cenſere, ſed præconem agere, & coquum ludere quoque, & matrem nõ nutrire, furti accuſari, carceres longiori tempore inhabitare quam propriam domum, & hoc etiam eſſe vult videri, illis qui nexorum turbam circumſiſtunt, ac magna voce cohortantur, & acerbe conuiciantur & cum illis loquuntur, ita vt interim ij quidem accedant, alij autem abeant, priuſquam ipſum audiant. Sed his quidem principium, alius autem ſyllabam, illis vero partem rei enarrare ſolet, nunquam alias pigritiam ſuam inſpicere dignum putant, quam quum panegyris peragitur. Idoneus præterea eſt iudicia quædam fugere, aliqua vero proſequi, nonnulla curare, aſia aerem dimittere, Echinum habens in ſinu, & verſus libellorum in manibus, nequaquam repro-

reprobum ducens multis pariter forensibus imperare, & confestim illis fœnerari, & drachmæ vsuram trib. semiobolis per diem exigere, & per coquinas, per piscarias, per salitorum fora oberrare, nec non vsuras ex negotiatione in maxillam colligere, negotiosi autem sunt, ora habentes ad conuitia facile solubilia, magnaque voce loquuntur, ita vt ad illam forum resonet & officinæ.

De Loquacitate.

Loquacitas vero, si quis illam definire velit, intemperantia esse videtur sermonis. Loquax vero talis quidam est, vt occurrenti inquiat, nil eum quidquid loquatur dicere, & quod ipse cuncta nouit, & quum ipsum audiuerit addiscet, & interim dum respondet, subiicit, dixisti tu? non me latebat quid esses dicturus, & euge mihi in mentem reduxisti, & quod aliquando loqui est vtile, & quod præterea miseram & cito rem intellexisti, etiam pridem obseruabam, numquid in meam consentires sententiam, ac alias occasiones tales præbere consueuit, quo illi occurrens ne respirare quidem valeat, ac quum singulos tædio affecit, potens est & ad turbas & congregatos transire, & fugam facere inter ius etiam dicentes, in scholas q; & palæstras ingrediens, vetare solet pueros tam multa prædiscere, præceptoribus quoq; & pædotribis prædicere, qui vero discedere parant difficulter dimittit, ac domui restituit, quumque concilia annunciare audit, prius enarrare solet pugnam olim apud Aristophontem Rhetorem factam, & Lacedæmoniorũ quoq; sub Lisandro, & sermones quos ipse aliquando locutus est celebrati fuere in populo, & hæc turbis enarrãs accusationes simul interponere cõsueuit, quo scilicet audientes obliuiscantur aut obdormiant, seu derelinquẽtes interea liberentur, quod si vna diiudicat, sententiam ferre, & cum aliis considerans inspicere, & vna cœnans comedere prohibet, inquiens, difficile esse loquaci tacere, & quod lingua sit in humido, & quod nunquam silebunt, nec deceat videri hyrundinibus esse loquaciorem & cauillis lacessitus sustinere, & à liberis suis quum iam dormire velit iussum hæc dicere, loqui aliquid vobis quo nos somnus corripiat.

De Confictione.

Fictio autem compositio est sermonum, mendacium & operum iuxta fictoris voluntatem. At fictor talis quispiam, vt quum amico occurrit, confestim mores immutat ac ridens interrogare consueuit, vnde tu? & quid dicis? aut habes ne de hac re noui quippiam referre? & superadiciens interrogare, numquid magis nouum quid dicitur? & bona sunt, quæ feruntur, nec respondere permittens, dicere consueuit, quid agis? numquid audiuisti, videor mihi te nouis cibare posse sermonibus, estque illi aut miles aut puer Astij tibicinis, seu Lycon operarius obuiam factus, ex ipsa pugna, de qua aiunt audiuisse relationes igitur sermonum tales illi sunt, quæ neminem latere debeant, refert autem illos dicere: inquiens, quemadmodum Polysperchon & Rex pugna vicere, & Cassander viuus sit captus. Sane si quis illi dixerit, tu ne talia credis? inquit, rem per ciuitatem proclamari, & sermonem increbescere, ac omnia concordare. Hæc enim de pugna dicere solet: multamque cædem esse factam, sed & ei signum esse à personis huic negotio coniunctis. Cernere enim ipsorum omnium mutabilia, sed & se audiuisse inquit de his, quendam in domo celatum, qui quinta ab hinc die ex Lacedæmonia venerit, ac omnia hæc nouerit, Cunctaque explicat, secundum quod illi videtur persuasibile, ac tanquam commiseratione ductus inquit: Proh infelix Cassander! Proh calamitosus! consideta fortunam, attamen fortis factus: & illum solum hæc nosse oportere, at omnibus qui in ciuitate sunt percurrit dicens: Tales homines admiratus sum, quidnam sibi fabulas confingentes velint. etenim non solum mentiuntur, sed absque commodo discedunt, sæpius enim ex illis quidam in baleneis circumstantias facientes vestes perdiderunt, alij in porticu terrestri & nauali prælio superantes causas disseruere proprias. Sunt autem qui plurimi (coactus dico) eligentes obmittere cœnam, admodum autem eorum ærumnosum studium, quæ enim porticus, quæ officina, aut quæ pars fori, in qua non tota die morantur? audientes hoc pacto defatigantes & emenditis opprimentes sermonibus.

De Impudentia.

Impudentia autem est, vt definitione capiatur, contemptus existimationis, turpis lucri gratia. Impudens vero talis, vt primum, quem exspoliat, ad illum mutuum petendo accedit. Inde sacrificans deis, ipse quidem apud alium cœnare, carnes autem totas sale recondere solet: vocatus vero assem clam donare, carne à mensa sublata, nec non pane, ac dicere omnibus audientibus, vescere ô honorande. Obsonia autem emens mentionem facit macellarij, à quo sibi vtile quid factum est, superadens libræ potissimum carnes, sin minus, vel os aliquod iniicit libræ. Et si accipit, bene habet, sin minus, rapto à mensa omento, ridens pariter discedit. Hospitibus autem suis carnem emens, non dat partem videre, ducere autem eos postridie etiam pædagogum, & quemcunque aliquis emens portat, sibi quoque impartiri iubet, & in aliam domum veniens mutuo sibi dare ordeum, nonnunquam & paleam, & eos qui illis etiam indigent ad ipsum deferre cogit, sed & impudenter ad vasa ærea in balneo accedens, seque immergens haurire solet, clamante balneatore, ac ipse seipsum abluere, & abiens dicere, quod ibi sit ablutus, etiam cum mala ipsius gratia.

De Illiberalitate.

Illiberalitas est expensæ parcitas intempestiua. At illiberalis talis quispiam, vt in mense semiobo-

lum

lum repetere ſoleat de domo, & in conuiuio numerare quot quiſque calices ebiberit, ac minimum ex concœnantibus Dianæ pro primitiis exſoluere, & quæ paruo quis emit, conſiderat, omnia dicens eſſe cara, & quum ſeruus ollam aut fictile frangit, à neceſſariis exigere, quumque vxor pilos vellere cupit, ipſe vaſa apportare non erubeſcit & menſas, & arcas, inquirit; tegumenta, & quum quid emit, tanto vendi nequaquam vtile eſſe emptori ait, nec ex horto ſuo ficus comedere permittit, nec per agros eius iter facere, neque oleam aut palmam, quæ ſuper terram cecidere, attolere, & terminos conſiderare, num illi idem quoque hodie permaneant: vehemens etiam in diurno fœnore exercendo, ac vſuram ſuperaddere vſuræ: & conuiuio populares accipiens carnes in minutas fruſtulas concisas adponere: & obſonans mihi emens ingredi conſueuit, & vxori inhibere nec ſale vti, neque elychnio, nec cymino, neque origano, nec tuberibus, nec corollis, nec placentulis, ſed dicere, quod vilia hæc multa ſunt in anno, & in ſumma, parcorum etiam argenti repoſitoria cernere eſt carie putria, & clauſa, ipſos geſtantes veſtes paruis etiam minores. Præterea ex Lecythis admodum minutis vngi, & in corpore delibutos eſſe ac dimidium diei ablui, & apud fullones immorari, quo ipſorum veſtimenta multam habeant cretam, ne cito contrahant ſordes.

De Inuerecundia.

Haud quaquam difficile eſt definire inuerecundiam, ſiquidem diſciplina eſt manifeſta, & probroſiſſima: At impurus talis, vt liberis, mulieribus obuiam factus pudenda extrahens oſtendere ſoleat, ac in theatro plaudere, quum deſinunt, eoſque exſibilare quos ceteri libenter ſpectant: quumque theatrum ſilet, inclinans ſe mugire, vt ſedentes conuertere faciat, & pleno foro accedens ad nuces, vel poma, aut fructus, ſtans comedere ſolet, interim venditorem alloquens: ac ex prætereuntibus quendam nomine vocare, nequaquam ſibi familiarem, etſi quem feſtinare videt, illum expectare iubet & in magna cauſa condemnatum, quum à iudicio diſcedit adire & vna ſtare, & obſonia emens tibicines etiam conducere, & ad hæc vocare, & occurrentibus obſonata oſtendere, & iis qui ante conſtrinas & vnguentarias conſiſtunt officinas, dicere, quod inebriari velit, & vinum emens amico vinum dilutum reddere, quumq; ad ſpectaculum aut victoriam ire debet, filios, quoniam dotem abſtulerunt, theatro priuare, quumque publica fungitur legatione, viatica illi à ciuitate data domi relinquere, collegis autem fœnerari, ſeruoque maius onus imponere quam ferre queat, & pauciſſima ex abundantibus neceſſaria & ab hoſpitalitatibus partem ipſius exigens reddere, quumque in balneo vngitur oleum rancidum eſſe dicit, à puero emptum alienoque vngi ſolet: pecuniæ præterea in via à ſeruis inuentæ partem violenter exigit, inquiens, communem eſſe Mercurium, tali etiam parcitatis menſura, ipſe modio ſemiuacuo ſuis menſurare ſolet, neceſſaria valde imminuens, quum in emendo reddere debet, quæ accepit. Sane cum debitum reddit trigeſimam abſcindens, tribus trachmis minus reſtituere ſolet. In ſodalitiis vero epulis pueris quoque ſuis ex communi cibum petere: quæ vero in menſa relinquuntur, etiam raphanos dimidiatos deſcribere, ne pueri miniſtrantes accipiant.

De Intempeſtiuitate.

Intempeſtiuitas igitur eſt alloquutio lædens occurrentes. At intempeſtiuus talis quiſpiam, vt ad occupatum accedens communicare velit, & cum amica ſua febricitante ludere, & cauſam exigentem fide iuſſionē accedens iubere ſolet, ipſum pro ſponſore ſuſcipere, & ad teſtimonium vocatus adeſſe iam diiudicanda, & ad nuptias accerſitus genus accuſare fœmineum, & qui nuper è longa aduenere via, ad vna deambulandum vocare, potens etiam & emptorem adducere plus dantem, quum res iam ſit vendita. Inſuper eos, qui pridē audiuerunt & didicerunt rurſus exurgere cogit, docens: promptus præterea ea curare, quæ quis fieri nolit, at primitias ſoluere illum pudet. Ad ſacrificantes autem & conſummentes accedens fruſtum poſtulare conſueuit. Quumq; ſeruus flagellatur, aſtans enarrat, quod & ſuus aliquando puer ita plagas ſuſcipiens ſit ſuffocatus, & compoſitionibus interueniens diſcordias ſeminare ſolet, quum ambæ partes reconciliari deſiderant, & ſaltans deficere ſodali nondum ebrio.

De Sedulitate nimia.

Proinde ſedulitas eſſe videtur ſimulatio quædam ſermonum & operum cum benenolentia. Sedulus autem talis quiſpiam, ſurgens promittit, quæ præſtare nequit, & quum quis rem iuſtam eſſe confiterur, reprehendere pergit & puerum cogere ſolet plus miſcere quam præſentes bibere poſſunt, & pugnantes concitare, & per viam quam non cognoſcit præire mox ignorans quo pergat. Ad exercitus præterea ducem accedere ſolet, quærens quomodo aciem ſit inſtructurus, & quid perendie imperare velit, & occurrens patri annunciare quod mater dormit in domuncula: medico vero inhibente ne vinum detur curato, dicere experire velle num inſtruere poſſit male habentem. Muliere vero aliqua occumbente, monumento inſcribere & mariti eius nomen & patris & mulieris ipſius, ac addere, quod hi homines probi erant, & quum iurare debet ad circumſtantes dicere, quod & antea ſæpius iurauerit.

De Hebetudine.

Eſt autem Hebetudo, vt definitiue explicetur, tarditas animi, tam in ſermonibus, quam rebus. He-

bes autem talis quiſpiam in calculis computans ac ſummam faciens, interroget aſſidentem, quid fiat, & iudicium fugiens, & illud ſubire debens, clam in agrum ire, in theatroque ſpectans ſolus derelinqui ſolet dormiens, & multa vorans nocte, & ſuper ſe deleuatus vicini domum rimari, & quod ipſemet depoſuit illud quærere, & non reperire poteſt, quumque illi quiſpiam annuntiat, amicum eius quempiam mortuum eſſe, quo preſens ſit, mœrens ac lachrymans dicere ſolet, bona fortuna, difficilis autem & recipiens argentum debitum, teſtes ſuſcipere, & hyemis tempore cum puero decertare, quur ficus non emerit, & puellos ſuos luctari ac currere cogit, ſed & in labores producit, & in agro ipſis lentes decoquens bis ſaltem in ollam iniiciens incomeſtibiles facere, quumq; ex aere pluit dicere, quam ſuauiter aſtra, putat quod & alij dicunt, craſceſſit. Quum vero aliquis dicit, quod putas perſonas portas efferri mortuos, ad illum dicere, qui mihi & tibi naſcentur.

De Peruicacia.

At peruicacia, moroſitas eſt in ſermonibus. Pernicax vero talis quiſpiam, vt interrogatus vbi quis ſit, reſpondeat, noli mihi moleſtus eſſe, etſi quis illum allocutus fuerit, nihil reſpondere ſolet, & vendens aliquid haud dicere ementibus quanti vendatur, ſed quærere quid inuenit, & honorantibus ac pompam inueſtiuitatibus mittentibus dicere, quod non fient data, & quod non concedat veniam, ſi quis etiam inuitus illum expellat aut impellat ſeu impediat, & amico mercedem iubenti inferre conſueuit dicens, quod & hoc amiſerunt argentum, & in via pedem offendens admodum lapidi maledicere & recordari, nec vllum longo tempore expectare. ſed qui neque cantare, neciocari, nec ſaltare velit, potens autem nec diis vouere, &c.

VIRI

VIRI ILLVSTRIS

BILIBALDI PIRCK-HEIMERI, CONSI-LIARII CÆSAREÆ MAIESTATS

PHILOLOGICA.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [243] - -

PUBLIC DOMAIN

BILIBALDI PIRCKHEIMERI DISSERTATIO SIVE ANAΣKEYH HISTORICA ET PHILOLOGA, de Maria Magdalena, quod falso à quibusdam habeatur pro illa peccatrice seu πόρνῃ.

ETsi ea veritatis sit conditio, vt impugnata & oppressa magis niteat ac eluceſcat, vtpote, immortalis ac simplex, nullius indiga adminiculi, nullo fuco externoque lenocinio instrui cupiens, omnem ornatum phaleratasque argutias tanquam aliena respuens: Econtrario vero falsitas, etsi omni dexteritate ingenij defenseturque tueatur, suapte tandem sponte defluat ac conseneſcat, quandoquidem ficta & simulata breui tempore durare possunt: Cernere tamen plerumque est, ita longæuum inoleuisse errorem, mendaciumque tam altas ac firmas egisse radices, vt nec veritatis splendore falsitatis tenebræ illuminari, seu fictionis stipites facile extirpari valeant. Cuius rei potissima causa esse deprehenditur, quod dubia pro certis, falsaque pro veris nonnunquam recipiuntur, ac ita pertinaciter hominum mentibus insident, vt oraculi diuini instar habeantur. Proinde error hic tolerabilior forsitan esset, si in rebus prophanis & parui momenti tantum versaretur. Ceterum cum in diuinis tandem, ac piis labimur & decipimur, lubenteſque maiorum errata amplectimur, tum nullum excusationis genus reliquum manet: maxime, si admixta mendacio impudentissima subolet impietas, quandoquidem nil tam alienum à sapiente est, quam aut falsum sentire, aut quod non satis exploratè perceptum sit & cognitum, sine vlla dubitatione defendere. Decet igitur nos vniuersum laborem & ingenium nostrum, ad inquirendæ veritatis studium conferre. Cuius & apud gentiles tanta fuit auctoritas, vt in ea summi boni præmium esse prædicarent. Verum enimuero quidam pusillae timidi ingenij homines, ad eos desperationis peruenere terminos, vt nos maioribus nostris, nil melius inuenire seu verius discernere posse, non solum credant, sed & vehementer contendant, piaculique loco ducant, si quis à priscorum doctrina vel digitum transuerse declinare audeat. Qui si considerassent, rerum naturam non penitus defecisse, vel longo temporis æuo consenuisse, sed quotidie miranda ac antea inaudita producere, quin potius largitorem omnium bonorum Deum, nunc quoque viuere, ac vnicuique secundum magnam misericordiam suam tribuere posse, minime in aliis reprehenderent, quæ ipsi ingenij tarditate, ne dicam inertia consequi iam pridem desperarunt. Igitur cum vniuersæ viæ domini misericordia exiſtant & veritas, nec sit cum ea iniquum quicquam, dominusque in Euangelio clamet, petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis, veri Dei auxilio confisus diuæque Mariæ Magdalenæ patrocinio suffultus, etsi pollutis labiis, ac impuro ore, inueteratum tamen iam diu & receptum errorem explodere conabor, manifesteque me ostensurum spero, dignissimam ac sanctissimam illam Magdalenam omni honoris præconio laudandam & excolendam, non solum à fœdo luxuriæ crimine, ac turpi labe puram & alienam esse, sed nephande ac falso impudicitiæ argui, tantaque noxa æuominam sanctissimam penitus carere. Ceterum vt planius calumniam tam insignem refellere valeam, sub initium & ante omnia originem improbi figmenti considerare necesse erit. Sic enim, vt arbitror, lucidius ac clarius error patebit. Equidem mihi Lucæ Euangelium minus recte examinatum inuitæ notæ occasionem præstitisse videtur. Cum enim illis legatur, mulierem peccatricem in Phariſæi domo Saluatoris nostri pedes vnxisse, Iohanneſque Mariam illud idem Bethaniæ fecisse referat, parum illi considerati homines, vnam ac eandem mulierem, peccatricem scilicet, ac Mariam fuisse existimarunt, tanquam mulieres diuersæ, vnum ac idem officium, illo æuo admodum frequens & vsitatum, perficere non potuisset. Quod si pressius Euangelicæ historiæ seriem perpendissent, luce meridiana clarius cernere potuissent, Magdalenam apud Ioannem sex solummodo dies ante Pascha, opus illud perpetrasse; Lucæ vero peccatricem, non solum ante Dominicæ passionis dies aliquot, sed & annos officium suum peregisse. Quicquid enim Euangelica

historia

historia post peccatricis vnctionem continet, id procul dubio eo quoque ordine, vt refertur, deinde gestum est. Quanta vero & quam miranda ab humani generis redemptore, postea ad passionem vsq; acta sint, vtrumq; tam breui tempore, h.e. diebus sex, hæc omnia fieri potuissent, vnusquisque sanæ mentis homo facilime perpẽdere potest. Accedit ꝙ Lucas peccatricis nomen supprimit; Mariæ vero Magdalenę confestim sequenti capite mentionẽ facit, ꝙ procul dubio haud feciſſet, si Magdalena illa peccatrix fuisset. Eodem. n. pacto, quo septem dæmonia à Maria eiecta scribit, ita si vna & eadem fuisset, peccatricem quoq;, de qua paulo antea retulerat, ipsam appellare potuisset. Sed quia alia illa erat, per diuersum quoque miraculum, dæmoniorum videlicet expulsionem, ipsam notare voluit. Longe igitur rectius græci sensere auctores, quorum aliqui quatuor, nonnulli tres, omnes tamen diuersas fuisse has mulieres testantur: primam cuius Lucas meminit, peccatricem scilicet, quę in Pharisæi domo vnguendi opus compleuit: secundã cuius laus apud Marcũ & Matthæum fulget: Tertiam vero & vltimam diuam Magdalenam, quam Ioannes refert, quæ omnes pariter dominum vnxere, diuerso tamen loco, modo & tempore. Magdalena etenim ante sex Paschę dies dominum perunxit; aliæ vero duæ biduum, priusquam Pascha fieret: tertia vero, hoc est peccatrix, longo, vt iam antea ostensum est, tempore. Magdalena libram integram vnguenti prætiosi attulit. Peccatrix non expensum ex alabastro effudit. Maria autem vngentaria vas penitus fregit. Illa domini pedes lachrymis rigat, flensq; peccatorum remissionem postulat. Alia vero gaudio perfusa honorisque gratia, Saluatorem vngit, ac reliquum in sepulturæ diem seruare iubetur. Illę pedes perungunt; aliæ caput tanta fragrantia decorant. Apud Matthæum & Marcum discipuli ex bono indignantur proposito. Apud Ioannẽ vero solus Iudas furãdi affectu murmurat. Nil vero huiusmodi apud Lucam fieri legitur. Apud eundẽ in Ciuitate ac Pharisæi domo res agitur. Apud Ioannem vero in Castello, vbi Lasarus discumbebat, ac Martha ministrabat, Christus vnguento delibutus legitur, Magdalena cœnantẽ dominum aggreditur; Peccatrix vero discumbentem, reliquæ vero in Simonis domo recubantem. Lucas suam mulierẽ meretricem manifeste appellat: de Maria vero Magdalena, nil tale scriptũ reperitur. Ab illa eiecta sunt dæmonia; ab alia vero ablata peccata. Quæ cuncta si æquus censor diligenter perpẽderit, reperiet profecto, in tanta rerum variatione, impossibile ac minime credendum esse, vnã & eandem mulierem, hæc omnia ac tam diuersa peregisse. Quod si bis Saluatorem, ab vna & eadẽ muliere vnctum quidam referunt, quo pacto illud ostendere valeant, ipsi videant. Mihi etenim satis fuit, manifeste demonstrasse, longe diuersas has fuisse mulieres, nec cuncta, quæ de eis referuntur, vno tempore, loco seu modo fieri potuisse.

Restat nunc alium dissoluere errorem, quo scioli illi inducti, sanctissimæ Magdalenæ pudicitiam falso impugnare ausi sunt. Siquidem cum Pharisæo Simonis nomen inditũ esse legissent, in domoq; Simonis leprosi dominum vnctum fuisse intellexissent, ambos illos ac diuersos homines, vnum & eundem Simonem fuisse arbitrati sunt, non secus nominis similitudine decepti, quam antea personarum cõfusione seducti. Videbatur forsitan illis res noua & inaudita, duos homines vno ac eodem appellari nomine. Sed iam antea ostensum est, vnum in ciuitate Christum ad secum manducandum rogasse, alium vero in Castello Saluatorẽ suscepisse, sed ne dubio vel minimo posthac aduersarij nostri detineantur, age, manifeste ostendamus, viros illos, (quemadmodum antea de mulieribus fecimus) penit⁹ alios, ac inter se fuisse diuersos. Pharisæus etenim dubitat, ac intra se dicit; hic si esset Propheta, sciret profecto, quæ & qualis esset mulier illa. At Simon ille Bethanicus non solũ omni carebat dubio, sed iam pridẽ à Christo curatus, ac ab insanabili leprę morbo liberat⁹ fuerat: ideo Prophetam, & quidem maximum eum, certo certius esse sciebat, quis igitur sanæ mentis cũ hæc videat, nõ plane intelligat, nec peccatricẽ in domũ Simonis leprosi Bethanicæ peruenisse, seu D. Magdalenam in ciuitate, ad Pharisæum vnq̃ accessisse: Sed vtraq; apud diuersos homines, alieno tempore, mutato modo ac segregato loco, suum peregisse officium, nec esse, seu vnq̃ fuisse, vnam ac eandẽ fœminam, peccatricẽ scilicet, ac sanctissimam illam Magdalenam. Nec aliquem moueat, ꝙ Ioannes referat Magdalenã eam esse, quę dominũ vnxit priusq̃ eam narrasset historiam, quandoquidẽ verbum illud maxime meæ astipulatur opinioni, vtpote ꝙ non solum ad tempus præteritum, sed & futurũ referatur: quasi dicat, Maria aũt erat illa, quę postea dominũ vnxit. Restat igitur, vt qui turpitudinis D. Magdalenam accusent, tantummodo suspicionib suam defendant causam. Sed pro nobis quoq; admodum præsumptiones stringunt. Haud. n. credendum est, mulierem tam potẽtem, quæ non solũ diuitiis, sed & amicorũ turba, quæ ad illã consolandi gratia à Hierosolymis accesserat, polleret, corpus suum profanasse ac tam publice prostituisse. Atqui nescio quam adulterino colore, aduersarij nostri, infamiam tam insignẽ tegere audent. Inquiunt etenim, nõ vulgare illam scortum fuisse, sed tantummodo quibusdã amatorib. sui copiam fecisse. Quod si exquisite Euangelij verba trutinassent, nunq̃ ad tantam ignorantiam, ne dicam dementiam, peruenissent. Non. n. satis erat Pharisæo dixisse, quæ mulier esset ista, nisi addidisset & qualis. Quam magnam vero peccatricem per hæc verba geminata ostendere illa le voluerit, vnicuique prudenti cogitandum relinquo. Nec vident homines illi, quod sua tam fragili excusatione in pristinum labantur errorem, iterumq; sanctissimam mulierem, in scortorum ac meretricum numerum perducere tentent. Centoneq; faciem illius abstergere, seu potius deturpare nitantur.

tantur. Quod si intemeratæ Dei genitricis, ac semper Virginis Mariæ gloriam (& merito quidem) obfuscari arbitramur, si illam in peccato originali conceptam esse crederemus: quanta qualiq; ignominia sanctissimam illam Magdalenam afficiemus, si sola suspicione ducti, illam corpus turpiter vulgasse asseramus? quandoquidem peccati originalis labes ab exordio, & primo parente, in homines etiam inuitos defluxit; Luxuriæ vero crimen, maxime tam frequens, non nisi rationis consensu ac libero nostro arbitrio perfici potest. Sed rursus instant aduersarij nostri, ac dicũt: Quod vna & eadem mulier, peccatrix scilicet, ac Maria Magdalena fuerit, hoc pacto demonstrare possumus, dimisit Christus meretrici peccata, hoc est, eiecit de Maria Magdalena septem dæmonia, per quæ septem peccata designantur mortalia. Quibus iterum respondeo, nil referre, vtrum Saluator peccatrici septem vel quatuordecim remiserit peccata. (nam cuncta dimisit) sed quod per similitudinem dæmoniorum peccata denotentur, hoc tantum à veritate abest, quantum ipsi à recto ac bono iudicio, hoc pacto etenim nusquam Christus dæmonia eiecisset; sed vbicunq; dæmoniorum fit mentio, ibi peccata dimisisset, criminaq; & nõ dæmonia ex hominibus clamassent, porcosq; diuino permissu in vadam præcipites egissent, quam manifestũ vero illud sit mendacium, quantumq; honoris ac potestatis, filio Dei per hanc tam violentam interpretationem detraheretur, sacræ litteræ vbique palam demonstrant. Neq; enim Lucas (vt iam antea dictum est) quasi non eodem capite ambarum mulierum tam diuersimode mentionem fecisset, si illæ non diuersæ, sed solum vna & eadem fuisset. Nam peccatrici Christus peccata dimittit, illamq; in pace abire iubet: Contestimq; (vt ex sequentib. Euangelistæ verbis liquet) Mariam Magdalenam secum retinet, illamq; nõ per peccata notatam, sed manifeste à malignis spiritib. liberatam, per castella & ciuitates circumducit. Quo pacto vero hæc quoq; duo eidẽ mulieri conueniant, quilibet per se considerare valet. Sed refugiunt tandẽ aduersantes nobis ad consuetũ asylon, Ecclesiam scilicet, quã ita semper obseruasse, ac in præsens cum eis sentire affirmant, quib. iterum respondeo, vnumquemq; Christi fidelem teneri ac obstrictũ esse, decreta matris Ecclesiæ obseruare, ac firmiter credere, præcipue in illis, quę fidei spectant mysteria, & vero mater Ecclesia hanc opinionẽ à primæuo instituto semper obseruauerit, homines illi obstinati nunq; probare valebunt. atqui contrarium nos manifeste ostendere possumus. Nam vltra doctores Græcos, Origienem sc. ac Chrysost. & Nazian. sanctis & catholicis Doctorib. D. Hieron. beatusq; Ambrosius nostræ astipulãtur opinioni, clare asserẽtes, minime credendũ, vnam & eandẽ fuisse mulierem, peccatricem videlicet & D. Magdalenam, ne Euangelistę sibi ipsis contraria dixisse videantur. Quã vero Sancti illi splendidissima fidei sint lumina, quantumq; inter ceteros Ecclesiæ excellant doctores, lõge superuacuum esset enarrare. Hoc tantum dixisse sufficiat: Neminem vnq; probaturum, peccatricẽ Mariam nomine appellatam, lõge minus Mariam Magdalenam illam fuisse peccatricem, quę in domo Pharisæi pedes domini vnxerit. Nec ego sanctæ matri Ecclesiæ derogare quicquam ausim: (absit. n. hoc à me) sed veritatem inquirere, quæ & non quæsita tandem in lucem venit, minime prohibeor. *Nam ea* (vt bonus ille Plato inquit) *apud Deum & homines omnium potissima est, cuius in primis participẽ esse oportet, qui futurus est felix. Infidelis autem est, cui mendacium voluntarium existit amicum: cui autem inuoluntarium stultus. Vtrumq; igitur fugiendum, cum vterq; tam infidus, quam imprudens, nõ sit amandus.* Quid vero horum verius sit, nemo hominum sed Deus nouit, cui rectius quæstionem hãc committimus, quam vt aliquid temere, quod ad ignominiam tam sanctæ mulieris tẽdat, auctoritate nostra definiamus. Quantũ vero humano ingenio, dum cõiecturis ac suspicionib. res agitur, reprehendere licet, negamus, imo pernegamus sanctissimam Mariam Magdalenam in meretricum numero annumerandam ac turpi lupanari collocandam esse. Absit enim, quin potius Deus anertat, vt tam officiosissimam ac religiosissimam illam fœminam, quæ mundi Saluatorem hospitio susceperit, quæ omnib. contemptis tam auide verbis domini inhiauit, quæ ad pedes Christi sedendo optimam partem elegit, quæ non solum post, sed ante passionem redemptorem vnxit, quæ crucifixo astitit, contra sepulchrũ sedit, angelorum voces audiuit, cui pius ille Hortulanus post resurrectionem apparuit ac mœstam & plorantẽ affectuosissime solatus est, quã Christus, vt discipulis suis resurrectionem suam annuntiaret, dignam duxit, quam demum Deus Opt. & Maximus miraculose in Gallias transuexit, cœlesti voce pauit ac Angelorũ ministerio subleuauit, suspicionib. tantũmodo incertis, coniecturisq; fragilibus, scortũ triobulare, olidi fornicis lupam profanã ac vulgare submenianum existimem? Proinde quam inexpiabile scelus incurrant, qui suæ pertinacię innixi, ab nostra tam pia & longe credibili opinione dissentiunt, ipsi viderint, præcipue cum, vt homines, falli ac decipi possint. Ego vero si in re tam clara, longe libentius errο, quam si aliquid astruerem, quod tamen minus probare valerem: *præcipue cum in re dubia, semper & vbiq; tutior magisq; pia sit via eligenda ac amplectenda.*

Tu vero sanctissima ac Deo acceptissima Maria Magdalena, si ab exili ingenio famuli tui indigni, laudibus, honori ac meritis tuis, debitum seu congruum quid profectum seu depromptum est, id omne gratum & acceptum habere velis. Interim cordis mei affectu precor, & oro, tandemque fauere ac auxilium præstare velis, vt ab mundanis ærumnis ac fragili mortalitate solutus, cum Christo Deo, tecumque patrona sanctissima in æternum viuere ac gaudere valeam. Annuat his, qui in gloria sempiterna regnat, ac in perpetuum dominatur, Amen.

ADMO-

ADMONITIO EDITORIS AD LECTOREM.

Ne quem hic Epilogus offendat, continens προσφώνησιν ad Diuam Mariam Magdalenam', is sciat, similes compellationes oratorias defunctorum piorum hominum etiam apud veteres vtriusq; Ecclesiæ Doctores extare, vt Greg. Nazianzenum, & alios, quos hic imitari voluit Bilibaldus, quem in illorum lectione versatissimum fuisse constat.

BILIBALDVS PIRCKEIMER COCLITI SVO S. D.

TVà me ne require, cur falcem in messem alienam miserim, ne parum proprias contra nos vespas illas irrites: sed quietus perlege, & si quid displicet, penitus dele. Nosti enim, colores Rhetoricos in litteris sacris non ita vt prophanis, nostris placere hominibus. Sed valeant: Quis enim prohibere poterit, ne in re tam pia ingenium exerceam, cum inuitus quotidie apud vulgus imperitum quoque declamare cogar. Vale.

PRISCORVM NVMISMATVM AD NVRENBERGENSIS MONETÆ VALOREM FACTA ÆSTIMATIO, AVTORE BILIBALDO PIRCKEIMERO patricio Nurenbergensi &c. opus posthumum.

IOANNI GVLIELMO A LAVBEMBERG, NOBILITATE ET DOCTRINA VIRO CLARISSIMO, ANDR. RVTTELLIVS S. D.

QVum tu nuper Tubingam veniens, me perquam humaniter ædibus meis visitares, Gulielme nobilis, atq; mea quæ habeo, veterum perlustrares numismata, memori adhuc mente teneo, nos aliis confabulationibus dimissis eo tandem etiam proiectos, vt & de vale ac æstimatione eorundem ad nostram monetam, cõmentaremur. Verum hinc inde confertis opinionibus, id nobis quod & aliis accidit, vt scilicet incerti & dubii nostræ sententiæ penitus fere diffideremus. Neq; tamen id immerito cum priscorum numerorum explicandi ratio, hactenus vel doctissimis etiam viris molesta fuerit, Esse tamen aliquot scio, qui hoc negotium haud infeliciter susceperit peragendum, inter quos haud postremus est magnus ille Bilibaldus Pirckeimerus patritius Nurembergen. clarissi. qui præter eius summam doctrinam, insignem eloquẽtiam, omnium deniq; rerum experientiam haud parnam venerandæ quoq; antiquitatis studium amplexus est, ac huius amoris ergo totam hyemem hoc tempore, quo ego eius per quinquennium amanuensis fui, exploranda veteris monetæ impendit labore, omnia siquidem numismata, aurea & argentea, item ærea, quorum omnium magnum acerum habuit, & ea etiam quæ apud alios deprehendere potuit, exactissime singula ad libellam apposset, cum Nurembergensium tandem monetę contulit valore, vt autem antiquitatis studiosi, hac sua diligentissima opera neutiquam fraudarentur, ac ipse sibiipsi vixisse argueretur, haud dedignatus est compendio quodam perscribere, vt vel aliis etiam, ad quos aliquãdo perueniret, studium huiuscemodi rei indagandę adderet. Sed quum morte præuentus, pietatem singularem, quam in adiuuandis studiis habuit, præstare non posslit, & ego vnicus ab eo libellum hunc & habeam ac verissime descripserim, consultum mihi visum fuit, vt ego eius nomine officium hoc studiosis & antiquitatis cultoribus, exhiberem. Siquidem ipsum etiam neminem cælaturum fuisse sciam, sed maiora potius exhibiturum, vbi superuixisset, vt qui studiis prouehendis natus. Quare hunc suum laborẽ libello hoc, licet paruo, pro paruitate tamen sua vtilissimo contentum, vt commodatior fuerit, tuo auspicio publicandum censui. Meretur hoc summũ atq; adeo honestimum antiquitatis studiũ, quod tu vel inter mille vnus vnice, & cum magno sumptu amplecti & excolere soles, deserturus nunquã vel ad aras vsque. Meretur & summa humanitas tua, qua me ita prosequeris, vt qui maxime. Porro quia aliorum doctorum virorum studium atq; laborem hac in re etiã existare sciam vnum atq; alterum libellum quem consimili materia, vt dicitur, ediderunt, hunc Bilibaldo libuit reddere, ne minimum quidẽ illis præcipere volens. Non enim dubito, quia negotium hoc complurium iudicio collatum, clarius atq; facilius explicetur. Sunt autẽ quæ addimus D. And. Alciati, Philippi Melanchtonis, item & Budæi, pari paruitate, nec minori vtilitate cõscripti libelli. Interim tu paruũ hũc Bilibaldi benigno aio susceipe, vel venerãdæ antiquitatis amore, cui ille haud inter postremos impiger adfuit patronus. Admodũ difficile est, priscã monetã tã auri q̃ argẽti cũ auro & argento seu moneta huius tẽporis cõcordare, maxime ob auri & argẽti valorẽ, q̃ assidue variatur, idq; monetariorũ culpa qb. passim licẽtia cudẽdę pmittitur pecunię. Hi siqdẽ quotidie aliqd tã de auri ac argenti puritate. q̃ põdere detrahũt,

præcipue belli tempore,& principibus conniuentibus. Hinc accidit,vt ſemper pretium auri & argenti augeatur,monetarii enim quum licentiam habeant monetam adulterandi, non multum de pretii curant augmento,quum detrimentum illud abunde adulterando ſupplere valeant. Mercatores etiam quoties monetarios ob neceſſitatem aliquam emendi cupidos cernunt, aſſidue pretium augent. Verum damnum illud in vulgi, tandem etiam dominorum recidit caput,quum redditus & vectigalia illorum ſemper viliori ſoluantur pecunia. Sed præſens lucrum licet puſillum,magno futuro præfertur damno,non ſine ingenti regnorum,prouinciarum ac populorum detrimento. Hinc eſt quod aureus vngaricus, ſecundū quem & communiter & aliud regulatur aurum, in maximum aſcendit pretium. Nam noſtra memoria, tres aurei vngarici, quatuor valebant aureos Rhenenſes,& aliquando etiam minus. Verum etiam hoc æuo longe pretium hoc acceſſerunt. Proinde vt ad æſtimationem veteris monetæ,quātum poſſibile pertingamus, imprimis neceſſe eſt auri & argenti rationem,nec non pretium illorum hoc tempore conſiderare,ita enim quam propinque ad veritatem accedere poterimus. Hoc igitur anno id eſt 1528. auri puri marcha Nurembergenſis ponderis,hoc eſt viginti quatuor charatorum aureos valebat Rhenenſes nonaginta tres. Licet in hac arte periti negent,aurum ad viginti quatuor charatos decoqui poſſe. Sufficit tamen,vt de puro, quantum poſſibile eſt,intelligamus auro.

Aurum autem vngaricum , valebat marcha, hoc eſt, vnciæ octo, aureos Rhenenſes octoginta nouem, & aliquid plus. Contineret autem aurum vngaricum, vel continere deberet charatos viginti tres.

Aurum vero Rhenenſe charatos quod continet decem & octo, & ſic, niſi tres partes auri puri, aureos valebat Rhenenſes ſeptuaginta & parum plus. Ex marcha auri Rhenenſis aurifabri non faciunt aureos ſeptuaginta,quemadmodum deberent,ſed ſeptuaginta tres & aliquando plus,& quidquid excedit,computant pro opera,ita fit etiam in aureis Hungaricis.

Argentum patrum memoria,valuit marcham,hoc eſt vncias octo Rhenenſes ſeptem, deinde ad octo aſcendit,verum hoc tempore valet Rhenenſes octo cum dimidio & aliquanto plus(Rhenenſes dico aureos,non monetam) non nunquam vero aliquantulum minus. Sed hoc intelligendum de puro , quod ſubinde in moneta adulteratur. Facit autem marcha cum dimidia libram vnam Romanam vnciarum duodecim. Si igitur aurum purum cum argento comparetur puro,conueniunt ferme vndecim partes argenti cum parte vna auri. Licet antiqui communiter decem partes argenti pro vna parte auri computauerint.

Aureus igitur Hungaricus,qui admodum cum veteri auro conuenit,quantum ad puritatem pertinet,pondus habet drachmæ vnius, illius ponderis quo argentum Nurembergæ venditur. Nam eodem pondere aurum & argentum ponderatur. Valet autem hoc tempore aureus Hungaricus auteum Rhenenſem vnum cum tertia vna & denariis viginti Nurenbergenſibus, computando Rhenenſem pro libris nouem monetæ.

Nunc videamus quomodo aurei Hungarici & Rhenenſes cum veteri concordent auro , quod & ipſum fere continet in bonitate ſcrupula viginti tria. Verum antequam id fiat , exactius auri rationem intelligere non eſt neceſſe. Igitur quemadmodum antiqui libram in duodecim diuiſerunt vncias,vnciam autem in drachmas octo, drachmam in ſcrupulos tres, ſcrupulum in obolos duos, obolum vero in ſiliquas tres , ita & nos ex modernorum facimus vſu , ac drachmam quoque ita diuidimus vt habeat ſcrupulos tres , moderni vocant. Say. ſcrupulus autem vt contineat charatos ſeptuaginta duos.

Hungarici igitur auri libra Romana vna , continet vncias duodecim, drachmas vero nonginta ſex. valet igitur Rhenenſes aureos tredecim cum dimidio.

Mina vero ſeu pondo habet drachmas centum,& ſic vnciam dimidiam plus quam libra, & valet aureos Rhenenſes centumtriginta nouem , denarios ſedecim: vncia autem Hungarici auri Rhenenſes valet vndecim,denarios triginta tres.

At vncia dimidia eiuſdem auri Rhenenſes quinque cum dimidio,denarios ſedecim.

Drachma quæ eſt octaua pars vnciæ,& aureus Hungaricus,valet aureum Rhenenſem vnum, libras tres cum dimidia,denarium vnum.

Scrupulus valet libras quatuor,denarios quinque.

Granum autem Hungarici aurei, valet denarios Nurembergen.quinque.

Sane ne hoc prætereundum,quod charatus in auro dupliciter conſideratur, hoc eſt,tam in iudicatura quam in pondere,nempe vt aurum purum contineat charatos viginti quatuor , vel circiter, inſuper vt per charatos etiam ponderetur,ita tamen,vt quidquid de puritate decedat,ſubtrahatur à valore.

Nunc vero aureorum antiquorum pondus conſiderabimus : & primo Græcorum , ex quibus plures appendi,vt pote Philippi,Alexandri,Pruſiæ,Mithridatis,Demetrii,& aliorum,qui omnes fere ex auro conſtabant Hungarico,hoc eſt, viginti trium charatorum, continebant autem in pondere fere omnes pondus aureorum Hungaricorum duorum , hoc eſt drachmarum duarum Nurembergen.

bergen. & præterea ſcrupulum vnũ. Valet igitur vnus Rhenenſes tres, libras duas, denarios quinq;. Ceterũ triplices Alexandri Magni aureos repperi, ex primis ponderabat vnus aureos Vngaricos tres, alius Hungaricos duos cum ſcrupulo vno & dimidio, tertius vix dimidii Hungarici æquiparabat põdus, Præterea inter aureos Romanorum, non paruam deprehendi differentiam, nam & bonitate & pondere multum diſtabant. Etenim à Iulio Cæſare vſq; ad Veſpaſianum auri fere perdurabat bonitas, ſed inde paulatim deficere cœpit, quamuis etiam ſequentium Cæſarum aurei aliqui ex probo conſtent auro, vt plurimum tamen, quanto plus temporis effluxerat, tanto etiã magis auri puritas ac pondus minuebatur. Repperi igitur aureos, ſed pauciſſimos, qui fere eiuſdem ponderis erant, vt Græci, nempe drachmarum duarum cum ſcrupulo vno, & quod mirabar, vnum talem Aurelianum Cæſarem deprehendi. At reliqui etiam qui erant ponderoſiſſimi, duos aureos Hungaricos & grana duodecim non excedebant, vt plurimum tamen non plus quam grana ſex continebant. Inde recentiores, veluti Diocletiani & reliquorum, non plus quam aureum vnum Hungaricum ponderabant. Igitur ſi ii qui communiter drachmas duas cum granis quinque vel ſex ponderant, cum auro comparentur Rhenenſi, valebit vnus aureos Rhenenſ. tres vel circiter. Romanum itaque aureum pro tribus aureis Rhenenſibus æſtimamus, licet aliquid, ſed parum plus, valeat. Et hæc de auro dicta ſunt: nunc vero ad argentum tranſeamus.

Si argenti marcham pro aureis Rhenenſibus octo cum dimidio æſtimabimus, licet jam aliquanto carius vendatur, valebit libra Romana Rhenenſes duodecim cum quartis tribus. Verum id intelligi debet de argẽto puro, hoc eſt, cum marcha contineat in iudicatũ vncias octo. Verum nunquã ea bonitate argentum eſt, ſed ad ſummum, vt de puritate drachmæ binæ deeſſent, communiter tamẽ vt haberet marcha vncias ſeptem cum dimidia. Si igitur marcham vnciarum ſeptem cum dimidia æſtimare velimus, hoc eſt, vt ſemiuncia à perfecta deſit puritate, valebit marcha Rhenenſes octo & parum plus. Libra vero Romana, hoc eſt, drachmæ nonaginta ſex, Rhenenſes quaſi duodecim. Vncia vero valebat Rhenenſem dimidium. Drachma vero circiter denarios triginta tres, ſcrupulus denarios Nurembergenſes vndecim.

Græci denarii ponderoſiores ac magni, quos appendi, pentadrachmi erant, ponderabant enim drachmas quinq; & ita valebat vnus aureum Rhenenſem dimidium & denarios Nurenbergen. triginta tres. Erant, & aliqui tetradrachmi, hoc eſt, drachmarum quatuor, minores vero ponderabant drachmam vnam, ſcrupulum vnum, valebat ergo vnus denarios Nurembergen. quatuor. Inter Romanos vero denarios non paruã repperi differentiam. Nam antiquiſſimi quidam, maxime conſulũ, ad quatuor ſcrupulos, quemadmodum Græci adpropinquabant. Alii vero & præcipue Cæſarum non vltra drachmam ponderabant. Tertiis vero de drachma aliquid decedebat, & quemadmodum deficiebat in pondere, ita etiam longius ab argẽti aberant puritate, imo magna pars illorum erat adulterata. Si igitur drachmam vnam Nurembergenſem pro denario vno acceperimus, quemadmodum etiam pro maiori parte ponderant, & marcham pro vnciis ſeptem cum dimidia æſtimemus, valebit denarius argenteus Nurembergen. denarios triginta tres, & hac ratione octo denarii argentei facient quaſi Rhenenſem aureum vnum. Vndecim vero quaſi aureum Hungaricum. Et hoc patet quum nec aurum non argentum ad plenam accedat puritatem, quaſi vndecim partes argenti cum vna parte auri, concordabunt, & ſi aliquid decedit, hoc monetariorum fraus ademit. Ceterum nec hoc omittendum eſt. auri & argenti pondus multum ſecundum regiones variari, non ſecus ac libram, nam quod alicubi drachma eſt, id alibi ponderat quatuor ſcrupulos, & è conuerſo. Nos vero pondus illud ſecuti ſumus, quo Nurembergæ aurum ponderatur & argentum. Quum igitur denarius argenteus ex drachma conſtet, ponderis Nurembergenſium centum denarii, hoc eſt, mina vna ſeu pondo, valet Rhenenſes duodecim cum dimidio. Mille denarii, valebunt aureos, Rhenenſ. centum viginti quinque quaſi.

Seſtertii quatuor, vel numi qui erant ærei, valebant denarium vnum argenteum, & ſic Seſtertius valebat denarios Nurembergen. quaſi octo. Seſtertii centum valebant aureum vnum, ſed qui iuſti eſſet ponderis, Rhenenſes vero tres, denarios triginta tres.

Mille vero Seſtertii valebant Rhenenſes triginta vnum & quatuor quaſi.

Seſtertium vero maius in neutro genere, quod non in ære, ſed argento intelligi debet, minas duas argenti cum ſemiſſe continebat, hoc eſt, drachmas vel denarios ducentos quinquaginta. Valebat igitur Seſtertium, aureos Rhenenſes triginta vnum, quartam vnam, & parum plus. Seſtertium & Mille Seſtertii vnum & idem eſt, & valet, vt dictum eſt, Rhenenſ. triginta vnum & quartam quaſi. Decem Seſtertia, & decem milia Seſtertia numorum, vnum & idem eſt, & valet Rheneni. trecentos duodecim cum dimidio. Centũ Seſtertia valet Rhenenſiũ tria milia, centum viginti quinq;. Decies Seſtertium, decies centena milia Seſtertium ſignificat, & hæc ſumma centies maior eſt decẽ Seſtertiis, nã i-lẽ decies Seſtertium ϕ mille Seſtertiũ, valetq; Rhenenſes ſemel & triginta milia, ducẽtos quinquaginta. Centies Seſtertiũ deſignat centies centena milia Seſtertium numorum, & valet Rhenenſes trecẽtum & duodecim milia quingentos: Milies Seſtertiũ valet ſemel & trigeſies centũ, & viginti

& viginti quinque milia. Ex talentis autem licet multa extiterint, duo tamen præcipue in vsu fuere, talentum magnum Atticum, quod & Euboicum dictum est, & talentum Atticum minus. Talentum magnum Atticum seu Euboicum continebat minas octoginta, & valebat talentum magnum auri Rhenens. decem milia noningentos sexaginta quinque vel circa. Talentum vero magnum, seu Euboicum argenti, valebat Rhenensium mile vel criciter. Talentum Atticum minus, habebat minas sexaginta, & valebat talentum auri, Rhenenses quasi octo milia trecentos quadraginta quatuor. Talentum vero Atticum minus argenti valebat Rhenen. septingentos quinquaginta. Talentum Babylonicum habebat minas septuaginta. Talentum Æginetum continebat minas centum.

Ceterum vt etiam de ære dicamus, sciendum; vbi legimus milia æris grauis, ibi milia assium intelligere debemus. Et licet denarius vrgente Hannibale pro sedecim assibus permutatus sit, in militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus est. Valuit itaque Nurembergen. Denarios tres & paulo plus. Centum igitur asses decem faciebant denarios, hoc est, minam vnam, sicque valebant aureos Rhenenses duodecim cum dimidio.

Quadrantes quatuor valebant assem vnum. Sestans quadrante minor erat.

Vt igitur tursus & quasi à lare inchoemus; Denarius seu Drachma argenti valuit Denarios Nurenbergensium circiter triginta tres. Denarii centum, hoc est, mina vna seu pondo, valeat aureos Rhenens. duodecim cum dimidio. $12\frac{1}{2}$.

Mille Denarii, hoc est, decem pondo, valent Rhenensium centum viginti quinque fere. 125.

Sestertii quatuor, vel numi qui ærei erant, valebant denarium argenteum vnum. Sestertius valebat Denarios Nurenbergensium quasi octo. Sestertii centum valent aureum vnum Romanum, sed qui iusti esset ponderis: Rhenensium vero tres cum denariis triginta tribus, tribolos 33. Mille sestertii valent Rhenensium triginta vnum cum quarta quasi. $31\frac{1}{4}$.

Sestertium in neutro genere valet Rhenen. triginta vnum cum quarta fere. $31\frac{1}{4}$.

Sestertia decem valent Rhenen. trecentos duodecim cum dimidio. $312\frac{1}{2}$.

Sestertia centum valent Rhenen. milia tria centum viginti quinque. 3125.

Sestertia ducenta valent Rhenen. milia sex ducentum quinquaginta. 6250.

Sestertia quadraginta Rhenen. milia duodecim quingentos. 12500.

Sestertia quingenta Rhenen. quindecim milia sexcentum viginti quinque. 15625.

Sestertia sexcenta Rhenen. decem & octo milia septingentos quinquaginta. 18750.

Sestertia septingenta Rhenens. milia viginti & vnum octingentos septuaginta quinque. 21875.

Sestertia octingenta Rhenensium viginti quinque milia. 25000.

Sestertia noningenta Rhenensium viginti octo milia centum viginti quinque. 28125.

Sestertia mile Rhenensium triginta quatuor milia trecentum septuaginta quinque. 34375.

Decies Sestertium, id est mile Sestertia Rhenen. milia vnum & triginta ducentum quinquagin-
ta. 31250.

Duodecies Sestertium Rhenensium triginta sex milia septingentos quinquaginta. 76750.

Quindecies Sestertium Rhenensium quadraginta quinque milia noningenti septuaginta quin-
que. 45975.

Vicies Sestertium Rhenen. duo & sexaginta milia quingenti. 62500.

Quadragies Sestertium Rhenen. centum & viginti quinque milia. 125000.

Quinquagies Sestertium Rhenen. centum & quinquaginta sex milia ducenti quinquaginta.
156250.

Sexagies Sestertium Rhenensium centum & octoginta septem milia quingenti. 187500.

Centies Sestertium Rhenensium, trecenta & duodecim milia quingenti. 312500.

Quadringenties Sestertium Rhenen. duodecies centena & quinquaginta milia. 1250000.

Quingenties Sestertium Rhenensium quindecies centena & sexaginta duo milia quingenti.
1562500.

Milies Sestertium Rhenen. semel & trigesies centena, nec non viginti quinque milia quingenti.
3125000.

Libra auri Hungarici, quod idem est cum Romano auro, valet Rhenen. centum triginti tres cum
dimidio. $133\frac{1}{2}$.

Ar mina seu pondo Rhenen. centum triginta nouem, denarios sedecim, quia continet quatuor
drachmas plus quam libra. 139. 16.

Talentum magnum auri quod & Euboicum, valet Rhenen. decem milia noningentos sexaginta
quinque. 10965.

Talentum minus auri valet Rhenensium octo milia trecentum quadringenta quatuor.
8344.

Pondo argenti seu mina valet Rhenen. duodecim cum dimidio. $12\frac{1}{2}$.

Talentum magnum argenti valet Rhenenses mille. 1000.

Talenta

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [250] - 226
PUBLIC DOMAIN

Talentum minus argenti valet Rhenen. ſeptingentos quinquaginta.750.
Talenta quinque argenti minora Rhenen.tria milia ſeptingentos quinginta.3750.
Talenta decem Rhenenſ. ſeptem milia quingentos.7500.
Talenta quindecim Rhenenſium vndecim milia ducentum quinquaginta 11250.
Talenta viginti Rhenen. quindecim milia. 15000.
Talenta viginti quinque Rhenenſium decem & octo milia ſeptingenti quinquaginta quatuor. 18754.
Talenta triginta Rhenen. viginti duo milia quingenti. 22500.
Talenta quadraginta Rhenenſium triginta milia. 30000.
Talenta quinquaginta Rhenen. triginta ſeptem milia quingenti 37500.
Talenta centum Rhenenſium ſeptuaginta quinque milia.75000.
Talenta ducenta Rhenen.centum quinquaginta milia.150000.
Talenta quadringenta Rhenenſ. trecentum milia.300000.
Talenta quingenta Rhenenſ.trecentum ſeptuaginta quinque milia.375000.
Talenta mile Rhenenſ. ſeptingenta quinquaginta milia.750000.
Talenta duo milia Rhenenſium centies & quinquagies centena milia.1500000.
Talenta decem milia Rhenenſium. 7500000.
Siclus, Teſte Hieronymo & Ioſepho, quatuor drachmas argenti valebat: Græcis eſt Stater.

SVMPTVVM QVORVNDAM ÆSTIMATIO.

SIngula Perſica valebant Romanæ numos triginta, hoc eſt, libras Nurenbergen. tres, denarios nouem.

Par columbarum, quod vendebatur pro ducentis numis, faciebar aureos Rhenenſ. ſex & quartam. Si quatringentis, duodecim Rhenenſ. cum dimidio. Si pro mile numis, quemadmodum eximia vendebantur, valebant Rhenenſes tredecim & quartam.

Pauones ſinguli quinquaginta denariis vendebantur, hoc eſt, Rhenenſibus ſex & quarta.

Turdi tricibus vendebantur denariis.

Pediti Romano decem aſſes quotidie pro ſtipendio dabantur, hoc eſt, denarius vnus.

Pœna Camilli à populo indicta, quindecim milia grauis æris, id eſt, ſex milia mimum, valuit Rhenen. centum octoginta ſeptem cum dimidio. Prima claſſis cenſus à Seruio Tullio inſtituta fuit, quæ centum milia æris vel ſupra habuit, valuere autem Rhenen. mile ducentos quinquaginta.

Secunda claſſis fuit eorum qui habebant in cenſu ſeptuaginta quinque milia, hoc eſt, Rhenenſ. nongentos triginta ſeptem cumdimidio.

Annua centena, qua Veſpaſianus Latinis & Græcis rhetoribus conſtituit, aurei Rhenenſes fuere ter mille centum vinginti quinque.

Cœna Pompeio & Ciceroni à Lucullo in Apolline data, impendia quinquaginta milium valuit, Rhenen. mile quingentos viginti duos cum dimidio.

Mancipia communiter veniebant mille drachmis, hoc eſt, Rhenen. centum viginti quinque, pretioſiora vero mille quingentis drachmis, hoc eſt, Rhenen. centum octoginta ſeptem cum dimidio.

Serui Lectores vendebantur centum milibus numorum, hoc eſt, Rhenen. mile ducentis quinquaginta.

Coci, Paraſiti, & vinitores vendebantur Rhenen. ducentis quinquaginta duobus. Eodem pretio vendebantur & equi.

Captiui Romani ab Achæis redempti à Flaminio admoniti ſtatuerunt pretium pro capite denarios quingentos, hoc eſt, Rhenenſes ſexaginta duos cum dimidio.

Craſſi domus ſexagies ſeſtertio æſtimata, valuit Rhen. centum octoginta ſeptẽ milia quingentos.

Cicero vigeſies ſeſtertio habitauit, hoc eſt, Rhenen. 62500.

Pomponius Atticus Ciceroni è patria fugienti, ducenta quinquaginta ſeſtertia donauit, hoc eſt, Rhenen. ſeptem milia ſeptingentos duodecim. Caput Ciceronis ab Antonio decies ſeſtertium eſt licitatum, hoc eſt, Rhenen. triginta vnum milibus ducentis quinquaginta.

Virgilius pro ſingulis verſibus dena ab Octauio accepit ſeſtertia, hoc eſt, pro ſingulis verſib. Rhenen. trecentos duodecim cum dimidio, Virgilius poſſedit centies ſeſtertium, hoc eſt, Rhenen. trecenta & duodecim milia quingentos.

Cœnæ ab Auguſto taxatæ fuere ducentis ſeſtertiis, hoc eſt. Rhenen. ſex cum dimidio, diebus vero feſtis ſeſtertiis trecentum, hoc eſt, Rhen. nouem, lib. tribus, denariis nouem. Reportus vero, hoc eſt, poſtridie poſt nuptias ſeſtertius mille, id eſt, Rhenen. triginta vno & quarta. Tot Cæſar viritim populo legauit.

Bucephalus Alexandri ẽptus tredecim Talẽtis valebat Rhe. nouẽ milia ſeptingẽtos quinquaginta.

Speuſippi libri, ab Ariſtotele trib. empti Talentis, valuere Rhe. duo milia ducẽtos quinquaginta.

Libri Philolai à Platone empti valuere tredecim milia nongentos ſex.

Laidis

Laidis poſtulatio à Demoſthene pro concubitu, decem milia Denariorum fuere Rhenen. mile ducenti quinquaginta. Si vero centum petiit ſeſtertia, vt quidam voluit, fuit pretium Rhenenſ. tria milia centum vigingi quinque.

Equeſtris cenſus ſub Iulio quadringentis ſeſtertiis conſtitit, hoc eſt, Rhenenſ. duodecem milibus quingentis.

Auguſtus auxit cenſum ſenatorum à quadringentis ſeſtertiis ad ſeſtertia mile ducenta, hoc eſt Rhenenſ. triginta ſeptem milia ducentos ſeptuaginta quinque.

Iſocratis oratio viginti talentis vendita valuit Rhenenſ. quindecim milia. Eraſiſtratus ſanato rege Antiocho centum Talentis donatus eſt, hoc eſt, aureis Rhenenſ. ſeptuagintia quinque milibus.

Ariſtidis thebani pictoris tabula totidem æſtimata fuit.

Æs alienum Cæſaris, pro quo Craſſus ſpopondit, octingentorum & triginta talentorum fuit, hoc eſt aureorum Rhenenſ. bis & ſexagies centena & viginti quinque milia.

Cæſar quum in Hiſpania diceret bis milies & quingenties centena milia ſibi adeſſe oportere, vt nihil haberet, faciunt hæc 250000000. Rhenenſes.

Diuitiæ Craſſi talenta ducenta quinquaginta faciunt Rhenenſ. 4625000.

Cæſar Seruiliæ margaritam emit ſexagies ſeſtertium, hoc eſt, centum & octoginta ſeptem milia quingentis Rhenenſ.

Cleopatræ magarita valuit centies ſeſtertium, id eſt, Rhenenſ. trecenta & duodecim milia quingentos.

Appelles pictor Alexandrum viginti talentis auri pinxit, hoc eſt, Rhenenſ. 166880.

Mullus ſex milibus, ſcilicet, æris apud Iuuenalem emptus, facit Rhenenſ. centum octoginta ſeptem cum dimidio.

Coruus ab Auguſto viginti ſeſtertiis emptus, valuit Rhenenſes ſexcentos viginti quinque.

Demoſthenes quindecim talenta ex patris hæreditate accepit, hoc eſt, Rhenenſes vndecim milia ducentos quinquinginta, &c.

VIRI

VIRI ILLVSTRIS

BILIBALDI PIRCK-HEIMERI, CONSI-LIARII CÆSAREÆ MAIESTATS

EPISTOLICA.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [253] - -
PUBLIC DOMAIN

BILIBALDI PIRCKHEIMERI EPISTOLARVM DEDICATORIARVM LIBER VNVS.

EPISTOLA I.

PRÆFATIO IN PLVTARCHI LIBELLVM DE SERA NVMINIS VINDICTA, A SE LATINE FACTVM.

REVERENDÆ MATRI, CHARITATI PIRCKEIMERIN, Abbatiſſæ Virginum Seuerioris Diuæ Claræ Inſtituti Nurenbergæ Bilibaldus Pirckeimer Frater S.

NOn eo ſolum mihi Chara es, mea chariſſima Charitas, quoniam ſoror germana, eiſdem orta parentibus, arctiſſimo naturæ ac ſanguinis vinculo mihi aſtricta es, ſed quæ & præter vitæ inſtitutum laudabile tibi cum eruditione commercium eſt, bonarumq; diſciplinarum præcipuo teneris deſiderio. Sortita eſt familia noſtra vltra honores ſane, ac opes, (quibus iam diu floruit) præclaram hanc, bonitate diuina, gloriam, vt longa ſerie, non ſolum viris ornata fuerit eruditiſſimis, Chriſtianæque pietati arctius addictis, ſed & fœminis decorata religioſis, ac impenſe doctis. Nam vt virile decus, ac vetuſtiora præteream, quid amita noſtra magna, vrbs hæc, cultius, doctius, aut abſolutius vidit? quam tu indolis fœlicitate adeo examuſſim refers, vt plane ex diſciplina magiſtræ ſpecimen dignoſci queat. Ita rurſus exuperas, vt maiori laudi id illi, quam tibi ipſi ceſſiſſe videatur. Sunt hæc veræ virtutis bona, titulis omnibus caducis ſpecioſiora, non in marmore aut ære, ſed monumentis ſempiternæ gloriæ inciſa, opibus longe potiora, honoribus ſplendidiora, ac generis ſtemmate præſtantiora, reliquis deniq; cunctis extrariis, fluxis, & euanidis rebus firmiora, ſolidiora, ac ſtabiliora, vtpote, quæ non ſolum homines, in hoc mundano errantes & fluctuantes ſalo, ſecure ac intrepide ad ſummæ fœlicitatis, immortalitatisque portum percudere queant, ſed & aduerſitatibus humanis, calamitatibusq; cunctis, ſalubriter mederi valeant. Prudenter igitur Stoici Dei munus aſſerunt, quod viuimus: Philoſophi autem, quod bene viuimus. Nec mirum, cum nil maius aut præſtantius adeo hominibus datum ſit. Non de captioſa illa, & cauillatrice loquor, quæ nil aut parum ad bene beateq; viuendum confert, ſed de ea, quæ (vt Cicero inquit) animis medetur, inanes ſolicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, timoresq; omnes pellit. Ea igitur, ſuauiſſima ſoror, inſtructi & armati incommoda cuncta, dolores, calamitates, ac labores fortiter toleremus, maxime vero improborũ iniurias magnanimiter feramus (recte enim quid dicam tenes ac intelliges) ſiquidem nequeunt ſcelerati, iudicium dei, nec viui nec mortui effugere. Iupiter enim (vt Poetæ referunt) tandem expergiſcitur, *tarditatemq;* (vt ille ait) *ſupplicii pœna grauitate compenſat.* Quandoquidem impoſſibile eſt, perjurum & mendacem virum, vim conſequi ſtabilem ac perpetuam, verum etſi breuis fœlicitas illi contigit, tempore tamen (vt Demoſthenes ait) defluet, Proinde vt intelligeres, quid de numinis vindicta tardiore ſceleſtorumq; hominum animaduerſione lentiore, illi quoq; homines, in quibus non ſpiritus ſed carnis viguit imperium, litteris mandauerint, hunc Plutarchi (viri grauiſſimi ac doctiſſimi) libellum è Græco in latinum vtcunq; vertere, nominiq; tuo clariſſimo dicare volui. Cui enim potius meum deſudaret ingenium? Suſcipe igitur munus hoc carthaceum (ſi recte coniector) haud penitus ingratum, virtq; gentilis ſcripta diligentius reuolue. Id ſi feceris, cognoſces profecto, priſcos illos Philoſophos haud longe à veritatis alicuando aberraſſe tramite. Vale Soror præſtantiſſima, germanamq; communem Claram in litterario ſtudio currentem, benigne adiuua. Inane etenim ac vanum eſt omne mortale bonum.

Nobilis at virtus æterna in ſæcula durat.

Iterum vale, ex ædibus noſtris, Cal. Iunij, Anno Salutis M. D. XIII.

IN

IN SEX ORATIONES GREGORII NAZIANZENI LATINE REDDITAS PRÆFATIO.

BILIBALDVS PIRCKHEIMERVS REVERNDO PATRI Venzeslauo Linco, Sacræ Theologiæ Doctori, ac Austriacensium Vicario Dignissimo

S. D. II.

EN tibi Pater Reuerende, Diui Gregorii orationes, quas ni tantopere efflagitasses, diutius pressissem. Verum memineris, & iubentis & obsequentis periculum esse commune. Nosti enim quam moleste quidem ferunt, cum laicos, vt appellant, sancta manibus versare cernunt, tanquam committant piaculum, si Christianus Christiana tractare audeat. Accedit his Iurisconsultorum quorundam reprehensio, quoniam veneranda & fructifera legum majestate neglecta, ad sterilia hæc, & vt ipsi contendunt, inania diuertim studia, cum nec interim amici boni consultant, quod tot curas, cum publicas tum priuatas, & etiam literarum degrauem incommodo: vt obiter Criticorum contemnamus latratus. Adde quod hæc, non tam eruditis, quam sacris scripta sunt virginibus, nempe Caritati & Claræ sororibus meis suauissimis. Quapropter longe tutius fuisset, tacenda inuidiam effugere, quam sua sponte grassantem vltro irritare. Verum cum ita tibi videat, age contempto liuore, ratem procellis committamus, forsitan æquus lector, conatum nostrum laudabit, aut saltem non reprehendet. Ceterum de viri sanctitate, eruditione, ac eloquentia nil scribere attinet, cum omni æuo ob virtutes innumeras maior sit habitus, quam cui inuidia nocere posset humana. Hoc vero haud mihi prætereundum erit, longe me labore minori, imo fœlicius, ni fallor, Demosthenis orationes totidem vertere potuisse, quam vel vmbram quandam Gregorianæ assequi facundiæ, id verum esse experiet quicunque in eandem descenderit palestram. Nil igitur mirum, si quædam duriora, aut & etiam obscuriora videbunt, cum latinis non eadem liceant quæ græcis, & Autor ipse in lingua sua non tam multiplici verborum nouatione sit varius, quam sententiarum grauitate insignis. Qui si æmulis hæc nostra displicuerit, fingant me interim potasse, aut etiam nucibus lusisse; alius maiora ac splendidiora in Dei templum afferat, ego quod potui feci, non ignarus bonitatem diuinam, animum etiam, vbi vires deficiunt, paterne respicere. Bene Vale Pater obseruande, Nurenbergæ ex ædibus nostris, quarto No. Martii, Anno Salutis M. D. XXI.

EPIGRAMMA ENCOMIASTICON IN ORATIONES GREG. NAZIANZENI, LATINE A BILIbaldo Birckeimero redditas.

PRÆCLARISSIMO DOMINO BILIBALDO BIRCKHEImero, Patritio senatorique Norico, vtriusque linguæ viro peritissimo Osualdus Heloneseotes.

Quis te non merito, Vir præstantissime, laudet,
Atque tuum tollat nomen ad vsque Polum?
Qui semper latio Graios sermone Libellos,
Mutes, vnde quidem commoda multa fluant.
Nam reliquos vt ego taceam, quid clarius isthoc,
Propter Doctrinam possiet esse sacrum?
Hic etenim non verborum certamina vana,
Queis plerique solent se cruciare, docet.
Sed quo nos pacto Christum veneremus Iesum,
Eximia certe cum grauitate refert.
Hunc ideo Lector tranquilla fronte capessat,
Et grates tibi agat deinde labore tuo.
Denique summus vti tribuat tibi Iupiter, optet,
Tempora cum sano corpore Nestorea,
Quo tua non solum nobis præstantia, verum &
Olim venturis, vtilis esse queat, &c.

DEDICATIO LIBRI PLVTARCHI, QVOD NON OPORTEAT FOENERARI.

BILIBALDVS PIRCKEIMER NOBILI AC ERVDITISSIMO viro, Bernhardo Adelman de Adelmansfelden, Eyſtetenſis ac Auguſtanæ Eccleſiarum Canonico

S. D. III.

I Socratis eſt ſententia, vir clariſſime, decere filios, quemadmodum in ſubſtantia relicta, ita & in paterna ſuccedere amicitia, eam ſæpius reuoluens, ac mecum reputans, quo amore optimum quondam genitorem meum proſequutus fueris, non poſſum te quoque non amare, obſeruare, longeque vel precioſiſſima re aliqua hæreditaria chariorem æſtimare. Igitur cum nuper tanquam vſurariæ prauitatis hoſtis acerrimus efflagitaſſes, vt Plutarchi commentarium, de vitanda vſura, ex Græca in latinam verterem linguam, quamuis id mihi tot alioqui curis degrauato, cum ob authoris facundiam, tum ſententiarum grauitatem, difficilimum videretur, maluí tamen parendo temeritatis crimen ſubire, quam negando ingratitudinis vitio accuſari. Negotium itaque aggreſſus, eodem & quidem perpetuo ſpiritu abſoluti, tametſi mihi ipſi minus, at ſaltem deſiderio tuo ſatis feciſſe videar.

Quis enim lympidum ac purum Græcæ eloquentiæ liquorem, adeo fœliciter in vas alterum transfunderet, vt priſtinam ſinceritatem retinere exiſtimaretur, Ceterum quo fato accidiſſe dicam, vt vno eodemque tempore tuo iuſſu, fœneratorum fraudes coram doctis refricaret Senatus vero Nurenbergenſis ampliſſimi mandato, latronum ſcelera apud optimum Imperatorem accuſare coger. Atqui videte, ne perſonam Herculis & Cothurnos infanti aptaueritis, cum mihi res tam arduas demandaſtis ſeu (vt rectius dicam) flagitia tractanda commiſeritis, vix diſcernenda, vtrum illorum permitioſius, aut abominabiliius exiſtat, ille fraude & occulte nititur, hic vi & palam rem aggreditur, ille volentes tantum ſubigit, hic & repugnantes proſternunt, ille ſanguinem exugit, hic poſt cruorem vitam quoq; adimit. Et, o ſæcula, o mores, ille ob vſurarium emolumentum ignominia notatur. Hic præter furta cædes latrocinia palam gloriatur, ac non ſolum execrandæ prauitatis cõplices, ſed & receptatores, ac protectores, quos minime decer, inuenit. Ah infœlix & miſera Germania, quæ poſt abiectam feritatem, depoſitam barbariem Chriſti receptam fidem, adeo in latrocinii exercitatione perſeueras, vt rapacitatem præter omnium ius gentium, tanquam peculiare & inſigne ornamentum fortitudini attribuis. Quæ tamen abominanda ſcelera tu vir præſtantiſſime, nobili ortus ſanguine, Homerici Vliſſis inſtar, vt inferni portas execraris. Sed omiſſis tandem inutilibus lamentis, Plutarchum noſtrum rem ſuam agentem, & longe acriter vſurariam perniciem deteſtantem, audiamus, &c.

IN INTERPRETATIONEM DIALOGORVM PLATONIS, QVI INSCRIBVNTVR, AXIOCHVS, Eryxias, De Iuſto &c. & aliorum, Wilibaldo Birckeimero autore.

Præfatio.

NOBILI ET CLARISSIMO VIRO D. BERNHARDO Adelman de Adelmasfelden, &c. Bilibaldus Birckeimer

S. P. D. IV.

PArui tandem monitis tuis, Bernharde Clariſſime, ac me à graſſantis peſtis mortifera eripui ſæuitia, tardius forſitan, quam tu voluiſſes, citius tamen, quam mihi commodum foret, ob multiplices, cum publicas, tum curas priuatas. Neque enim me voluptas quædam aut ſegnities tam diu retinuit: minus vero temerarius aliquis mortis contemtus, ſed mera neceſſitas impedimento fuit, quo minus hucusque mihi fugæ conſulere quirem. Quis enim ſegnitiæ aut ignauiæ locus inter tam manifeſta eſſet pericula? quæ iucunditas inter tot gemitus, funera, & lachrymas? ſane etſi mortem non adeo timeam, ac plane ſciam, naturæ debitum mihi aliquando perſol-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [256] - 232
PUBLIC DOMAIN

persoluendum esse, non tamen ita me vitæ piget, vt fata sollicitare, ac vltro illis occurrere cupiam. Contuli autem me in pagum quendam nō minus terræ situ, quam cœli temperie salubrem, & quod potissimum hoc tempore est, non nihil à via publica & hominum contagione remotum. Eius dominus est Martinus Geuderus mihi affinis, cuius tu filios latinis & Græcis litteris eruditos Augustæ alias, quando vidisti, cum in Italiam discendi causa pergerent, & te nomine meo salutarent. Paret autem Martino, non solum vicus iste, sed magna etiam regionis eius pars ac villæ quam plurimæ: ingens præterea hominum multitudo tam mero quam mixto illius subest imperio. Distat vero à Nurēberga Boream versus miliariis tribus, quæ eques quispiam expeditus haud grauate horis tribus absoluere valet. Situs est in planicie diffusa, quæ tamen vndiq; collib. cingitur imminentibus, non asperis quidem, sed lętissimis & apricis, quique leniter in altum surgant, & se lætissime in apertos diffundāt campos, theatrum diceres affabre à rerum natura affictum, vnde regionis forma pulcherrima est, ac mira varietate exculta. Hic enim ceteris dona aruis albicant excultis ac spe non vana rusticos pascūt animos. Hinc segetes prata interserant virentia, vndiq; flosculis decorata vernantibus, odoremque spirantib. suauissimum: vnde & apum altrix est regio, quæ dulci susurro passim flores delibant & succo spoliant melliſero: Atqui nec hortorum deest honos, sed vbiq; terra fructiferas consita est arboribus, quæ pomis luxuriant redolentibus. Hæc omnia syluis, lucis ac nemoribus cinguntur opacissimis, hinc mira varietas, aspectusq; lætissimus. Quocunq; enim oculos flectis, omnia florent, omnia rident, ita vt non solum visus tam iucundo oblectetur spectaculo, sed & animus mire exhilaretur. Vinetis ager caret: sed damnum hoc haud paruis rependet commodis. Nam vltra soli fertilitatem syluam præstat cæduam, & pascendo pecori est aptissimus. Manantibus præterea ac perennibus vndiq; irrigatur fontibus, qui passim scatebris efferuescunt gelidissimis, non tam irrigandis pratis apti, quam stagnis & viuariis pisculentis commodissimi. Passim enim per collium decliuia cacumina, in mediaq; vici commiscentur, planicie fluuiolumq; generant limpidissimū ac pisculētū, qui per vallis cōcauitatē occasum versus blādissimo labitur murmure, ac fluore suo lacus & piscinas abūde replet. Hinc montium afflatus dulcissimi, auraq; placidissima, nunquam non caloris ardorē sua refrigerans temperie. Quapropter etim lætę ibi herbę proueniūt, odoriferę pleræq; ac sanandis morbis aptissimæ, uoq; sedilia saxo, nunc ferme exesa, superne patulis arboribus ac serpentibus tegitur hederis: inferne vero iuxta hostiolum fons ebullit gelidissimus, pariter & suauissimus, ita vt non minus ob virentem & muscosam opacitatem quā scaturiginem vndosam oblectari possis: hyeme tepidum est, frigidissimum æstate, ac plane tale, quale Apollinis & Musarum antrum esse ferunt. Nam & inter virgulta lætissima & vepres condensos, omne auium consociatur genus, & dulci & garrulo concentu lenes autas demulcere nunquam cessat. Præcipue tamen Philomela canora querelas repetit solitas, ac Itim suum voce deflet suauiplora. Narrant incolæ, specum hanc Heremitarum olim fuisse habitaculum, qui Dei inclusi amore carnem affligebant: propriam: nunc vacua, ac pastorum tantum ob cœli iniuriam tutissimum est refugium. Porro in colle altiore, qui ad arctum tendit, arx eminet insignis, lapide structa quadrato, ac variis exornata ædificiis, fossa insuper & propugnaculis egregie munita, ex qua vndiq; prospectus ita patet, vt vniuersa regio oculorum subiiciatur obtutui. In ea fons ebullit limpidissimus, fistulis ligneis per tractū longissimum ex monte inductus aduerso ita librata aqua, vt cum à summo ad imum delapsa sit, cursus se in altum tollat, ac per aduersi collis subrepat fastigia, adeo larga, vt non solum in vsum sufficiat humanum, sed etiam arcis fossas abunde repleat, ac inde in piscinas exoneret subiectas, tam gelida vero vt si in diebus æstiuis manus intingere tentet, vim frigoris immensam nec paruo tempore sustinere queat.

Exappositio autem arcis & austrum versus, templum surgit, non parum decorum, late fossis & illud, sectoq; circumdatum lapide, vt non solum paganis ipsis, sed & armentis ac gregibus tutissimum sit refugium, quotiescunque prædatoria manus aut vis maior aliquando ingruerit, quā cui facile resisti possit. Siquidem ea regionis est conditio, vt frequenter latronum obnoxia sit incursibus. Inter arcem itaq; & Ecclesiæ munimenta pagus situs est, ita, vt vtrinq; tormentorum iactu haud difficulter protegi possit, olim celebrior erat, ac ne nunc quidem infrequens est, licet proximis his incendio fit absumtus, primum igne fortuito, ac vix restauratus iterum belli conflagrant iniuria. Cōfluunt ad locum hunc homines è villis propinquis cum lauandi causa (nam balneum habet publicum) tum orandi gratia, potissimum diebus festis, tum enim sacris intersunt ac verbi diuini audiunt præconium. Iis peractis genio indulgent, & alii se in tabernis potatione oblectant, alii orbe ligneo pyramidum subuertunt. Nam aleæ lusus permissus non est. Qui vero ætate adhuc possent, iuuenes simul & puellæ choreas celebrant & tripudia iucunda, ad tibiæque cantum identidem pedes mouent. Hæc omnia ex summa arce contueri licet. Sed quid dico de iudicris? cum etiam hinnulorum & leporum venatio, nec non viuariorum & arcis fossarum piscatio plane oculis nostris subiiciatur. His

enim frequenter se mei exercent, & nunc saltus retibus cingunt: nunc canum indagine feras è lustris excitant, ac molossorum pernicitate insequuntur. Apros vero non solum venabulis consciunt, sed fossis etiam fallunt occultis, quibus pariter & lupis insidiantur rapacibus: solum ab vrsorum feritate & libenter quidem se condemni patiuntur: qui tamen rari, & incolæ non sunt, sed mellis dulcedine, cuius ingens eo loci est copia, allecti, è remotioribus aduentant syluis, euerisque aluearijs, & apum satiati labore, mox fugientes retro abeunt improbi. Volucrum autem genus non solum area, illecebris, laqueis & retibus insectantur, sed etiam decipulis fallunt, quas in eum vsum vndique per syluas vltra ducentas habent paratas. Verum non solum iis alites capiunt, sed & lepores, nec non mustelas, & quas matires vocant, ac sciuros; perdices in super & his ne gustu inferiores, nec forma præter rostri enormitatem dissimiles, rostratas. Ego autem raro ex arce præterquam ad Ecclesiam prodeo, tumque equester, non quod rubri montis illius vicinitatem timeam (permiliare enim distat) sed quia male pedatus sum, vt nosti, & tot alioqui spectaculis abunde oblectari possim, mane itaque post adorationem diuinam, ab alto non sine voluptate balantes oues ad pascua binis festinantes gregibus inspicio. Præcedunt has vastæ magnitudinis molossi propter luporum insidias armillati pariter & subsequuntur, nec vnquam fidam deserunt custodiam, horum vestigijs cornigera hærent armenta, demum setigera sequuntur agmina, nunquam non subulcis reluctantia, & turmatim hinc inde discurrentia. His peractis lectioni ad multam diei incumbo partem maxime Platonicæ; idque diligentius quã vnquã antea, vtpote à negotiorum mole solutus & liber. Inde prandeo, mox visum recreo, historias lego, aut ætiora quædam ago, interdum Musicæ indulgeo vel ad me scribentibus, quorum ingens est numerus, respondeo. Nonnunquam amici, qui & ipsi ad proximas confugere villas, cum vxoribus pariter & filiis salutandi ad me concedunt gratia: quos in tanta piscium & carnium abundantia, vel lautissime accipere valeo, aliquando & Affinis ipse me visitat: sed raro. Nam quia Triumuirum agit, haud dit ab vrbe abesse potest. Soror frequentior aduenit. Filiæ vero ambæ permissu meo maritos secutæ sunt, Augustam, vt nosti, vna: ad Misnenses alia. Quod si amici desunt, villicos ad prandium voco; præcipue diebus festis, tumque cum illis de terræ cultu, & rerum natura differo, quin & vniuersam paganorum multitudinem conuitio interdum excipio, cum vxoribus pariter, puerisque, innuptisque puellis. Post hæc irerum libros in manus resumo, sacros nonnunquam, gentilium sæpe, ac præcipue eos, qui de moribus aut naturæ scribunt maiestate, ita vt ad multam vigilem noctem, quod si cœlum serenum est, instrumentis astrologicis errantium stellarum obseruo cursum. Tres enim superiores, nocte iam, in nostro lucent hemisphærio. Demum semper incœnatus cubitum concedo.

Habes Bernharde optime, secessum ac vitæ pariter, nec non studiorum meorum rationem, verbosius forsitan quam sit pretium operæ. Verum quid aliud agerem, tam ociosus, & ab indesinentibus negotiis & curis aliquantisper liberatus? Quod si tibi scribere vellem, quam me libertas ista oblecter, quã solitaria arrideat vita, quã fortunati mihi videantur agricolæ, si bona sua norint, longissimam cogerer orditi cantilenam. Sed modus sit rebus. Ceterum ne me legendo & verbis solum, sed etiam scribendo, & re ipsa operosum esse videas, mitto ad te Platonis dialogos quosdam, à me in secessu isto versos, qui tametsi nothi putentur, nec vbique stylus venustate, vel sententiarum felicitate Platonicæ respondeant maiestati, non tamen vsque quaque indigni existunt, quin legantur. Nam arguti plerunque sunt, & figurati, nec non grauitate sua haud parum decori. Porro etsi non ignorabam, Axiochum olim à Marsilio Ficino, viro optime de Platone merito, ac æterna memoria digno, nec non ab Agricola Germano, eoque eruditissimo, versum esse, quia tamen exemplaribus illis tum carebam, ac reliquos iam vertissem, volui & in illo periculum facere, Clitiphonem autem à Ficino esse trãslatum, tum penitus nesciebam, sed id demum illo absoluto, ac cum reliquos Platonis reuoluerem libros, intellexi, nec me post collationem laboris pœnituit. Sed illud tuum esto iudicium. Quod si quædam reperias, quæ minus tibi arrideant, ruralia hæc esse memineris, ac multum inter vrbanam & rusticam interesse Musam. Quin & exemplaris deprauatio in locis quibusdam, me hallucinari coegit: quod etiam bono illi Ficino aliquando contigisse video. Bene vale Berharde præstantissime, & me, vt facis, amare non desine. Ex secessu nostro Neopagano. Cal. Septembris Anno Salutis nostræ M. D. XXL

PRÆFA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [258] - 234
PUBLIC DOMAIN

PRÆFATIO IN DIALOGVM LVCIANI, CVI TITVLVS, NAVIS, SEV VOTA.

CLARISSIMO VIRO HVLDERICHO VARENPHVLER

Cæsarei regiminis Cancellario dignissimo, Bilibaldus Pirckheimerus

S. D. V.

ACcipe Holderice amantissime, nugatoris Luciani fabulas ridiculosas, non absimilis illis, quas nobis communis amicus noster Albertus Durer nuper referebat, dum ex ædibus nostris bellica intueremur spectacula, ac omnia tubis, armis, clamore & hastarum perstreperent fragore, iis enim quandoque, non secus ac suauissimo alicui somnio ita inuolui dicebat, vt si res ipsæ cogitationibus responderent, vel beatissimus videri posset, atqui haud ignoramus, talia non solum Alberto nostro euenire, sed perpaucos esse homines, qui non interdum vanis cogitationib. ita agantur transuerse, vt verissimum Satyrici illud experiantur. O curas hominum, ô quantum est rebus inane. Sed voluit forsitan rerum natura, ita mortalium solari animos, vt quod reipsa denegauerat, vanis saltē expleret imaginationibus, ita vt infœlicissimus quisq;, semetipsum quoties vellet consolari & oblectare, nec non opib. regiis & summis deliciis licet inaniter frui posset, quæ cuncta Lucianus, vitæ humanæ censor, seu mauis irrisor acerrimus, minime ignorauit, ita enim vanitatum vanitates ob oculos ponit, vt non minus irridendo sit iucundus, quam admonendo præstabilis, proinde quum sales illius potissimum nostris conueniant sermonibus tempusq; perbelle quadrare videatur, volui & ipse aliquantisper à negotiis solutus, in illo vertendo ineptus esse, ne solus in communi lætitia sapere censerer. Quo pacto enim horas perituras melius collocare potuissem à quā vt tibi risum mouerem, pariterq; testarer amorem nostrum iam diu inueteratum, nequaquam mihi animo excidisse. Ceterum cur sese aures operepretium non defuturum existimaui, si & ego periculum facerem, num forsitan ceptum fœlicius mihi quam prioribus succederet interpretibus. Etenim cum duo (quantum scio) extiterint, qui librum hunc vertere sunt ausi, Iacobus nempe Florentinus & Ioannes Berenherus conterraneus noster. Italus tamen, licet græca aliquantulum calluisse videri possit, disciplinas tamen Mathematicas ita ignorauit, vt plerunque nec semetipsum intellexerit. Germanus vero, tametsi in Mathesi admodum excellucrit, in græcis tamen adeo aliquando hallucinatus est, vt rebus potius caliginem obruderit, quam luminis aliquid attulerit. Ego vero, quamuis de eruditione mea, tam Græca, quam Mathematica non admodum gloriari possim, aut debeam, nullius tamen viri boni ac docti iudicium in hac mea translatione formido, cum astipulante veritate affirmare ausim, illam & prioribus dilucidiorem, & magis ad Ptolomæi accedere mentem. Qua in re vel vnicus testis Iohannes nempe de Regio monte, omnium Mathematicorum nostræ ætatis facile princeps mihi sufficiet, cuius authoritatem in plerisque me secutum esse, adeo non dissimulo, vt etiam fragmenta adnotationum eius, quæ penes neminem, præterquam me fuere, his meis lucubrationibus adiungi voluerim. Quamuis eruditius quisque potius mirari possit, quur non longe plura notarit, quam quod tam pauca perstrinxerit, quod ij demum intelligent, qui nostra cum Græcis aut aliorum collaturi sunt editione. Sane si maledoctus quispiam, aut inuidus labori huic meo obgannire ausus fuerit, ille sciat, me tot iam annis, & in publicis, & in priuatis attritum esse negotiis, vt non solum improborum maledicta & calumnias non vereri, sed & magnanimiter contemnere didicerim. Saltem hanc (vt spero) in negotio hoc euitabo sycophantiam, ne Roma (vt antea mihi accidit) ad dicendū fidei & Euangelij causam euocer, à viris merito laudandis, si tam idonei erunt, ad restringendum immane hocabeis per Germaniam conflatum incendium, quemadmodū antea fuerunt strenui, ad suscirandum. Quin nec mea refert si quibusdā leuiora quā existimatio mea aut legalis admittat mihi

quum ſacras quoque tractarem litteras, ſed longe etiam clariſſimis obiectum eſſe viris ſcio, cui enim parceret inuidia? Verum cum nec gloriam, cuius iam me tenet ſatietas, venari cupiam, nec diuitias, (quas mihi alioqui diuina benignitas vel abunde conceſſit) quæram, nullum mihi ſtudium vile erit, dummodo ſit honeſtum. Patiantur igitur ſuaues illi viri animo me aliquantulum meo morem gere-re, meiſque non penitus aſpernandis perfrui delitiis, cum nec ego multiuariis eorum inuidiam volu-ptatibus, forſitan ita fata tulere mea, vt tum alius aliis indulget oblectamẽtis; ego interim, tanquam plane à negotiis feriatus, in piſtrino me torqueam litterario, non ſine bonæ valetudinis diſpendio, amicorum obiurgatione, vulgi denique riſu & ſubſannatione, à qua nec olim militum meorum ab-ſtinuit petulantia, cum me in caſtris nonnunquam libellos manibus tenere, ac inter bellicum furo-rem lectioni operam impendere viderent. Perſuaſum enim habent Germani, litteris animum effe-minari virilem, nequaquam manu ſtrenuum pariter & eruditione clarum eſſe poſſe. Sed rideat quiſque vt lubet, meumque tam ambitionis, quam lucri ſubſannet contemptum, dummodo & mi-hi ſtudia honeſta, nullique viro bono culpanda tractare liceat, quin vt magis mihi illudant æmuli, ſciant, nihil æque me poſt ſacras litteras ac Mathematicas oblectare diſciplinas, ſine quibus omnis Philoſophia, præcipue vero Platonica manca eſt, etiamſi illis longe adhuc abiectiores & inertiores viderentur. Non deerunt forſitan, qui mihi ob hanc nauatam operam bene precentur, præcipue iſ, qui haud difficulter intelligent, quantum mihi in ea laboris exhauſtum, quantumque tedij deuora-tum fuerit, teſtabor & obiter me inter viuos aliquando egiſſe. Proinde cum nihil in rebus humanis adeo perfectum & abſolutum exiſtat, vt omni careat menda, ac reprehenſione, nec me lateat pleraq; in hoc opere ita deprauata eſſe, vt haudquaquam vnico reſtitui poſſint momento, vnumquemque ſyncerum & in Mathematicis eruditum ac exercitatum (nam alias manum ne admoueat) hortor & obſecro virum, vt ſi quid vel ob exemplariorum vitium ſeu interpretis incuriam, aut ſcriptoris oſci-tationem, authoris menti parum reſpondeat, rationibusve quadret mathematicis, candide illud e-mendet, ac benigne corrigat. Etenim palam cernere eſt, non ſolum græca, ſed & latina ex diametro fere inter ſe diſcrepare exemplaria, præcipue vero in cõputatione numerorum, vbi ego fidem meam haud quaquam interpono, quum toties vitiantur, quoties ab indiligenti deſcribuntur notario, nec mirum, cum græca hæc elementa. ϝ. ϛ. ϡ. S. eam inuicem referant ſimilitudinem, vt plerumque aliud pro alio ſubſtituatur, ac ideo vbi ternarius legi deberet, ibi ſenarium aut ſextantem adnotatum in-uenies, & è conuerſo. Quin ſi ob ſcriptoris negligentiam nulla. ϝ. nota addita fuerit, iam pro tertiis duabus, vnicam ſolum intelliges. Talia itaque cum multa paſſim occurrant, peculiarem tamen in libro octauo locum ſibi vendicarunt: ibi enim plus quam in quadragintis locis, non diei longitudo, non locorum à meridiano Alexandrino diſtantia, non ſolis tranſitus verticalis, cum veritate conue-niebat, adeo, vt impoſſibile mihi fuiſſet, tot reparare mendas, ni omnino relectis exemplaribus, ad veras & Mathematicas confugiſſem rationes. Nec mirum ſi ob numerorum inuerſionem tot error-res in prophanas irrepſere litteras, quum nec ſacræ remanſerint incontaminatæ. Quod enim apud Marcum legitur Euangeliſtam, Saluatorem noſtrum hora tertia affixum cruci fuiſſe, apud tres vero reliquos hora ſexta, ob nullam aliam accidit cauſam, quam quod ſub initium ſcriptor parum dili-gens, pro nota ϝ. interpoſuit ϝ. quod cum in tanta numerorum contigerit varietate, quid de libro-rum illorum cenſendum erit certitudine? Vbi cuncta non nili numeris tranſiguntur. Porro quan-tum temporis & laboris in ſola annullari cum orbe ſphæra mihi inſumptum ſit, nemo nouit, niſi, qui & ipſe in ſimilibus periculum fecit, ibi enim non ſolum numeri, ſed & litterarum notæ, linea-rum deductiones, omnia denique adeo deprauata ac inuerſa erant, vt penitus inter ſe diſſiderent, ac pugnarent, planeq; coniectore aliquo indigerent. Verum ni fallor, ita reſtituta ſunt ſingula, vt non minus autoris menti, quam rationibus quadrent Mathematicis. Sane nec hoc ſilentio prætereun-dum, quod cuncta terra græca quam latina, quæ mihi obtigere exemplaria, non nihil in diſtantia pa-rallelorum à circulo variant æquinoctiali. Ceterum ego eum ſecutꝰ ſum numerum, qui ἐκ τῶν παρ' ἡμῖν ἀστρολόγων (vt Ptolomæi verbis vtar) verior exiſtit, licet ſi quis nos imitatus per mathe-maticas demonſtrationes, aut rationes calculi, parallelorum, noſtro tempore diſtantiam à maxima Solis declinatione, quæ partium 23. ſcrupulorumque 29. eſſe cenſetur, ſumere velit, non paruam à priſca illa, quæ Ptolomæi ætate partium fuit, 23. ſcrupulorum vero 50. varietatem deprehendet, ob Eclyptice forſitan octaui circuli motu. Hæc ideo retuli, vt Geographiæ ſtudioſis cogitandi & inqui-rendi occaſionem ſuggerem, qui etiam ex Ptolomæi inſtitutione loca, quæ noſtro ævo exactiori cu-ra & diligentia obſeruata ſunt, induſtria ſua emendare curabunt, id ſi fiet, breui Ptolomæi noſtri maieſtatem ad priſtinum ſuum nitorem reſtitutum iri confido. Ego quidem ſi Deus permiſerit, no-uas aliquando tabulas edere conſtitui, meridianis æque diſtantibus, vt Ptolomæus iubet, & haud quaquam inclinatis, quo longitudo recte ex vtraque tabulæ extremitate, cum latitudine cõueniat, conſeruabitur & certa parallelorum ratio, non ſolum cum meridianis, ſed in vera quoque ab æqui-noctiali diſtantia, ac quantitate diei, iis locis pro fundamento poſitis, quæ noſtro etiam tempore diligentiori obſeruatione ſunt rectificata, quum haud quaquã ſit obſcurum, quod non quadret hæc noſtra ætate, in locis pleriſque, maxime Danubianis, Ptolomæi conſideratio, tametſi non deſit, quod illum

illum possit ab errore & negligentia excusare, quod si aliter superis visum fuerit, non deerunt tamen, qui his nostris insistentes vestigiis, ea quæ inuida nobis denegarunt fata, euentu absoluent fœliciori. Ceterum vt tandem ad te Princeps Illustris reuertar (nam in Geographiæ nunc laudibus per se claris versari nil attinet) hunc laborem meum nemini potius quam Amplitudini tuæ dedicãdum esse censui, non solum ob præcipuam, quam in Mathematicis disciplinis tenes scientiam, nec non virtutes alias tuas innumeras, quæ te & merito quidem citra vllum fortunæ subsidium in tanto collocarunt fastigio, sed etiam propter amicitiam nostram vetustam, singularemque animi tui fauorem, quo me multis iam prosecutus es annis, præcipue quoties apud Inuictissimum, & nunquã oblitterandæ memoriæ Cæsarem nostrum Maximilianum, in patriæ causis Legati munere functus sum, teque præsentem esse contigit. Quinetiam cum nuper in magno hoc conuentu imperiali, hac in vrbe celebrato inter summos adesses Principes, nec ego amplitudinem tuam officij gratia præ valetudine aduersa visitare possem, tu veteris non immemor humanitatis & consortij nostri, omni deposito fastu, vltro ad ædes meas accedere, ac tua me præsentia honorare ac solari voluisti. Quapropter vt & ego, eam saltem, quam possem, animi gratitudinem, ostenderem, te vel tenui hoc demereri volui officio, quo & obseruantiæ in te meæ pignus aliquod haberes, ac Ptolomæus noster tanto suffultus patrocinio, tutior in publicum exiret, & à vitiligatorum dentibus foret securior. Ea igitur Princeps colenno, dissime, qua soles benignitate, animi potius obsequium, quam munusculi suscipe paruitatem, ac Iohannis de Regio monte triangulorum, quos penes me vidisti libros, nec non eiusdem Theonis contra Trapezuntum defensionem, breui expecta, ac interim fœliciter viue. Norimbergæ, Kalendis Septembris, anno Salutis nostræ M. D. XXIV. &c.

IN CLAVDII PTOLEMEI OPVS GEOGRAPHICVM.

VETVS EPIGRAMMA GRÆCVM, EX MSC. COD. HVIVS autoris descriptum, & nunc primo versum dupliciter, editumque

Per Cunradum Rittershusium IC.

Ἔν γραμμαῖς θ' ἡνώμοι ἀριθμηθέντα νόησον.
Ἄρκτους, ὠκεανόν, δύσιν, αὐτολάντε, νότόν τε;
Χείμε: θέρ θ': φυσικὰς τ' ἀτραπίτους, σκολιάς τι κελεύθους:
Αἰθίοπάς τ' ἀβράνεῖς Γερμανῶν δύσμορα φῦλα:
Σαυρομάτας χοίροισιν ἐοικότας: ἠδὲ καὶ αὐτὰς
Αἰνομόρους σκυθίας χαλεπὸν γένθ', ἄχρις ἐς ἠῶ:
Ἰνδῶν τε, Σήρων τε: τόδε πείρας αὐτόθι γῆς.

PRIOR INTERPRETATIO LATINA, VERBVM VERBO REDDENS.

COgnosce mundum in lineis numeratum:
Septentriones: Oceanum: Occasum: Ortumq; & Austrum:
Hyemem, æstatem, naturalesque vias, obliquosque anfractus:
Æthiopasque imbelles: Germanorum infelicia secula:
Sauromatas porcis similes: atque etiam ipsius
Ærumnosæ Scythiæ difficile genus, vsque ad auroram:
Indorumque, Serumque: Hic enim terminus est Orientalis terræ.

EADEM SENTENTIA NVMERIS INCLVSA.

LIneolis orbem hic numeratum, en aspice, Lector:
Arctos, Oceanum, atque Ortum, atque obitum, & simul Austrum:
Æstatisque, hyemisque vices: Naturaque cursum
Dædala quem teneat, vel qua se obliquet eundo:
Imbelles simul Æthiopas simul aspera secla
Germanorum hominum: suibus nihil absimilesque
Sauromatas: Scythiæ & duræ gentem vsque sub Ortum,
Indorum ac Serum: quæ terræ est extima meta.

ALIVD EPIGRAMMA IN EVND. PTOL. AVTORE BILIBALDO Pirckheimero, quod is sua manu præscripsit Vo uniuersi octo librorum Ptolomæi, quos latinos fecit.

IVpiter aspiciens Ptolemæum effingere terram,
Risit, & humanum, proh, aut, ingenium!
Sed postquam vidit cœlo feliciter illum
Admouisse manus, territus obstupuit:
Mercuriumque fores mox claudere iussit olympi,
Humanum rursus ne genus irrueret.

ERASMI

ERASMI ROTERODAMI IVDICIVM DE PTOLEMAICÆ GEOGRAPHIÆ VERSIONE PIRCKHEIMERIANA:

Adscriptum ex ipsius Erasmi præfatione in Ptolomæum ad Theobaldum Fettichium.

NVper vir sempiterna dignus memoria BILIBALDVS PIRCKHEIMERVS pulcherrimum opus feliciter aggressus est, quod vtinam ei absoluere licuisset! Mors & illi successum & nobis fructum hunc inuidit. At nunc opera Frobenianæ officinæ prodit Ptolomæus ipse sua lingua loquens. Nam licet Alexandrinus fuerit, tamen Ægyptus id temporis maxima ex parte græce loquebatur: in qua lingua apparet hominem non infacundum fuisse: quamquam huiusmodi disciplinarum tractatio magis requirit sermonem distinctum, sanum ac perspicuum, quam splendidum aut copiosum. Equidem non nego, plurimum laudis deberi Bilibaldo. Sed tamen qui græce peritus Græcum legerit Ptolomæum, fatebitur, nonnihil interesse inter lacunam quantumuis puram, & fontem ipsum, &c. Apud Friburgum Brisgoiæ, Calendis Februariis, anno à Christo nato M. D. XXXIII.

PRÆFATIO IN ORATIONEM GREGORII NAZIANZENI DE OFFICIO EPISCOPI.

CLARISSIMO VIRO VLDARICO ZASIO IVRIS APVD Friburgum Interpreti primario Bilibaldus Pirckheimerus S. P. D. VII.

NIl mirum optime ac doctissime Zasi, si te eruditissimi ac sanctissimi Gregorij Nazianzeni scripta vehementer oblectent, quum non solum elegantissima sint, expolita, ac omni dicendi venere ornata, sed & nil nisi sanctum & sublime planeque cœleste spirent. Vnde non immerito vir tantus ob præcipuam doctrinæ excellentiam, apud Græcos, Theologi ac magni nomen est sortitus, sane etsi cuncta scripta eius lucidissimæ facis instar resplendeant, præcipue tamen oratio, quam de Episcopali ac Sacerdotali officio habuit, digna mihi videtur, quæ laudibus celebretur summis, ac identidem à veris animarum pastoribus relegetur, ac manibus teratur, præcipue hoc calamitoso tempore, quo nemo nō docendi munus ambire, ac vltro suscipere audet, ita vt pleriq; doctoris officio prius, quam discipuli minime digni sint, fungantur, & longe aliquando ad agrum colendum, ac pecora pascendum, quā ad Christi verbum seminandum & gregem eius instituendum forent habiliores. Nil mirum igitur sit tot vndique pullulent errores, comitentur seditiones, perpetrentur cædes, omniaque tumultu ac seditione plena esse videantur. Verum longe aliter Gregorius, ex Apostoli sententia, Episcopum suum, & verbi instituit dispensatorem, à quo præcipue doctrinam, & sacræ Scripturæ exigit intellectum, deinde prudentiam & in rebus agendis experientiam singularem, super omnia vero innocentiam vitæ & conscientiam puram, quo non solum ore ac verbis, inanis tintinabuli instar resonet, sed opere etiam ac factis commissam sibi dispensationē comprobet. Ceterum num eruditis singularis, ac rerum vsus præcipuus iuuenilibus & inexercitatis animis obtingere queant, videant alij, certe Gregorius non solum hic, sed & alibi vehementer uniores reprehendit, quod seniores docere audeant, prius quam ætate ac moribus venerabiles habeantur, quum presbyteri nomen haud aliunde quā à senectute sit deriuatum. Hoc sane constat, quemadmodum mel à fucis colligi nequit, ita nec ab improbo verbi seminatore fructus produci potest maturus. Facessant igitur qui Deum in hoc negotio hominis personam nequaquam respicere asserunt, sed vnumquemq;, qualis sit, ad docendum aptum esse contendunt, nec curandum quis dicat, sed quid dicatur, qui enim talia deblaterant, plane cordis secreta detegunt, & quid de ipsis sit seruandum, palam ostendunt. Posset fortasitan coriarius quispiam scelestus optimum conficere corium, sed vir improbus nunquam ecclesiam Dei recte ædificare valebit. Vnde & Saluatoris nostri vox illa; Viperarum genimina, quomodo potestis bona loqui quum sitis mali. Et impio dixit Deus: Quid tibi vt enarres statuta mea, & assumis fœdus meum super os tuum? tu autem odisti disciplinam & proiecisti verba mea pro te. Etenim quo pacto alios docere possent, qui se ipsos non docent, qui prædicant non furandum & furantur, ac ea reprehendunt, quæ ipsi palam committunt? quonam non alios curarent, qui vndiq; scaterent vlceribus, ac morbo laborarent incurabili? quomodo aliorum peccata expurgarent, qui sordidissimi essent, illotisque manibus ac pedibus, non solum ad sacra irrumperent, sed & ambirent, & vltro se inculcarent ac ingererent? Vere igitur nomen Domini propter tales male audit, quū Deum se scire profitentur, quem tamen factis negant, in quo enim salietur si sal infatuatus fuerit? proinde & Apostolus quoq; Sacerdotes suos & verbi ministros, irreprehensibiles esse vult, quo nemini dent vllam offensam ne vituperetur ministerium eorum, sed vt sint forma & exemplar fidelium, non solum in sermone, sed etiam in conuersatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in puritate, immaculati, conscientia puri, sobrij, non vinolenti, modesti, & à pugnis alieni, non inflati, fastuosi, & ambitiosi,

tiosi, non turpis lucri cupidi, & sanctissimi Euangelij caupones nefandissimi, demum ab omni culpa alieni, tanquam dispensatores Dei viuentis, & hoc non tantum coram Domino, sed & hominibus cunctis, quod si aliter se gerant vitandos esse iubet ac cauendos, tanquam canes & operarios malos, nec non inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in decore, finis vero perditio. Proinde si nihil refert qualis sit persona docentis, Euangelij negotium lenonibus etiam ac pessimis recte committi potest nebulonibus, quo exemplo disperdant, quod verbis & simulata garrulitate ædificare cupiunt. Et quidem mirum si tales quoque docendi munus subire conarentur, quum cernamus præsentem ætatem adeo fertilem esse instruentium turba, vt non solum homines mali, rudes & imperiti, populum Christi erudire audeant, sed & mulierculæ quædam se ad officium tale optimas esse censeant, & ni Pauli resisteret auroritas, procul dubio etiam declamādi gratia suggestum ascenderent. Et quur non? quum omnes γεωδιδακτοὶ esse oporteat, & fœmininum genus præcipua polleat garrulitate. Quid enim facilius quam alios reprehendere, quemadmodum difficilimum seipsum inculpatū exhibere, interim nos inter tantā docentium multitudinē titulotenus Christianismus, morum autem prauitate gentiles etiam superamus, Euangelica gloriamur libertate, quā tamen penitus in carnis conuertimus occasionem. Baptismo corpora nostra abluta esse iactamus, quum interim mens sordidissimis inquinata sit vitiis. Spem omnem in Christo ponere videmur, quē tamen solum vitiorum nostrorum tegumentū habemus. Charitatem simulam[9], quum interim odio & factionib. vbiq; digladiemur, & in summa nil minus sumus quā quod fingimus Domini enim nihil de iure eorum volunt remittere, subditi autem oppressis superioribus cupiunt dominari, & cuncta in prædam vertere. Diuites sua vellēt augere & conseruare, tenuiores vero ditescere & abundare, otiosi, & nihil agentes, acquirere, ac per segnitiem vita lauta & quieta perfrui. Quid enim iucundius esse posset, quam sub Euangelij prætextu gloriam, diuitias, vxores, victum, vestitum, suppellectilem preciosam, ac cuncta alia, quibus vulgo humana fœlicitas consistere censetur, acquirere? Et quod omnium est bellissimum, quum tales simus taliterq; viuamus, suauissime nobis ipsis blandimur, Christumq; pro omnibus satisfeciisse, autumamus, quo nos ob precioſi sanguinis eius effusionem, secure in alteram aurem dormiamus, & otiosi ac delitiis cunctis diffluentes, mollissime viuamus. Fidem igitur prætendimus, licet illa sine operibus sit mortua, quemadmodum & opera sine fide, Charitatis vero affectus ita in nobis ardet, vt plane ex factis nostris appareat quanti momenti apud nos illius sit effectus. Verum per opera externa, vt quidam aiunt, non semper homo internus discerni potest, quum in illis non minimam quandoq; partem sibi vendicet simulatio, sed esto quod per actionem dirigam homo nequaquam dignoscatur, certe per actionem contrariam, qualis nam vnusquisque sit, manifeste liquebit, quandoquidem conficta & simulata haud diu latere queunt, licet enim hominibus nonnunquam imponi possit, Deus tamen non irridetur, nec vir bonus esse poterit, qui palam inique agit, vtcunq; Fidem, Euangelium, Charitatem, nec non pauperem, cruentum & crucifixum prætendat Christum, à fructibus enim eorum, veritas inquit, cognoscetis eos, nec quicunque dicet: Domine, Domine, regnum ingredietur Dei, sed qui voluntatem patris fecerit cœlestis, quoniam non in sermonibus regnum Dei est, sed in virtute. Nec qui legem audiunt iusti sunt apud Deum, sed qui legem factis exprimunt, ac ideo palea igni exuretur inextinguibili, nam omnes statuemur ad tribunal Christi, & vnusquisque de seipso rationem reddet, quo reportet iuxta id quod fecit siue bonum, siue malum, tametsi ex operibus legis non iustificetur omnis caro. Quicunque vero fecerit & docuerit, hic, magnus vocabitur in regno cœlorum. Vnde & Gregorius noster quodam in loco inquit ita: Sicut sine fide nullum opus bonum acceptabile ducitur, quoniam multi ob humanam gloriam, aut etiam naturæ instinctu boni aliquid agunt, ita fides sine operib. mortua est. Nemo igitur vos seducat verbis inanibus, ex numero eorum, qui omnia facile indulgent, & pro vno solo, nempe vt credatur fidei, imo potius infidelitatis suæ malo operi, mercedes præparant pessimas. Ego autem vobis Apostolici verbi authoritate denuncio: Ex operibus vestris ostendite fidem vestram, & ex vbertate fructuum manifestum facite quod sitis bona terra. Hæc Zasi doctissime nō ideo scribo, qui me purum & ab omni crimine alienum putem, quum sciam me iniquitatibus cōceptum esse, ac in carne mea nil nisi peccatum habitare. Verum nec hoc ignoro, magnam recuperandæ sanitatis spem esse, morbum cognoscere proprium, nec quenquam periculosius ægrotare, quam qui se recte valere putat, dum iterum pernicioſissimis succumbit infirmitatibus. Indigeo igitur misericordia Dei, ac si quis alius, quam & fides nec non spes, quę non confundit, diuinumq; mihi promittit oraculum, quum dominum Iesum ore cōfitear & corde credam, qui peccata mundi tulerit, & Deus illum à mortuis excitauerit. Quicumque enim illi fidit, non pudefiet. Verum nequaquam ita credo aurispero, vt per fidem ac spem solam charitatem & opera laudabilia irrita censeam facienda, sed potius stabilienda, quum sciam fidem vtcunq; magnam sine charitate, quę sua præstantia tam fidem quā spem longe exuperat, esse inanem. Sed quid interim prohibet infœlicis huius seculi calamitates deplorare, ac dolore laxare frena, obiterq; Deum rogare, vt nobis recte & pie viuēdi & agēdi desiderii per gratiā suam infundat, & non nobis secundū delicta nostra retribuat, sed memor sit misericordiæ suæ magnæ, peccauimus enim ac inique egimus, & nisi ipse ex mera sua gratia subueniat, nequaq̄ salua

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [263] - 239
PUBLIC DOMAIN

salua erit omnis caro. Ceterum ne quibusdam nimis videamur seueri aut etiam amatulenti, rursus ad sanctum reuertamur Gregorium. Regebat ille ecclesiam apud Nazanzum Cappadociæ, quam hæreditario quasi iure à patre susceperat Episcopo, quumque ibi strenuum se contra hæreticorum insidias athletam præstitisset, ac magnam tam vitæ, quam doctrinæ existimationem consequutus esset, ad Constantinopolitanam gubernandum ecclesiam est vocatus, quæ tum maximis hæreticorum agitabatur procellis, quos ille tamen breui adeo extirpauit & emendauit, vt tum primum vera fides emergere videretur. Siquidem non minus probitate vitæ & exemplis, quam eruditione & sermone populum instruebat, ac nil aliis imperabat, quod ipse non antea plane expleuisset, vnde statim inuidia gloriam hanc est subsequuta. Quidam enim submurmurare ceperunt, qui ecclesiam Constantinopolitanam haud quaquam iure occupasset, ac ideo alium esse subrogandum, qui non solum doctrina, sed & generis nobilitate polleret, & ipse animaduertens, quamuis sedem illam per viam retinere potuisset, potius tamē vltro cedere, quam tumultum aliquem suscitare maluit. Abit enim, dicebat, vt mei causa simultas aliqua inter Dei sacerdotes oriatur. Si propter me est tempestas ista, tollite me Ionæ instar, ac mittite in mare, & desinet à vobis quassatio. Relicta igitur vrbe Constantinopolitana, ad ecclesiam regressus priorem. Verum non ideo seditio illa sedata est, sed longe vehementius exarsit, vnde iterum ab amicis Constantinopolim reuocatus, & regressus, hanc habuit orationem, qua luculenter se excusat, quur cedere potius maluerit quam contendere, obiterque ostendit, quantæ sit difficultatis gregem Christi recte, & vt decet, pascere. Ceterum quum factio aduersa Maximum quendam, Apollinaris infectum vesania, Episcopum elegisset, Gregorius populo persuasit, vt Nectarium, non minus virtutibus, quam generis nobilitate præstantem, illi præferrent, Maximum vero eiecerent. Quumque Nectario fidelem nauasset operam omniaque in ordinem reducta essent meliorem, rursus regressus est ad suam ecclesiam, vbi & reliquum vitæ tempus exegit, ætate tandem fessus, & corpore inualidus, successorem sibi ipsi delegit. Hanc igitur orationem tibi Zasi optime, tanquam pignus nostræ dedico amicitiæ, nō quod me magni quid præstitisse censeam, sed vt animi erga te mei gratitudinem ostenderem. Etenim quum me haud mediocriter diligere videaris, ac plura mihi tribuas quam ego vnquam agnoscere possem, plane ingratus forem, si te quoq; non mutuo amore prosequerer. Quod si stylus tibi aliqualiter durior videbitur, hoc nequaquam autori ipsi, sed ignorantiæ meæ imputato, tametsi quædam elegantius repræsentare potuissem, si longius à græca phrasi discedere voluissem, sed ita libuit. Feliciter igitur age, Zasi doctissime, & munusculum nostrum benigne suscipe. Norimbergæ Idib. Martij, ann. Salutis nostræ M.D.XXIX. &c.

SVO BILIBALDO PIRCKHEIMERO NORIMBERGO PATRITIO, HERMANNVS NVENAR COMES S. D. VIII.

EN Philosophastri impudentissimas rixas. En linguam quouis Cynico, ne dicam Cynedo, petulantiorem. O mores Theologicos! ô acerbissimam reuerendi nominis iniuriam! adeone nō vilipendium sui, Christianæ fidei sacrosancta maiestas deiicietur, conculcabiturque, vt cuiuis vel spurcissimo nebuloni, citra pœnam liceat sibi Theologiæ titulum vendicare, cui magis conueniat cum ipsis lenonibus, seu cuiusuis ordinis maxime abiectis protritisque hominibus, ne mireris me ista proferre, non mea me stimulat causa, non illatæ iniuriæ, hæ quippe ad magnam gloriam accedunt, quis à talibus vituperari ad gloriam sibi non adscribat: sed ego fidei iniuriam meam esse duco, sic quoque sentire te non addubito, missa sed ista sint, de me (vt spero) bene cedet. Discat oportet helluo Flandrus, esse, quibus non desit lingua, nisi vetet modestia, quam in tam abiecto cuculo nostrum quoquo modo labefactare, tibi gratulor vel ipsius nostri illius boni Theologi testimonio, qui eam sortitus nunc es facultatem, vt possis vel ex nihilo creare Theologos. Ego tuæ creationis plasma, à Theologis Cynicis istis in harenam vocor, mallem à te creari cauponari, si ita occasio ferret, quam esse, & haberi apud istos Theologus, quanquam neque tu me creaueris, neque ego si creasses, vllo honore idipsum repudiare potuissem, summum hominem, incomparabili & authoritate & prudentia præditum, merito debeo suspicere & amplecti, blaterent isti quoad velint. Et solus ego, ex tanto doctorum virorum excerptus numero, Theologus dicar Bilibaldi: Quandoquidem si iniuria est, æque Reuerendissimum Cardinalem Gurcensem, aliosque primarios viros tangit. Si gloria, solus ego hanc adsecutus sim. Ego tamen mihi pro certissima gloria Bilibaldi amicitiam vendico, meam quoque indubitato agam contra istum causam, teque mecum vlciscar: hoc tantum precatus, vt consilio litterario adiis, materiam adiuues, argumenta (si per ocium licebit) aliqua saltem ipse mihi vicissim exponas, varia sunt apud me: copia magis obtundit, quo circa saniorum consilio vtendum erit.

Hæc summa cum acceleratione, vt ipse facile iudicare poteris, adnotauimus, tu sis censor æquus. Vale, ex Colonia Agripp. VII. mensis Martij, &c.

RESPON-

RESPONSORIA AD SVPERIOREM ET DEDICATORIA FVGITIVORVM LVCIANI.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO HERMANNO COMITE de Neuenar, Bilibaldus Pirckheimerus S. D.

QVemadmodum Illustris ac Generose Comes sanctissimi & vere Theologici viri, tibi stomachũ, ita mihi lienem quoq; commouerunt. Etenim si me legentem ac interim spurcissima conuicia, imo laudes nostras certissimas, tam effuse ridentem cõspexisses, vix tu quoq; (vt ii iustissima indignatione ãccẽsus) à risu temperasses. Quid enim iucundius quam talibus displicere hominibus? qui neminẽ nisi laudando vituperare, nec nisi vituperando laudare possunt. Quid gratius quã infestissimos hostes merita supplicia vltro etiam expendere? ac ita delirare, vt id sibi laudi ducãt, ꝙ flagitiosissimo cuiq; merito vitio verti possit. Quid sceleratis & maledicis hominib. dignius, quã propria improbitate & loquacitate Deum ac homines in se concitare? ita igitur affectus, cõtestim tibi rescribere cœpi, epistolam, etiã priori illa, quã iuxta Theologicam traditionem, nimis prolixam esse cõqueruntur, longiorem eam haud absq; risu & si plane ἀγλαῶς esses, legere posses, nõ solum quia par pari retuleris, ac sanctimonia claros homines, natiuo suo depinxerim colore, sed quia ineptos, frigidos & mosoros iocos haud illepide in suos retorserim artifices. Ceterũ cum ardor ille aliquantisper deferbuisset, nec non omnia risus plena forent, me ipsum quoq; deridere coactus fui. Ridebam etenim, ꝙ lectissimis ac fœdissimis contumeliis impulsus, contra insanientes insanire vellem, ac illos imitari, qui ob nephandã eorum improbitatem, ac petulantissimam maledicentiam, merito omnib. odio essent. Ridebam, ꝙ ea præstare conarer, quæ sapientissimi viri summis quærerent ac ibus, sc. cum eruditione ac virtute propria nequirent, concertatione tamen flagitiosa ac teterrima verborũ digladiatione, nomen sibi vel famosum cõparare studerent. Ridebã tandem, ꝙ insulsos, barbaros & ineruditos homines responso aliquo dignos putarem, quorũ tam dicta q facta sempiterna poti⁹ obliuione deleda essent, q̃ vllis litterarum monumentis cõmittenda. Proprio igitur risu, imo rationib. verissimis indutus, maxime vero Christianis institutis prohibitus, passiones fræuani epistolã retinui, & ne malum pro malo redderẽ, resq; vnde inceperat in risum desineret, tam virulenta, rabiosa, & tetra maledicta, ac penitus à Christiana pietate aliena conuicia, tidens derisi, ac magnanimiter contempsi. Proinde tantũ abest vt iam insanas illas contumelias mendacia cõfarcinata, & egregiorũ illorum Theologorũ obtrectationes egre feram, vt ẽt mihi periculũ imminere timeam, ne eiusce rei gratia me aliquem esse putem, ac plus æquo nugis illis extollar, quando quidẽ cernere est, probos illos viros, non omnes maledicentia sua dignos cẽsere, sed in primarios, & suma tantummodo capita deliãdo grassari. Ideo res eò deuenit, vt optimus quisq; longe magis eorũ delectetur cõuitiis q̃ gaudeat præconiis. Hæc idem Comes Generose scribo, vt tu pariter tantorũ patrum laudes, quas cõtumelias esse arbitraris, benigne amplecteris, ac minime moleste feras. Potiusq; ratione obtemperes, q̃ opinioni indulgeas. Etenim q̃is decebat sanctissimos homines, si non tui, saltẽ illustrium progenitorũ tuorum rationem habere, linguã frænare, & non tam procaciter, impudenter & petulanter virulentis flagitiosis & impuris debacchari cauillis. Cum tũ nil nisi maledicere scirẽt, quo pacto bene loquerentur? quo pacto quid sani præ se ferrent, quos tanti contagij pestis corripuit? quo demũ pacto terrenis parcerent, qui cœlo quoq; gigantũ instar man⁹ iniicere haud veriti sunt: Minime igitur vir generose piacularia illorum moueant, pbra, nec quid nobis dicatur, sed quis dicat consideremus. Satis sit si Aug. illud habeamus, ne nobis malefacere possint. Quinimo si remotis animi passionib. rem exacte perpẽdere volumus, non magis nos q̃ illos à semetipsis deprehendemus esse læsos. Nã vt offensam diuinam, ac veræ legis prætereamus transgressionem, vt pietatẽ Christianam, æquitatẽ ac omnem honestatẽ omittamus, obiterq; de prudentia modestia, maxime vero de cõpendio, dispendioq; sileamus, nonne stultitiam suam ne hominũ laberetur memoria, ineptis, barbaris, & plane ineruditis suis perpetuarunt libellis? quis. n. vir bonus, cũ legat eos de malo cordis thesauro, tam improba protulisse maledicta, non cõfestim intelligat? maligni dæmonis hanc esse linguam, ac plane diabolum per os eorũ locutũ fuisse. Quæ itaq; maior vindicta à nobis optari posset, quam ea, quã sponte à semetipsis exegere, & qua Deo pariter & mundo se reddidere odiosos. Quapropter ex Christiana cõpassione magis nõ decet, ob infœlicissimorum hominũ pernitiosa crimina cõmiseratione moueri, quã iustissimam, & plane meritam vltionẽ desiderare. Quandoquidẽ non solum quales nam sint palam ostenderunt, sed & tot bonos, tam suæ, quã Theologicæ cõfessionis viros, adeo fœde contaminarunt, vt vulgo (ꝙ tamen ãbsit) fere omnes similes & eiusdem farinæ æstimentur. Ceterum vt improbitate pariter & tantam excularent stoliditatem, sacras quoq; litteras contaminare non erubuerunt, etenim scriptum est, inquiunt, propter multitudinẽ calumniantium clamabũt, tanquam Saluatoris nostri, & Apostolorum doctrina, deuouentib. male precati, ac maledicentib. remaledicere iuberet. Nõne etiamsi male audissent, vel patienter ferre, aut dissimulare præstabat, quã tam rabiosa stultiloquentia miseri ãoneratos re conscientiam, impudentiã quoq; & leuitatẽ nec non tam perditi exempli facinus passim dissemi-

nare, quamuis nemo, precipue bonus à malis læsus, vel vt ipsi fecere, palam nomine traductus fuerit,

tametsi nō negauerim cunctos à me notatos esse, qui iniuriis potius quam modestia, conuitiis quam ratione, mendaciis quam veritate, conrendere ausi sunt. Quin & hoc dixisse fateor, neminem minus decere, tam spurcis, detestandis & incomptis velitari maledictis, quam insolētissima postinummia, quæ non nisi mendicando victum & vestitum quærūt, adde si lubet palliata mendicabula, quæ ideo populi saginantur peccatis, vt tam effrænate, petulanter & temerarie in omnem hominum conditionem, passim & absq; delectu grassentur, nec saltem amicis, aut illis à quorum maioribus innumerata acceperunt beneficia parcant. Quod si in hac re contumeliosus fui, diiudicent honesti ac boni, & minime Christiana aliqua seu impura Iudaica eiectamenta. Proinde si ipsi boni sunt, cur malorum detestatione indignantur? Sin vero mali, cur bonorum numero censeri desiderantur? si culpa carent, quis eos redarguit, si noxij, cur falso se excusare nituntur: Ceterū longe ob diuersam causam, atra illa bilis ex acerbata est. Non.n. sancti viri ob prauorum deprehensionem, sed potius optimorū virorum laude dementare cœperunt. Te.n. vir Illustris, citra doctrinam, & vt ipsi volunt, ex nihilo Theologum creaueram. Optimum doctissimum & innocētissimum Capnionem laudib. extuleram, ac calumniatorum obtrectationib. vindicaueram, & plane ab omni scelere innocentem esse ostenderam, Germanæ nobilitatis decus & litterarum columen Huttenum nostrum, plus æquo præconiis decorauerām, hinc illæ lachrymæ, & dignæ profecto causæ, ob quas non solum degener, impudens, contumeliosus, indoctus, sed etiam blasphemus, impius, & hæreticus appellarer. Verum longe satius est quempiam vel falso laudare, quā tam impie, spurce, & flagitiose, vt ipsi faciunt, maledictis insectari, quamuis parcissime, & nequaquam pro dignitate, in tantorum virorum laude versatus fuerim. Ceterum illi vt velint insaniant, non vero omni diligentia caueamus, ne eis similes videamur, maxime ne contaminata eorum nomina (id enim solum expetunt) nostris famigeremus scriptis, sed aliis prurientem eorum scabiem confricandam relinquamus. Quandoquidem nihil molestius ferent, quam si senserint sceleratas perditas & execrandas eorum calumnias, iniurias & contumelias, à nobis spernī, negligi & derideri. Cetera illi permittamus, qui ait: Mihi vindictam & ego retribuam. Quod si omnino mos vel grauissime de illis vlciſci volumus, ardentissime virtutibus, & bonis incumbere litteris peragamus, vt eos re ipsa potius quam verbis, vt ipsi solent arguamus, seu potius inuidia propria torqueamus, sed vela contraham, ne iterum à doctissimis illis Theologis, prolixitatis arguar. Verum ne Epistolam illam longissimam Comes Generose desiderares, pro illa Luciani Fugitiuos mitto, qui forsitan exactius tibi mores hominum & egregiam illorum vitam describet. Ita vt nec Sophistis ipsis (adeo lepidus est) displicere possit, non quod tu græca ignores, sed q̄ sub nomine tuo tam Illustri & Generoso in publicum exeant, ac cruciēter inuidi cum videant quantum Theologo illi meo, quem ex nihilo, talem, tantumq; feci, tribuam. Vale Comes Generose, & iterum memineris, vt vanas hominum nugas, magnanimiter contemnas Generosis & vere probis Comitibus Thomæ & Iohanni de Ryneck concanonicis tuis, & olim Ticini condiscipulis meis, fac me commendes. Tuæ vero dominationi doctum & egregium virum Iohannem Cæsarium commendare non desinam, donec illum opera & fauore tuo euectum, & vt meretur digne ornatum conspiciam. Iterum vale, Norimbergæ Idibus Maij, &c.

PRÆFATIO IN PLVTARCHI LIB. DE IRA COMPESCENDA, LATINE INTERPRETATVM.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELSO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO Friderico Saxoniæ Duci Marchionique Misniæ, &c. sacri Romani Imperij Electori prudentissimo, Bil. Pirckheimerus commendat. IX.

SI boni amicorum non solum æqualium, sed etiam inferiorum beneuolentia accepta esse soler, ac nos illis arctiori copulat vinculo, qua nā ego animi gratitudine Illustrissime & Potentissime Princeps tuum erga me fauorē ac gratiam singularē amplecti debeo ac venerari? Qui quū sis heroes, non solum bonis extrariis, & quæ in hominē cadere possunt, cunctis decoratus, sed etiā internis adeo ornatus, vt nil virtutū tantarum cumulo addi queat. Quū tamen sacrū hunc Imperij cōuentum tuo illustrasses aduentu, minime dedignatus es, perq̄ gratiose de statu meo q̄rere: & quū aduersa me valetudine laborare audiuisses, per Spalatinū tuum, virū & vita & eruditione insignē, humanissime consolari, munere p̄terea donare gratissimo, ideo forsitan, vt Celsitudinis tuæ effigiem, pectori meo iam pridē insculptam, oculis etiā quoties liberet, inspicere possem. Quamobrē etsi Dominationi tuæ Illustrissimæ dignas gratias agere vellem, minime tñ id opis meę esse scirem, tanta.n. est Celsitudo tua, vt nec vllis meis laudib. extolli, quemadmodum nec improborum detractionib. minui queat, vt tamen animi mei gratitudinem, etsi non eo modo quo vellem, saltē quo possem ostenderē, cartaceum hoc munusculū Illustri tuæ offero sublimitati, mansuetissimis morib. conuenientissimum. Nam ira, animi affectus p̄cipue vero iræ violentiam compescere nosti, vt lōge plus recte & moderate agendo, quam Plutarchus benescribendo & docendo excelleas. Nosti.n. veram laudem non in verbis, sed rebus demum consistere agendis. Solita igitur Princeps Illust. bonitate tua non tam doni paruitatem, quam animi mei voluntatem suscipe, & me Celsitudinis tuæ addictissimum esse scito clientem. Norimb. Kal. Aug. annō salutis nostræ M.D.XXII.

PRÆ-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [266] - 242
PUBLIC DOMAIN

PRÆFATIO IN PLVTARCHI LIB. DE GARRVLITATE, LATINE VERSVM.

ILLVSTRI AC AMPLISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO Cunrado Episcopo Herbipolensi, ac Franconiæ Duci potentissimo Bilibaldus Pirckheimer se commendat. X.

TRitum est prouerbium: Princeps Illustris ac Domine Reuerendissime, honorum ac diuitiarum accessione hominum etiam ingenia & mores immutari, atqui tam immensum & honorum, & opum incremẽtum illud non solum nil pristinæ humanitati ac suauissimis morib. tuis ademit, sed & contra vulgi consuetudinem non parum comitatẽ solitam benignitate adauxit, rara prorsus ac nunquam satis laudata gloria, quum plerumq; videamus potentiores fastu potius & insolentia, quã animi mansuetudine & humanitate laudem quærere. Tua vero amplitudo in tanto vastigio perquam mansuete homines compellat, benigne salutat, ac nõ tam ex ore, quam pectore verba humanissima depromit, & quod pulcherrimũ est, illa & factis adimplere consueuit. Hinc est, quod D. T. illustris R. minime cõsuetudinis nostræ & amicitiæ olim in Italia, quum ibi studiorũ causa ageremus, cõtractæ immemor existat, sed me nunc quoque in suorum numero habeat, quæ res, vt illa digna, ita mihi est gratissima. Ceterũ cum nihil sit, quod ego vel reprehendere possim, aut amplitudo tua indigere videatur, ne tamen ingratus censerer, saltem itinerario hoc officio animi mei gratitudinem ostendere volui. Ita enim euenit, vt quum forte fortuna libellum hunc manib. terrem, ab Amplitudine tua inter prandendum interrogatus essem, ecquid noui iam depromere cogitarem: accipe igitur Princeps Illustris, ea qua soles benignitate non tam muneris vtilitate, quam animi mei testimonium certissimum. Et si tibi aliquando à rerum mole interiungere licebit, Plutarchi opusculum hoc perlege. Id enim si Ill. D. tua fecerit, non minorem voluptatem, quam vtilitatem inde consequi poterit, cui me plurimum commendo, &c.

PRÆFATIO IN LIB. PLVTARCHI DE CVRIOSITATE, LATINE VERSVM.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO VLRICHO, COMIti de Helffenstein, &c. Bilibaldus Pirckheimerus S. P. D. XI.

QVamuis Comes Inclitissime ex nobilissima pariter & antiquissima ortus sis progenie, indignum tamen duxisti, si maiorum tantum splendoris titulis, & nõ virtute propria generosissima etiam exornares stemmata. Quapropter vt plane ostenderes, tantam tibi nobilitatem non forte quadam aut iure hereditario solum obuenisse, sed etiam à te auctam, decoratam, & illustratã esse, eam litteris, & optimis excolere voluisti disciplinis: non secus, ac si quis gemmam preciosam elutissimo includat auro. Cognouisti enim verã & vnicam nobilitatem esse virtutem. Hinc est, qui non solum inter tam arduas, sæuiq; pericula Martis, optimis autorib. diligentẽ impendis operam, sed etiam cunctos litteris deditos summa prosequeris beneuolentia. Ac ideo quum inter ceteros Germaniæ proceres Cæsareo huic regimini adhibitus esses, aliquoties cum summis quibusdã viris, ad ædes meas accedere, meq; humanissime salutare, ac de optimis litteris mecum fabulare cõsueuisti, plus mihi tribuens, quam ego vnquam agnoscere possem. Vt autem tantæ humaniti tuæ vel frigide responderem, Plutarchi de Curiositate opusculum hoc, quod tum forte manibus terebam nomini tuo clarissimo dicare volui, vt & te legendo oblectare posses, & beneuolentiæ nostræ indicium haberes certissimum. Tuæ igitur generositatis erit munusculum hoc benigne accipere, & me tui amantissimum putare. Bene vale Comes generose, cum Vito nostro Werlero viro doctissimo. Ex ædibus nostris pridie K. Septemb. anno salutis nostræ M. D. XXII. &c.

PRÆFATIO IN GREGORII NAZIANZENI ORATIONES CONTRA IVLIANVM CÆSAREM.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO HERMANNO A NVEVAre, Comiti ac Præposito Colonien si amplissimo, Bilibaldus Pirckheimerus S. D. XII.

QVum infœlicis huius seculi nostri calamitates animo reuoluo, Comes Illustris, plane mihi Constantini Magni, ac Constantij tempora rediisse videntur, quib. ecclesia Dei infinitis erroribus, præcipue vero Arriana agitata fuit insania, ac tantum non penitus euersa. Ceterum quemadmodum subito Iulianus ille apostata emersit, ac nimiam vitæ licentiam, rixandique libidinem acerbissime effrænem ac nimis petulantem λοιδοριαν, nec non conuitiendi rabiem plusquam gentilem, tumultus & seditiones coherceat. Verum hæc diuinæ relinquenda erunt prouidentiæ, quæ peccata nostra

ſtra iuſta punire nouit vindicta. Proinde quum nuper huiuſce rei ergo, Gregorij Nazianzeni viri doctiſſimi ac ſanctiſſimi orationes duas, contra Iulianum Cæſarem, in linguam vertiſſem latinam, quo temporis illius Tragœdia fieret manifeſtior, tuq; forte per hanc vrbem ad conuentum Ratiſponenſem legatus tranſires, ac me ob veterem noſtram amicitiam, perquam humaniter in ædibus propriis viſitares, & inter cetera has quoq; vidiſſes, hortatus es, vt illas in publicum emitterem. Qua in re vt amplitudini tuæ morem gererem, id potiſſimum ſub nomine tuo clariſſimo facere volui, quo tuo patrocinio ſecurius in publicum procederent, ac tu tanquam Græcæ linguæ peritiſſimus diſcernere poſſes, quanta ætate, quantaq; fœlicitate fuerint conſcriptæ, tametſi non ignorem, vix me vmbram Gregorianæ eloquentiæ attingere potuiſſe. Sed ne hoc me latet, phraſim aliquando eſſe duriorem, malui tamen fidi interpretis, quam elegantis paraphraſtę, officio fungi, quum ſcio quoſdam, dum nimis politi in vertendo videri volunt, ab authorum etiam animi conceptu nonnunquam excidiſſe. Quis enim ſermonis grauitatem tantam, ſententias adeo crebras, nec non tropos ac ſchemata, quibvbiq; vir tantus redundat, adeo fœliciter repreſentaret, vt ornatū pariter venuſtum, ſubtilitatemq; tam exacte retinere videretur? nec alia cauſa accidiſſe reor, quod adeo pauca ex tam multis Gregorij ſcriptis ad latinas aures peruenerint, quam quod homines difficultate abſterriti, trāſlationis munus tam arduum ſubire nequaquā auſi fuerint, quod quum doctiſſimis hominibus acciderit, nemo bonus mihi vitio vertere poterit, ſi nec ego quemadmodū voluiſſem, rem abſoluerim, maxime quum ſtudia mea legalia, longe à tali remota ſint profeſſione, ac nunquā ad iucundiora hæc, niſi animi cauſa, aut egritudinum ſolandarum gratia, diuidere ſoleam. Tu igitur vir generoſiſſime, officium hoc noſtrū benigno animo ſuſcipe, & ſi Deus annuerit, breui alia quoq; Theologi huius, ita enim à Græcis adpellatur, ſcripta in publicum exire videbis, præcipue vero orationē elegantiſſimam de munere Epiſcopali, q̄ me tunc in manib. habere vidiſti. Interim bene valeat amplitudo tua & Soliniana hiſtoria, quemadmodū rogaui, animo ne excidat. Ex ędib. noſtris K. Iun. an. ſalutis M.D.XXVIII. &c.

CLARISSIMO VIRO BILIBALDO PIRCKHEIMERO

THOMAS VENATORIVS

S. D.

HAud te clam eſt, doctiſsime vir, quanta ſpiritus vehementia olim non ſolum Prophetæ ſancti, verum eriā multo poſt renaſcentis Eccleſiæ tempore Apoſtoli Chriſti, peruerſam quorūdam de Deo opinionē, quorundam autē non minus peruerſum ſtudium erga fratres, proſecuti ſint. Id quod ſacris cum veteris tum noui Teſtamenti libris proditum, non obſcurū eſſe poteſt Chriſtianis lectoribus. Quemadmodum autem illis nunquā in fidei negotio defuit hoſtis, ne ſcilicet citra laborem prima illa regionis noſtræ fundamenta iacerentur: ita hodie quoq; (nobis in eorum labores intrantibus) non ceſſat ille antiquus humanæ propaginis hoſtis, in agrum dominicum zizania ſpargere, vt enatā Euangelici ſeminis ſegetē aut inficiat, aut obductis nebulis obſcuraret ſaltem: dum tanquam ex ſilice excuſſo nouo igne, nouarum rerum cupidos indies, magis, magiſq; furore quaſi quodam accendit, qui falſa & incerta veris, vitioſa ſynceris ſubdola interpretatione anteponere non verentur. Quorum tamen infœlix lolium, fœlici omine, iam iam innoteſcere cœpit, nimirum Spiritu ſancto eorum ſtudia detegente, palam intelligit mundus, quam impie verſentur, vel erga Deum fide, vel erga fratres officio charitatis. Quippe dum veræ pietatis gloriam falſo ſibi ſpondent quidam, venerandum Dei noſtri nomen dehoneſtant: quidam autem dum plus æquo ſuo quærunt, crudeles & inhumani potius quam officioſi inueniuntur erga fratres. Vtriq; ſane neq; Deo, neq; hominibus probati. Vtriq; in extremam prolabuntur impietatem. Illi, quod veram iuſtitiam (quæ per fidem eſt IESV CHRISTI) non agnoſcant, aut ſi quidam ex eis ſunt, qui eam nobiſcum confitentur; iuſtitiam eſſe coram Deo, quæ eſt per fidem IESV CHRISTI, nihilo ſecius tamen negant hanc fidem ſubſiſtere poſſe & in paruulis. Alij autem, quia zelo iudicioq; carnis Adæ ducuntur, affectu integri amoris carent, dum paruulos eo q̄ eis diuinitus inſpirari hactenus recte credidit Eccleſia CHRISTI, cōtra mentem Spiritus ſancti, ſpoliare conantur, quaſi vero Spiritus S. gratia, fideiq; myſteria limitibus occludi poſsint ab humano ingenio præſcriptis, quaſi paruulorum ſpiritus nulla creatoris dona percipiant, priuſquam ſurgentibus annis cum tempore creſcant & proficiant. Quibus me pro ingenij huius mediocritate, reſpondendum oppoſui. Sunt autem multo plura, quibus deplorati homines Germanicū dementant orbem. In nullis tamen ita coniurati ſunt, atq; in hac vna contra baptiſmum expeditione. In aliis quod cuiq; viſum eſt ſequuntur. 1. Sunt qui dicant Scripturam ſacram ſolum impiis eſſe datam, non etiam piis. Qua in re cōtra Apoſtolū linguę ſuę rabiem acuentes, nō intelligunt, quæ loquuntur neq; de iis aſſeuerant. An verum nō eſt quod Romanis dicit: ſe ingregatū eſſe in Euangelium Dei, q̄ promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de filio ſuo? & Corinthiis ſcribens: Tradidi, inquit, vobis in primis, quod & acceperam, quod CHRISTVS mortuus fuerit pro peccatis noſtris ſecundū ſcripturas, & q̄ ſepultus ſit, & q̄ reſurrexerit tertio die, ſecundū ſcripturas. Si impiis ſolū, non etiam piis data eſt ſcriptura ſancta, cur omnib. coniunctim Corinthiis hæc ſcribit Apollo-

Apostolus? Cur tantopere studiũ à Luca cõmendatur Thessalonicẽsium, qui receperant sermonem, cũ omni animi promptitudine, quotidie scrutantes scripturas, an hęc ita se haberent? Quid est quod alio loco scripsit idẽ Apostolus, si impiorum est scriptura, non etiam piorum? Ait enim: Omnis Scriptura diuinitus inspirata, est vtilis ad doctrinã, ad redargutionẽ, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in Iustitia, vt integer sit Dei homo, ad omne bonum apparatus, & alia quæ hic dici possent.

2. Deinde inter eos sunt, qui somniorũ visiones indifferenter, ceu rem sacrosanctam, amplectuntur, contra Domini præceptum, dicentis: Non augurabimini, nec obseruabitis somnia. Qui etiam in Deuteronomio tales Prophetas & somniorum fictores interficere iussit.

3. Præterea aliam impietatem blasphemiæ suæ superaddentes asserunt, omnes impios cũ ipso patre eorum Diabolo, ad salutem vitæ beatæ post resurrectionem redituros. Tuncq; fieri vt curuentur Deo omnia genua, cœlestium, terrestrium & infernorũ. Huius opinionis ferũt olim fuisse Originem, qui de restituendis dæmonibus dogma ad posteros transmisit, sed iam longe ante nos per veteres Theologos expugnatum.

4. Sunt qui Euchetarum impiam pietatem imitantur, dicentium, orationem caput esse & summam bonorum omnium: non recte intelligentes, vel quid sit vera oratio, vel quomodo vere orare oporteat. Nam veri adoratores Deum in spiritu & veritate adorant. Quamuis etiam impia sacra, & infandos concubitus habuisse perhibentur. Augustinus vult Euchetas ab oratione traxisse nomen, quod oratio Græcis Εὐχὴ vocetur. Hi ab aliis Psalliani dicti sunt.

5. Quidam de Baptismo & Eucharistia perinde iudicant. Vtrumq; enim neq; obesse, neq; prodesse. Et quidem in re ἀδιάφορα à te, deinde & à Luthero fœlicissime pugnatum est. Et in Baptismi negotio, quia id postulare videbatur Christiana Charitas, ego vltro mihi laborem assumpsi. Ceterum non me præterit quid de hac re scripserint cum Augustinus, tum reliqui ecclesiæ doctores. Certe hic labor vnus est omnium, eam traditionem ab Apostolis accepisse ecclesiam, ne frustra baptisentur infantes. Et hæc cum dico, lubens etiam crediderim non ignorasse alioqui tam doctos & sanctos viros in baptisandis paruulis propriam vniuscuiusq; requiri fidem, qui sese Hęreticis tam pertinaci studio, ne arcerentur à baptismo paruuli, opposuerũt. Qui vero de propria paruulorum fide expresse, vt ita dicam, aliquid scripserit, non facile inuenias quenquam.

6. Inuenti sunt etiam qui in proximo ab hinc biennio Christum venturum ad iudicium simplicioribus ex vulgo persuaserunt. Ideoque posthabere prorsus omnes manuarias operationes, omnem agricolationem supersluam esse.

Et alia id genus portenta indies magis emergunt, non sine graui Christianæ Reip. iactura, quibus mirum si tanta esse potest humani cordis cœcitas, quod, tanquam in tenebris positum, nihil solaris radij admittit. Adest petra misericordiæ riuos iugiter fundens, & proh pudor, nos in mediis aquis siti arescimus? Adest manna verbi Dei, cur in abundantia cibi labescunt animæ nostræ? Sed missa sunt hæc, ne dum iusto dolore nimis indulgere studeo, epistolaris angustiæ septa min⁹ custodiantur. Faxit Deus noster, vt nulla sint post hac in ecclesia sua schismata, donetq; nobis vt idẽ mutuo sentiam⁹ secundum IESVM CHRISTVM, vt vnanimiter vno ore glorificetur ipse ab omnibus, impleamurq; in spe per potentiam Spiritus sancti. Bene vale. Norimberg. Sexto Cal. Maij, ann. M.D.XXVII. &c.

PRÆFATIO IN LVCIANI RHETOREM, LATINE EX GRÆCO TRANSLATVM.

CLARISSIMO VIRO HIERONYMO EMSERO,

Bilibadus Pirckheimerus S.D. XIII.

TAmetsi Hieronyme doctissime, Græcarum litterarum studium à non parum multis reprehendi & contemni soleat, nemo tamen sanæ mentis inficias ire poterit, magnas & nequaquã vulgares vtilitates, ex illarum cognitione ortum habere. Et vt reliqua prætereamus commoda, quis vnquam putasset, egregiam illã maledicendi artem, & quam vilissima scorta. Lenones impurissimi, ac reliquæ extremæ sortis homines, præ ceteris callent, arte constare, & peculiaria sua habere præcepta, nisi ex Græcorũ id monumentis expiscatus fuisset. Quapropter nemo de hinc existimet, probos illos viros, qui tam fœde in Generosum & inclytũ Comitem de Neuenar, nobilẽ & doctissimũ Huttenum, meq; quoq; ac omnes deniq; bonos & eruditos, spurcissimis debacchati sunt conuitiis, absq; singulari dicendi ratione adeo deliraſſe, quoniam sacrũ illud Capnionis, & nunquã satis laudatũ caput, nostris extulerimus præconiis, græcissarunt etenim homines iuuenes, vtpote qui assidue pergræcantur. Cetetum id fortsitan mirũ videri potest, quo pacto ad tam profundæ scientiæ cognitionẽ peruenire quirint, cum non solum Græcarum litterarum sint expertes, sed ab omnib. bonis disciplinis penitus alieni. Necesse itaq; vt tantum bonorum cumulum, à quopiam græcorum gnaro olim acceperint, & tanq; veste ignẽ custodierint illibatum, alioqui nunquã exacte admiranda illa præcepta conuitiando obseruare potuissent. Ne igitur ars tam præclara diutius in græcis litteris sepulta lateret, aut eam præ-

ſtantiſſimi illi homines, tanquam Midæ diuitias ſoli poſſiderent, illam inde eruere, & latinis quoq; auribus impertiri ſtatui, non vt optimus quiſq; (illorum inſtar) dicendi normam inde ſumeret, ſed quo tam venuſtam lepidam & iucundam Veneris & Gratiarum fœturam diſcernere, ac diſcernendo recte vitare poſſet, ὁ γὰρ αὐτὴ δύναμις τῶν ἐναντίων ἡ ἐναντία τέχνη, & ille probe bona eligit, qui male rite fugere nouit, quanquã ſanctiſſimi viri non indigni eſſent, qui artis huius præſidio, talia audirent qualia ipſi dixerunt, indigni tamen ſunt, vt à probis male audiant, indigniores vt bonorum vituperatione ornentur, indigniſſimi qui Reuchliniſtarum inſectione nomen vel famoſum (quod ſummopere exoptant) conſequãtur, quamuis nec hoc negauerim iuſta eos indignatione nonnunquã dementare, ac beluarum inſtar ſæpiſſime excandeſcere. Nõ enim vſq; adeo inſulſi ſunt ac hebetes, quin ſe barbaros, inertes, rudes, ineptos, ſtupidos, illiteratos & plane diſciplinarum cunctarum inſcios eſſe cognoſcãt. Aduerſarios vero ſuos homines politos, cõpoſitos, excultos, aptos, perſpicaces, eruditos, & nullius rectę ſcientiæ ignaros, vt interim de moribus & vitæ honeſtate ſileamus. Et quod longe intolerabilius eſt, Idiotas etiam, ſupinam eorum ignorantiam diiudicare. Cur igitur non doleant, ac rabioſe nõ maledicant, cum longe facilius ſit tam ſtupenda conuiciandi ratione munitos, quicquid in Buccam venerit effutire, & omnes homines vitulenta lingua dilacerare, quam ignorantiam abiicere, optima perdiſcere, & animum bonis quibuſq; artibus exornare. Quin hoc quoq; vel modeſtiſſimo eorũ bilem moueret, cum nõ ſolum prouectioris ætatis viros, ſed adoleſcẽtes ipſos, & vix ex ephœbis egreſſos, tanta præditos doctrina cerneret, vt de arduis quoq; rebus egregie diſſerere, & in cunctis rectiſſime ſentire poſſet, iuſtime igitur tam furenter inſaniunt, & vt aſſidue ſui ſint ſimiles, quod ſemper facere conſueuerunt, nunquam facere deſinunt. Et recte quidem, non enim de Aſini vmbra, ſed de aſini ipſius pelle agitur. Petulcum enim animal, non ſolũ de fama & exiſtimationis iactura ſolicitum eſt, ſed & lucri defectum, ac venturum detrimentum perquam callenter perpendit, timetq;, ne detracta leonina pelle, turſus antiquum illum aſinũ oſtendere, & præter dira verbera, labores immenſos, iam pridem deſueta onera iterum ferre cogatur. Igitur proterua & temeraria beſtia, cõditionem ſuam tam miſeram deplorare ac fortunæ iniquitatem execrari non deſinat. Nos vero Hieronyme præſtantiſſime, ſalutari annulo muniti, Sycophantorum morſus, & improba Rabularũ conuicia non ſolum benigne feramus, ſed & floccifaciamus, cõtemnamus & irrideamus. Quin potius exultemus, nobiſq; applaudamus, quod in hanc ſaltim, hoc nomine fœlicem incidimus ætatem, qua veteres diſciplinæ reuiuiſcere, litterarum ſtudia florere, & omnes bonæ artes in lucem prodire incipiunt. Quibus breui vniuerſi illi Barbari hoſtes profligari, pelli & penit^o è medio tolli poſſunt, ita vt noſtra Germania, non ſolum bellica laude, maiorum nobilitate, ac Romani imperij præeminentia excellat, ſed omnium bonarum litterarũ ſcientia, cunctarum diſciplinarum eruditione clariſſimorum ingeniorum fœlicitate, illuſtretur, celebretur, decoretur. Quandoquidem ad tantam conſequendam victoriam, neq; militum deeſt exercitus, Imperatorum etiam ſupereſt manus. Nam vt reliquos ſtudiorum prætereamus refollicatores, nonne illuſtriſſimi illi Saxoniæ Duces, quamuis maiorũ titulis adeo ſint inſignes, opibus tam porentes, animi & corporis dotibus perinde fortunati, vt nil ad tam abſolutum fœlicitatis cumulum addi poſſe videatur. Vltra hæc tamen litteraria inſtauratione immortalem, veram & nunquam intermorituram ſibi peperere gloriam. Quam enim maiorem, firmiorem, & honeſtiorem ſui memoriam, Magnus ille Romani Imperij Elector Fridericus Saxoniæ Dux incomparabilis relinquere potuiſſet, quam talem tamque egregiam Academiam erigere, quæ etiam cum priſcis illis contenderet, præſentium vero nulli inferior, plurimis eſſet ſuperior. Siquidem cœli quis ſtellas antea numeraret, aut tot doctiſſimorum virorum merita præconia celebrare poſſet. Hoc nullo nõ memorandum æuo, primos fuiſſe Witenbergenſes ſapientes, qui poſt tot ſecula oculos aperire, verum à falſo dignoſcere, & deprauatum philoſophandi rationem à Chriſtiana Theologia ſecernere inceperint. Huius tanti principis veſtigia ſequutus illuſtriſſimus Dominus tuus Georgius Saxoniæ dux florentiſſimus, qui ne Patruo virtutib. cederet, aut pace minor quam bello eſſet, Lipſenſem ſuam Academiam ita doctis viris exornat, ita ſtudiorum incuriam diligenter emendat, ita bonarum artium cupidos inſtigat, vt non minorem inde gloriam conſequatur, quam diſciplinarum candidati, vtilitatem adipiſcatur. Quod ſi verbis reliquas tanti Heroi tui virtutes complecti vellem, nil aliud profecto agerem, quam ſolis ſplendorem faculis illuſtrare. Ceterum vt tandem ad Lucianum noſtrum reuertar, ego tibi mi eruditiſſime Hieronyme, tam lepidum Rhetorem, & venuſtum dicendi Magiſtrum dedico, non ſolum vt amicitiæ noſtræ pignus ſit certiſſimum, ſed quemadmodum me olim in bellicis rebus, Martialium copiarum ducem eſſe vidiſti, ita nunc in Reuchlinianis Caſtris ordines gerentem non penitus ignauum ἀλεξίκακον eſſe cognoſcas, maxime cum tu quoque ἀλεξιφάρμακον illorum præcipuus hoſtis exiſtas. & in Reuchliniano commilitio (abſit verbo inuidia) acerrimus propugnator habearis. Accipe igitur Hieronyme amiciſſime, munus vt arbitror non omnino ingratum, ac Bilibaldum tuum amore & beneuolentia, vt ſemper feciſti, proſequere. Paulum Prachtbectium Iureconſultum clariſſimum, & Henricum Stromerum Medicum præſtantiſſimum meo nomine ſaluta. Tu quoque fauſte & fœliciter viue ac vale, &c.

PRÆ-

PRÆFATIO IN B. FVLGENTII LIBROS PRIMVM INVENTOS ET EDITOS.

REVERENDÆ MATRI CHARITATI PIRCKEIMERIN, Abbatissæ Diuæ Claræ Norimbergæ, Sororisuæ Charissimæ Bilibaldus Pirckheimer S. D. XIV.

QVum annis superioribus, egregia & charissima soror mea Charitas, Reipubl. nostræ legatus ad inuictissimum & nunquam intermorituræ gloriæ Cæsarem Maximilianum in Germaniã tenderem inferiorem, ex viaq; Herbipolim peruenissem, Ioannem Tritemiũ, olim abbatem Spanheimensem veterem conueni ac salutaui amicum, à quo cum peramice fuissem exceptus, ac multis de studiis nostris confabularemur, vetustissimorũ quoq; codicũ mentio incidit, quibus vt fieri solet ille oppido quã abundabat, vt pote qui eos vndiq; ex Germaniæ etiã magnæ corraserat monasteriis, hortatus sum itaq; virum, vt ad cõmunem studiosorum vtilitatem illos aliquãdo in publicum emitteret, præcipue quos iam conclamatos, & tamen non deperditos esse cognosceret, quod ille tum per exemptus esset, summis laboraui viribus, vt quod ille in vita nequiuisset, ego saltem post eius præstarem obitum. Sed frustra, adeo enim repente cuncta quæ reliquerat disparuere, vt ne vestigia quidem superesse viderentur. Tandem vero post spem omnem proiectam, vnicus tamen ad me liber delatus est, vetustatis mitæ & litteris ferme ignorabilibus conscriptus. Quem vt primum inspexi adeo veneranda illius antiquitate sum oblectatus, vt thesaurum vel preciosissimum inuenisse me putarem. Sed non parum angebar, qui subinitium ne verbum quidem legere possem, adeo priscum quid & obsoletum litteræ illæ præ se ferebant. Repuerascere igitur, & iterum prima elementa addiscere coactus. Scripturam illam pressius intueri, litteras discernere, inde connectere, & rursus dissoluere cœpi. Ac tantum ea effeci nocte, vt quamuis pedetentim, plane tamen cuncta legere possem. Deprehendi itaque, B. Fulgentii opera, eo contineri libro, viri tam vitæ sanctimonia, quam doctrina & eruditione clarissimi. Quapropter opere precium non defuturum existimaui, si tam splendidum Christianæ fidei lumẽ, haud sub modio occultarem, sed cunctis, præcipue vero sacris litterarum studiosis, benigne perferrem. Quam primum igitur Cobergero nostro accerstum, illum hortatus sum, vt ob commodum publicum librum imprimi curaret. Quod se confestim facturum, & nullis impensis parsurum obtulit. Ceterum alia difficultas, (vt est vir humanissimus) quæ animi nostri conceptum impedire conabatur, obiecta est. Is enim qui librum possidebat, venalem esse negabat. Nos vero qui haud magnopere id curabamus, & saltem transcribendum commodaret precabamur, sed frustra. Alia igitur via hominem, cuius iam mens suboluisset, aggredi sumus coacti. Paulatim enim licitando eo rem deduximus, vt non tam precibus quam precio voti compotes euaderemus, & eo inquam precio, quo vix alius, vel plures tales emeret libros. Adiecta obiter de restituendo stipulatione & apocha signata. Verum codice tandem impetrato, aliud confestim impedimentum emersit. Nam cum plures adhibuissemus notarios, nemo tamen fuit, qui describendi periculum facere auderet, adeo res non solum videbatur ardua, sed & desperata, tametsi me ducem fore, & tantæ caligini faces adhibiturum pollicerer. Iterum igitur in vadis hærebamus. Ceterum forte fortuna diebus illis Ioannes Cocleus noster, vir & ingenii rari, eruditionisque summæ, ex Italia aduenerat, vbi post multos sudores Theologiæ Doctoratu (vt vocant) ornatus fuerat. Cumque Franckfordiam properaret, (nam ibi apud diuam Virginem Decanum agit) ob pestem, quæ tum illic grassabatur, hic subsistere coactus est. Hunc itaque participem aggressi sumus, ac vt negotiũ hoc susciperet, exoranimus, qui & illud, vt cernere licet, per quam feliciter absolut. Hæc soror charissima longiori fortitan quam necesse fuisset, persequutus sum filo. Sed ita libuit, vt cognosceres, quanta difficultate, quantisque impensis sanctissimi viri scripta, è tenebris & retro eruerimus carcere. Fuit autem (ne illud quoque prætereamus) Fulgentius Apher, patria Carthaginensis, qui non tam ob generis nobilitatem, (tametsi perquam nobili ortus esset familia) quam eruditionem, & vitæ sanctitatem Ruspensis factus est Episcopus. Cumq; in Arrianorum gratiam, Vandali, per totam Africam Catholicos cœdibus & exilijs affligerent, allorumque templa vndique clauderent, Fulgentius quoque cum reliqua Episcoporum turba in Sardiniam deportatus est, vbi suos assidue docere, hortari & in tanta calamitate solari non destitit. Tandem ab exilio reuocatus, summo honore, vir summus à Carthaginensibus susceptus est. Demũ vero abiecta cura ecclesiastica, in Circinna Insula, legendo, scribendo, & Deo inseruiendo diem fœliciter clausit. Hæc igitur B. Fulgentii, nec nõ reliqua, quæ eodẽ libro continebantur opera, & nobis, quoniam vna reperta essent, haud secernenda videbantur, tibi Charitas charissima & communi sorori nostræ Claræ

Claræ dedico, recte sciens, spirituale hoc donum longe vobis gratius esse, quam si rem præciosissimam sed euanidam accepissetis. Et eo magis qui nil terrenum, aut ex humanis traditiunculis depromptum, sed plane diuinum quid & cœleste, tanti viri redoleat scripta. Quod tum demum verum esse deprehenderis, cum exactius illa relegeritis, id vt faciatis, admonere haud attinet. Cum & equus generosus, potius fœno quam calcaribus indigeat. Bene vale soror præstantissima, cum virginali illo cœtu, non minus eruditione, & bonis litteris, quam moribus & vitæ probitate clara. Nurinbergæ ex nostris ædibus decimo Kalendas Ianuarii. Anno salutis humanæ. M. D. XIX.

PRÆFATIO IN XENOPHONTIS GRÆCARVM RERVM LIBROS SEPTEM, A BILIB. LATINE REDITOS.

SEBALDO ET GEORGIO GEVDERIS, VRBIS NOREMBERGÆ Patriciis, Thomas Venatorius. XV.

REpetenti mihi varia litterarum studia, ad quæ nos statim in ipso adhuc iuuentutis flore, vt verę laudis gloriam assequamur, mittunt parentes, nullum equidem mihi visum est, vel iucundius singulis, vel vtilius, ac perinde magis necessarium vniuersis, his præsertim quibus olim Reipub. gubernacula reseruantur, Sebalde & Georgi Geuderi Patricii ornatissimi, atque est illa multiplex & copiosa gestarum rerum testis Historia. Quia enim nuncia est vetustatis, vt præclare dixit Cicero, fieri non potest, quin ipsa sit, ceu quædam honestæ vitæ officina, ex qua in dubiis rebus certa sibi quisque petere consilia, certas sibi & tanquam viuas ad bene viuendum proponere imagines & possit & audeat. Nam reliquæ, quas vocant liberales artes vniuersæ, quid quæso in Repub. faciant, vbi non illis accesserit gestarum rerum cognitio? Atqui Historia non tam exempla, quam incitamenta etiam quædam habet, quæ vel crudelissimos, & ab omni penitus humanitate alienos, in quandam mansuetioris vitæ consuetudinem inuitare vel rapere porius possint: Id quod nec vllæ hominum leges, neque vlla Philosophorum præscripta præstare queant. Quid enim leges queant aliud, vbi non ex aliqua præclaræ rei gestæ cognitione emanarint, præterquam cogere, terrere, punire? Philosophi autem in vmbra & otio quædam libere, ad formandos indocti vulgi mores in disputationem vocarunt: quæ hoc minus peccandi licentiam arcent, quo minus est videri aliquid, quam esse, hoc est, quo maior est opinione veritas. Quando enim non ab honesto iustitiæ ad iniustitiam declinauit, qui vel rigidarum vim legum vel supercilioſa Philosophorum duntaxat præscripta calluit? Ab iniustitia vero ad immisericordiam nonne facilis est transitus? Immisericordiam nonne, tanquam necessario, sequitur crudelitas? Crudelitatis nonne comes est ferina illa, & quæ omnem prorsus agendarum rerum electionem excludit, immanitas? Dii melius, quam sic vnquam habenas rerum teneant honestatis ignari. Porro quisquis præteritarum rerum cognitionem tenuerit, facile ex his, quæ virtutis adminiculo facta recensent historiæ, intelliget, quãtum ei qui aliis præest, crudelitatem fugere liceat: Et hoc agere semper, vt quam maxime fieri possit, ametur à plurimis, timeatur à paucis. Nam si maioribus nostris credimus ciuitates & regna fide & clementia magis quam vi & armis tuentur. Crudelitatem enim exercere in ciues, vt est pusilli, & omnia timentis animi signum, ita clementia conciliare sibi non vnos duntaxat ciues, sed & hostes, excelli & magnanimi spiritus argumentum esse solet. Quocirca non infrequenter maior est virtus seruasse hostem, quam extinxisse. Seruato enim hoste, sæpius victoriæ triumphos, ducere sæpius clementiæ documenta præbere licebit: quorum neutrum assequitur victor, si temere & quo sese fortunæ impetus rapuerit, feratur in hostem. Etsi enim difficile est temperare conceptis animo affectibus, tamen quisquis famæ, studio, & honestæ laudis cura tangitur, non magis indugere sibi, quam imperare etiam gloriosum duxerit. Qui secus est affectus, illumne Therſites ille quidem, omnium qui ad expugnandam Troiam venerunt ignauissimus, in hostes secum ducturus fuerit. Nam ignauos duces non raro mutationes rerum sequuntur: quæ deinceps cædem, fugam, aliaque hostilia, vt scriptum à Salustio, portendunt. Atqui serum est cauendi tempus in mediis malis, & quando iam nihil profuturа sit illa stulte agentium vox; Non putaram. Cum hæc dico, nolite quæso existimare, velle me quenquam ab obeundis publicis patriæ officiis remorari, ob eam tãtum causam, quod difficile est, bene imperare aliis. Non eo propterea instituta est oratio mea, quo minus liberum sit, cuique parare sibi immortalem gloriam, si oblata eius fuerit occasio. Etsi enim difficile est bene imperare, haud ideo tamen publicorum officiorum molem, cuiquam egregio viro, si ea vltro offeratur, fugere permiserim. Qui alios enim regit & seruat, dum plurimorum curam gerit, dum miserorum necessitas tanquam in humeros suos transfert, ille demum sibi immortale & omni quoque ære perennis nomen parat. Qui vero nullam earum rerum, quas hic recensemus, habuerint scientiam, illos ego nimirum ad pascendos armentorum greges tantisper relegauerim, dum facti prudentiores intelligant, quam non sit tutum illotis, vt aiunt, pedibus, ad tam augustum seruandæ Reip. munus

munus accedere, Nam vt alibi scripsit Xenophon noster, πάντων τῶν ἀκτῶν ζώων ἡμῖν ἡμέρων, ἢ ἀνημέρων ἄρχειν. Quod tamen paulo post facilimũ fere ostendit, si rerum agendarum vsus cum prudentia accesserit. Quis enim non pareat illi, qui cum summa rerum prudentia, summam quoque fidem, clementiam, constantiam, æquitatem, vigilantiam, sedulitatem, labores, sobrietatem, & alias id genus heroicas plane virtutes sibi copulauerit? Credite mihi, tantus est quisque in Repub. quantum sese virtutibus ostendit, & quisquis præficitur aliis, tanquam commune aliorum ciuium spectaculum constituitur. Quem nemo facile præcipientem audiet, nisi illud, ad quod euectus est fastigium, suis quodammodo virtutibus reddat ornatius Animi ornamentis opus est, quæ quidem à virtute proficiscuntur, vbi magistratus audientes velint habere ciues. Cuius vos rei præsens atque adeo domestícum habetis exemplum, parentem vestrum, virum senatorem, qui Dei primo benignitate, deinde sua ipsius industria, per omnes gerendæ Reipub. gradus adscendens, nullam tamen virulentæ, & optima semper carpentis linguæ rabiem pertimuit vnquam. Quid dicam de aunnculo vestro, Bilibaldo illo Pirckeimero, viro ex æquo & græce & latine doctissimo? Quid vnquam enim fecit ille Reipub. gratia, in quo non omnia generosi animi indicia perspecta sint? Quando vnquam non fuit solicitus ille, vt bene esset patriæ? vt tranquille inter se agerent ciues? Nemo illum vidit vel gratiam vel beneficium vendere vnquam. Et quemcunque ad gratiam dicere aut scribere sententiam intellexisset, indignum esse censebat, cui puniendi flagitiosos delegaretur prouincia. Nam pauci sunt, inquit, qui non se, ne puniantur redimere queant, si manus ad munera expositas inuenire liceat ipsis. Hinc suramam peccandi licentiam arripere vulgus, & sacrosanctas patriæ leges ab improbis rideri, haberique ludibrio, ac tandem etiam apud posteros contemptui futuras. Vnde eos præficiendos aliis dicebat, qui nihil per gratiam, nihil per vim aut odium agerent, sed semper iuxta inculpatæ iustitiæ oculum omnia iuste & sancte vel damnarent vel absoluerent. Quocirca Chrysippi ingenium sæpe commendabat nobis, qui iustitiæ imaginem expressurus, luminibus oculorum vt acrioribus, ita etiam rectis & immotis pingere studuerit: quo nimirum significaret, magistratum nullius gratiam præferre debere iustis legibus, sed in improbos seuerum & inexorabilem, in probos mitem & mansuetum esse oportere. Hac enim via, inquit, dum ingrederentur maiores olim nostri, aduersus multas simul aut motas aut suspectas immutationes rerum, & se & ciuitatem hanc suam munierunt, seruaruntque. Ceterum ne ad formandos optimos cuiquam mores recta desint studia, vtque non tam priuatam quam publicam patriæ quoque salutem tuere contendant ciues, ac subinde nouam semper patriæ gloriam comparare studeant, ad ea duntaxat adiicendus est animus studia, quæ bonorum omnium consensu ad omnem sunt virtutem accommodatissima. Quo in ordine vel primas obtinet historia, ex qua tanquam ab oracuIo ciuilia pedetenda censemus instituta, cum quod ea sit vna quæ recte aut secus factorum memoriam habeat, tum quod quenque officii sui commonefacit magis, quam vllæ statuæ, magis quam vllæ Pyramides aut imagines maiorum. Sed hic scio non deerunt, qui hunc nostrum de historia calculum improbare ausint, quique ex legibus petenda duxerint, cum æqua tum iniqua discrimina rerum. Illis ego nihil durius in præsentia dicturus sum, si vnam duntaxat consiliorum meorum rationem eluserint. Dicant quæso mihi, si vera est illa, quam tanto studio tuentur, de legibus sententia, vndenam originem suam duxerint leges, aut merito intra vrbium mœnia admissæ sint? Nonne ab vsu rerum magistro? Longo namque rerum vsu veteres olim sapientes cum domi tum foris acquisito, varia ac vere semper pugnantia vulgi studia cognoscentes, varias vitiorum pœnas, varia vicissim egregie factorum præmia statuerunt: id quod hodie vna, & prorsus vnica nobis præstare & tanquam in speculo quodam representare queat historia.

Quod simul atque mecum sensisset Bilibaldus Pirckeimerus, rectissimi vir iudicii, vidissetque etiam tum extare Græcorum aliquod Historicorum, Thucididem & Herodotum Romane loquentes, operæ putaui precium, vt eos etiam libros, quos de rebus Græcorum post Thucididem scripserat Xenophon, & Rhetor & Philosophus ille, latinæ legerent scholæ. Quamuis autem nulla vnquam affectatio, si Fabio auscultamus, inaffectatam illam Xenophontis iucunditatem consequi potuerit, vel quod ipse quasi sermonem Græcis finxisse videatur, vel quod de Pericle veteris comœdiæ testimonium est, in hunc transferri iustissime possit, in labiis eius sedisse quandam persuadendi deam: tamen nemo bonus fidem & sedulitatem auunculi vestri, viri incomparabilis, iure improbare poterit, quando in hoc vnum respexerit, vt hoc labore suo prodesset multis, vt ad virtutes, animi ornamenta, inuitaret quam plurimos.

Hæc delectatio illius, hoc gaudium, hoc desiderium fuit. Porro ego cum eos nuper libros, tanquam mihi Musis, post fata illius nactus essem, officii mei partes esse duxi, vt quam emendatissimi, sub vestri nominis patrocinio ederentur: tum quod ipsemet adhuc viuens ad ea vos semper inuitarem, tum quod ipsemet adhuc viuens ad ea vos semper inuitatuit studia, quibus egregiam familiæ vestræ famam ad posteros transmittere possetis: tum quod

quod in hiſce equidem libris crebro ſeſe offerunt grauiſſimæ, & ductis ab arte argumentis, ad perſuadendum validiſſimæ orationes, quibus, vt Fabius autor eſt & ingenium exercetur multiplici variaque materia, & animus contemplatione recti prauique formatur, & multa inde cognitio rerum venit: Exemplisque, quæ ſunt in omni genere cauſarum potentiſſima. Nam hiſce in rebus mire excelluiſſe Xenophontem aiunt. Hinc ipſe à Priſcorum eruditis ἀττικὴ μοῦσα, quemadmodum Diogenes Laërtius tradidit, cognominatus eſt. Et Cicero ſermonem illius melle quoq; dulciorem dicit Cyropediam eius. Scipio ille, cui Aphricano cognomen ex virtute fuit, in tantum probauit, vt eam nunquam è manibus depoſuiſſe legatur. Et merito quidem. Nam vbique ſui ſimilis Xenophon, amœnus iuxta ac fœcundus, neque ſterilis, neque aridus vnquam, non tam ſupra quam oportet, effuſus: quo amœniſſimo narrationis genere doctiſſimi cuiuſque & ſenſus & affectus equidem facile capiuntur, ducunturque. Sed eius iam ego vos quod dixi, periculum facere velim magis, quam in laudes autoris intentum audire diutius. Nam ſi ad Xenophontem vos receperitis, primo præcipuam vos honeſti illius, quod virtutem vocarunt quidam, curam habere declarabitis, deinde conceptam olim de vobis auunculi veſtri opera non defraudabitis, ac poſtremo illam generis veſtri vetuſtam claritudinem, longe clariorem ad poſteros transmittetis.

Valete. Norimbergæ XI. Calend. Maii Anno
M. D. XXXII.

BILI-

BILIBALDI PIRCKHEIMERI EPISTOLARVM FAMILIARIVM

LIBER MISCELLVS,

CONTINENS VARIAS VARIORVM EPISTOLAS THEOLOGICAS, POLITICAS, HISTORICAS ET PHILOLOGICAS.

EXCELLENTISSIMO VTRIVSQVE IVRIS DOCTORI,

Domino Iohanni Pirckheimer, patri suo charissimo. Nurenbergæ. I.

BILIBALDVS filius S. P. D. Habui litteras vestras, Pater charissime, ex quibus accepi, quindecim aureos vos persoluisse. Quamobrem gratias ago atque habeo. Ex ea enim re facile perspicere possum, vestram in me singularem, vt patrem in filium decet, beniuolentiam. Sed tamen cum transactis diebus hos pro necessitate exposuissem, alios XVI. Ducatos ab affinibus nostris mutuo accipere coactus fui: quos soluere velitis, rogo. Ego vero operam dabo, ne inutiliter pecunias consumere videar. Si tamen me vnquam pecuniæ prosum intelligetis, cupio, ne solidum quidem detis. Sed de pecuniis hactenus. Opus Marsilii Ficini affinibus dedi, qui id se transmissuros dixerunt. Theologiam Marsilii seu Platonis non repe-rio. Sultonius cum comment. absolutus est, sed Quintilianus nondum. Aiunt meras esse ineptias. Imprimitur iam cum annotationibus & correctionibus, quas laudant. Opus Laurentii Vallensis non reperio. Catilina Salustii cum Comment. Vallæ iam impressus est, Imprimuntur Orationes Tullii cum Commentariis. Valete, & me, vt spero, commendatum habeatis. Data Paduæ, quarto Nonas Maii, Anno 1491.

Idem Eidem. II.

BIlibaldus filius Patri suo amantissimo S. P. D. Habui litteras vestras, Pater charissime, quibus scribitis simultatem inter me & Rectorem vobis displicere. Fuit quemadmodum in practicis esse solet; sed iam pridem sublata. Est homo leuis. Multa rotulo præterito tam Doctoribus quam Scholaribus etiam fide data promisit, pauca seruauit. Omnibus ludibrio est. Lecturæ Institutionum duæ, Vsuum Feudorum duæ, Lecturæ Decretorum tres, vniuersitatis Lectura, & Notariæ, omnes à Domino sublatæ sunt. Rector id tempore suo factum nihili pendet. Omnes clamitant indigne factum, eum non impedimento fuisse cum potuisset. Nullum Marsilii opus reperio. Florentię imprimuntur. Ideo rara hic sunt. Quintilianus cum Comment. absolutus nondum est. Nihil noui in Theologia audio impressum. Accepi mutuo ab affinibus nostris X. ducatos, quos soluere velitis rogo. Omnia in pretio hic sunt. Insuper anni futuri spes omnis agricolis adempta est. Omnia hieme præterita frigore periere. Si placet, prouidebo, vbi anno futuro maneam. Rescribite: nam tempus instat. Rogo etiam, vt telam pro camisiis mittatis, nam commode potestis, hic summo in pretio est. Valete felix, & auo me commendetis. Iterum valete. Datum Paduæ, quarto Idus Iulii, Anno Domini 1491.

Hutteno suo Bilibaldus S. III.

AVlam tuam legi, ac relegi quidem ἀδικαιολόγητον. Sed tu me iudicem statuis, & ex animi sententia iudicare imperas. Quid igitur faciam, χολοῦμαι ἢ γελῶ? Num πρὸς ἀλήθειαν ἢ πρὸς χάριν διάκρινῶ; πρὸς ἀλήθειαν, sat scio, inquies. Parebo igitur, sed tu videbis, qualem nam iudicem constitueris. Ἀρῶ γῆν. verum tu ne mouearis. Immatura res tua videtur AVLA. Ἀνίχνευτον, nondum dixi verum; duriore verbo rem appellare nolui, scilicet vt nonnihil amicitiæ tribuerem. Quid enim, si intempestiuam nominassem? vt interim procaciã omittam, veluti ματαιότητα, λαμυρώτητα, & reliqua id genus vertitum illud ingeminet, ἐπ' πιπάν, ἐπ' πιπάν. Sed λῆρον λήθεις inquies: inceps quærito iudicem, ὃς κέρκῳ σκηπτῷ prohibeor? ἢ σύγε ἐμοῦ ἄκρει ἀδολεσχίας. At nimiũ tandem quod agis agas. Atqui num solus φλυαφοίην te detineo. Audi igitur. Tune aulica describere audes incommoda, nondum aulicas expertus συκοφαντίας? Quid ageres, si, vt nos, millies deceptus, circumscriptus, exclusus, reiectus, vel potius eiectus esses? πώποτε πώποτε, καὶ τοῦτον ὃν δυνήσεται experiri oporteat, ac lustra quatuor detestandæ ingratæ & perfidę inseruire aulæ. Tum demum perbelle & veris lacrymis fabulam egisses rem expertam potius, quam ab aliis auditam enarraris. ὥστιον γὰρ πιστεύει ψευδαλείοις Hæc causa fuit, mi Vlriche, quare Aulam tuã impraturam dixerim. Proinde tu quoq; diiudica mihi, rem suo nomine appellarim nec ne. Verum iam tecum nugari desinam. Vtinam, mi Vlriche, tu minime aulicis insenescas ærumnis; sed potius ea felicitate, qua rem tam affabre depinxisti, extra Cyclopes, Centauros, Sphyngem, Chimæram, Scyllã, ἢ εἰς μυσαρώτερον ἢ φοβερώτερον, effugias. ἐυελπιστοτέρα χαρίεσσα, si alieno periculo sapies. Id vt tibi eueniat, etiam opto. Etenim dignus es, cui omnes ob ingenium & eruditionem tuam innumeram beneprecentur: dignus, cui digna respondeat fortuna: dignissimus tandem, qui ab omni Aulica peruersitate seruetis peste. Sibi, amicis & Musis viuens χαίρων. Vale.

EPISTO-

EPISTOLA DOMINI PIRCKEIMERI AD IMPERATOREM MAXIMILIANVM I. ETC. EX IPSIVS PROPRIO MANVSCRIpto excerpta. IV.

INuictissime ac Potentissime Imperator, Domine Clementissime, litteras Cæsareæ vestræ Maiestatis, continentes typum, hic olim precibus Iosephi Grumpecki diuulgatum, demissa animi subiectione, debitaque reuerentia accepi, ac iussu & mandato vestræ Maiestatis Typographum libri istius gratia, compellaui, qui mihi retulit quod nullum istorum librorum exemplar amplius supersit, sed quod Grumpeckius maximam partem istorum primo sibi comparauerit, & Bohemo cuipiam per alium (quem in puncto mihi ostendit) ad se deductum, typorum formam iam pridem vendiderit: Quapropter rem hanc sicco pede ptæterire coactus sum, nec eandem in effectum producere potui. Quod autem vestra Maiestas monumentum illud antiquum Treuirense, quod incorruptum adhuc & lectu haud difficile ibidem conspicitur, ante hac à me peti curauerit, en illud ipsum iam Maiestati vestræ humili cum obsequio tramitto: cognoscet autem antiquitatem istam, sepulchrum, non autem (vt vulgus iudicat) memoriam Constantini esse. Hisce me Cæsareæ vestræ Maiestati, tamquam Domino meo Clementissimo, humillime commendo. Datum N.

ANTIQVA INSCIPTIO TREVIRENSIS.

LI. SECVNDINI. SECVRI. ET. PVBLIÆ. PA. GAIÆ. CONIVGI. SECVNDINI. AVENTINI. ET. ISACIO. MODESTO. MACEDONI. FILIO. ET. IVSV———SECVNDINVS. AVENTINVS. ET. SECVNDINI. SECVRVS. PARENTIBVS. F. F. CVNCTIS. ET.

EPISTOLA IOAN. CVSPINIANI HISTORICI CÆSAREI AD BILIEALDVM PIRCKheimerum. S. P. D. V.

SEculum mihi videtur, quod ad te non scripsi & seculo longius. Id fecit horrendum illud incendium: quod ita euastauit hanc vrbem nostram, & sex pene horis absumpsit quadringentas & sexaginta domus: Templum Diui Michaelis secundum post Diui Stephani idem. Tria monialium Cœnobia, imo vero potius claustra bene exedificata ex lapidibus. Heu crudelé incendium quo & domus mea absorpta est cum magna parte suppellectilis. Et in suburbio altera item domus plena frugibus. Passus sum ob id sex millium florenorum damnum certo & amplius. Tertia nempe die post incendium ex corruscatione ac fulmine omnia mea pene vineta perierunt. Octaua post die fregi tibiam sinistri pedis: heu meminisse piget, totus annus mihi tum ex damno, tum ex ægritudine adeo molestus fuit, vt totus sim factus canus supra ætatem. Librorum suppellectilem Deus mihi seruauit. Cogor itaque inopia etiam pressus quærere viam, quo refocillet, vt ciui vestro Koburgio, qui profecto habet characteres non spernendas, darem ad inuulgandum: si modo velit recte mecum agere. In primis scias, duas esse operis partes absolutas. In tertia adhuc laboro. Habet prima pars omnes Coss. Cassiodori, cum omnibus regibus Assyriis, Latinis & Romanorum, vsque ad Cæsarem Iustinianum: cum nostris scholiis & annotationibus omnium qui extant Autorum Græcorum & Latinorum. Imo & cum Pontificibus, qui sub iis Cæsaribus extiterunt, cum Tribunis inclitum, qui consularem habuerunt parentem. Sunt horum Coss. anni annotati triplici numero: Per Olympiades, per annos vrbis conditæ, per Reges eiectos. Sub Augusto accedit numerus annorum Christi vsque ad finem operis. Vbi plane deprehendes, qui se Eutebii Chronica habere autumant, ne vmbram quidem habere. Quot illic deprehendes loca Iuris Ciuilis, & Plinii ac Historiarum pene omnium. Malo te prius videre quam mihi credere. Præposui iis Coss. Ruffum Sextum, qui ad Valentinianum scripsit, mirum compendium de regia ac consulari potestate, quo tempore singulæ prouinciæ ac regna in potestatem Romanorum venerint, quasi prodromon, & veluti Geographiæ ad historias noscendas præuium: Ac item cum nostris scholiis ac annotationibus non ponitur. Esset autem mihi animus hanc mei operis partem primam, quæ in iustum iam creuit volumen, dicare senatui Norinber. viris clariss. quia ante aliquot annos hinc prodierit Chronica mundi populum sibi subditum. A quo merito discere possunt & duces & principes, imo & Reges, quo pacto sint habenæ nectendæ, præsertim hoc nostro seculo. Puto illos pro sua humanitate etiam labores meos æstimare nonnihil. Cum autem tantum habeas iuris in ciuem tuum Koburgium, aut merito te suspicetur atque admiretur, & tanquam parentis loco habeat, facile illi

illi persuaseris: nunc præsertim, cum princeps noster Rex Bohemiæ sit designatus, & ille innumera habeat vasa aurea & argentea, vendibilia: Vt ad Viennam paulisper diuertat, & vno labore rem suam agat & codicem secum asportet. Credo equidem gratificatum vniuersæ Reipub. litterariæ, & in primis senatui inclyto. Habes primæ partis operis mei summam & argumentum. Audi patienter, quid altera pars habeat. Cathalogus est inprimis Cæsarum omnium à Iulio Cæsare ad Maximilianum Imperatorem cum familia omnium & parentela, vbi haberi potest, à rebus gestis cum effigie singulorum ex antiquis Numismatis. Tandem cum tetrastichis, quæ Ausonius Burdegalensis fecit: Ego autem, vbi desinit, suppleui ad Maximilianum vsque, iis demptis, qui in Oriente imperarunt, & Turcis: Quorum tamen nomenclaturam cum suis gestis & omni viuendi ritu enarraui, speciali veluti opusculo annexo. Dum enim Oratorem Cæsaris Maximiliani per annos pene viginti agerem: Fœlici Petancio Ragusino viro docto & integro, oratori Vladislai Regis Hungariæ, qui multis annis apud Turcas agebat, familiariter iunctus, multa didici & ab autoribus, qui Budam appulerunt, audiui, quæ scire nullum est dispendium. Peregrinationibus itaque variis edoctus, consessi, quæ multos latent. In Imperatoribus vero Græcanicis vsus sum Zonora Græco authore, qui à condito orbe suam orsus historiam ad Alexium Comnenum Imperatorem perduxit. Dehinc variis libellis græcis excussis, ac simul latinis, Res imperatorum Græcorum vsque ad originem Turcorum, bonis vt credo auibus prosequutus sum. A Carolo autem Maximo auspicatus nostratum scribere historias per omnes familias Bauariæ, Austriæ, Saxoniæ, Sueuiæ, vsque ad secula nostra. Sic excussi schedas omneis & monumenta, vt etiam cutiosius Lector nihil desiderare queat: Temporum pene interualla ita attemperans, vt serie quadam concinna, opus magnum & ingens alioquin confusum, vnum compactum è diuersis membris corpus appareat. Id Principi nostri Regi Ferdinando dicare statui, aut si videbitur Carolo V. Cæs. Te quæso, æstima, quod fuerint mihi græci ac latini authores perlustrandi. Dico etiam, Barbari & Annales vernaculi. Nihil enim horum asperna tus sum, vestigia sequutus illius, qui nullum asseruit librum tam fore malum, quin parte ex aliqua prodesset. Seniores itidem & maiores natu, inuestigaui: à quibus non parum multa edoctus sum.

Id quod omnes addecet scriptores, vt Plinius asseruit. Id quoq; perpetuo stylo ac familiari pro mediocriter eruditis concinnaui. Fuit enim nonnunquum data opera mihi ad Barbariem vsque descendendum, propter Barbarorum ineptias: Quanquam vt latratus obloquentium fugiam non scribo. Nemo enim tam oculatus vnquam extitit, quin malignum inuenerit interpretem. Bonos lectores æqui bonique consulent, morosos facio nauci. Sed vt ordine Cæsarum omnium Catalogum habeas huius operis, sic accipe.

C. Iulius Cæsar
Octauianus Augustus
Claudius Tiberius Nero
C. Caligula
Claudius Cæsar
Domicius Nero
Sergius Galba
M. Siluius Otho.
A. Vitellius
Flauius Vespasianus
Titus Vespasianus
Domicianus
Cocceius Nerua
M. Vlpius Traianus
P. Ælius Hadrianus
Antonius Pius
M. Antonius Verus
Duo Augg. Cæss.
L. Annius Seuerus
L. Ælius Commodus
P. Ælius Pertinax
Didius Iulianus.
(Pescennium Nigrum & Seuerum Imperatores occidit, occisus & ipse post duos menses, & ideo ab aliis præteritur, licet Ausonius Tetrastichon de eo scribat.)
L. Sept. Seuerus
M. Antonius Bassianus Caracalla
Opilius Matrinus.

Hic Auſonii Tetraſticha deficiunt, & noſtra incipiunt vſque ad calcem operis.
Antonius Heliogabalus.
Aurelius Alexander
Maximus Auguſtus
Gordianus Maximus, Balbinus Impp.
Philippi duo, pater & Filius Impp.
Decius Imp.
C. Vibius Trebonianus Gallus Imperator Cæſar cum Vibio Voluſiano filio.
P. Licinius Valerianus, & Licinius Gallienus Cæſar. Aug. cum XXX. Tyrannis.
M. Flauius Claudius.
Valerius Aurelianus.
P. Annius Tacitus.
M. Annius Floruinus frater.
M. Aurelius Probus.
M. Aurelius Charus cum Filiis Numeriano & Carino Cæſſ.
Conſtantinus Max. Aug. Maxentius Cæſſ. Iulius Licinianus Aug.
Galerius Maximianus.
Conſtantinus II. & Conſtans fratres ac Dalmatius Cæſſ. Augg. cum nonnullis aliis Tyrannis.
Flauius Claudius Iulianus.
Iouianus.
Fl. Val. Valentinianus Aug. Imp. ac Fl. Valens frater Aug. Imp. Procopius Tyrannus.
Fl. Gracianus Cæſ. Aug. Imp. Fl. Valentinianus.
Iunior Auguſtus
Theodoſius Aug. Maximus, Victor, Eugenius Tyrannus Arcadius & Honorius fratres Augg. Impp. Conſtantius III. Cæſar ac multi Tyranni. Stilico. Gildo. Eucherius, Theodoſius Iunior Imp. Oriental. Valentinianus III. Imp. Occidentis cum Tyrannis Ioanne & aliis.
Fl. Val. Marcianus Aug. Imp. Or. ac Tyranni multi Occidentales.
Fl. Val. Leon. I. Imp. Tyranni ſub quibus defecit Imperium. Anthemius, Romanus, Glicerius Nepos, Horeſtes Auguſtulus.
Fl. Val. Leon. II. Fl. Val. Zenon Impp. Oriental. cum duobus Tyrannis Orientis Baſil.
Fl. Val. Anaſtaſius.
Fl. Val. Iuſtinus II. Senior Imp. Or.
Fl. Val. Iuſtinianus.
Fl. Val. Iuſtinus II. Imp.
Tiberius II. Imp. Conſtantinus Imp. Or.
Mauricius.
Phocas Imp. Aug.
Herachius Or. Imp.
Conſtans Imp. Or.
Conſtantinus IV. Pogonatus Imp. Or.
Iuſtiniaus minor Imp. Or.
Iuſtinianus minor Imp. Aug. Tib. III. Apſimarus Imp.
Leontius Imp.
Philippicus Imp. Aug.
Anſtaſius II. Imp. Or. Arthemius.

Theo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [278] - 254
PUBLIC DOMAIN

Theodosius III. Adramicenus Imp. Or.
Leo III. Imp. Or. Isaurus siue Conon cognominatus.
Constantinus V. Copronymus dictus, Or. Imp.
Leo IV. Imp. Or.
Hirene Augusta Constantinus VI. Imp. Or.
Carolus Maximus Cæs. Aug.
Nicephor Or. Imp. cum Stauratio filio.
Michael Raucabe, Curopalates Or. Imp.
Leo Armeniacus Or. Imp.
Ludouicus pius Aquitaniæ Rex. Imp. Aug.
Michael Phryx Traulus Imp. Or.
Theophilus Or. Imp.
Lotharius Imp. Occidentis.
Michael III. & Theodora Imp. Or.
Ludouicus II. Imp. Aug. Occidentis.
Basilius Macedon. Or. Imp.
Carolus II. Caluus dictus, Imp. Aug. Occidentis.
Ludouicus III. Balbus dictus, Imp. Aug.
Carolus Crassus. Imp. Aug.
Leo Philosophus Imp. Or.
Alexander Imp. Or.
Arnolphus Germaniæ Rex ac Imp.
Ludouicus IV. Romanorum Rex.
Confusio Imperii per Longobardorum Reges facta de
Guidone Berengario, Lamberto, Ludouico Bosonf.
Rudolpho, Hugane & Alberto.
Constantinus VII. Imp. Or. ac Romanus Lacapemus Cæs.
Chuenradus Francus Ro. Rex.
Henricus Auceps dictus, Dux Saxonum.
Otho Magnus, Dux Saxoniæ. Imp. Aug.
Romanus Iunior Imp. Or.
Nicephorus Phocas Or. Imp.
Iohannes Zimisces Or. Imp.
Otho II. Dux Saxoniæ Imp. Aug.
Otho III. Dux Saxoniæ Imp. Aug.
Basilius Or. Imp.
Constantinus Basilii frater Imp. Or.
Henricus II. Ro. Imp. Aug. Dux Bauariæ.
Chuenradus II. Salicus Imp. Aug.
Argyropolus Romanus Imp. Or.
Michael Haphlagon. Imp. Or.
Michael Calaphates Imp. Or.
Constantinus Monomachus Imp. Or.
Theodora Imperatrix Or.
Henricus Niger pius dictus, Imp. Aug.
Henricus IV. Imp. Aug.
Michael Senior Imp. Or.
Isaacius Comnenus Or. Imp.
Eudotia Imperatrix, cum tribus filiis Cæss.
Michaele, Andronico & Constantino.
Romanus Diogenes Imp. Or.
Michael Parapinacius Or. Imp.
Nicephorus Botoniates Or. Imp.
Alexius Comnenus Or. Imp.
Henricus Iunior V. Imp. Aug.
Lotharius II. Imp. Aug.
Conradus III. Ro. Rex.
Calo Ioannes Comnenus, Or. Imp.
Manuel Or. Imp.
Alexius Pupillus Or. Im.

 Androni-

Andronicus Comnenus Or.Imp.
Isaacius Angelus Or.Imp.
Alexius Angelus fricida Or. Imp.
Isaacius Iunior Imp. Or.
Fridericus I. Barbarossa Imp. Aug.
Henricus VI. Imp. Aug.
Philippus Dux Sueuiæ, Ro. Rex & Imp.
Otho IV. Dux Saxoniæ Imp. Aug.
Balduinus I. Flandrensis Comes Or. Imp.
Henricus Flandrensis Comes Imp. Or.
Petrus Antisiodorensis Comes Imp. Or.
Rubertus Antisiodorensis Comes Imp. Or.
Balduinus II. Imp. Orient.
Fridericus II Imp. Aug. Rex Siciliæ & Hierusalem.

Interregnum.

Henricus Dux Sueuiæ Ro. Rex.
Conradus Dux Sueuiæ Ro. Rex.
Henricus Hassiæ & Thoringiæ Marchio, Ro. Rex.
Guilelmus Comes Holandiæ Ro. Rex.
Richardus Comes Cornubiæ Ro. Rex.
Aphonsus Castellæ ac Legionis Ro. Rex.
Rudolphus Comes de Habspurg Ro. Rex.
Adolphus Comes de Nassau, Ro. Rex.
Albertus I. Dux Austriæ Ro. Rex.
Henricus VII. Comes Lucelburgen. Imp. Aug.
De diuisione Imperii ob duos competitores Ludouicum, Bauarum, & Fridericum Austriæ Ducem.
Fridericus Dux Austriæ

Romani Impp.

Ludouicus IV. Bauarus
Carolus IV. Rex Boemiæ Imp. Aug.
Guntherus Comes de Schwartzenburg Ro. Rex.
Venceslaus Boemiæ Rex. Ro. Imp. Aug.
Iodocus Barbarus Marchio Brandenburgen. & Morauiæ Ro. Rex.
Rupertus, Palatinus Rheni Ro. Rex.
Sigismundus Rex. Boemiæ & Hungariæ, Marchio Brandenburg. Imp. Aug.
Albertus V. Dux Austriæ, Marchio Morauiæ Imp. Aug.
Fridericus III. Dux Austriæ Imp. Aug.
Michael Paleologus Or. Imp.
Andronicus Senior, & Michael filius Or. Imp.
Andronicus Iunior Or. Imp.
Ioannes Paleologus Calo Ioannes dictus ac Ioannes Catacumsenus Or. Imp.
Manuel Paleologus Or. Imp.
Ioannes II. Paleologus Or. Imp.
Constantinus VIII. & vltimus Or. Imp. Hic videbis miserandam cladem Constantinopolitanam, quam sine lachrymis nemo leget.
De origine Turcorum
De Mahomete, Sarracenorũ Phylarcho & Pseudoproph.
De origine Othomannorum, & familiæ successione.
De Othomanno primo Turcorum Amyra.
Orchanes II.
Amurathes maior III. Turcorum Rex.
Basaietes IV. Turcorum Rex.
Calapin⁹ V. Turcorũ Rex, Orchanes ei⁹ Filius, Moses vero Frater mutuo sese in Imperio succedentes.
Mahometes I. VI. Turcorum Rex.
Amurathes II. VII. Turcorum Rex.

Mahu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [280] - 256
PUBLIC DOMAIN

Mahumetes. II. VII. Turcor. Rex. qui à deuicta Constantinopoli, & sede Imperiali occupata sese. Cæs. fecit.
Baiazethes I I. Othomannus Turcor. Rex. & I I. Cæs.
Zelymus Othomannus. X. Turcor. Rex. & III. Cæs.
Solemeth. I V. & vltimus Cæsar Turcorum : & si gratia Dei affulserit, vere vltimus Cæs. erit, Si Christiani Principes dimissis intestinis bellis vnanimi consensu fidem Christi tuebuntur.
De militari instituto ac militia. De Magistratibus publicis: Deq; ordinibus militum, quibus domi forisq; vtuntur.
Modus castra metandi Turcorum & de instituendis aciebus.
De Religione Turcorum, Ritu ac more viuendi domestico in vniuersum.
Religio Turcorum specialis, & de Sacerdotibus eorum ac peregrinis.
De ceteris moribus domesticis Turcorum.
Fœlicis Petancii libellus, quibus itineribus sint Turci aggrediundi, in aliquot capita distinctus.
Maximilianus Imp. & Cæs. Augustus.

Sic habes mearum lucubrationum summam, quam multis iam annis, vt præcepit Horat : in nonum vsq; annum edere distuli. Cogita quot digressiones & veluti parerga toto hoc opere inserui. Quot remotiora loca passim explicaui: quod obiter veluti digito monstraui. Si itaque tantum opus dignum videtur editione; Mallem enim in patria mea in lucem prodire, vnde & ego prodii : Recte suaseris Kobergerio, tuo ciui, qui tibi dicto audiens ad nos veniat, aut fratrẽ mittat, & vtrumq; opus secum asportet & edat. Durum est mihi committere discrimini viarum, tot diesque noctesq; congessi labores quos Barbari nostri flocci faciunt. Si iacturam facerem in perdendo tanto opere, certe perirem & ipse: quandoquidem cetera pene omnia sustulit incendium. Si hunc quoq; fœtum auferet iniquus quispiam dæmon, de me actum esset. Et iam pene Turcus vorasset nos omnes, si fata non obstitissent, aut sequutus suam fortunam, perrexisset vltra Budam Paululum. Rogo itaque enixe quæ vnica & sola est in Germania, & Venetias pariter, quæ ruinam minatur, non curare studia litterarum, conclamatum esse, libere iam pronuntio : Et tantum in mundo alterationem futuram præuideo, quantam nec secula vnquam meminerunt, vel scripta ad nos veterum signarunt. Dii bene vertant ? Ego etiam securus in vtramuis aurem dormiam somnum Epimenidis. Et forte Turcus id quod supereſt occupabit. Supergressus quinquagesimum ætatis annum, parui facio quod reliquum restat vitæ. Vulcano tradam lucubrationes meas decennales conscriptas, seruandas in aliud seculum. Nec video gymnasium vestrum à nostro Philippo Melanchthone erectum stare diu posse. Vale. Ex Vienna XXV. Ianuarii Anno M. D. XXVII.

Cuspinianus tuus.

NOBILI PATRICIO BILIBALDO PIRCKHEIMERO V. C. VIRO ERVDITISS. atq; optimo. S. P. VI.

ACcepi tandem tandem à te responsum, quo adeo sum consternatus, vt plane augurer, prope diem omnes litteras ac bonas disciplinas vna cum imperio ruituras. Spes fuit adhuc, penes patricios rempub. duraturam, quandoquidem omnium principum ire pessum dominia dum animaduerti : & ad vnum pene omnes principes siue seculares siue spirituales, vt vulgo loquimur, obituros consideraui. Vtinam sim vanus augur. Sed postquam video etiam remp. vestram, quæ vnica & sola est in Germania, & Venetias pariter, quæ ruinam minatur, non curare studia litterarum, conclamatum esse, libere iam pronuntio : Et tantum in mundo alterationem futuram præuideo, quantam nec secula vnquam meminerunt, vel scripta ad nos veterum signarunt. Dii bene vertant ? Ego etiam securus in vtramuis aurem dormiam somnum Epimenidis. Et forte Turcus id quod supereſt occupabit. Supergressus quinquagesimum ætatis annum, parui facio quod reliquum restat vitæ. Vulcano tradam lucubrationes meas decennales conscriptas, seruandas in aliud seculum. Nec video gymnasium vestrum à nostro Philippo Melanchthone erectum stare diu posse. Vale. Ex Vienna XXV. Ianuarii Anno M. D. XXVII.

Cuspinianus tuus.

PRÆCLARO VIRO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, PATRICIO ET SENATORI NORIMBERgenſi, amico ſuo S. D. VI.

SVſceptæ illius profectionis meæ fructum hunc vel maximum cepi, Vir præſtantiſſime, quod te, virum (id quod ſine adulatione ſcriptum exiſtimes) eruditorum prudentiſſimum domi tuę conuenerim. Quæ res quantum mihi voluptatis attulerit, non facile ſcripſerim: Iucunda certe fuit. Quo magis doleo, quod in reuerſione mea te non ſalutarim. Et niſi me mei facti ratio conſolarentur, angore penitus conficerer. Nam quotieſcunque illius rei in mentem mihi venit, primo intermiſſi officii recordatio perquam acerba eſt. Deinde vero vbi negotia tua, maxima quidem illa, cogitatione complector, rectius factum puto, quod illud officium quantumcunque ſit, intermiſerim, quam ſi te meo colloquio à tantis tamque præclaris reipub. tuæ curis auocaſſem: non quod illud tibi moleſtum fuiſſet, cum tu omnia ea, quæ aut amanter aut officioſe fiunt, æqui & boni conſulas; ſed quia tua abuti humanitate eſſet plane abſurdum. Hic certo ſcio, te pro tua ſingulari benignitate grauius commoueri: Sed tamen ſine, vir optime, nos aliquando non tuæ humanitatis, ſed occupationum tuarum rationem habere. Quod igitur à me vel intermiſſum, vel (ſi ita mauis) peccatum eſt, in bonam accipe partem. Nunc, vt videas, tuam humanitatem mihi penitus perſpectam eſſe, hæc ad te ſcribere audeo. Tu autem ſine, vt hæ meæ litteræ quoddam veluti fundamentum amicitiæ noſtræ iacere videantur. Qua re, ita me Dii ament, nihil mihi iucundius, nihilque gratius eſſe poterit. Venit ad vos Crotus Rubianus, vir ille & bonus & eruditus, tuique amantiſſimus. Is ſecum adducit Petrum quendam, in Græcis ſane eruditum: qui cum pueris veſtris recte & ſumma cum fide græcas litteras tradat, & Crotus cupit, & ego rogo, vt is, ſi quo modo fieri poſſit, in veſtra florentiſſima ciuitate mercede aliqua ad publicum docendi munus conducatur. Qua in re ad tuam confugimus authoritatem. Cetera ex Croto noſtro rectius intelliges. Tu autem vide quid mihi de tua humanitate perſuadeam: quippe qui vltro tuum beneficium expoſco. Quod reliquum eſt, te ſemper colere atque obſeruare inſtitui. Bene vale, diuque viue & nobis & reipub. tuæ, raptim Bononiæ, Septimo Idus Februarias, Anno M. D. XIX.

T. Iulius Pflugk.

CLARISSIMO VIRO, DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, AMICO CVM PRIMIS OBſeruando S. P. D. VII.

EX Topographia, quæ mihi tuo nomine donata eſt, magnum cepi fructum, Primum quod tua eſſet illa; Deinde vero, quod me domum quodammodo duceret. Nam ante hac ſic verſatus ſum in ſcriptis veterum de Germania noſtra, vt in ipſa patria peregrinari videret. Nunc vero te duce quibus in locis ſim, video. Magnam, crede mihi, lucem intuliſti Tacito. At cui hiſtorico? Et nimirum, qui res geſtas maiorum noſtrorum ita perſecutus eſt, vt nemo vnquam vel verius, vel accuratius. Hic ſi reuiuiſceret, magnam tibi haberet gratiam, quod nunc demum tuo beneficio ſit tam dilucidus, vt à nobis intelligi poſſit. Me vero magno beneficio tuo affeciſti, quod eum tuum librum mihi donaſti. Itaque operam ſum daturus, vt intelligere aliquando poſſis, Te beneficium hoc apud hominem non ingratum poſuiſſe. Vale Auguſtæ Vigeſimo primo, Septembris, Anno M. D. XXX.

Iulius Pflug.

BILIBADVS PIRCKHEIMERVS N. N. SVO S. P. D. VIII.

BInas tuas nuper accepi litteras, Amice chariſſime, nec non opuſcula Græca, quæ ad me miſiſti. Ego vero quam primum Fuckaris (vt rogabas) ſatisfeci. Id tibi reſcripſi. Sed de tribus illis ducatis, quos mihi pro libris mutuaſti, ſe nihil ſcire dicebat, nec eos acceptare voluit. Quapropter huc vſque nemini de his ſatisfeci. Reſcribe tamen, & cui iuſſeris dabo. Feciſti mihi rem gratam, Græca volumina ad me mittendo, quibus ſummopere delector, rogoque te, ſi quid noui Florentiæ imprimetur, facias vt id ſciam. Nullum tamen amplius librum emas, ne bis eoſdem libros habeamus. Nam Antonius Creſſ. Mediolano nuper circa viginti volumina miſit. Præterea finitis caloribus, Deo dante in Italiam ibo, vt ibi gradum Doctoratus accipiam. Nam vt antea tibi ſcripſi, labores Reipublicæ noſtræ multum me grauant, ac à litteris, quibus vnice

vnice delector abstrahunt. Idcirco tantum per amicos egi, vt hoc anno imunis sim à Republica. Interim gradum, Deo dante accipiam, ne rursus anno futuro cogar subire onꝰ illud grauissimum. Cum id continget, etiam ad vos, Deo dante, veniam, & Florentiam propter libros Græcos ibo. Quod vero scribis de Rectore vestro, scias, illum iam pridem hinc recessisse, nec hospiti suo satis fecisse. Videtur mihi homo leuis, vt qui neq; tibi, neq; aliis, nisi coactus, satisfaciet. Discessit & Oriel ac Schilling. Litteras etiam tuas Mulbeck tradidi. Doleo propter virum, quod filius adeo nequiter agit. Rogo tamen, quantum in te est, vt eum admoneas ac corripias. Pater, vt scripsisti, sæpius dure ac austere eum admonebit, quod & iam, vt forsan ipse legisti, fecit. Vereor tamen, ne opera & impensa perdatur. Mitto dominis tuis, vt petiisti, decem pelles ceruinas pro quinq; paribus caligarum. Emi subtiliores pro caloribus, quamuis etiam de spissioribus emerim. Si placerent, gauderem. Placet mihi, quod scripsisti, Dominos tuos operam litteris humanitatis dare: nam eis summopere proderūt. Adhortabat Comes Albertus eas litteras, quamuis non procuret, aduocet, aut causas agat, quod tali viro non liceret, sufficit ergo aliqualis Iuris cognito. Dominus Crafft satisfecit de pecuniis mutuatis, ac nuper in vrbe nostra hic fuit, quem casu ante portas reperi, vbi ex tormentis, quæ bombardas appellāt, forte saxa proiiciebant: inter quos & ego bombardam dirigebam. Interrogauit me, an istius artis gnarus essem. Cum annuissem, præcessit, & nil vltra addidit: Nec ego ei molestus esse volui.

DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, AMICO SVO NORIMBERGÆ S. D. P. IX.

FVgi pestem, fugi gladium, vtinam effugerim famem? Ferme namque hoc marte decoxi, dum à nobis tyrannus nostra vi abstulit, & bis victores, bis nocuerunt. Semissis autem homo sum, quia dimidium animæ meæ Bibliothecam plusquam dimidiatam domi reliqui, & ego cum minutis libellis, vt vt in tanta velocitate perfugij fieri potuit, Anglopolim, quam Ingolstadium appellant, me corripui, multis de causis. Sed expectat baiulus: accelerandum est, & plurima nunc obmittendum. Valeas, mihiq; tuis litteris interea solatio sis, optime Bilibalde, ac ideo felicissime, quod non es subiectus tyrannis. Anglopoli inter Boios, XII. Ianuarias, anno M. D. XIX.

Oro te, vt inclusas has litteras Wittenburgam mittas ad cognatum meum M. Philippum Melanthona quantocyus poteris.

Iohannes Reuchlin, ὁ σὸς.

CONSVLTISSIMO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, PATRICIO NORIMBERGENSI, AMICO SVO PRÆCIPVO S. P. D. X.

ITa sentio me hercule: Omnia magnifica Bilibaldi mei: omnia heroica, animus quoque. Aiunt & corpus heroem ostendere, ὃ πρῶτον εἰδῶν ἄξιον τυγχάνειν. Id adeo nuper atque non tum primum experiebar. Ac præter formam tuam cetera oculis ipse meis vidi & manu tetigi. Superabas omnia vota mea quam munificentissime. Argentum petij, aurum misisti, neq; id solum quod erat, sed plura pollicitus, si pluribus egere cœpero. Et qui hactenus fueram bibula vsus papyro, quæ atramentū sorbeat, volebā chartas vel Fannianas: tu nō vniusmodi generis, sed & augustam fortassis & Perottam addidisti. Desiderauī pauonum pennas, vt quandoq; lecta describerem: tu me olorinis donasti plusq; egregiis, ac ne deesses officiosæ amicitiæ, calamos etiam Niloricos, vel, quod potius reor, Cnidios ad scribendum aptiores misisti: & gladiolos incisioni commodissimos. Vix credere possis, quā exhilaris vltroneum exilium meum. Dum sic intueor, quæ destinaueras, subito in hæc verba prorumpo: ** Bonus vir gratificatur & commodat. Ita enim Dauid rex cecinit, ab integri alphabeti litteris singula hemistichia Psal. CXII. incipiens, qui totus incredibilem in modum te pingit, tuasq; filias delineat. Iam nihil est quod amori erga me tuo non persolueris, quamquam intemperans ego, rerum puerilium æquo cupidior esse videor, quo futurum est, quod te posthac plurib. impetere haud cessauero. Nunc. n. venit in mentem, ex iis crepundiis forticulam esse oblitū me, ad pilos narium adimendos: & triplicis magnitudinis chordas ad exornandā citharam, qua sæpe mecum solus cōmodato vtor, si quando post immoderatum & crudelem patriæ casum animo consternato sedare cholerā molior. Et mirum tibi videri potest, in tanta ciuitate, quā habito, nihil horum esse venale, nisi vetus, id est, q legisti: Deserta Boiorum regio. Male vero mihi sit, Bilibalde, si cupiam, te cum opera etiam perdidisse impensam. Quapropter in apocha, quam his inclusam litteris tibi securitatis causa mitto, vnum adieci aureum ad ea, quæ meo nomine in reculas erogasti. Nec istud factum præteriero de sororib. & duab. filiis sanctimonialib. tuis. Cum. n. cogitarem, quonam modo efficerem, vt tam sacræ virgines,

illibatæ, intactæ, incorruptæ, Vestales, meo studio gauderēt, ecce arripio veterem pauonis pennam, nondum tuis calamis vsus, ob caram parsimoniam, & Athanasij benedictionem ex eo volumine, quod ad virgines sanctus ille vir composuit, istis litteris adiunctam exaro, vel deliro potius, vti cernis. Tu vero, qui aptiore manu es, & loco, tempore, calamis, charta, triclinij quiete fortunatior, velim eisdem exscribas atque tradas, & vt bene valeant, meo nomine iubeas, obsecro. Ipse quoque vale feliciter, mi tu. Anglopoli X. Kal. Februarias, anno M. D. XX.

Johannes Reuchlin Phorcensis
L L. Doctor.

BILIBALDO PIRCKHEIMERO PATRICIO NORIMBERGENSI, CLARISSIMO VIRO, AMICO SVO S. D. P. XI.

NOn dubium, quin videris, Bilibalde, Petri Galatini Minoritani nobile illud opus nuper Augustam Cæsari Roma missum, cuius titulus hic est: *Religiosi viri Petri Galatini, ordinis Minorum, artium & sacræ Theologiæ Doctoris, ac Reuerendissimi Domini, D. Lau. Pucij, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctorum quatuor coronatorum præsbyteri, Cardinalis familiaris, opus de Arcanis Catholicæ veritatis in hebraicis libris, præsertim in Thalmud inuentis: In Defensionem præstantissimi viri Ioannis Capnionis, & aduersus Iudaicam nostri seculi obstinationem dialogo editum, atque Inuictissimo Maximiliano Cæsari semper Augusto dicatum.* Et sunt Volumina XII. In duodecimi libri capite vltimo pollicetur scribere VI. libros contra Articulos illos Hochstraticos, contra me publicatos. Ait autem sic: *In alio siquidem opere, quod in sex distinctum libros iuxta articulorum Hogostrati distinctionem, propediem (Deo fauente) me in lucem editurum spero, amplissimus dabitur nobis disputandi locus: vt tandem articulis ipsis solerter discussis, rationibusq; vti iusque vestrum diligenter auditis, veritas ipsa quam tanto studio quæritur luculentius determinata pateat.*

Horum librorum nuper ab Vrbe initium aliquot foliis comprehensum mihi ab inimicis missum est. Cuius titulus ita inscribitur: *Petri Galatini Minoritani, artium & sacræ Theologiæ Doctoris ac Reuerendissimi Domini, D. Laur. Pucij, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ II. Sanctorum minorum coronatorum presbyteri, Cardinalis familiaris. Opus de Capnionis & Hogostrati disputatione diuo Leoni Pontifici Maximo dedicatum.*

PRÆFATIO.

Inter locutores: Galatinus, Capnio. Hogostratus.

ET si ego quoque, ô Capnion, plane ac ingenue fateor, Galatini nostri opus de Arcanis Catholicæ veritatis, tale profecto esse, quod per illud non solum Iudæorum nostri temporis & durissima ceruix funditus contunditur, & obstinata perfidia conuincitur, verum etiam orthodoxa fides nostra plurimum roboris accipit, & Christiana religio mirum in modum exaltatur. Tibi tamen opus ipsum nihil (vt ex animi sententia loquar) prodesse posse arbitror, quatenus per illud defendi quoquo modo valeas. Spero te primum opus iam habere, quo in religione Christiana nihil vnquam vidi excellentius. Secundum autem opus iterum iterumque spero nos cito habituros. Quo quæso quasi laqueos Theologistarum. Vale. Stutgard. XII. Kal. Martias, anno M. D. XIX.

Iohann Reuchlin Phorcensis
L L. Doctor.

CONSVLTISSIMO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, NORIMBERGENSI PATRICIO, AMICO SVO S. P. D. XII.

VIdes Bilibalde prudens homo, vitæ meæ rationes quorsum fluant, domesticarum me pecuniarum exinaniuit facultate genus hoc belli vestri cum molestissimi tum ignauissimi, vt prope decocta re cogar iocalia mea χρυσία τε καὶ ἀργυρώματα consumere, quod constat multum ab auro nostra ætate diuulgato distare. Sed deficiente quotidiano victu cum nihil habeam quod aliunde sumam, oportebit me hanc vetustatem auream, cum moneta nostræ consuetudinis argentea mutare. Sum vero imperitus nummularius, & ignorans, quid pro quo. Te igitur pro nostra veteri amicitia oro iterum atque iterum, tuam probitatis integritatem obtestando, vt qui es omni in re domestica plurimum exercitatus, velis de antiquissimorum florenorum valore me facere certiorem, quorum nunc duos aureos nummos his inclusos tibi mitto. Nam huiuscemodi habeo quasi triginta, quos etiamsi quam maxime

maxime vellem, tamē victu victus retinere non possum. Accede propterea monetarios vestros, & ciues, be, tales aureos ad lydium lapidem probari atque reperro pondere valoreq; , statuas velim cum illis pacta, quid Rolebaciorum argenteorum pro singulis quibusque aureis daturi sint. Tibique mittam vsque ad triginta, vt commutatione facta redire ad me facias argētum vulgarium. Mira philosophia, τὰς αὖρας ἄλυτος ἐν ἀλυπίαν τῇ ἀξεπονησίᾳ: Certe alio erit medico opus quam Anglopoli qui alatur, vbi omnia quotidie græca mercamur fide. Vellem porro neque pronus esse neque condus. Sed ita casus vrget, vt alia sit vita nostra quam Anacharsis illius Scythæ. Si possem differre in Martium, retinere possem. Ita enim Domi Curator promisit, de cella mea vinaria posse vino vendito centum se mihi aureos circiter mensem Martium reddere. Sententiam tuam mihi propere impertiaris obsecro. Vale le fœliciter. Si inter aurum vulgare hos atque tales, quales cernis, exponam, certe, vt nosti, non nihil de valore perdam. Et simul erubesco tam bonum aurum in agrestes homines spargere. Iterum vale, amice integerrime, 3. Non. Ianuarias, Ingolstadij, anno M. D. XX.

Iohannes Reuchlin Phorcensis
L L. Doctor.

CONSVLTISSIMO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, PATRICIO NORIMBERGENSI AMICO SVO COLENDISSIMO ET INTEGERRIMO.

XIII.

SAlue Bilibalde, tempestatum mearum ancora, & mirifica spes mea. Heus tu quam metuo mihi à fluxa fide! quam vereor ne desideres in me illum Martium mensem, quo nomen soluam. Sed fuit certe illusio Castanerij vectoris nostri, & magis tamen regionis tuæ, formidandorum latruncu-lorum causa, quod distuli, ne prius ad te perueniret τοῦτο τὸ δάνειον. Sæpe Autigam ipse accessi: qui tum meam fefellit expectationem, tum aiebat, non à seipso quadrigam ad te agitari, sed per seruum. Cui ambo noluimus tanti periculi summam credere. Quo fit vt non meæ culpæ sit, mi Bilibalde quod huc vsque suspensa est ἀδιαφορίᾳ, sed fortunæ τῆς τῶν πραγμάτων διαφοίνης, ἣ μέχρι τούτου πεῦτα ποιεῖν δωλαττει. Igitur noli pendere animi. Promisit Castanerius se cito apud te futurum: & habebis quod debeo. Interea vellem, si tibi esset integrum, vt omni diligentia instares, quatenus Hesychium haberem, illum Græcum ὀνομαστικὸν, haud longe post, etiam quocunque argento vel dato, vel pollicito: quod tibi rēddam. Et simul dum fieri posset Ælium Herodianum quibuscunque in operibus græce. Notum autem illum Historiographum, sed Grammaticum, nec ea quæ ἐν τῷ κεφαλ. ἀμαλθείας inserta sunt: quæ quidem habeo. Sed alia sua vel περὶ ἀμαρτιολογίας, vel similia poëtarū critica, vel res τέχνου, vel Grammaticas: Quando me nunc anno isto elementarium effecit χειρόσοφον, vel ἡροδότου διτίχων Quotidie namque de Throno doctorum, frequenti auditorio publice prælegendus est θεσπεσία τύχη. Quotidie namque de Throno doctorum, frequenti auditorio publice prælegendus est à me in lingua Hebraica, mane, Rabi Mose Kimhi, & vesperi Plutus Aristophanis, discipulis plus trecentis: & multo inquam plus. De Francisco meo, immo omnium litteratorum, post ad te scribam. Quando Capitulum fratrum Dominicalium, quod nunc Francofordiæ habetur effluet, pollicitus is mihi est pacem veram. Vale, Anglopoli Nonis Maij, anno M. D. XX.

Iohann. Reuchlin Phorcensis
L L. Doctor.

CONSVLTISSIMO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, PATRICIO NORIMBERGENSI, AMICO SVO PRÆCIPVO S. P. D.

XIV.

NOndum Castanerius autiga istinc ad nos rediit, mi Bilibalde, lumen meum. Quare de negotio quod mihi tecum est, iam nihil scribam, nisi quod me recte hortat⁹ es, ne sit redeunti mihi, quo Anaxagoras ostendit, cura de viatico. Cuius consilij habeo tibi gratiam. Sed ita scripsisse videris, quasi decrepitum me credas meis crepundiis plus æquo gaudere. Tu vero noli obiecro desiderium hoc vetustatis in priscis nummis vitio mihi dare. Amœnitas in causa est, non auaritia: & simul, quod ij soli è manibus prædonum & tyrannorum fugerunt. Si auarus essem, pluribus abundarem, & plura quærerem. Et quidem eram dignus habere, si tibi non molesta est hæc mea iactantia. Sed diuitiæ non mihi cordi sunt. Heri ad me legati à fratrum Prædicatorum prouinciali venerunt, duo Theologiæ doctores, alter regens Heidelbergæ, alter prior in Esslingem: qui post litteras commendatitias obtulerunt capitula pacis, optantes redire mecum in gratiam. Ego pacem non repuli; sed ca-

sed capitula recusaui. Tum demum de re illis certa eos feci certiores: causam meam nobili Francisco Sicano siue de Sickingen cessisse exequendam, in qua procuratorem eum constituerim irreuocabilem in rem suam, cum libera, vt eam possit quoque in alteros transferre, quando libeat. Quare vt cum eo agant quoquo modo, non inficiar, si velint pacem consequi. Hæc summa rerum, si auarus essem, & pecuniarum cupidus, putabisne, me nihil inde potuisse lucri retulisse? putas abiisse illos sine pollicitatione? Sed post hæc tecum pluribus. Nunc enim accinctus itineri Dn. Io * * * * * * concionator apud vos, S. Sebaldi vadit, qui has litteras ad te fert. Vale, omnium dilectissime Bilibalde, atque fœliciter vale, spes mea. Anglopoli 14. Calend. Februarias, anno M. D. XX.

Iohannes Reuchlin Phorcensis
L L. Doctor.

CONSVLTISSIMO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, PATRICIO NORIMBERGENSI, AMICO SVO PRÆCIPVO S. D. P. XV.

NE velim quidem quod quibuslibet litteris meis respondeas, nisi in causa necessaria. Noui enim occupationes tuas. Non otiaris, sed in præsenti re peto consilium tuum. Heri namque à curia Romana redditæ sunt binæ ad me litteræ, tum procuratoris, tum sollicitatoris mei. Datæ 13. Ianuarij, quib. me certiorem faciunt de aduersariorum meorum peruersa machinatione. Nam cum sentiunt, se in causa principali & materia litis nostræ fore victos, propter quod ante annos tres aut quatuor mandatum de supersedendo impetrarunt, & iudicibus inhibuerunt, ne procederent, atque ita quieuerunt interea, quod appellationem suam & causam non sint prosecuti vsq; ad hæc tempora: Nunc relicta materia principali, super qua prius processerunt, volunt (vt me latius fatigent vsque ad mortem) volunt inquam venire ad præparatoria iudiciorum, ex quibus volunt intendere nullitatem processus Spirensis. Quia impetrarunt alium Iudicem loco Reuerendissimi Cardinalis Grimani, qui abest à curia, & illi surrogatus nomine Dominicus de, Iacobutiis Cardinalis nuper à Leone creatus sit S. Bartolo in Insula, acutissimus, vt aiunt, Iurista coram quo volunt de apicibus iuris sophismatizare, si forte possint me ad expensas retorquere. Inchoantur autem hæc postquam Franciscus eos diffudauit. Scripsit autem idem Franciscus ad me, quod in die Natiuitatis Christi veneritad eum prouincialis cum quibusdam patribus prouinciæ, & impetrauerunt iterum ab eo vnum mensem, in quo velint mecum tractare. Et concluserunt cum eo, quod casu quo mecum infra eum mensem non concordarentur, quod tunc pro nunc consentirent, quod acciperet ad se aliquot viros doctos & Ecclesiasticos pro parte mea, & ipsi acciperent ad se aliquos pariter viros doctos & Ecclesiasticos, qui circa Dominicam Oculi litem hanc per amicabilem concordiam componerent & finirent. Super quo venerunt ad me missi à Prouinciali ad colloquendum super capitulis pacis, & quia nolui causam recipere de maioribus nobilis Francisci, cui cesserim: ideo impetrauerunt à me consensum habiti tractatus, vt præfertur, & nominatæ sunt personæ illorum amabilium compositorum, in quas non ambæ partes consensimus, & ita à me recesserunt, quod dixerunt, omnino hanc litē fore extinctam, quia promisi eis, me omnia grata & rata habiturum, quę hac in causa ex vtraque parte concluderent. Cum igitur considero diem Natiuitatis Domini, quo inducias mensis impetrarunt, & considero diem 13. Ianuarij, cum mei procuratores ad me litteras obsignabant, possum cogitare quod ea Romæ sint nupertime moliti, vt nobilis Francisci institutum negotium impediant. Ego autem scripsi Romam, vt procuratores mei supplicent Papæ, quatenus ad tempus, etiam mei cōtemptione supersedeatur, sicut iam tribus annis post mandatum de supersedendō, ob aduersarios meis impetratum, etiam me inuito fuit cessatum. Item quod dicant Reuerendissimis Iudicibus, causam de consensu partium iam tractari per compositores electos ad amicabilem concordiam, quare nolui præcipitare rem. Tu responde si potes, quid facturus sim commode: & vale feliciter. Anglopoli 4. Idibus Februarij, anno M. D. XX.

Iohan. Reuchlin. L L. Doctor.

CONSVLTISSIMO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, PATRICIO NORIMBERGENSI AMICISSIMO SVO S. P. D. XVI.

NE tabellario huic, se asserenti Norimbergam iterum, nihil litterārum ad te darem, qui sane festinabat, has saltem pauxilli momenti scribo: quibus certiorem te facio, consilium me tuum esse sequutum. Nam omnem retexi Sicano meo fraterculorum in curia Romana fallaciam, & quod nouum Processum moliantur, agentes per leguleiorum captiunculas & brocardica vaframenta ad Nullitatem sententiæ Spirensis: quam de more curiæ per sordes facile poterunt impetrare, vt ex-

pensas

pensas pendam. Spero illum Herculem ponere nequitiis modum. Dies amicabilis tractatus ad medium quadragesimæ consentientib. partibus statutus coram illo est. Ceterum vt de nomine soluendo fortius speres, hoc te velim ne ignores: hodie mecum ex commissione Illustriss. Principis D. Wilhelmi Ducis Bauariæ actum & peractum esse, vt Anglopoli & Græca doceam & Hebraica. Annuum mihi constitutum est stipendium ducentorum aureorum. Cumque huius nostræ calamitatis intemperies me huc adegit, vt ad tempus oporteat extra patriam viuere, acceptaui conditionem, ne nihil agerem. Persuasus etiam à Ducalibus commissariis, vt singularem Principis erga me Clementiam nonnihili facerem: qui & me in bello captum seruauit, & omnia mea bona cum tota familia sub colore prædæ bellicæ confiscata liberauit, belli summus Imperator. Ad Kalendas igitur proximas Deo adiuuante linguas docere incipiam. Quod futurum fœlix fuat. Tu vale fœliciter. Et me Principem Siciliæ Dionysium Corinthi puerilia docentem spectato. Iterum vale Anglopoli prid. Calend. Martias, anno M. D. XX.

Iohannes Reuchlin Phorcensis
L L. Doctor.

CONSVLTISSIMO BILIBALDO PIRCKHEIMERO PATRICIO NORIMBERGENSI, AMICO SVO COLENDISSIMO. XVII.

SAlutem tibi opto κατ' ἐξοχήν. Nuper ad circiter prid. Kal. Iunias redeunti mihi à cõmuni amico nostro Kiliano de Rebdorf, & Gabriele de Schawmberg, Canonico Dryopolitano, tui amãtissimis, redditæ sunt literæ à Nobilissimo Francisco de Sickingen, quibus me fecit certiorem, opera sua extincta esse litem, quæ tam fuit hactenus diuturna inter Prædicatores meque. Impetrabunt enim à sanctissimo Leone litis & causæ extinctionem, cum honore meo, suis expensis, in meliore forma, quæ & mihi & mei amantibus iam concepta placet. Et est expensarum litis in processu Spirensi post obtentam à me contra illos diffinitiuam sententiam taxata summa, in bono auro mihi iam persoluta. De iis post hac pluribus, Dilectissime Bilibalde, mitto ad te quos mihi tam liberaliter mutuasti 30. aureos, in auro, quo nomen soluo. At grates persoluere dignas nullo possum studio, quod excogitare queam tuæ vrgenti erga me beneuolentiæ. Dij tibi persoluant. Erasmus Santbach Kobergi, amici, vt ais, tui negotiorum gestor seu institor Bibliam Hebraicam cum Commentariis vendidit petenti mihi, pretium soluo octo aureorum. Eidem etiam pro Hesychio tradidi aureos tres quarta minus. Omnia misi Nerobergam per eundem Santbach, qui Domino suo hæc & alia mittit. Tu igitur à Iohanne Koberger tuos aureos recipias velim. Et me num receperis, facias certiorem. Interea enim malum est, factione laborat tota fere nostra terra, cum plures sint qui ære alieno & paupertate premantur, quam qui abundent pecunia, & vulgi sit studium, prædari ac diuitum substantiam rapere: cuius autorem pari affectione præditum, ducem suum, perdidere. Inde illa cogitatio, quo nam modo possint Principem latronum recuperare. Quod nisi caute prouideat prudens confœderatio, adhuc est de omnibus bonis viris atque probis, Wirtembergense territorium habitantibus. Qua propter nunc ad Danubium me confero, & Ingolstadij tantisper cum doctis versabor, dum videro mutatas res. Ad me igitur tuas litteras, si quando perscribere voles, Ingolstadium mittito, quo in loco hibernare cogitaui. Non enim potui commodius effugere tantas turbationes, nisi autoritate clementiaque Illustrissimi Ducis Wihelmi Boiorum Principis, & nostri belli Imperatoris. Vale. Stutgardiæ VI. Idus Nouembris, anno M. D. XIX.

Iohannes Reuchin Phorcensis
L L. Doctor.

MAGNIFICO NORIMBERGENSI PATRICIO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, VIRO DOCTO ET ELEGANTI, AMICO SVO S. D. P. XVIII.

IN medio malorum collocatus, cogito diligenter, qua via trãquilliori animo philosophari queam. apud nos regnat pestis, regnat victoriosorum vindicta, regnat inuidia, regnat bonorum oppressio, regnat concussio, præcessit fames, sequutus est gladius: concludit pestilentia. Quodque maius malum est, factione laborat tota fere nostra terra, cum plures sint qui ære alieno & paupertate premantur, quam qui abundent pecunia, & vulgi sit studium, prædari ac diuitum substantiam rapere: cuius autorem pari affectione præditum, ducem suum, perdidere. Inde illa cogitatio, quo nam modo possint Principem latronum recuperare. Quod nisi caute prouideat prudens confœderatio, adhuc est de omnibus bonis viris atque probis, Wirtembergense territorium habitantibus. Qua propter nunc ad Danubium me confero, & Ingolstadij tantisper cum doctis versabor, dum videro mutatas res. Ad me igitur tuas litteras, si quando perscribere voles, Ingolstadium mittito, quo in loco hibernare cogitaui. Non enim potui commodius effugere tantas turbationes, nisi autoritate clementiaque Illustrissimi Ducis Wihelmi Boiorum Principis, & nostri belli Imperatoris. Vale. Stutgardiæ VI. Idus Nouembris, anno M. D. XIX.

Iohannes Reuchin Phorcensis
L L. Doctor.

CLA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [287] - 263
PUBLIC DOMAIN

BILIBALDO PIRCKHEIMERO PATRICIO NORIMBERGENSI, VIRO FORTI, ET IN LITTERIS ABSOLVTO:

Amico bono ac integro Salutem. Tuus Reuchliniſta, Vlrichus de Hutten, eques. XIX.

NE tibi in officio cedere videar, quemadmodũ tu feciſti, Bilibalde fidiſſime, cum hodie tuam epiſtolam acceperim, hodie reſpondeo. Dij te mihi ſeruent, vere amice. Ita tempeſtiue neceſſaria de re, certiorem feciſti. Dicam enim vt eſt: Tu primus monuiſti: Tu amici curam geſſiſti. Quod vt poſt hac item facias, mire velim. Iam enim ſatis eſſe puto, ſi quid abs te petendum ſit, vt dicam: ſic volo: Aut ſi ampliſſime, quemadmodum nunc: mire velim. Ad populum iſta: oro, obſecro, obteſtor. Fortiſſime Bilibalde, quid ſic metuis noſtri Capnionis cauſæ? quem ſua innocentia aduerſus animum inſultus tutum reddit. Tot millia peſſimorum perſequuntur: quidam boni (dico enim bonos qui hoc faciunt) quidam inquam boni tuentur. Vtrum maioris apud poſteritatem? quod multi perſecuti ſint mali, an quod quidam defenderint boni? At damnabit N. N. Phratorum auro inuerſus. Damnet. Contra Eraſmus, Faber, Bilibaldus, Mutianus, & optimus quiſque innocentiam tueri, veritatetem amplecti dignum duxit. Et ſi me torques, verum dicam, abs te malle probari me, docto & bono, quam ab ipſo omnĩ palea leuiore, omni pluma mobiliore. Neque perſuadebis mihi, vt minoris faciam, aliquod Eraſmi ſpiculum, quod in malum quempiam detorſerit ille, quam ſexcentas illius Florentini Excommunicationes, quæ iam multis & magnis de cauſis vileſcunt, apud eos quis eſt teſticuli vena vlla paterni. Proinde impetrent illi omnia; nos innocentiam tuemur pactis, quæ non minus nota eſt omnibus quam perſuaſa eſt ſenſato cuique ſanctiſſimi Leonis improbitas: nam ſi quis nondum intelligit, dices illi cum Chryſippo: οὐ γὰρ προπαιδείας φαντασίαν ἔχεις. Redeo ad priora. Nondum ſcribentibus Huttenis, per te intellexi, regraſſari Tyrannum, & bellum eſſe. Idem fac poſtea ſi quid contingit. Et omnia, quæ in rem meam eſſe duxeris, celerrime ſcribe. Neque enim in cauſa gentili, ſi dubitas, extra periculum ego ſum, quidam auſus ſingulare, & quod non ignorat carnifex, multo ante edoctus. Da litteras, & vale cum tuis omnibus Bononiæ, VIII. Cal. Iunij.

Mitte piſcatorem vbi editus eſt. Pulchre in præfatione poteras Theologiſtas notare. Hi ſunt illi iaculatores, à quibus periculum eſt omnibus qui verum dicunt. Hi ſe cohortati ſunt, mutuo iam pridem aduerſus bonum Capnionem Hagoſtrato præmonente βάλλε, βάλλε τὸν κηπίοφυτον τοῖς ἀφύτοις λίθοις. Et illi: πάντες ἅμα ξηναπίσημεν ἐπ' αὐτόν. Sed quia de Hagoſtrato incidit mentio: Nuper hac iter fecit ſceleſtus in Germaniam abiens ad quoddam conciliabulum, vbi mira tractabunt nebulones. Scies tu inter primos, vide vt nobis quoque manifeſtes quid actum ſit. Quidam eius ordinis frater apud contubernales meos effudiuit: Audiſſe ſe ex Hagoſtrato, perſecutionem fore in Eraſmum propter Noui Teſtamenti temerarium, vt ille ait, editionem. Crede mihi niſi quippiam ſit, quod magno illi ſtudio conentur, non faſſus eſſet, ſi vbi ſit Eraſmus notum habes ſcribe, & ex me hominem ſaluta. Item, Capnionem, cui quod non poſſum ſine ſui periculo ſcribere, pene dirumpor. Iube eſſe bono animo. Nunquam deero, vt communi periculo. Neque vt tueat patriam, id eſt, litteras, dubitauero cum bono viro vel in κακὸν impingere, quamquam tu hoc tanti facias, vt in extremis ducere videaris. Vale iterum. Nondum vidimus Capnionis triumphum, mitte.

BILIBALDO PIRCKHEIMERO, ALEXANDER SCHWED S. D. P. XX.

ETſi, Vir Magnifice, nulla ſe hactenus occaſio obtulit, qua te, quod cupij, facultate mea, quamlibet illa vel exigua exiſtar, ſeu demereri, ſeu potius de illius in me beneficiis collatis dignas illi vices rependere potuiſſem: atque eam ob rem, nullum hinc inuicem ius mihi ſuppetit, qua Magnificentiam tuam in rebus meis vel fouendis, vel promouendis ſollicitare aut interpellare admodum fas ſit, facit tamen ea notitia, quæ iam pridem per litteras inter nos intercedit, vt & tu tibi nullum non officium, quo tibi & tuis gratificari & inſeruire poſſim, à me alacriter & quam paratiſſime præſtari, perſuaſum habeas, & ego id mutuo, cum in omnibus rebus, tum hoc ſequenti negotio meo, non minus cupido ac fidenti animo à te expoſtulare fortiter audeam. Memini, mi Pirckheimere, Magnificentiam tuam anno ſuperiori tuis ad me litteris, inter cetera mihi eſſe congratulatam, quod tributum Cæſaris apud Schweinfordenſes centum aureorum conſequutus fuerim: vbi & iſta verba videlicet adiiciebas, vt quod dehinc maiora ſequerentur, ſperaremus. De qua certe tua congratulatione bonaque ſpe concepta, quippe non infelicis ominis, dummodo ſaltem Magiſtratus Norimbergenſes voluerint, atque de quibus futurum vt volent nunc confidimus, tamerſi iam tandem

tandem & sero gratias ago, eas tibi tamen (quod tibi velim persuadeas) inde ab illo tempore ex animo vsque & vsque voui & habui. Neque vero Te, mi Bilibalde, latere dubito, quin sub idipsum tempus, quum tu hæc mihi scriberes, vel iam me maiora consecutum putarim. Nam quum Cæsarea Majestas tum commodum domino meo de Nassau de tributo Norimberg. & vna cum aliis, mihi supereodem de ducentis florenis annuatim ad nostram vitam prouiderat, nos sane certissimam spem habuimus, ipsos dominos Magistratus Norimbergenses eam gratiam nobis factam (quod & adhuc speramus) non inuidere, nec ingratam habituros. Sed fuit tamen causa, cur ij dictum tributum domino meo de Nassau soluere primum tum requisiti recusarunt, simul quod priuilegiis (id quod animus ignorauimus) donati essent, iuxta quæ id non nisi ad Romanorum Imperatorum seu Reges nostros pertineret, simulque, quod Cæsar illis de certis nominibus à Cæsare Maximiliano gloriosissimæ memoriæ relictis, quorum solutionem sibi in eodem tributo assignanda supplicauerunt, obstricta esset, quemadmodum non dubium est, quin omnia hæc optime pernoueris. Sed in præsentiarum super iisdem vtrisque articulis sua Maiestas, quatenus pro temporum & rerum ratione fieri commode potuit, ipsis clementer respondit & prouidit, adeo vt amplius causæ nihil videamus, cur dicti domini Magistratus postulationi & desiderio suæ Maiestatis in hoc post hac non gratificari & velint, & debeant. Quam in rem, iuxta idipsum Cæsaris responsum & promissionem, & dominus meus de Nassau, & ego, & alij, dominis Magistratibus Norimbergensibus iam quoque scripsimus, vt de his omnibus Magnificentiam tuam certiorem redderem non dubito. Quam ob causam de meis longioribus, de his vel informandum vel grauandum haud existimaui. Illud à te summopere orans, quum me non lateat, quantum tu boni tua prudentia & autoritate in isto negotio nostro facillime interponere ac efficere possis, vt tu hoc ipsum negotium nostrum, vbi & apud quos id facto opus censueris (quod tamen omne non aliter quam præter incommodum tuum fieri cupimus) sic commendatum suscipere promouereque non dedigneris, vti ex mea parte in tuam Magnificentiam mea integra spes est reposita. Et confido fore, vt ex hæc ipsa Maiestati Cæsareæ ad Magistratui & ciuitati Norimbergensi neque indecorum, neque inutile, huic Maiestati non sine amplius recusari debeant. Præterea autem spero, neque dominum meum de Nassau, neque alios, quibus super eo vna mecum assignatum est, neque denique me inter minimos illis iisdem dominis Magistratui & ciuitati Norimbergensi, si quando tui in curia Cæsaris negotia forte agenda habuerint, quæ ij nobis credere & committere voluerint, atque alias, pro facultatibus nostris non omnino incommodos neque aspernandos amicos & seruitores futuros. Tua vero Magnificentia me illi iam nunc vel deuinctissimum eo deuinctiorem etiam reddere. Quam ipsam fœlicissime viuere & valere cupio. Ex Vallisoleto die vltima Martij, anno Christi millesimo quingentesimo vicesimo septimo.

Scripsissem quoque hac de re & patri & fratri domini Georgij Geuderij, & aliis amicis suis, nisi te non dubitassem plus vnico verbo quam me pluribus epistolis profecturum. Vale igitur iterum atque me dictumque negotium commendatum habe, &c.

E. Magnificentiæ Tuæ

Ad omnia deditissimus Alexander Schweed.

CLARISSIMO AC VNDECVNQVE DOCTISSIMO BILIBALDO PIRCKHEIMERO.

XXI.

VIx credas vir grauissime, quantum voluptatis pepererit, cum aliis compluribus, tum mihi imprimis, nuperus ille Geuderi tui, aut si mauis nostri, conspectus, quum is nobis ex suo perfuncto munere, delegato sibi à Cæsarea & Catholica Maiestate Domino nostro Clementissimo ex Germania huc in Hispaniam incolumis rediit. Ea enim præsentia sua, nos leuauit à dolore non parum multo, quem nos de illo concepimus propere. Qui subinde varia de eo noua audieramus, vtpote, ex vnis, eum ex obito eodem munere suo, certum in Angliam ad portum peruenisse, prima nauigatione transmissurum. Mox item aliis, à portu eum soluisse, proximeque diem in Hispaniis appulsari, aliis vero post, soluisse quidem eum, sed aliquot naues, ex vno illarum, quibus cum ipse

soluerit, in portubus Hispanici appulsas, in quibus ipse non esset, quæq; vtiq; nuntiarent, nonnullas ex dictis nauibus horrendas tempestates, naufragiumque perpessas. Quibus ex nuntiis, maxime quum illa vsque adeo variarent, certumque interim compertum fuisset, naues aliquot reuera interisse, nata est suspicio, sparsusque rumor, indies magis ac magis increbescens, vt solent res huiusmodi, in aula præcipue, ipsum, vna cum aliis in mari periisse. Itaque quem rumorem, vt eadem sua præsentia vanum testata est, ita quoque pro sua erga omnes suauitate & merito, nos rursum iure alacres reddidit. Sed mi vir eximie eam voluptatem magis mihi etiam auxerunt, tua ab eo mihi reddita epistola, tam humana, tam amans, tuæq; denique Rhetorices illæ tuæ lucubrationes. Quas sane, quanti ego fecerim, faciamque, quantumque me hinc debere putem, tum eidem Georgio nostro, quippe qui has procurauerit in gratiam meam, tum tibi, quo eas non minus propenso in me animo (tametsi tibi alias ignoto) donarit, prout hæc reipsa declarasti, facili negotio video. Atque vtinam tum occasio, tum pares animo vires vtrique vestrum referendi gratias suppetant. Iamque videntis, neutrum beneficiis suis frustratum, eaque in ingratum haud quaquam contulisse. Tibi mi clarissime vir, qui tam sero ad dictas litteras tuas respondeo, culpam deprecor: quoniam tu vel etiam mihi (præsertim cupienti quicquid istuc est admissi post hac quantum poterit officio sarcire) tanto leuiorem imputare debebis quam ea non ex animo contumacij, sed per nonnulla negotia, quibus per hocce dies (vt & tuus Geuderus) distentus fui, factum est. Quæ quidem negotia etiam in causa fuerunt, vt nec in tuis euoluendis ac exercendis, quam voluissem, hactenus vacare potuerim. Sed erit tamen horrula post hac ad ea aliquoties sufturanda. Vtrumque tuam Podagram in mediis etiam occupationibus ex prima gratia legi, & legi, & etiam relegi sæpius, quæ & mihi nisi optime placere non potuit, quaque simul, quod in ea viam iuxta dogmata vix mihi subodorari sum visus, id quod hebetudine factum mea est, risum mihi non semel concitauit, precor Deum, vt is morbus qui vt ab aliis audio est molestissimus, ita tibi contingat post hac omnino nullus, aut certe leuissimus. Commixtum est in dictis tuis lucubrationibus vnum quoddam exemplum, nimirum, qui à regiis est epistolis, eum oportere summam diligentiam cum prudentia coniungere; Quod mi Bilibalde exemplum quoniam est verum, atque mihi ex animo placuit: sed quid ego igitur facio, qui has tibi audeam ad tuas respondere? Quicquid sit. Id ipsum ego aliquoties quoque sensi, tametsi si ita præstare non possim, atque hoc quoque in causa fuit, vt cum alia tum hæc tua Rhetorices præcepta, ab aliquantulo inde tempore, vsque adeo adamans, cupierim & cupiam, si tamen illa ad hæc vllo modo mihi prodesse poterint, alioqui ingenio vsque adeo plumbeo.

Hoc vnum à te oro omnibus quibus precibus possum, vt si quid sit futurum, quo vel tibi vel tuis officio meo prodesse & inseruire possim, Eo vti digneris, omnino prorsus non aliter ac tuo, siquidem hoc firmissime tibi persuasum velim, vbi mihi tale quippiam significaueris, te mihi eo ipso factum rem tam gratam, quam omnibus modis gratissimis: quia nullo meo erga te merito adeo me dictis tuis Rhetorices vigiliis deiunxisti, vt vbi potero satisfacere cupiam, Interim vale vir integerrime. Cui me ex animo plurimum colendo.

Noua quæ hic habemus in præsentiarum tibi pauculis impertio inclusa, imprecans vt ea, nimirum pax ista nostra, & nobis & vniuerso mundo sit fausta & perpetua.

Sacram Cæsaream & Catholicam Maiestatem desponsam Reginæ filiæ Regis Portugalliæ non dubito quin sis admonitus. Idque quibus conditionibus, quare hinc tibi quicquam scribere supersedeo. Ante quindenam, plus minus, Archiepiscopus huius ciuitatis Tholeti, & vna cum illo septem Duces horum Regnorum hinc sunt profecti, proditurique dictæ Reginæ obuiam, eamque ad Cæsaream Maiestatem deducturi. Quo locorum, vt nuptiæ celebrentur adhuc non constitutum est. Sit id quoque matrimonium, ipsis inprimis, deinde nobis omnibus faustum atque fœlix. Vale iterum. Ex dicta ciuitate Tholeti. M.D.XXVI. Ianuarij die XXI.

Tuus in omnibus, vt sum
Alexander Schweid.

BILIBALDVS PIRCKHEIMER, IOHANNI REVCHLINO SALVTEM.

XXII.

SCripsi vir clarissime ætate elapsa, cum hinc Treuerim abiturus essem, simul ostendi Demosthenis orationes vna cum commentariis ex Venetiis allatas esse. Inde cum reuersus essem à meis intellexi, libros illos ad te fuisse transmissos. Vtrum vero illos receperis nec ne, haud dum compertum habeo. Bene itaq; feceris, si hac de re me certiorem reddas. Scripsissem confestim post reditū meum; sed vix

vix limini pedem intuleram, cum iterũ abire coactus fui, nunc q; demum post multos reuersus sum labores. Sed quæ scribenda erant, breuibus accipe. Prohibuere olim Ephesij nomen scelerati illius hominis, qui Dianæ templum succenderat, litterarum monumentis, inseri, scilicet ne ex facinore illo nefasto perpetuam memoriam assecutus esse videretur. Tu vero hominem tibi inimicissimum, & qui aliter doctis præcipue ignotus fuisset, libris tuis celebras. Vidi enim nuper libellos tuos à te emissos, in quibus sẽ iudæi illius mentionem facis, hominis, cuius memoria de terra viuentium demenda esset. Sed scio respondes, te non laudibus, sed meritis conuiciis persecutum esse, & recte quidem: at non vides, id quod antea dixeram, illum hoc pacto famam, seu magis infamiam assecutum esse, & quod propriis virtutibus sibi denegatum viderat, id inimici opera quæsiuisse, scilicet vt doctorum volaret per ora virorum, nollem itaque dehinc opuscula tua tali piaculo fœdares, præcipue cũ nil ad monstrum illud attinerent. Hæc vt amicus, qui te ob virtutes tuas innumeras & vehementer amat, scribo. Tu vero quid faciendum sit mature considerabis. Reperi Treueri antiquitates tuas, quas ad me misisti. Et tamen ad me quoq; scripta, quãdoquidem ad eum data est, quẽ ego vere μίαν ψυχὴν possim appellare. Ambis nostram necessitudinem, & optas consuetudinem, quorum vtrumq; iampridẽ ipse magnis votis suspirabam verius, quam sperabam. Quanquam seiuncti sumus, nihil vetat, quo minus arctissima necessitudine copulemur. Demus operam, vt mutuis item fruamur amplexibus. Eduntur Adagiorum Chiliades, sic emendatæ, sic locupletæ, vt nouum opus videri possit. Eduntur vniuersa D. Hieronymi monumenta, argumentis & scholiis à me illustrata, nec sine summis sudoribus emendata, notatis ac semotis, quæ notha fuerant admixta. Emendauimus totum nouum instrumentum, additis scholiis; Molimur obiter & alia. His laboribus sic obruimur iam sextum ferme mensem, vt vix valetudinem tueri possimus. Et tamen non mihi potui temperare, quin his plus, quam extemporarius magis Bilibaldum lacesserem. Sciebam quid tua postulabat dignitas, quid eruditio: sed boni consules, quod non suasit, sed imperauit amor tui. Præter expectationem nuntius hic oblatus est. Malui eum ineptis quam nullis meis litteris comitatum venire. Dabitur breui pluscul um otij, iamq; metam anhelat, propemodũ exitutus in manus hominum. Excuditur nunc libellus de Institutione Principis, vna cum aliis aliquot. Nos humiles, quod licet, molimur, & rei litterariæ succurrimus pro viribus. Tu, quo felicior es, hoc potes maiora. Quæcunque regio nos habitura est, semper Bilibaldum animo circumferemus. Etiam atque etiam te rogo, vt Annotationes in Nouum Instrumentum tuæ vocis præconio omnibus commendes. Scis enim, nouitatem omnem obnoxiam esse inuidiæ. Bene vale, litterarum decus. Basileæ postridie Pentecostes, anno M.D.XVI.

repeto. Bene vale, præcipuum nostræ Germaniæ decus. Basileæ Non. Cal. Febr.

SPLENDIDISSIMO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO, SENATORI Norimbergensi, Erasmus Bilibaldo suo S. D. XXIII.

IAm pridem ardebam desiderio tui, neq; mediocrem amoris in te flammam è tuis conceperam lucubratiunculis, in quibus mihi visus sum Bilibaldi mei velut expressum simulacrum agnouisse, hominis, vel potius herois cuiuspiam incomparabilis, in quo vicissim & fortunæ splendorem ornaret litteræ, & litteras ornaret fortunæ splendor: vtrumque commendaret morum integritas, & hæc pari ingenij comitate suauitateque cumulata. Accendit ardentem, & iuxta Græcorum prouerbium, addidit Beati Rhenani, quo non alius tui nominis studiosior, prædicatio. Nam huius pene cotidiana consuetudine, doctissima pariter & mellitissima, sic delector, vt hac re me plane putem esse, quod illic dicitur. Is mecum de nemine confabulatur vel sæpius, vel honorificentius, vel amantius, quam de tuo Bilibaldo. Superhæc accessit epistola tua, non illa quidem ad me, sed tota de me scripta. Et tamen ad me quoq; scripta, quãdoquidem ad eum data est, quẽ ego vere μίαν ψυχὴν possim appellare. Ambis nostram necessitudinem, & optas consuetudinem, quorum vtrumq; iampridẽ ipse magnis votis suspirabam verius, quam sperabam. Quanquam seiuncti sumus, nihil vetat, quo minus arctissima necessitudine copulemur. Demus operam, vt mutuis item fruamur amplexibus. Eduntur Adagiorum Chiliades, sic emendatæ, sic locupletæ, vt nouum opus videri possit. Eduntur vniuersa D. Hieronymi monumenta, argumentis & scholiis à me illustrata, nec sine summis sudoribus emendata, notatis ac semotis, quæ notha fuerant admixta. Emendauimus totum nouum instrumentum, additis scholiis; Molimur obiter & alia. His laboribus sic obruimur iam sextum ferme mensem, vt vix valetudinem tueri possimus. Et tamen non mihi potui temperare, quin his plus, quam extemporarius magis Bilibaldum lacesserem. Sciebam quid tua postulabat dignitas, quid eruditio: sed boni consules, quod non suasit, sed imperauit amor tui. Præter expectationem nuntius hic oblatus est. Malui eum ineptis quam nullis meis litteris comitatum venire. Dabitur breui pluscul um otij, iamq; metam anhelat, propemodũ exitutus in manus hominum. Excuditur nunc libellus de Institutione Principis, vna cum aliis aliquot. Nos humiles, quod licet, molimur, & rei litterariæ succurrimus pro viribus. Tu, quo felicior es, hoc potes maiora. Quæcunque regio nos habitura est, semper Bilibaldum animo circumferemus. Etiam atque etiam te rogo, vt Annotationes in Nouum Instrumentum tuæ vocis præconio omnibus commendes. Scis enim, nouitatem omnem obnoxiam esse inuidiæ. Bene vale, litterarum decus. Basileæ postridie Pentecostes, anno M.D.XVI.

ORNATISSIMO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, SENATORI INCLYTÆ CIVITATIS NORIMBERGENSIS, Erasmus Bilibaldo suo S. D. XXIV.

NEc etat argumentum ad te scribendi, nec otium, vtpote iam ad iter accincto: & tot iam iam mensium laboribus tantum nõ extinctus eram. Et tamen nactus, qui perferret, non potui non scribere ad meum Bilibaldum. Nouum Testamentum vtcunque est absolutum. Hieronymus iam ad metam anhelat, propemodũ exitutus in manus hominum. Excuditur nunc libellus de Institutione Principis, vna cum aliis aliquot. Nos humiles, quod licet, molimur, & rei litterariæ succurrimus pro viribus. Tu, quo felicior es, hoc potes maiora. Quæcunque regio nos habitura est, semper Bilibaldum animo circumferemus. Etiam atque etiam te rogo, vt Annotationes in Nouum Instrumentum tuæ vocis præconio omnibus commendes. Scis enim, nouitatem omnem obnoxiam esse inuidiæ. Bene vale, litterarum decus. Basileæ postridie Pentecostes, anno M.D.XVI.

ERASMVS BILIBALDO SVO

S. D. XXV.

ACcepi libellum vna cum litteris tuis, vir clarissime, ad quas vt paucis respondeam, quippe summis districtus laboribus, viuo vtcunque, versorque Louanij, cooptatus in consortium Theologorum, licet in hac Academia non sim insignitus titulo Doctoris. Id malui, quam Principem Carolum in Hispanias comitari, maxime cum viderem, aulam in tot sectarum factiones Hispanos, Maranuos, Ciuericos, Gallos, Cæsareanos, Neapolitanos, Siculos, & quos non? proximo vere cum Angliam ob priuatum quoddam adissem negotium, rex vltro me mira complexus est humanitate, atq; item Cardinalis rex alter, vt ita loquar. Obtulerunt præterea des magnificas sexcentos florenos in singulos annos. Sic egi gratias, vt nec acciperem cõditionem oblatam, nec reiicerem. Hic licet maximo meo sumtu viuam: tamen certum est menses aliquot desidere, partim vt absoluam, quod est in manibus, partim vt videam, quorsum euasuræ sint spes amplissimæ, quas Principis nomine mihi discedes hinc ostendit Cancellarius Burgundiæ Ioannes Syluagius vir vt eruditissimus, ita litteratorum omniũ patronus. Nouum Testamentum, quod pridem Basileæ præcipitatum fuit verius, quam editum, retexo ac recudo, & ita recudo, vt aliud opus sit futurum. Absoluetur vt spero, inter quatuor mẽses. Perplacuit tuus libellus, vt illa tam amica Reuchlini defensio, in qua mihi videre solito facundior, credo. Q vt Fabius inquit, pectus quoq; te reddiderit eloquentem, non tantũ ingenium, aut eruditio. Sed ego nihil puto calamitosius, quã quocunq; modo bellare. Tum autem nihil esse calamitosius, quã si tes incidat cum hoste sordido ac pudendo. Nam cum quib. tandem est conflictandũ Reuchlino! Cum populo crabronum, quẽ & ipse Romanus Pontifex vereatur prouocare, adeo, vt Alexander solitus sit dicere, se tuti sibi putare quemliber è summis regib. offendere, q̃ vnum quemuis è gregib. istorum mendicorum, qui sub abiecti nominis prætextu verã in orbem Christianũ exercerent tyrannidem. *Etsi amsi hoc, q̃ paucorum vitio committitur, non opinor æquum in ordinẽ vniuersum conferre.* De indevide quæso, quonam organo vtantur isti veræ religionis haudquaquam veri professores. Homine prorsus idiota, frontis perfrictæ, & de quo peccando nullũ omnino detrimentum fieri possit, cui nõ esset impingendũ semiiudæi vocabulum, nisi factis sese declararet sesquiiudæum. Quod aliud instrumẽtum optaret sibi Diabolus, Christianæ religionis æternus hostis, quam istiusmodi angelũ Satanæ transfiguratum in angelũ lucis, & falsissima defendenda religionis prætextu, id vbiq; turbantem, q̃ nostræ religionis, & caput est & optimum? nempe publicam orbis Christiani concordiam. Quid indignius, quã viros immortali memoria dignos cũ istiusmodi portẽto digladiari? cuius ego solo nomine charitas pollui puto. Dispeream, nisi ille se non alio consilio tingendum aqua curauit, nisi vt maiore pernicie grassaretur in Christianos, & nobis admixtus, vniuersum populũ suo Iudaico veneno inficeret. Quid enim lædere poterat, si Iudæus, vt erat, mansisset? nunc demum verum agit Iudæum, posteaq̃ Christiani personã induit: Nunc suo respondet generi: illi Christum sunt calumniati, sed vnum. Iste debacchatur in tot integros ac spectatos vita ec eruditione viros; Nullũ officium poterat suis Iudeis præstare gratius, quã vt perfugam simulans, rem Christianam hostib. proderet, homo ad cetera lapis; tantũ ad calumniandũ ingeniosus. Quod sacrificium poterat Satanę fieri acceptius, quã inter omnes Christianos istiusmodi dissidiorum iaci semina. Vnde Satanas dictus Hebræis? nimirũ ab aduersando. An non illius vices gerit, qui claris viris pulicã vtilitatem molientibus, nephariis modis obstat & obstrepit, & huic vni rei se natũ putat? Vnde Græcis Diabolus dictus est? non à fœnerando, non ab adulterio, non à furto, non ab alio vitio, sed à calumniando dictus est. An nõ huius Apostolus est, qui totam vitam huic studio dedicauit, vt apud imperitam plebem optimorum virorũ nomina infamet ac traducet? ad rem omnium sceleratissimam religionis abutens titulo: quæ non cuiusuis Dæmonis, sed insignite versuti cuiuspiam techna est. Scit, se doctis ac bonis vitis placere non posse, nec his facile imponi. Atq; ea gratia apud indoctã plebem quiritatur, inter mulierculas superstitiosas, & vt Paulus inquit, oneratas peccatis gannit, & pessimo semini terrã captat habilem. His magnificis titulis offundit fumos, his defensionẽ Christianæ religionis, his hæreses, & excõmunicationes occinit. Qui crassiores sunt, q̃ vt animaduertant grassatorẽ lupum sub outilla pelle latentem. O sceleratum granum, & illi dissimillimum, q̃ cadens in terram, & mortuum vitæ pabulum attulit? Hoc granum Diaboli manu iactum est, Aconiti puto, aut si quid aconito pestilẽtius, quod nisi in tempore prospicietur, nocentissimum dissidiorum venenum in Christianorum inuehet concordiam. Quid enim futurũ est tandẽ, si sinetur ille sycophanta sic in omnes sui dissimiles ad eundẽ debacchari modum? & impunissimę belluæ docti viri cogentur libris respondere, qui indignus est, qui nominetur inter homines. Crede mihi, Bilibalde doctissime, latius spectant hæc orsa, quam forsasse vulgus hominum intelligit. Videmus ex quantula faucilla, quantum aliquoties nascatur incendium. Proinde demitor Episcopos hîc non aduigilare, vt istam hydram in tempore exurãt, & malo venenum victori, & per omnia perualido occurrant. Scelestus ille maledicus vinci non potest, qui totus ex maledicentia conflatus est, & habet tot ἀλάστορας, qui defesso suggerant nouas vires. Conuiciis igitur ille nunquam vincetur. Hanc vnicam laudem ille affectat, si omnium eruditorum libris quocunque modo decantetur apud posteros. Sic sane agitat [illegible]: Si paucis bonis ac doctis ero infamis, nihil est, quod

est, quod maiori hominum parti placeam. Quod si detectis technis ac præstigiis euulgatis apud vniuersos Christianos fiam execrabilis, certissimam gloriam adipiscar apud meos Iudæos, qui tum intellecturi sunt, quod non inimico animo ab eis defecerim. Igitur eruditi non solum turpiter, verum etiam inaniter contra hunc congrediuntur, à quo præter infamiam nihil possunt contrahere, siue vincant, siue vincantur. Carnifex aliquis melius istam compescat rabiem. Id curare Episcopo- rum est? est iustissimi Cæsaris Maximiliani: est magistratuum inclytæ vrbis Agrippinæ: non fouere viperam tam virulentam in certissimum Christianæ religionis exitium, nisi paretur antidotus tali digna malo. Atque hæc dixerim nullo quidem priuato stomacho; nihil enim me læsit vnquam, aut si quid in me blaterauit, nihil me mouet, & causa ne tantillum quidem ad me pertinet, sed tamen dolet, concordiam plebis Christianæ sic indigne discissum iri, vnius verpi, prophani & indocti præstigiis, idque illorum auxiliis, qui se Christianæ religionis columina profitentur. Sed hisce de rebus satis esto. Ne nihil reprehendam, mi Bilibalde, in tuo libello alioquin doctissimo, mihi non admodum Catalogus ille Reuchlino fauentium probatur. Quis enim vsquam illi non fauet, eruditus ac pius? quis non istam execratur beluam, nisi qui aut causam non intelligit, aut publico maio suis consulit commodis? Deinde dum in Dialecticos ac Philosophos expatiaris, maluissem te celeteris intactis hoc solum agere quod agebas. Bene vale, Clarissime Doctorum & Clarorum doctissime. Louanij postridie omnium Diuorum, anno M. D. XVII.

ERASMO ROTERODAMO BILIBALDVS

S. D. XXVI.

ANte quatuor ferme menses ad te litteras dedi, mi amantissime & colendissime Erasme, Ceterum quia nullum à te accepi responsum, suspicor vel meas tibi, vel tuas postea mihi litteras redditas non fuisse: Verum tamen litterarum interim loco, tua Clarissima fuit æditio, qua non minus sancte & fideliter, quam fauste ac fœliciter nouum explanatum est testamentum. Vindicasti tuum nomen ab omni temporis iniuria, peregistique rem non minus Deo Optimo & Maximo acceptam, quam omnibus Christi fidelis necessariam & vtilem. Macte igitur virtute, qui rebus satis esto. Ne nihil reprehendam, mi Bilibalde, in tuo libello alioquin doctissimo, mihi non

Οὐ δ' ἐμοὶ δίκαι ὑβρίγλωσσαι, δίκαι ὑ φέμαι' εἶεν,
Φωνὴ δ' ἀρρηκτῶ, χάλκειον ὑ μοι ἔτος ἐνείη.

Vt Poeta inquit. Satius igitur verecunde tacere, quam laudes tuas minus digne personare: quas si nimis frigide tractare videor, non viribus, sed imbecillitati meæ imputandum erit: sed de his hactenus. Quid vero agas, quam belle valeas, quid denique parturias admodum scire desidero, etsi tibi molestum non erit, rescribe: vt habeam, quod amicorum tuorum incognitorum turbæ respondeam, quandoquidem à me quotidie per litteras, quid Erasmus noster agat, anxie perquirunt. Vide, mi Erasme, quam auidi rerum tuarum, non dicam ingrati simus, qui cum immensa, & maiora quam expectare potuissemus, præstiteris, etiam vltra quid quærimus, & quodammodo eximus. Verum id virtuti tuæ, non vitio nostro acceptum referas: & bene valeas gloria & splendor humani generis. Ex Norimberga, XX Maij, anno M. D. XVI.

Salutat te iterum Stabius Cæsaris historiographus, vir doctus & bonus. Salutant te geminæ meæ sorores, Abbatissa sanctæ Claræ vna, altera eiusdem regulæ sectatrix, quæ assidue tua scripta manibus retinent: maxime vero iam nouo oblectantur testamento: quo mire afficiuntur mulieres, multis viris, qui sibi scioli videntur, doctiores. Scriberent ad te latine, nisi indignas suas existimarent litteras, &c.

BILIBALDVS ERASMO SVO

S. D. XXVII.

REm gratam, vir præstantissime, non solum mihi, sed pluribus tuis fecisti amicis, cum certiorem me reddideris, quam valeas, quidnam & vbi agas. Inprimis itaque placet, in tantorum te esse dignatione regum: Verum displicet illorum affectum haud sortiri: siquidem non verba magnifica quempiam opulentiorem reddunt, sed in actione demum omnis laus virtutis consistit. Noui ego probe conditiones Principum, vtpote diutius inter hos versatus, & eorum promissionibus vel ditissimus: quibus tamen si sustentari deberem, bonis (vt aiunt) sæpe dentibus male comedere cogerer. Sed plerunque ita euenit, vt qui vel maxime bona fortuna sint digni, illa careant; Sed quid dico careant, cum sæpius hi qui male fortunati censentur, omnium sint fortunatissimi, etsi opulenti sint minime? Quis enim te fortunatior? Qui non externis bonis tibi laudem pepe-

riſti, ſed virtute & eruditione ita excellis, vt non ſolum in vita ſis clariſſimus, ſed & immortalitatem & quidem viuens induiſſe videaris. Sed de his ſatis, ne adulari videar. Gratum fuit, mi Eraſme, tibi meas non vſquequaque diſplicuiſſe nugas: longe vero gratius, quod tam ſyncere & candide, quid non probes oſtendis: quod profecto minime faceres, niſi me, & vehementer quidem, amares, niſi mea ex omni parte abſoluta eſſe cuperes. Verum noſti, nemini vnquam excuſationem defuiſſe, ac maxime vnumquemque in propria defenſione ingenioſum eſſe. Ne igitur in hac parte ſolus hebes videar, benigne excuſationem meam audi. Atqui nolo cantilenam eam prætendere: Homo ſum variis negotiis tam publicis, quam priuatis implicatus: ac potius ardore quopiam ſtimulatus, quam vera ratione ductus, ſcripſi, ſcriptaque præcipitanter emiſi: nam in promptu eſſet Catonis illud, ſed tacere poteras. Verum audi. Non ego, ornatiſſime mi Eraſme, eos homines, qui in Catalogo noſtro recenſentur, omnes honoris gratia appellaui. Minime enim me latet, indoctos doctis, ac improbos bonis permixtos eſſe: & quod plus aliquis miretur, inimicos amicis. Verum docti & boni laude digni erant: boni vero & potentes, quamuis non admodum eruditi, quaſi pro vallo malis obiiciendi: at docti ſed minus boni, vel ſocij dubij incitandi, aut confirmandi: inimici vero inimicis ſuſpecti reddendi. Nec opinione penitus deceptus ſum: maiores enim, quam ſub initium putaueram, turbas concitaui: non ſolum enim vacillantes ſtabiliui, ſed & plerosque ad nos traduxi, ita vt verbis & ſcriptis rem noſtram defenderint. Quin inimicorum noſtrorum amiciſſimos ac fautores quoſdam in ſuſpicionem ingentem, & non paruum perduxi odium: niſi forte reprehendendum cenſes, quod orationes cum crabronibus commiſerim: & quod riſum mihi ciet, coguntur ſanctiſſimi viri cõceptam indignationem ſupprimere, & laudem moleſtiſſimam læta fronte diſſimulare: non quod ita me ament, ſed quia me rebus ſuis, & prodeſſe & obeſſe poſſe cognorunt. Noſti enim quam ſoleant omnia ex commodo ſuo metiri, ſed id ſub protextu honeſto. Maluiſſes dein, dum in dialecticos expatior, me ceteris intactis hoc ſolum agere, quod agebam. Atque fateor, mi Eraſme, hæc potius animi quodam impetu, quam iudicio præmeditato ſub initium conſcripta eſſe: Verum cum feruor ille, ſeu (vt rectius dicam) perturbatio aliquantiſper deferbuiſſet, pleraq; male concocta eſſent digeſta, multa immutata, nonnulla penitus oblitterata ac deleta: & quamuis mihi tum quod agebam, agere viderer (ſiquidem demonſtrare volebam, Reuchlino maſtiges, non ſolũ improbos, ſed & penitus indoctos & barbaros eſſe, ac Luciani inſtar, quaſi per tranſennam oſtendere, quantum eis ad perfectam deeſſet eruditionem) omnino tamen egreſſionem illam abolere decreueram; ſed reclamantibus amicis, contra mentis voluntatem inracta remanſit. Quin tum prædixi fore, vt ad ingenij ſeu eruditionis potius oſtentationem, quam ad rem, de qua egebatur pertinere videretur. Proinde etſi facta infecta fieri nequeant, ideo tamen placent, quia tuam amiciſſimam ſuſcitarunt admitionem, & quæ longe mihi gratior fuit, quam ſi te cuncta probare ſcripſiſſes. Nam plane liquet, te noſtris mentem adhibuiſſe, & non minimam curam exiſtimationis meę gerere, in qua re plane beneuolum, & verum te oſtendis amicum. Vtinam tibi pares gratias aliquando referre poſſem. Facerem id equidem non tam benigne, quam libenter, vtpote homini omnium, qui viuunt, amantiſſimo & maxime obſeruando. De Reuchlinozoilis nil ſcribo, ſiquidem nil tuis diſertis & veriſſimis ſcriptis addi poterat. Valeant igitur. Audio eos neſcio quid, per idolum ſuum contra me moliri: ſed quicquid id ſit, parum me mouebit: tamdiu enim iam in publicis verſor, vt iniurias & calumnias non ſolum patienter ferre, ſed & irridere didicerim. Sed audi obſecro, quid neſandi nebulones egere. Cum Ioannem Reuchlin vndique oppugnaſſent, tandem Principis ſui, quod ſemper timui, neſcio quibus fraudibus indignationem concitarunt: id ne in extremam calamitatem hominem coniiciat, vehementer timeo, nec eum à Tyranni faucibus, niſi Deus eripiet. Vide mi Eraſme, quid iniquitas non audeat, præcipue illorum hominum, qui populi deuorant peccata, cœlique claudendi & reſerandi ſe ius habere exiſtimant. Nouum Teſtamentum tuum auide expectamus, quin & Pauli magni enarrationes. Verum iniurij ſumus, cum tu tam multa præſtes; nos vero indies alia poſtulemus. Sed tu in cauſa es, qui nos ſemper allicias, nunquam tamen exſaties: vel, vt verius dicam, auaritia noſtra nos reddit inſatiabiles. Apologiam tuam, non ſine animi dolore legi, non quia amico ficto fictis reſpondes verbis, ſed quia vereor, ne maiores inde concitentur turbæ: quamuis te pleriſque cauſſis coactum fuiſſe recte conſiderem, vt acrius inſurgeres. Sed licet aliquando, imo neceſſe eſt incandeſcere, ſi pacem habere velimus, quam abſque bello conſequi minime poſſumus. Vale mi eruditiſſime Eraſme, & bene vale, meq; vt facis ama, qua re nil mihi gratius euenire poterit. Vtinã te aliquando coram cernere poſſim, vtinam tibi in mentẽ veniat, vt me aliquando viſites, nam id te feciſſe non pœnitebit, idq; abſque incommodo fiet, ſi vnquam Baſileam proficiſci volueris. Senties equidem beneuolentiam meam, non verbis, ſed re ipſa; & ſi non eam qua dignus es, ſed eam ſaltem, quæ opis erit noſtræ. Iterum vale, litterarum decus eximium.

Norimbergæ, prid. Calend. Ianuar. anno
M.D.XVII.

ERA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [294] - 270
PUBLIC DOMAIN

ERASMVS RODEROD. BILIBALDO SVO S. D. XXVIII.

NEscio cuius culpa factum sit, vt prolixior illa tua epistola mihi tam sero sit reddita. Ea mihi declarauit, Bilibaldum (cuius humanitatem, integritatem atque eruditionem, iam ante perspectam habebam) virum esse singulari etiam præditum prudentia, animique magnitudine, quę deceat hominem neutiquam plebeium. A Principibus facile contingeret fortuna, nisi mihi nimium dulcis esset libertas. Nimio emptum videtur, quicquid huius emitur dispēdio. Posteaquam ego hic quantulacunq; fortunula contentus sum, me tranquillo fiet, siue dabunt aliquid, siue nihil dabunt. Atq; vtinam non pauperior etiam essem his veris opibus, quibus tu me beatum prędicas. Facti tui ratione sic reddis, vt mihi plane persuadeas. Tuæ vero ciuilitatis est, quod pro admonitione nostra, audaciam reputo, partim demiror, qd sibi velint, partim indignor, partim miseret cæcitatis ac demētiæ. Astrologi tradunt quasdā pestes, vt animorum, ita & corporū ab astris immitti: poetæ ab inferis: Homerus malum, vndecunq; venit, fatale est. De recutito nō libet meminisse, quem vel nominare ominosum puto. Quod venit in mentem Gratio, vt suas litterulas turpiter seruire vellet quorundā stultitiæ, seu potius ambitioni, cum eo videatur ingenio præditus, vt si vero iudicio iustam operam adiunxisset, inter eloquētes ac litteratos haberi potuisset. Nunc non alio facinore natus est, nisi quod calumniatus est Reuchlinum & huius amicos, quodq; quorundam infanti malitiæ, mercenarium ciboq; contectum rhetorculum prębuisse videatur. Quoties in animo fuit admonere Iacobum Hoechstratū, ne tot annorū studium, in rixosum hoc negotiū collocaret, neue se apud eruditos viros suis libellis traduceret? Quos legens, quoties illud mecum: Vtinā te meis videre oculis? Sed cum homine mihi adeo nulla intercedit familiaritas, vt neuter alteri conspectus sit. Et expertus noui quā non semper succedat etiā inter amicos liberior admonitio. Itaq; verebar, ne sedulo famæ ipsius consulens, in suspicionem venirem, quasi Reuchlini negotium agerem: qui cum sic mihi intercedit necessitudo, vt à causa sim plus quā alienissimus. Sunt qui prædicent, Hoechstratū moribus esse non omnino inciuilib. alii secus narrant. Ego semper malo credere bene, quā male prædicantibus. Tamen vt ingenue fatear quod verū est, vbi libellos hominis degustauimus; bene quā antea de illo sentire coactus sum, ipsa videlicet re. Habet sodales aliquot, qui applaudant, qui suffundāt frigidam, qui vnge accinant: ex horū vel iudicio, vel adulatione, totius orbis æstimat suffragia. Habebat & hic suffragatores, sed qui Tales expertus sum quosdam, vt similes nusquam gentiū esse crediturus fuerim Lenones. Parū mihi propitius sit Christus, si quid mentior. In tam virulentis sycophantiis, quibus vndiq; tundor, cōfoior me primū conscientia recti: deinde cōplurium iudicio, quos nemo non fatetur, & vita graues, & eruditione præcellētes, & iudicio exquisito præditos. Nouum testamentū rursus nouatum exibit breui, satis elaboratum, sed aliquando minus etiā quam vellē, ob valetudinis aduersitatem, ex cuius viriculis pensi modū metiamur oportet. Quod mihi cum Fabio incidit conflictatio, non minus male habet animum meum quam tuum: idq; cum multis nominibus, tū hoc præcipue, quod dolerē hanc fabulam fore gratissimam iis, quib. ingratissimæ sunt bonæ litteræ. Tamen & opera datur, & spes est, futurum, vt hoc vulnusculum aliqua cicatrice obducatur. Faber animo meo charus est, & me arbitor illi non prorsus inuisum. De te visendo, ornatissime Bilibalde, vtinam æque mihi foret facile vehementer optas. Bene vale. Basilęæ Anno M. D. XVII.

CLARISSIMO D. BILIBALDO PIRCKEIMERO, LITTERARVM ET GERMANIÆ DECORI, ERASMVS Bilibaldo suo S. D. XXII.

EQuidem arbitror fatali quadam propensione ingenii fieri, vt Bilibaldum meum tam vnice diligam. Testis est mihi Beatus Rhenanus, cum vix dum gustassem libellum abs te versum, protinus flāmam noui cuiusdam amoris erga te concepisse. Nunc & è litteris ad me tuis, & doctissimi ingenii tui monumentis cotidie nonnihil adiungitur. Prorsus rarissima es auis huius seculi, qui tā exiguam eruditionem cum tanto fortunæ splendore, rursum cum hoc tantum comitatis & humanitatis copularis, vt qui me merq; similes homunculos non graueris in tuorum amicorum numerum

asscribere,Libellum quendam abs te versum Brugis exhibuit mihi Thomas Morus ex Anglia reuerso. Nam is tum apud nos regis ac gentis suæ nomine legatione fungebatur. De litteris nulla mentio. Tantum adiecit obiter,ad me missum,nec explicuit,à quo. Suspicor te commisisse litteras tuas D. Roberto Wimphildo,qui cum me sæpius in Anglia salutarit, & quodam die diutius etiam fuerit collocutus,demiror, quam ob rem ne verbum quidem vnquam super hac re fecerit. Quod mihi tantum tribuis laudum,quas ne si immodestissimus quidem sim,possim agnoscere, hoc certe effecisti, vt paulo minus mihi displiceam. Obruimur hic duplici sarcina, quarum vtrauis Herculem,non Erasmum, requirat. Præteri alia minutiora,sustinemus Hieronymum & Nouum testamentum, quod nunc typis excuditur.Fœmina,quam tibi ex Mechlina commendaui, soror est eius cui Enchiridion dicaui. Id operis nuper excusum est Argentorati. Adieci commentarium in Psalmum,Beato Rhenano nostro dedicatum, Nihil enim hoc amico amicius. Missurus eram codicem, ni respondissent, iam isthuc esse deportatum. Scripsimus hæc,non solum incredibilibus obruti laboribus, verum etiam à cœna subito de tabellionis discessu admoniti. Vnum illud adiiciam, quantumuis eruditione & fortuna vincatur Erasmus, studio & amore nunquam cessurum licet inuicto Bilibaldo. Vbi dabitur commoditas (dabitur autem,vt spero, breui) totis voluminibus tecum agam,nedum epistolis. Beatus Rhenanus plane Pythagoricus amicus,hoc est, μία ψυχή, salutem abs te libenter acceptam multo cum fœnore reprecatur.Bene vale,præcipuum rei litterariæ decus. Basileæ Natali diui Galli ad multam noctem.

ORNATISSIMO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO SENATORI INCLITÆ CIVITATIS NVREMbergensis. S. P. XXX.

ORnatissime Bilibalde,Nuper mihi redditæ sunt tuæ litteræ, quibus expostulas, quod tuis non respondierim. Id adeo miror, cum mea responsio copiosa iam pridem excusa sit Basileæ. Demiror,te citatum esse Romam, cum sciam, Pontificem hoc in primis dedisse in mandatis,ne quem innoxium læderent,imo conscios etiam ac fautores,vt ipsi vocant, hæreseos, modis omnibus allectarent.Sed aliter visum est furiosis Theologis aliquot.Cupio te quam optime valere, ac fugere postea fæliciter. Ego hic in quotidianis concionibus lapidor à prædicatoribus, & Luthero copulor, qui cum mihi nihil est negocii,sed ita stolide rem gerant, vt populus etiam crassissimus intelligat. Non poterunt magis officere Romano Pontifici, neque magis Lutherum commendare affectibus hominum. Nunc demum incipiunt illi fauere. Vtinam Leo sciret,quibus modis hic res agatur. In illos primum esset Leo. Bene Vale vir optime. Louanii 7. Cal. Feb.

Erasmus ex animo Tuus.

CLARISSIMO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO, SENATORI NOREMBERGENSI, ET CÆsareæ Maiestatis Consiliario S. XXXI.

ORnatissime vir,postremæ litteræ tuæ mihi redditæ sunt, confabulanti Aleandro. Nam cum forte agebamus Louanii in eodem diuersorio,is mihi sæpius de te verba fecit, & ita fecit, vt tibi videretur fauere. Nam ostendit diploma quo liberareris ab ista molestia. Ista querela mi Bilibalde tibi cum multis est communis. In me non simplex exitium moliuntur. Equidem demiror, quis Deus Lutheri animum moderatus sit, vt tot amicis & prouocando pontifice deterrentibus semper acerbiora scripserit.Magis autem demiror malitiosum quorundam studium, qui volentes nolentes conati sint aliquot in suam sententiam pertrahere: quasi cuperent perire cum multis, quid enim aliud quæsiere talibus libellis quam exitium? Qui sic scribunt, qui sic minantur, debebant habere paratas copias,si voluissent esse incolumes. Vide vero quantum promouerint. Bonas litteras deprauarunt inuidia,& optimus quisque,qui maxime fauet Euangelicæ veritati, affinis est suspicioni periculosæ, ingens orbis dissidium excitatum est inter omnes, fortasse duraturum in multos annos,& semper in peius progressurum. Pro sinistris tentata libertate duplicatur seruitus: adeo vt ne vera quidem liceat tueri.Porrectum est telum scelerati ssimis quibusdam,qua se vlciscantur aduersus optimum quemque. Inusta est non leuis nota Germaniæ, vt solet paucorum rem eritas vniuersitati imputari. Desiderabant in nobis prudentiam & consilium, & qui vel armis solemus esse formidabiles,contemnemur & à contemptissimis,vt qui nec mentem habeamus nec arma. Nobiles aliquot hic minitantur Sacerdotum opibus,quasi huc spectet finis Lutheranæ fabulæ,& ita Collegia omnia conciliant aduersæ parti. In me nihil adhuc tentatum est palam,nisi quod Louanii potissimum prædicatores quidam me mendacissimis concionibus infamant apud populum: apud Princi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [296] - 272 PUBLIC DOMAIN

ptincipes variis titulis deferunt. Quidam cogunt vt scribam aduersus Lutherum, cui non est ocium vllum, vt vel legam illius libellos. Nihil ego video melius quam in hac re mussare. Tibi suaserim, vt pro tua causa scribas ipsi Leoni. Est ingenio mitissimo & fauet viris eruditis. Apud Alexandrum ea de re loquutus sum, quæ sint in rem tuam, quæque puto esse vera. Basileæ. Bene vale Prid. Natalis S. Andreæ Anno 1521. Raptim.

In quibusdam germanis, quibus toto pectore fidebam minimum reperi fidei.

Erasmus tuus.

ORNATISSIMO VIRO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO, CÆSAR. MAIEST. A CONSILIIS. S.

XXXII.

NIhil mihi fuit tuis litteris gratius ornatissime Bilibalde. Nunc vt occupatissimus, paucis agam quod volo. Nemo nescit, quantum bonæ litteræ debeant Frobenio, qui solus omnium suo damno nostris studet compendiis, sed vt sunt κεφαμεῖς, plerique insidiantur homini propemodum coniurato, vt illum perdant. Vbi quid noui operis prodit, quod putent fore vendibile, mox vnus atque alter suffuratus ex ipsius officina exemplar, excudit ac venditat minimo. Interim Frobenius immensam pecuniam impendit in castigatores, frequenter & in Exemplaria. Huic iniquitati facile succurretur, si fiat Imperatorium interdictum, ne quis librum primum à Frobenio excusum aut cui sit aliquid ab autore additum excudat intra biennium. Tempus longum non est, & officina Frobeniana vel ob hoc fauore digna est, quod nihil ex ea prodit ineptum aut seditiosum. Excuditur nunc Paraphrasis in Euangelium Iohannis Ferdinando dicata, cuius partem ad te mitto, vt ostendas, si videbitur commodum. Non dubito, quin res facile possit impetrari. Referet tamen, si id fiat quam primum. Si non est commodum, vt fiat per te, poteris aliis mandare. Adest enim, vt audio Iacobus Spiegel mihi cum primis amicus, homo candidus, ad est Episcopus ac princeps Teramnensis nuncius Apostolicus, qui pro sua humanitate mihi semper fauit vnice. In hoc negocio mi Bilibalde mihi nec feritur nec metitur, & tamen Frobenii micilio, simul atque euocauerit ille noster Imperator, neque detractem tamen interim vel immori piis laboribus, si modo fructum aliquem adferre liceat Iesu Christo, sed videmus imbecillitatem vel potius infœlicitatem nostram, videmus hoc seculum prodigiosum, adeo, vt nesciam, cui parti me addicam: nisi quod conscientia mea satis confidit apud Iudicem Iohann. Qui sub nomine Pontificis nescio quod agunt negocium, sic vrgent omnibus laqueos veteris Tyrannidis, vt videantur additurі citius multa, quam quicquam detracturi, rursus qui sub nomine Lutheri præ se ferunt vindicationem Euangelicæ libertatis, nescio quo spiritu rem gerunt. Certe multi se admiscent, quos malim non admiscere, si meum esset negocium. Interim exitialibus dissidiis vbique scinditur charitas Christiana. Interim in suspenso sunt hominum conscientiæ. Qui propensi sunt superne natura ad licentiam, facile accipiunt occasionem è libris Lutheranis. Qui modestiores sunt, inter sacrum & saxum hærent. Hinc vident argumenta probabilia, & sensum naturæ, illinc vident autoritatem principum ac turbam innumerabilem. Quorsum autem res sit euasura, nescio; ego coactam & extortam fidem non magni facio. Grauis est autoritas bullarum, grauior diplomatum Cæsaris, sed ista fortasse cohibebunt ad tempus, linguas

CLARISSIMO VIRO BILIBALDO PIRCKHEIMERO SENATORI NORINBERGENSI S. P. XXXIII.

VTinam sicut alter alteri συμπαθοῦμεν, & alter alterum consolamur, ita nobis inuicem mederi liceret. Quanquam mihi sane minima dolorum pars est corporis morbus. Ego mihi teste Christo conscius, me nihil ambire eorum, quæ sunt huius mundi, volens emigrauero ex hoc domicilio, simul atque euocauerit ille noster Imperator, neque detractem tamen interim vel immori piis laboribus, si modo fructum aliquem adferre liceat Iesu Christo, sed videmus imbecillitatem vel potius infœlicitatem nostram, videmus hoc seculum prodigiosum, adeo, vt nesciam, cui parti me addicam: nisi quod conscientia mea satis confidit apud Iudicem Iohann. Qui sub nomine Pontificis nescio quod agunt negocium, sic vrgent omnibus laqueos veteris Tyrannidis, vt videantur additurі citius multa, quam quicquam detracturi, rursus qui sub nomine Lutheri præ se ferunt vindicationem Euangelicæ libertatis, nescio quo spiritu rem gerunt. Certe multi se admiscent, quos malim non admiscere, si meum esset negocium. Interim exitialibus dissidiis vbique scinditur charitas Christiana. Interim in suspenso sunt hominum conscientiæ. Qui propensi sunt superne natura ad licentiam, facile accipiunt occasionem è libris Lutheranis. Qui modestiores sunt, inter sacrum & saxum hærent. Hinc vident argumenta probabilia, & sensum naturæ, illinc vident autoritatem principum ac turbam innumerabilem. Quorsum autem res sit euasura, nescio; ego coactam & extortam fidem non magni facio. Grauis est autoritas bullarum, grauior diplomatum Cæsaris, sed ista fortasse cohibebunt ad tempus, linguas

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [297] - 273
PUBLIC DOMAIN

nguas hominum an animos vertere possint, nescio. Vtinam Deus placatus nobis hoc immittat animis principum, vt concordibus & synceris animis, nec alio spectantibus, quam ad gloriam Christi, cruentur haud mali fontes, & remedium aliquod efficax ac duraturum adhibeant, idque quam minimo orbis tumultu, hoc est, quam minimum conuulso Reipub. statu. Quid multis? res eo delapsa est, vt omnino succurrendum sit populi Christiani libertati. Adeo multa irrepserunt paulatim in publicos mores, & ceu præscriptiones vim legis inerutabilis occuparunt. De conciliis non ausim aliquid dicere, nisi forte proximum concilium Lateranense concilium non fuit. Multum item sumpsit Scholarum autoritas paulatim aucta, quæ nunc suas definitiones propemodum pro articulis fidei habeti postulauit. Iam sub vmbra Romani Pontificis cauponantur, partim nimirum sibi vindicarunt, partim eo insolentiæ progressi sunt, vt omnibus fuerint intolerabiles. Quæ paulatim collegere robur, non possunt subito conuelli, & magna tum autoritatem palam contemnere nec tutum est, nec vtile, mea sententia. Nunc ex vna parte res agitur bullis & edictis, minisque: ex altera licentiosis, ne dicam seditiosis libellis. Quod si principes aliis rebus occupari, non possunt his animum aduertere, demiror non existere bonos viros, qui prudenti consilio tantis malis occurrant. Mea res non admodum agitur. Instat vitæ meæ terminus. Sed morientis etiam est, bene velle rei Christianæ; Si modo recte persuasum est nobis, Christum esse caput immortale totius Ecclesiæ. Alius consulit suis priuatis commodis: alius metuit, ne perdat quod habet: alius abhorret à tumultu, & quiescit: sed interim gliscit periculosum incendium. Me quorundam maleuolentia tanta grauauit inuidia, vt frustra fim conaturus, si quid tentem. Theologi quidam sentientes renascentibus per nos antiquis studiis suæ autoritati paulatim aliquid decedere, etiam priusquam Lutheri nomen audisset orbis, nihil non moliebantur in me. His Lutherus telum porrexit, quo nos conficerent: tamen semper abstinui à Lutherano negocio, nisi quod hortabar sedulo, vt aliter scriberet, si vellet proficere. Successit Aleander, vt ante Lutheri nomen hoc Erasmo, quod figulus figulo natura excelsus, ferox, irritabilis, cui nihil neque lucri neque gloriæ satis est. Hunc quidam implerunt falsissimis mendaciis, & sic instigarunt hominem, vt nihil haberet, quid de me prædicaret, etiam apud summos viros, modo perderet. Et tamen apud me deierabat, non viuere quenquam amiciorem Erasmo, quam esset ipse. Discedens reliquit Organa sua probe instructa duos Theologos Louanienses D. Caracciolam Episcopum Laodiensem, hominem linguæ facilis, & Hispanum nescio quem in aula Cæsaris suspicor esse apud Mortensem. Habet Romæ Stunicam, hominem omni iudicio insanum, & ad maledicentiam natum. Is exhibuerat Leoni Libellum, qui continebat sex Myriades hæreseum decerptas è meis lucubrationibus, & ea causa periclitabar, nisi mors intercepisset Leonē: alioqui non infensum Erasmo. Lutherani multi palam minantur libellos maledicos, & Cæsari propemodum persuasum est, me fontem & caput esse totius Lutherani tumultus. Atque ita magnifice periclitor vtrinque: de omnibus bene meritus decreui iam aliquid scribere, non aduersus Lutherum, sed de concordia, verum video partes ambas sic ardentes, vt præstet quiescere. Quanquam vellem iam ante duos annos in me scripsissent Lutherani. Leuassent me grani inuidia. Consului doctissimos Theologos, si quid esset in nono cap. Epist. ad Rom. Negant quicquam esse mali, nisi hocistis malum videtur, quod aliquid tribuam libero arbitrio, tam est perpusillum. Bene vale vir clarissime, nosque, quod soles & facis, ama. Basileæ 3. Cal. April. Anno 1522.

Erasmus tuus raptim scriptæ mane,

Non vacauit relegere Epistolam. Quare ignosce.

CLARISSIMO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, SENATORI ET CONSILIARIO CÆSAREO S. XXXIV.

NEc ego poteram secus de tuo prudenti candore suspicari mi Bilibalde, sed erant qui me litteris admouerunt, vt te placarem. Vtinam Deus immittat animis principum orbis salutifera consilia. Pudet me horum tumultuum, dicas Phaethontem admotum currui solis. Et interim nobis videmur Christiani, & agimus de Rhodo. Stunicam semper contempsi. Vellem autem quosdam Lutheranos negocium Euangelicum tractare prudentius. Nunc in summo tumultu sum, quod instent nundinæ. Post scribam copiosius. Bene valebis interim. Basileæ sexto Id. Ianuarias, Anno 1522.

Erasmus tuus ex animo.

ORNA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [298] - 274 PUBLIC DOMAIN

ORNATISS. D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO, CÆSARIA CONSILIIS S. P.

XXXV.

VEhementer gratæ fuere tuæ litteræ, vel ob hoc, quod alacritatem quandam præ se ferebant. Nos his feriis nataliciis calculus dolori coniunctus, quem Colicum vocant, penissime liberarat ab his vitæ malis. Et adhuc adeo deiectum est hoc corpusculum, vt verear ne non pugnum, quod est è manibus actorum opus, non metuo mortem. Satis enim diu vixi. Optarem aliud mitius mortis genus. Nunc quot mortes habet vnius calculi partus? Et quoties reguſtanda mors? Sed Dei voluntati nos subiiciamus oportet. Clemens Septimus magnis promissis Romam vocat.

Illustriss. D. Margaretha & Cæsar in Brabantiam, alioqui periit pensio, quæ iam plus quã biennium non soluitur. Hic fremunt in me Lutherani ingeniosiores. Et Lutherus ad suos scribit nobis parum amicos. Romæ quid sit futurum satis diuino, sunt enim illic, qui gladiatoriis animis mihi certum exitium moliuntur. Ac iam pene peregerãt ante mortem Adriani. Cui cum scripsissem concilii mei partem, ab ipso rogatus, litteris secretis, mox sensi mutatos duos. In Brabantia furiosis datus est gladius, qui me peius oderunt quam Lutherum. Hic nihil aliud, quam ægroto. Inuitat iam sæpe rex Galliæ. Sed videbor ad hostem fugisse; id inimici suadebunt Cæsari, qui adhuc satis fauet Erasmo. Rex Anglus sic vrget, vt scribam aduersus Lutherum, vt videatur indigne laturus, si pergam negare. Quid hoc seculo turbulentius? Feceris pergratum, si reliqua quæ isthic aguntur, perscripseris, deque Lei nostri gestis. Vt Lutherus omnes inimicos suos nobilitat ac ditat. Demiror quis sit exitus futurus huius consilii, & apparatus ad bellum, quod fit vndique. Concurrent montes minus facies fœliciter exprimatur. Id velim istos tentare. Gaudeo Durero nostro contigisse tutorem suum, cui ex me multam dices salutem, & item Vatenbulio. Hoc ægre scripsi manibus adhuc à morbo vacillantibus, in ipso nunquam digresso submonitus, Fabro nostro precor omnia fœlicia. Scribo de singulis. Iodocus Orator regis Poloniæ nondum accepit precationem dominicam, quam opinor isthic iam prostare. Bene vale. Basileæ tertia ab Epiphaniis die Anno 1523.

Erasmus.

CLARISSIMO D. BILIBALDO, CÆSAREO CONSILIARIO S.

XXXVI.

DVrero nostro gratulor ex animo, Dignus est artifex, qui nunquam moriatur. Cœperat me pingere Bruxellæ: Vtinam perfeciſſet. Nos eodem in statu fuimus; quo ille malo ex re nihili nato persentiebam animo voluptatem quandam, quod ex hoc turbulentissimo seculo migraturus essem ad Christum. Gliscit indies hæc pestis, nec vllum video exitum. Scripseram Pontifici consilium meum, sed Eccius scribit suum consilium maxime placuisse, seq; apud Pontificem valere plurimum. Ego me ab his contentionibus abduco, & ad tranquilliora. In paraphrasibus tractandis videor mihi fieri melior. Et nemo læditur, grauamina reddidit mihi Sylurus Ægrarius, sed nondum perlegi. Si tu recte vales, est quod magnopere gaudeam. Vt video alius sibi sumpsit partes reddendi libros meos Ferdinando, vt aliquid ab eo extorqueret. Misi post libellos inauratos. Ferdinandus & litteris humanissimis gratias agit, & centum florenos aureos dono misit. Emoriar mi Bilibalde, si creditus eram, in vniuersis germanis esse tantum inhumanitatis, impudentiæ, vanitatis, virulentiæ, quãtum habet vnus libellus Hutteni. Tot testimoniis ornatus est à me. Toties per me suo Cardinali ac ceteris principibus commendatus est, de nullo candidius sentiebam & loquebar. Nunquam à me verbo læsus est. Imo cum hic esset, obtuli colloquium, si quid esset rei seriæ: detuli ei officium, si quod à me præstari vellet. Nihil minus expectabam, quam hunc assultum ab Hutteno. Multis coniecturis adducor, vt credam Henricum Epphendorpium huius fabulæ artificem. Adeo ille subito factus est Huttenianus. Ego tamen non desinam esse similis mei. Nondum statui, an velim illi respondere. Furit, nec habet, cuius iacturam faciat. Fugitat ac latitat nunc apud Eluetios, non absque periculo. Fouet illum Zwinglius Thurregii, sed clam. Bene valeat meus Bilibaldus. Reliqua cognoscis ex Egrano. Basileæ 14. Cal. Aug. Anno 1522.

Erasmus vere tuus.

CLARIS-

CLARISSIMO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO, SENATORI NORINBERGENSI dignissimo S. P. XXXVII.

CApito scripsit ad me, queri nescio quid Varenbulium ob librum carius emptum à Conpergio. Iube illum esse bono animo. Efficiam, vt isthuc quicquid est, bene penseturi. Misi plumbeam imaginem, videlicet ineptiens apud amicum. Cupio scire, de ea quid sit actum. Spero Fabrum Constantiensem Vicarium, sic moderaturum autoritatem suam, vt non prodat Christum Pharisæis, Scribis, & Pontificibus. Vellem hos quoque plus sapere in generatione sua. Moneo sedulo & proficio nonnihil, minus tamen quam vellem. Tu nos amare perge. Nos nostri dissimiles nunquam erimus. Bene Vale cum tuis omnibus, vir Clarissime. Basileæ XI. Cal. Decembr. 1523. Resaluta nostrum Appellem.

Erasmus tuus.

CLARISSIMO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO S. XXXVIII.

PRioribus litteris tuis iam respondi, quibus nunciabas, Leum adesse, ac de Dureri tabulis censuram egisse. An meas acceperis, non satis quiui ex tuis litteris intelligere. De rebus τῶν ἀφάτων scito, te mihi quidem tuto scribere, si modo tuto commiseris litteras, quod ante hac bene successit. quod Clemens Septimus fœdus aduersus Gallos renunciat, non satis intellexi, nam renunciat, qui nunciat; & renunciat, qui rescindit. Nihil minus decet quam Pontificem, qui pater est omnium, cum hoc aut illo ferire fœdus, sed æquum omnibus oportebat inter omnes componere concordiam. Et hoc omnibus bonis viris optandum est. Et Galli Christiani sunt. Imperii titulo minus faueo, quod videam esse perennem fontem bellorum. Sed ista θεῶν οὐ γινώσκει πόστα. Verissimum est, quod scribis Lutherum plurimos euehere, ille creat canonicos, Episcopos, Cardinales, atque etiam docet plurimos, velint nolint. Sed rursum multos deiicit ac spoliat, quorum de numero sum ego, cui per Margaretam ac Cæsarem promittitur pensio consiliarii, sed in patriam reuerso. Verum illic regnat Edmondanus homo furiosus, armatus gladio, qui me duplo peius odit quam Lutherum. Habet collegam Franciscum Hulstum mirum hostem bonarum litterarum. Primum coniiciunt homines in carcerem: ac post quærunt, quæ obiiciant. Ista Cæsar nescit, quæ tamen operæ precium esset illum scire. Interim mihi debentur quingenti floreni aurei. Periclitatur & altera pensio resignatæ præbendæ. Iterum atque iterum magnis promissis Romam inuitor, vt aduolem. Cancer volabit, ego vix viuo, & hæc scribenti nunciatur mors Wonaci ex calculo. Humanissimo Varenbulio curabimus vt satisfiat, cui & ipse plurimum debeo. Pontifex hic deputauit sex cardinales eruditissimos, qui de rebus Lutheranis respondeant. Addunt & illud: Germaniæ principes imploratse auxilium pontificis aduersus Lutherum. Itaque sperant rem breui confectum iri. Nec dubito, quin inter hos sex præcipuus sit Caietanus, etiamsi mox, vbi hæc scripseram, audio eum esse in Hungaria legatum. De fusili Erasmo scripseram, ex quo coniicio, litteras eas non fuisse redditas. Si artifex quispiam plumbeum archetypum expressius purgaris angulis, fœlicior esset fusio. Deinde materia mixta ex ære & stanno fœlicius reddit imaginem. Postremo si solus Erasmus absque Termino funderetur, opinor melius cederet, nam densitas saxi, & aggeris, qui est à tergo, obstat, quo minus bene reddatur facies & collum, licebit vtrumque experiri. Si bene cesserit, fundat ac vendat suo bono. Si mihi miserit aliquot exemplaria felicia, quæ donem amicis, numerabo quod volet. Bene vale patrone magne. Basileæ postridie Dominicæ quinquagesimæ Anno 1524.

Erasmus tuus.

ORNATISS. D. BILIBALDO SENATORI NORIMBERG. XXXIX.

AEgranus soler exaggerare omnia, quanquam nihil ad huc accidit mihi indignius hoc facto Hutteni. Hanc technam struxit Heinricus Epphendorpius, qui omnia sua consilia miscuerat cum Hutteno, quum esset Basileæ. Vterque debebat animam, visum est illis hac via posse extundi ducentos florenos ab amicis Erasmi. Et extorsissent aliquid nisi obstitissem. Nam olfeci technam. Cum viderent, nihil extorqueri posse, saltem à Typographo voluerunt paululum abradere. Neuter fecit odio mei, quum de vtroque sim bene meritus: sed amore prædæ. Nunc ab aliis quibusdam extorserunt sexcentos florenos, & triginta. Huttenus habet ducentos. Iuuenis, cuius nomine bellum indictum, quadringentos. Epphendorpius legatus triginta. Fauit alea, & hæc sors attulit ei lucrum nonaginta. Isti habentur hic pro honestis viris. Spongiam meam, qua Hutteno respondeo iam pene

excudit

exeudit Frobenius. Itaque sero mones. Quanquam respondeo contemptim. Emserum existimabam esse defunctum. Simile quiddam accidit mihi Louanii. Scripseram Hardmanno Gaudano, qui præter vtriusque linguæ litterarum non vulgarem Lutetiæ primam lauream meruit, familiariter de rebus ad ipsum pertinentibus, neo credebam fore, vt vlli suorum eas litteras ostenderet. Epistola circumfertur excusa, In ea, vt scribunt, taxantur Franciscus Hulstus & Ecmondanus Carmelita, quibus Cæsar & Pontifex regnum commisit, exurendi Lutheranos. Nondum vidi epistolam. Pontifex imposuit silentium Ecmondano. Itaque mussant Theologi. Nescio an tibi scripserim de Tragœdia exorta in Anglia. Iniecta erat regi suspicio, me adfuisse Luthero in nouo ludicro libello. Ea de causa missi famulum. Is rediit omnibus fœlicissime gestis. Rex excusat sese: & item Cardinalis. Amicis veteribus accreuit & amor, & numerus. Donarunt famulo supra triginta florenos. Buschius Hutteno furiosior, semper à me laudatus, & humaniter acceptus Basileæ certe nullo verbo à me læsus, excudit nescio quid in me: quod fortassis exibit hisce nundinis. Huiusmodi conuicia non optimam famam Germaniæ. Nihil stolidius. Principes omnes hortantur in Lutheranum. Ego autem non scribam, aut ita scribam, vt qui pugnant pro regno Pharisaico, malint me siluisse. Bene vale, 4. Cal. Sept.

Erasmus tuus.

CLARISSIMO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO, AMICO INCOMPARABILI. S. P. XL.

CHarissime Bilibalde adiit me Antwerpiæ iuuenis singulari indole tuæ sororis maritus, & mihi tuo nomine salutem dixit, simulque officium suum mihi attulit. Prodiit tandem liber Eduardi Lei, quo nihil vnquam natum est neque virulentius neque mendacius, neq; sedicioſius, addo, neq; stultius, neque indoctius, & tamen homo sibi placet, & inuenit, quod in ** applaudunt. Respondimus ex tempore illius inuectiuis, ad quas si conferantur scripta Hoechstrati & Pefercorni, nihil sunt nisi merum mel. Nos, quod ad rem attinet satis strenue nos gessimus in refellendo. Ceterum quomodo monstrum hoc natum in perniciem bonorum studiorum sit à vobis expediendum, ex amicorum litteris cognoscetis, quibus hoc negocii dedimus. Nisi pestis nos deterrebit, fortassis hoc vere toto commigrabimus in Germaniam. Interea cura, vt quam optime valeas, amice magne & Patrone incomparabilis, Louanii 14. Calen. Aprilis.

Erasmus ex animo tuus,
Raptim.

ORNATISSIMO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO S. XLI.

DOleo tibi rem esse cum podagra. Si Luciano credimus, solent hoc tempore huius Deæ mystæ redire ad suas cantiones. Hoc magis irascor morbo tuo, quod nos priuat dulcissimis tuis litteris. Nos aliquot dies expatiamur in Burgundiam, abstersuri situm, quem diurno otio latebristetis. Expectamus, quid isthic agatur, si quid tamen agitur. Qui has reddit, prædicat, quæ contraximus. Expectamus, quid isthic agatur, si quid tamen agitur. Qui has reddit, prædicat, quæ contraximus. Nos aliquot dies expatiamur in Burgundiam, abstersuri situm, quem diurno otio latebristetis. Quid tibi nescio quid affinitatis tecum intercedere. Alioqui non eram scripturus. Bene vale, vir optime. Basileæ. Postrid. Id. April. Anno 1524.

Erasmus Rot.

ORNATISSIMO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, SENATORI NORIMBERGENSI S. XLII.

VIt Ornatissime, scripsi nuper per eum, qui fusiles imagines reddidit, simulque significaui, tuas litteras hactenus bona fide mihi redditas fuisse, quod videreris aliud suspicari. Clemens VII. misit ad me diploma honorificum, cum honorario munere ducentorum florenorum, quos non accepissem, nisi nominatim expressisset, se misisse ob paraphrasim inscriptam. Pollicetur & in posterum magnifice. Cardinalis Campegius misit ad me proprios nuntios, quibus respondi, quæ mihi videbantur pro publica concordia facere. Quamquam, vt nunc agitur hæc fabula, ego nullam video catastrophen. Ita me Iesus bene amet. Res indies serpit latius. Neutra pars agit de componendo dissidio: Imo plerique nihil aliud agunt, quam vt oleum addant

camino. In Hollandia mea passim fugiunt monachæ, ac nubunt in Domino. Camelus ille exautoratus est & à Cæsare & à Pontifice. Hulstus illius collega vix effugit capitis supplicium. Studia fœliciſſime procedunt, frustra frementibus Theologis. Me clamant hæreticum. Sed nemo credit illis. Scripsit ad me Martinus Lutherus per Ioachimum quendam satis humaniter. Cui non sum ausus pari humanitate respondere propter sycophantas. Respondi tamen paucis. Melanchthon, vt audio, cupiebat colloqui nobiscum: sed non audebat me grauare inuidia. Ego certe eam inuidiam contempsissem. Est iuuenis ingenii candidissimi. Argentorati magnus est tumultus, etiam in senatu. Noster magistratus cœpit moderatius fauere Lutheranis. Timent exemplum Argentinensium. Othonis libellus rursus exiit per autorem recognitus, & ni fallor auctus. Nondum vidi. Exiit & epistola Alberi omnium stultissima. Ea non dubito quin sit Buschii, tametsi stylum quantum potuit dissimulauit. Sed noui penitus illius ingenium. Is homo semper à me amanter cultus, ne verbo quidem vnquam à me læsus est. Huiusmodi muscæ perdent vnguentum & Euangelii & bonarum litterarum. Hisce præstigiis delectatur Epphendorpius. Gaudet lædere, & vult me scire; sed sic, vt apud alios possit inficiari. Posthac non est animus, talibus næniis respondere. Romæ excusi sunt clam duo libelli Stunicæ, in quorum altero defendit Interpretem à solœcismis, quos illi impegeram: sed interim dissimulat innumeros quos tueri non poterat. Et hos quadraginta opinor sic tuetur: Græce est ἀφῆκεν: Igitur interpres recte dixit, manicare: quia licet fingere noua vocabula. Aut reddidit figuram, aut Hebraicum: Igitur non commisit solœcismum. Nam in Græco est ἐπέτρεψε, ergo bene vertit; per ter, in Actis. In altero prodit, quid ex ipsius Annotationibus castigarim tacito ipsius nomine, quasi parum fuisset, illi libro respondisse, nisi totum opus Annotationum inauspicato nomine contaminarem. Romæ ridetur ab omnibus. Et tamen homo sibi plaudit. Promittit enim, se non conquieturum, donec Erasmus agnoscat, vnum Stunicam præ ceteris extitisse, qui ipsum vincat non solum in sacris literis, verum etiam in profanis. Pontifex tamen vetuerat excudi. Nec audent vendere. Clemens VII. misit legatum in Angliam quendam Minoritam Archiepiscopum, qui pacem indiceret Principibus. Sed nihil egit. Itaque magnam pecuniæ vim à Rege oblatam recusauit accipere. Arbitror Angliæ regem iam traiecisse. Sic imus in Turcas. Iusserat Cæsar, mihi solui pensionem: sed excusant belli onera. Promittunt tamen cum fœnore redeunti. Libens aliquo demigraro vel ob inuidiam, qua me grauat amicitia Frobenii apud Typographos. Nondum statui. Sed statuam breui. Quando rumor libelli de libero arbitrio sparsus est, ne quid suspicentur atrocius, opinor esse satius edere, Nam ego rem ea moderatione tracto, vt sciam, nec ipsum Lutherum indignaturum. Inuisimus Bisantium; sed affecti pituita vix reuolauimus in nidum. Vbi reuixissemus, sic adortus est calculus, vt nunquam ante hac periculosius. Vtor nonnunquam terebinthino. Balneis, quoniam non assueui, non audeo me credere. Bene vale vir incomparabilis. Basileæ 12. Cal. Aug. Anno 1524.

Nosti manum tui mancipii.

ORNATISSIMO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, SENATORI NVRENBERGENSI S. XLIII.

ARbitror omnes epistolas tuas mihi bona fide redditas, quarum nulla mihi non fuit iucundissima. De meis dubito. Nam de prima imagine ænea mihi reddita illum scio me bis scripsisse. Et nunc has accepi, quas promiseras litteris per ciuem quendam scriptis, vna cum epistola, qua significas, quid post abitum principum sit isthic gestum. Ferdinandus fuit Brisaci ac Friburgi. Faber studiose me ad Principis colloquium euocauit: id mea magnopere interesse. Ego sedulo excusaui. Cupiunt conflatam inuidiam mecum diuidere. Vbi videro, partem vtramq; se præbere ad concordiam, non deero meo officio. Scripsit ad me Lutherus; sed suo more, pollicens, se ignoscturum imbecillitati meæ, si modo ne ex professo scribam aduersus illius dogmata. Illi respondi, sed paucissimis, ac meo more ciuiliter. Non vacabat pluribus, nam aderat eodem tempore Hieroslaus Baro, Regis Poloniæ orator, homo candidus, & nostri amantissimus: sed Luthero vehementer infensus, quem admodum & Rex ipse. Melanchthon inuisit patriam suam, me, vt aiunt, inuisurus, ni metuisset me grauare inuidia. Misit ad me Ioachimum quendã, quem vnice diligit, & scripsit de me ad Pellicanũ amantissime. Scis, opinor, Petrum Mosellanum vita defunctum. Hedio noster penultimo Maii duxit vxorem Argentotati, bene dotatam.

Ego & Cardinali, & Pontifici, atq; etiam Fabro scripsi, ne rem tractarent scitia, neue odio malorũ læderent

lærent bonos. Et promiserunt, se facturos. Miscent se huic negotio quidam, qui nihil aliud videntur affectare, quam tumultum ac seditionem. Magistratus hic incipit minus fauere Lutheranis. Hæc ægre scripsi, im Bilibalde, misere grauidus calculo, quo iam menses aliquot carueram, posteaquam desieram vesci pyris assis, sed vt hic sunt, sylue stribus. Quidam putant, fusionem felicius euenturam, si cyptio æri miscearur stannum, ex quali materia funduntur campanæ. Est & aliud remedium, si caput termini vertatur ad latus. Nũc vtrinq; respondens densitas facit, vt vultus minus fœliciter redatur. Est insuper & ars contrahendi imaginem: sed longum id est, & laboriosum: si excipiatur argilla incluso circulo æreo: deinde siccescat. Idque fiat sæpius. Tandem ex argilla excipiatur plumbea. Id commodius fieret, si haberetis fontem. Is est in plumbo, sed apud artificem, quamquam is pollicitus est, se mihi illum redditurum. Nam habuit ex me supra triginta florenos operæ suæ prætium. Tantum idem habuit pro pictura. Et rursus nuper misi in Angliam Erasmum bis pictum abartifice satis eleganti. Is me detulit pictum in Galliam. Rex me denuo vocat. Paratum est amplum sacerdotium. Hic ob vinum subinde periclitor. Si qua pax affulserit, fortassis eo me conferam. In Aprili contuleram me Bisantium. Magistratus simul & Canonici obtulerunt ampliter. Egi gratias, & respondi, mihi satis esse ad simplicem victum: Me malle meo otio & illo libero fauore vti, quam pecta munificentia. Expecto propediem famulum meum ex Anglia & Barabantia, tum statuetur aliquid. Id quicquid erit, tu non ignorabis. Vtinam meus calculus coniugatus tuæ podagræ simul exurent apud Indos. Experior, quod scribis, omnes fere litteras aut intercipi, aut resignari. Scripsi prius Duci Georgio, ab ipso prouocatus. Quum non responderet, idem argumentum per alium misi. Nec responsum est. Rursum nuper scripsi aliis de rebus. Eas suspicor suppressas, quamquam ibi nihil erat, quod ad Lutherum pertineret. Bene vale. Basileæ. Tertio die Iunii.

Has non religi. Ignosces.

Nosti manum.

ORNATISSIMO VIRO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO S. XLIV.

VIr clarissimæ, Iam bis scripsi, licet paucis. Primas suspicor non esse redditas. Erat Minorita, qui cuculum excusserat, sed improbitatem non excusserat. Dedi septem plapardos, pollicitus largiora, si hic fidem hominis comprobassem. Talibus erronibus nunc plena sunt omnia. Scripsi rursus per negotiatorem quendam. Anulum, & fusilem Bilibaldum, mox & pictum fœliciſſima Dureri manu, accepi. His vtrumque cubiculi mei parietem ornaui, vt quocunque me vertam, obuersetur oculis Bilibaldus. Vtinam scripsisses, quid haberent argumenti nugaces isti libelli. Suspicor ex Argentorato venire. Nam Epphendorpius apud quosuis etiam iactat, se scripsisse in me. Ortho nis furias nosti. Hoc tantum nunc licuit scribere, mi Bilibalde, vix à morte restituto, imo verius alteri carnificinæ seruato. Parturii totos decem dies. Tandem prodiit calculus ingens iam despe ratus. Ita subinde se variat morbus, ne sit remedium. Scribam breui copiosius; Scripsi pridem Roberto à Mosheym & Ioachimo Camerario, quem audio nunc esse Bambergæ. Si potes isthinc, cura vt Epistolę ad istos perueniant. Durero salutem plurimam. Basileæ 5. Feb. Anno. 1525.

ORNATISSIMO BILIBALDO PIRCKHEIMERO S. P. XLV.

ACcepi meum Bilibaldum, primum fusilem, cum anulo & litteris. Nunc etiam pictum ab Apelle. Respondi pridem per quendam impudentissimum planetam, qualibus nunc impletur mundus. Dedi Plapardos 7. quæ res illi vertat male, pollicitus largiora, si bona fide perferret. Is, vt video, verba dedit. Quæ isthic geruntur, vbique fient breui, nisi quis Deus prospexerit. Hucomnino prouocant Euangelici vel reclamante Luthero. Plane quidam tendunt in exitium rerum & disciplinarum omnium. Cuperem huius tumultus fœlicem exitum. Lutherum plane contemnunt, postquam cœpit esse moderatior. A Durero cuperem pingi, quidni à tanto artifice? Sed qui potest? cœperat Bruxellę carbone, sed iam dudum excidi opinor. Si quid ex fusili & memoria sua potest, faciat in me, quod in te fecit, cui addidit aliquid obesitatis. Pharmaco tuo nondum ausus sum vti. De meis scribam breui. Nam auriga qui tuas reddidit, postridie mane abiturus. post cœnam renunciatur abire. Et idcirco nolui multum scripturæ periclitari. Bene vale. Octaua Circumcisionis, Anno 1525.

Erasmus, nosti.

ORNATISS. D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO SENATORI S. P. XLVI.

DE Philippo facile satisfactionem accipio. Nesenus erat vehemens & constans amicus, sed mihi infœliciſſimus. Is, vti suspicor, instigauit Lutherũ, vt sic scriberet in Regem Angliæ & in Cochleum. Oecolampadio curaui protinus reddendas litteras tuas. Quid ille moliatur nescio. Quod meministi de litteris ac munere ducis Georgii, litteræ iampridem redditæ sunt ex Baden, vbi fuit disputatio. De munere nihil audio. Copergius misit duas pelles Gabellinas, sed Epistola Bonifacio missa mentionem facit vasculi albarum pellium, forte Polonus mutato consilio seruauit per alium mittendas Alberto Durero, quam gratiam referre queam cogito. Dignus est æterna memoria. Si minus respondet effigies, mirum non est. Non enim sum is, qui fui ante annos quinque. Iam fere biennium est, quod sub Februarium laborans Calculo sic concussus sum vomitionibus, vt ex hoc tempore semper decreuerit corpusculum, quod ante solet post morbum sarciri. Aliquot menses sat commode valueram. Sed præter expectationem velut ex insidiis obortum est aliud malum. Mirus vrinæ fluxus, primum sine dolore, mox cruciatus velut ex locis exulceratis, cum fluxu materiæ, veluti gypsatæ, mira copia. Medici non plus adferunt spei, quam muscæ. Aut vesicæ calculus, aut exulceratio mors erit. Dabit Dominus, vt spero, tolerantiam. Memoriam mei vobis amicis cõmendo. Alias copiosius: hoc nunc tantum licuit. Bene vale. Basileæ 3. Cal. Aug. Anno 1526.

In quibusdam de Eucharista ego velut parum eruditus subdubitarem, nisi me confirmaret autoritas Ecclesiæ. Ecclesiam autem voco, consensum populi Christiani per vniuersum orbem. Litteras quas scripsi duci Georgio cuperem quam celerrime ad eum perferri.

ORNATISSIMO D. BILIBALDO PIRCKHEImero S. P.

OPinor iam redditum opus Chrysostomi Græcum, cui præfationem ad te præfiximus. Si has reddat Iacobus Ceratinus, rogo, vt hunc velut alterum Erasmum amplectaris. Vir est ita callens Græce, nec minus latine, vt posset cum dignitate vel in quauis Italiæ parte profiteri, tum moribus plane niueis, sed adeo modestus, vt pene putidulus. Nec aliud habet vicium, si tamen hoc vicium, est. Hunc iussu vel flagitatione potius Georgii Principis per litteras euocaui, non admodum sperans futurum, vt hanc conditionem non aspernaretur. Nam & apud suos amplius præmiis ad publicam professionem inuitabatur. Succedet Petro Mosellano, sed decem Mosellanis eruditior, etiamsi Mosellanã dictrinam, & ingenium haud vulgariter adamabam. Alius fortassis indigne ferret, quod iuuenes præcurrunt senem, ego magnam rapio voluptatem, quoties video, minores eo profeciſſe, non nihil etiam adiutos nostris lucubrationibus, vt his, quos habuere præceptores, possint ipsi viciſſim præcipere. In Ceratinum itaque, si quid officii collocaris, gratius mihi futurum est, quam si in me ipsum contulisses. Non deest illi viaticum, nec deerit, nisi contigerit obiter spoliari. Id si accidat, quod auertat Deus, me sponsorem accipe, si quid illi mutuaris. Plura scriberem, sed vehementer incertum erat, an Ceratinus esset isthac facturus iter, quod tamen ille videbatur cupere, vel tui videndi gratia. Saluta Ritium ac Durerum. Nuper rursum enixi sumus viperium partum, atque etiamnum anceps est valetudo. Bene vale vir Ornatiſſime. Basileæ. 5. Id. April. Anno 1525.

Erasmus agnoscis tuum.

ORNATISSIMO BILIBALDO PIRCKHEIMERO SENATORI NOREMBERGENSI S. P. XLVII.

ORnatiſſ. Bilibalde, volupe est te recte valere. Scripsi per Frobenium, per quem expecto tuas litteras. Nullus mundus vacat ab hoc tumultu. Quo sit euasurum hoc Euangelium nescio. Mihi certe peperit certum exitium, quod ad huius mundi fœlicitatem attinet. De Ceratino doleo & metuebam, ne suum commendatorem pudefaceret, oblitus monitorum. Sic fere sunt noui Euangelici Professores. Christus omnia vertet in suam gratiam. Tuas mihi reddidit hic iuuenis mire modestus ac placidus. Salutata Durerum & medicum. Basileæ. Pridie Matthei 1525.

CLARISSIMO D. BILIBALDO PIRCKHEImero SENATORI NORENBERGENSI S. XLVIII.

VIr Ornatiſſime. Huc me contulerã, vt adesſem meis lucubratiunculis excudẽdis. Et statim ad nidorẽ hypocaustorũ grauiter ægrotare cœpi. Idẽ mali gen⁹, quo laboraui, quũ hic eſsẽ ꝓxime, cõualueram,

ualueram, sed ex interuallo repetiit nos morbus priore grauior. Iam dudum expecto, quem exitum sit habitura Lutherana tragœdia. Omnino spiritu quodam res geritur, an ex Deo sit nescio. Ego qui nunquam fauerim Luthero, nisi quomodo fauet, qui hortatur ad meliora, vtrique parti sum hæretic⁹. Allatus est huc rumor, qui mire doctos exhilarauit, sed præcipue Bonifacium Amerbachium, isthic sumptu & autoritate Senatus excudi Pandectas: Optarunt & Græca Iustiniani excudi. Opinor Dilcus. Apud nostros pauci quidam actis de causis inimici, etiam Cæsari persuadere conantur, me caput esse huius tumultus, non alio argumento, q̃ quod non scribo aduersus Lutherũ. A Lutheranis prosum tibi narrasse de reatu meo. Ego hac in re obsecundaui consilio Beati Rhenani, & Lodouici Beri, alioqui sciebam illum nihil actutum. Fumos hominis iam olim noui. Sed Beati ingenio semper abus est ad huiusmodi dramata. Turbam amoliti sumus qualibusq; conditionibus, pacem iniquam æquo bello præferentes. Nihil omissum est, compromissum est. Adhibiti duo testes. Arbitri datis dextris stipulati sunt obsequium. Pronunciatum est de scripto arbitrum. Assensimus vtriq;. Subscripsimus manui vtriq;. Deinde bibimus ex eodẽ poculo, fracto inter nos pane, datæ dextræ. Ominatus sum amicitiam fore perpetuam. Annuit ille, & comprobauit. Exhibitum est omnibus conuiuiũ φίλιον. In abitu petiit Epistolam ad ducem. Id præter pacta præstiti, ne quam darẽ occasionem. Petiit præfationem in librum ipsi dicundum. Id quanquam absurdum & ineptum, tamen autore Bonifacio feci. Quid consequutum est. Mox dicitur misisse famulum proprium, qui sub nundinas vulgaret atrocem rumorem, Erasmum esse damnatum Basileæ, conditionibus grauissimis, vt scriberet libellum & Epistolam contra seipsum, deinde daret pecuniam. Et hic ante abitum iactaret se adegisse Erasmum ad conditiones, ad quas ipse nollet descendere pro tribus milibus aureorum. Hic rumor mirumq; exhilarauit pseudoangelicos. Qui triumphi? Quæ exultatio de nihilo? Hæc ego suspicabar futura, sed neque Beato, neque Bero potui persuadere, qualis esset artifex. Et eram plus quam occupatissimus, præsertim in nouis libellis. Quæ est hæc Germaniæ leuitas? Omnes Euangelici ἐκ κόρυκος exultabant Erasmi autoritatem sepultam, amici metuebant. Et hæ fabulæ de Hutteno, de Othone, de hac lite aguntur per quondam Euangelistam Argentinensem, qui se fingit amicissimum, & putat me non intelligere, ego cogor dissimulare. Semper prouocaui principes à sæuitia, quo studio concitaui mihi quorundam iras. Posthac nec compescam illos nec incitabo, sed relinquam illos suo ingenio, nec enim vllum finem fore video, nisi sæuitia, quam ad multos peruenire miserandum est. Sed hæc Christo relinquam. Mitto ad te postulationes illius, meam responsionem, & arbitrorum sententiam, vt rem omnem cognoscas, & amicis communices.

Libelli inscriptionem promitto, iam amico, & amicitiæ nomine. Nec est præscriptum tempus, nec semper natant libelli, & multi sunt, quibus hoc officium debeo pro meritis.

Epistolam ad ducem promitto ciuilem, & quatenus licet cum tali principe agere. Fortassis odit Epph. ob alias causas mihi incognitas. Neq; enim sine causa est, quod septem annis hic agens ocius, nunquam interim inuisit patriam. Arbitrium nominatim dicit, ad euitandam molestiam & cistra notam alterutrius. Ac præscribit, vt vtrinq; offensæ & querelæ aboleantur. Primos tuos articulos ita mihi præstandos dicit, vt scripto præcepi, scriptum vides, quod lædit & probauit Epphendorpius.

De Eleemosyna non grauor. Nam arbitrium Iudicum facile cum meo consentit, nec est præscriptum tempus & plus largio mea sponte.

Fortassis negabit se sparsisse hos rumores: quod si fecit, quid hac perfidia detestabilius?

Dixit apud me, te sibi scripsisse: tuere famam tuam: stringe calamum in Erasmum. Sciebam rem se aliter habere. Dixit Melanchtonem sibi respondisse, quod scripserat, de alio quodam scripsisse. At Melanchton affirmauit, nec se scripsisse quicquam vnquam Epphendorpio, nec illum sibi. Optarim mi Bilibalde, horum exemplar communicari amicis, atq; etiam mitti in cõsilium ad amicos, præsertim ad Hermannum Nouæ Aquilæ comitem, & Iohannem Vlattenum omnium mortalium candidissimum. Tibi precor prosperam valetudinem. Nos tenuiter valemus, sed interim sustinentes immensis laboribus. Nam Augustinus quatuor prelis excuditur: Adagia, duobus, præter alia. De Pandectis quæso vt nos reddas certiores. Basileæ 8. Cal. Maias Anno 1528.

Non relegi, ignosce. Agnosces tuum.

CLARISSIMO D. BILIBALDO PIRCKEIMERO, CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO S. P.

XLIX.

Redditæ sunt epistolæ tuæ, super alias aliæ, quæ mihi magno fuere solatio. Quid attinet Dureri mortem deplorare, quum simus mortales omnes? Epitaphium illi paratum est, in libello meo. Allatus est huc rumor, qui mire doctos exhilarauit, sed præcipue Bonifacium Amerbachium, isthic sumptu & autoritate Senatus excudi Pandectas: Optarunt & Græca Iustiniani excudi. Opinor Dilsum tibi narrasse de reatu meo. Ego hac in re obsecundaui consilio Beati Rhenani, & Lodouici Beri, alioqui sciebam illum nihil actutum. Fumos hominis iam olim noui. Sed Beati ingenio semper abus est ad huiusmodi dramata. Turbam amoliti sumus qualibusq; conditionibus, pacem iniquam æquo bello præferentes. Nihil omissum est, compromissum est. Adhibiti duo testes. Arbitri datis dextris stipulati sunt obsequium. Pronunciatum est de scripto arbitrum. Assensimus vtriq;. Subscripsimus manui vtriq;. Deinde bibimus ex eodẽ poculo, fracto inter nos pane, datæ dextræ. Ominatus sum amicitiam fore perpetuam. Annuit ille, & comprobauit. Exhibitum est omnibus conuiuiũ φίλιον. In abitu petiit Epistolam ad ducem. Id præter pacta præstiti, ne quam darẽ occasionem. Petiit præfationem in librum ipsi dicundum. Id quanquam absurdum & ineptum, tamen autore Bonifacio feci. Quid consequutum est. Mox dicitur misisse famulum proprium, qui sub nundinas vulgaret atrocem rumorem, Erasmum esse damnatum Basileæ, conditionibus grauissimis, vt scriberet libellum & Epistolam contra seipsum, deinde daret pecuniam. Et hic ante abitum iactaret se adegisse Erasmum ad conditiones, ad quas ipse nollet descendere pro tribus milibus aureorum. Hic rumor mirumq; exhilarauit pseudoangelicos. Qui triumphi? Quæ exultatio de nihilo? Hæc ego suspicabar futura, sed neque Beato, neque Bero potui persuadere, qualis esset artifex. Et eram plus quam occupatissimus, præsertim in nouis libellis. Quæ est hæc Germaniæ leuitas? Omnes Euangelici ἐκ κόρυκος exultabant Erasmi autoritatem sepultam, amici metuebant. Et hæ fabulæ de Hutteno, de Othone, de hac lite aguntur per quondam Euangelistam Argentinensem, qui se fingit amicissimum, & putat me non intelligere, ego cogor dissimulare. Semper prouocaui principes à sæuitia, quo studio concitaui mihi quorundam iras. Posthac nec compescam illos nec incitabo, sed relinquam illos suo ingenio, nec enim vllum finem fore video, nisi sæuitia, quam ad multos peruenire miserandum est. Sed hæc Christo relinquam. Mitto ad te postulationes illius, meam responsionem, & arbitrorum sententiam, vt rem omnem cognoscas, & amicis communices.

Libelli inscriptionem promitto, iam amico, & amicitiæ nomine. Nec est præscriptum tempus, nec semper natant libelli, & multi sunt, quibus hoc officium debeo pro meritis.

Epistolam ad ducem promitto ciuilem, & quatenus licet cum tali principe agere. Fortassis odit Epph. ob alias causas mihi incognitas. Neq; enim sine causa est, quod septem annis hic agens ocius, nunquam interim inuisit patriam. Arbitrium nominatim dicit, ad euitandam molestiam & cistra notam alterutrius. Ac præscribit, vt vtrinq; offensæ & querelæ aboleantur. Primos tuos articulos ita mihi præstandos dicit, vt scripto præcepi, scriptum vides, quod lædit & probauit Epphendorpius.

De Eleemosyna non grauor. Nam arbitrium Iudicum facile cum meo consentit, nec est præscriptum tempus & plus largio mea sponte.

Fortassis negabit se sparsisse hos rumores: quod si fecit, quid hac perfidia detestabilius?

Dixit apud me, te sibi scripsisse: tuere famam tuam: stringe calamum in Erasmum. Sciebam rem se aliter habere. Dixit Melanchtonem sibi respondisse, quod scripserat, de alio quodam scripsisse. At Melanchton affirmauit, nec se scripsisse quicquam vnquam Epphendorpio, nec illum sibi. Optarim mi Bilibalde, horum exemplar communicari amicis, atq; etiam mitti in cõsilium ad amicos, præsertim ad Hermannum Nouæ Aquilæ comitem, & Iohannem Vlattenum omnium mortalium candidissimum. Tibi precor prosperam valetudinem. Nos tenuiter valemus, sed interim sustinentes immensis laboribus. Nam Augustinus quatuor prelis excuditur: Adagia, duobus, præter alia. De Pandectis quæso vt nos reddas certiores. Basileæ 8. Cal. Maias Anno 1528.

Non relegi, ignosce. Agnosces tuum.

BILIBALDVS PIRCKHEIMERVS ERASMO ROT. S. P. D.

SVum officium facit affinis iſte meus, Eraſme amiciſſime, quod te colit, ac ſubinde meo nomine ſalutat: probe enim nouit, qua te proſequar beneuolentia. Poterimus eius opera in mittendis litteris vti, quæ neſcio quo fato, aut tardiſſime redduntur, aut etiam penitus intercidunt. Diu enim nullas abs te accepi, quamuis ipſe aliquoties ſcripſerim: & niſi ex Epiſtolarũ tuarum farragine te mihi reſpondiſſe deprehẽdiſſem, ne nunc quidẽ id ſcirẽ. Quã vero fideliter & meæ tibi redditæ fuerint, vel Alamiri noſtri diligentia ſatis declarat. Cæterum inſulſiſſimam inuectiuã Eduardi Lei legi, imo verius vidi. Quis enim ſuſtineat legere librum tam ſine mente, ſine fronte, ſine litteris, ſine omni dote humana? Legi & tuam Apologiam, quæ tamen pollicetur reſponſionem ad illius Annotationes. Scire cupis, quid ſentiam? vellem omnino tacuiſſes, aut ita homini vt dignus erat reſpondiſſes. Sed periculum erat, ne ſilentio obiecta videreris agnoſcere. Quaſi vero optimus ac doctiſſimus quisque non intellecturus fuerit, cuncta quæ ille furioſius & impotens ſui euomuit, meras eſſe ſycophantias & impudentiſſima mendacia. Habet ſuam faciem veritas. Et iſte rabioſulus adeo apud ſe non eſt, vt ipſe frequenter prodat ſeipſum. De improbis vero & mendicis, nulla tibi debebat eſſe cura. Quanquam, qui inter hos ſunt paulo minus ſtolidi ſentiunt ac damnant hominis prodigioſam arrogantiam, inſcitiam ac virulentiam: quam execrantur etiam ii, qui tibi parum bene volunt, & indignantur propugnatori leuo, magis quam Leo, qui ſuam cauſam tam infœliciter egerit, vt melius fuerit quieuiſſe. Vtinam igitur, poſteaquam tibi non eſſe ſilendum cenſueras ementitæ, & fictæ modeſtiæ immodeſtiſſime reſpondiſſes, & cuncta Rhetorices ſpicula contra tam purulenta, ac tartareo veneno tincta conuicia ſcelerati capitis diſtrinxiſſes. Sed volebas modeſtiæ memor eſſe, nec malum pro malo reddere: ſanum profecto propoſitum & à nemine bono non laudandum. Verum ſi ita perpetuo feceris, quid tibi ab æmulis expectandum ſit cogita, ſi viderint cuiuis audacter ſtolido impune eſſe Eraſmo maledicere, & capiti tuo illudere. Quare te per tuam gloriam, ac per noſtram amicitiam obteſtor, ne poſthac quemuis rabulam reſponſione tua dignum cenſeas, aut ſi omnino reſpondendum duxiſti, non per te ipſum, ſed per coquum quempiam aut ſtabularium reſpondeas. Agnoſce te ipſum, qui maior es, quam vt cum talibus in eam palęſtram deſcendas, ex qua victor etiam nil niſi ignominiam referre poſſis. Quod ni ita feceris. Sycophantarum turba tandem obruare neceſſe eſt. Nunquam enim quieſcunt iſti, ſed aſſidue contra optimum ac doctiſſimum quenque, nec non veritatem ipſam debachantur. Nec mirum, quo pacto enim benedicerent, quo nil niſi maledicere didicerunt? quorum animus, ingenium, mores eiuſmodi ſunt, vt longe præſtet, ab iſtis vituperari, quam laudari maleque quam bene audire. Cæterum cum ſint infantes ipſi, vt animi veneno deſit oratio, cum ſint inertes, vt noluit interim abeſſe à ſuis voluptatibus. Poſtremo cum metuant, ne minus colligant caſeorum, indies accreſcente aduerſus eos orbis odio, non mirum ſi quærunt talem hiſtrionem, qualis eſt Leus, qui perſonatus & inſtructus alienam agat fabulam, & infamem gloriam præmii loco ferat? Hunc oportet, nec frontis habere quicquam, nec cordis, ſed tantum linguam effrenem ac meretriciam procacitatem. Quo quidem in genere Leus iſte vincit omnes, quotquot ante hac prodierunt in proſcenium, quos tamen aliquot ſpectauimus inſigniter impudentes. Quis enim non intelligit, à quibus conſutus ſit iſte calceus? Sed Leus induit, acturus pro multis fabulam, hoc eſt, orbi exhibiturus teterrimum monſtrum, ex inſcitia, arrogantia, vanitate, virulentia, impudentiaque conflatum. In ſumma tale quale depinxiſti in libello quo reſpondens Latoni dialogis, mira quidem breuitate, ſed vt nihil fieri poſſit abſolutius. Quemcumque contemplabaris animo cum illa ſcriberes, certe deſcriptio tua aptiſſime congruit cũ imagine operis Leici. Et in hoc vno viſus eſt mihi aliquid humanæ mentis habere, quod agnouit imaginem ſuam. Scio te non imperitum eſſe pictorem. Sed nemo poterat Leum exprimere rectius, quã expreſſit ſeipſum. Totus ille ſibi placuit, & ſe totum expreſſit. Quod ſi tu prædicaſſes hominem ad inſaniã vſq; glorioſum, vſq; adeo ſibi placentem, vt miretur non verti in roſam, quicquid calcauerit, ſe vnum admirantem, ſibi pulchrum, ſibi doctum, ſibi ſanctum, cum nulla omnino re bona ſit præditus, nec quicquam habeat in pectore, præter venena, quanquã veriſſima dixiſſes, tamen fortaſſis nõ omnes erant tibi credituri. Nunc ipſe Leus ſe talem expreſſit. Ego mi Eraſme plurimum fido tuæ ſimplici probitati, vix tamen eram creditturus tantum ſtultitię, tantum arrogantiæ, tantum fuci, tantum ſtoliditatis, tantum malitiæ eſſe in vllo pectore humano. Si tamen iſte Leus homo dicendus eſt, ac non potius teterrima belua. Si quiſquam fuiſſet nequior, ſi quiſquam inſanior, hunc ſibi delegiſſent huius prouinciæ, quam iam pridem agunt, proconſulem. Neque enim nouum eſt quod agunt. Vetus hoc illis ſtudium eſt, inſignium virorum famam contemerare, & optima conantibus obſiſtere. Nam vt vetuſtiora præteream, quæ pars orbis ignorat, quam peruerſis, quam ſycophanticis, quam ſceleratis machinationibus vexauerint inclytum & optime de Germania, optime de litteris meritum Capnionem? Vt interim ſileam ſpurciſſima conuicia, quæ in eximium illum ac vere generoſum

nouæ Aquilæ Comitem, quæ in nobilem Huttenum, deniq; in me & omnis Capnionis amicos euomuerunt. Quid non moliti sunt in optimum Iacobum Fabrum? Nam quæ aduersus Lutherum iam pridē machinantur, forsitan tacere præstat, ne me quoq;, quod iam diu egere, sub amicitię illius prętextu in ius rapiant, ac de crimine hæresis causam docere cogant. Verum id nullus ignorat, eo temeritatis illos progressos esse, vt & Pontifici summo, ad quem præcipue huiusce rei cognitio spectat, negotium hoc, quod eum tum in manibus habere sciebāt, extorserint, & priusquam ille sententiam tulisset, hæreseos cōdemnauerint authorem. Ceterum per gratias quid aliud tot sycophantiis, probris ac conuiciis effecere, quam quod suam stoliditatem parem malitiæ traduxere, seque Deo pariter ac hominib. reddidere inuisos? siquidem res illorū culpa deducta est, vt iam nihil placeat bonis omnibus, quā quod istis maxime displicet, isq; optimus esse videatur, de quo ipsi pessime sentiunt. Macte igitur virtute, qui dignus sis visus, quem impurissimi sycophantæ per sceleratissimum histrionem Leum virulentis suis maledictis incesserēt. Haud enim maiori laude extolli poteras, quam vt talium ornaueris vituperiis, nec vnquam bonis & eruditis placeres, nisi Leo Leique similibus indoctis hypocritis displiceres. Ne quid igitur Erasme commouearis, si inuidi ac vere miseri homines seipsos torqueant, & suo fungantur officio, idque faciant quod nunquam non faciunt. Talia enim veræ virtutis tibi iacta sunt fundamenta, talem probitatis & eruditionis consequutus es existimationem, vt eam nullus liuor, quamuis edax valeat abolere. Tantos deniq; ac tales vndique tibi conciliasti amicos, vt etiam tacente te defendere, & à sceleratorum rabularum iniuriis & contumeliis vindicare possint & audeant. Sed te laudare desinam, ne Leus rumpatur inuidia, cui precor lentum ac longum exitium, quo dignissimus est. Si tamen prius commemoraro, à quo crimine te nuper defendegerim. Conueneramus plerique, ac inter cetera de te sermo incidit. Cumque nonnulli te tuaque summis extulissent laudibus, sanctissimus quidam, qui forte aderat ex mendicorum genere Theologus, laudes tuas admodum moleste ferebat, ac subinde concutiens caput, nescio quid secum cornicabatur. Id sentiens rogo; nunquid esset quod in te minus probaret. At ille vultu ad grauitatem composito, multa esse respondit, quæ quis merito in te reprehenderet. Cum adigi non posset, vt vnum proferret, tandem importunitate mea subactus, tametsi decreueram silere, inquit: Tamen quando me vrges, ne quis me putet inuidia stimulatum dixisse, quod dixi: Erasmus ille vester, & quem tantis effertis præconiis, libenter comedit gallinas: idque non aliorum relatu, sed cum hominem Basileæ cognouissem, duobus hisce oculis conspexi. Tum ego, furtiuasne an emptas? Emptas, ait ille. Longe inquam pernicioſior est vulpecula illa scelestissima, quæ mihi quotidie è corte gallinas rapit, nec vnquam soluit pretium. Rogabam num vesci gallinis poneret inter flagitia. Maxime, inquit. Nam est gulæ vitium, & eo grauius cum assidue & à deuotis committitur. Adieci, forsitan diebus quibus fas non est. Non, inquit, sed nos sacros viros ab omni epularum lautitia abstinere decet. Atqui bone pater, ni fallor inquam, haud farre, aut hordeo tantum saginasti aqualiculum (nam obesior erat) & si gallinæ quibus venterem farsisti, adhuc pipare possent, vel exercitus ac turbarum strepitum vincerent. Vide quam strenue impiam ac nefariam defenderim ὑφ' ἡσυχίαν. Sed tu me forsitan nugas agere existimas, ego tibi per sanctam hypocrisin me vera scribere paratus sum deierare. Sed ne cuncta tua laudare videar, habes quæ & ego non iniuria reprehendam. Nempe quod Leo tam diuino viro fueris impedimento, quo minus semestri tempore, somniando, seu potius pastoris illius instar bibendo, litteras Hebræas & Græcas omnes deuorarit. O felicem Ecclesiam, si illi suum dulce otium reliquisses. Nunc opinor habet quod agat in extremam vsque senectam. Sed oportet nos esse fauentes homini, quibus non nihil laudis alicubi visus est aspergere. Quod nisi agnouerimus, vereor ne nos omnes appellet mortalium omnium ingratissimos. Quare nostrum erit quotannis Leico nomini, aliquo panegyrico gratificari, donec fateatur officium hoc esse satis abunde repositum. Quod in superiorem Germaniam te venturum esse significas, multis de causis probo consilium. Nam præterquam quod hic me conspicies, quales quantosque vndique tibi conciliaueris amicos. Inuitarem te, vt primum ad nos accederes, nisi hic pestis recrudesceret, egoque fugam circumspectarem. Sed breui desituram spero. Nam summa diligentia occurritur malo. Sub Carolo regis aduentum te expectamus: interim lues grassari desinet. Ex veteri enim instituto, primus noui Regis conuentus hic celebrari consueuit. Ostendi Alamiro aliqua nostra cubicula quibus te accipiam non in amœna, ipse regia esse dicebat. Quin & hoc polliceor, vltra gallinas gallos gallinaceos, filios ac filias gallorum me abunde appositurum. Tu interim bene vale Erasme amicissime. Etiam atque etiam memineris, te longe fœliciorem esse contumeliis inuidorum, quam laudibus amicorum, quas nunquam tam ægre ferrent isti, nisi certo certius cognoscerent te eruditione ac probitate, immortalitatem etiam vtem induisse. Iterum vale. Norimbergæ pridie Calend. Maias. Tuus Bilibaldus Pirckheimer. Cum hæc scripsissem, certior factus sum, Oecolampadium nostrum vigesimo tertio April. monachum esse factum, in monasterio Seruatoris iuxta Augustam, ordinis S. Brigidæ, in quo mulieres primas tenere consueuerunt. Vtinam sibi rectius consuluisset.

ERASMVS ROTERODAMVS BILIBALDO PIRCKHEIMERO S. D. LI.

NOn deerant Bilibalde clarissime, qui mihi darẽt idem consilium, quod tu nunc prudenter quidem, & amice, sed tamen sero das. Deus auertat, vt vllius hominis virulentia sic me à statu mentis dimoueat, vt laxatis maledicentiæ habenis debaccher in famam alterius. Quid enim hoc aliud sit, quam cum insaniente insanire? & sic alienam vlcisci malitiam, vt ipse fias malus? Atq; vtinam is sim, qui iuxta doctrinam Apostolicam, benefactis malefacta vincam. Certe decreueram obticescere, sed ab eo proposito duo tresve quędam res auocabant. Primum verebar, ne si ipse dissimulassem, pro me vno multi existerent, qui Leum multo inclementius accepissent, quam ego accepi. Qui etiamsi durius, aut eruditius aggressi fuissent hominem, tamen haud scio an rem æque appositè fuerint tractaturi: fortasse quidam ignari, quam nihil sapiat, quamque & apud suos contemptus sit Leus, plus illi tribuissent, quam meretur. Et vt est hominis ingenium, hoc ipsum palmarium ac triumphale iudicasset, si pluribus celebribus, & eruditis viris mouisset stomachum. Mihi tota hominis natura, & omnes negotij circumstantiæ penitus erant cognitæ. Deinde toto biennio miris cuniculis egerat hoc, mirus his in rebus artifex Leus, vt esset Annotationum suarum incredibilis apud omnes expectatio. Scribebat sexcentas epistolas, ad hunc vsum habebat amanuenses aliquot: primus excipiebat aduenas, præsertim Anglos, eos conuiuiis faciebat suos: mox arte confictis mendaciis implebat, sed miram interim modestiam simulans, quo maiore cum fide læderet famam proximi. Abeuntes omni mendaciorum genere dimittebat. Quibusdam ostendebat etiam si quid esset in Annotationibus specie frondeque plausibilius. Monasteriorum fauorem xeniis, cibo vinoque redimebat, præsertim horum, quæ sciret apud populum opinione sanctimoniæ commendata: habebat omnibus locis, in quos huius fabulæ scenas fuerat partitus, quorum nemo non strenue erat in negotio. His rebus tandem effectum est, vt hi quoque redderentur solliciti, qui me probe norant, & se Leum nosse putabant. Itaque si nihil respondissem, periculum erat, ne ad mentes aliquot, alienatis complurium animis periret nonnulla pars fructus, quem tot vigiliis venabar. Nam meę gloriæ iactura sane leuiter mouisset animum meum. Cur enim verear aliquam famæ partem Christianis studiis impendere, qui vitæ bonam partem impendam: Proinde sic Leo respondimus, vt & illi stultissime speratam gloriam detraxerimus, & veterem nostram modestiæ laudem tueremur. Habes optime Bilibalde consilij mei rationem, cuius me nõdum admodum pœnitet. Etiamsi nullius temporis iactura me grauius affecit, quam illius sesquimensis, quo Lei nænias non minus inamœnas, quam indoctas, ac virulentas & legimus & refellimus. Porro quod vereris ne hæc mea lenitas multorum inuitet maledicentiam. Ego grauius esse periculum arbitror, ne si maledicentia maledicentiam inuitet, nullus sit insaniendi finis, quando iam propemodum res in rabiem exiit. Hoc cõsilio Deus vetuit, ne quis de Cain sumeret vindictam, ne reciprocis vindictæ vicibus nullus tandem esset finis. Vtcunq; res habet, ego sycophantarum turba malui obrui, quam committere, vt hanc gloriam amittam, neminem adhuc scriptis meis factum esse nigrum. Nam Leus sibi imputet oportet, si qui male de illo sentiunt. Porro quod suspicaris Leum subornatum histrionem, vt monachorum ac Theologorum partes ageret, quanquam facile credam huius actionem gratam fuisse quibusdam, quod male volũt bonis studiis, tamen magis arbitror illi potissimum in consilio fuisse proprium ingenium, ad hæc natura propensum. Non alium fuisse prædicant, qui nouere puerum: semper sæuus erat ac vindex, omnibus inuidebat, non ferebat quenquam parem, multo minus superiorem: solus haberi in pretio volebat, gloriarum sitientissimus, suæ sententiæ mire pertinax. Talis erat puer, talis adolescens, talis iuuenis, talis nunc etiam vir est, nisi quod cum ætate fere solent accrescere vitia. Atque vtinam vel senex fiat aliquando sui dissimilis. Quod mihi plurimos non minus doctos quã potentes amicos gratularis, quod nominis immortalitatem recte factis partam, quod me liuore maiorem facis, nimium facis amanter, mi Bilibalde, dum amicum vndique impetentibus sycophantarum machinis, periclitantem, vt tu putas, blanda consolatione subleuas. Ego istam immortalitatem nihil moror. Recte facta non agnosco, tantum adnisus sum aliqua ex parte industria mea prodesse studiis publicis, & ad synceram amplectendam Christi doctrinam excitare mortalium animos. At vereor ne res in diuersum exeat. Hactenus ad scholasticam ac disputatricem Theologiam pigebant ac nauseabãt piæ mentes, & mox ad Euangelicæ veritatis gustum ceperant hilarascere, sed tanta contentione conspiratum est ab iis, qui suam gloriam Christi gloriæ præferunt, vt verear ne res in diuersum exeat. Et hæc geruntur per eos, qui vulgo habentur lux mundi, habentur sal terræ. Nunc sanctum ac pium est in sacris concionibus, pro veritate Euangelica, improbis mendaciis, veluti de plaustris debacchari in famam proximi. Et ô peruersam malitiam, in odium quorundam & in gratiam principum, quorum fauorem captant, ea prædicant apud populum, quæ ipsi apud se damnant: Nouos libros reiiciunt, sed qui bonis litteris, quas cane peius oderunt & angui, conditi sunt: Verum quid isti interim suis nouis libris nos doceant, in præsentia nec vacat, nec libet referre, & tamen pudet meminisse, quod illos non pudet scribere. Iam de Luthero nihil aliud dicam, nisi quod in præsentia solum impune licet, mihi vehementer do-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [308] - 284
PUBLIC DOMAIN

ter dolere, tale ingenium, quod videbatur futurum insigne quoddam organum obueniendæ veritatis Ecclesiæ Euangelicæ, sic exasperatum esse rabiosis quorundam clamoribus. Fabulam de Ἀφροζίτῃ calumniatore risi satis, & tibi tam bono patrono xenium debere fateor me. De dulci feliciq; Leiotio, falsè tu quidem iocis, sed tamen extra iocum, vtinam ille vel nunc ad suum ocium reddeat expertus Martis aleam. Sed dicitur magno conamine redintegrare bellum, fretus abbate quodam longe stolidissimo, qui solus illius nænias appellauit sacras Annotationes. Quis credat illi micam esse mentis sanæ, quem non pudeat re tam turpiter gesta, rursum in harenam prodire? Quod si facit, certum est non colluctari posthac cum illa scabie. Docti complures è Germania miserunt ad me fascicu-los epistolarum, seu potius voluminum, quibus Leum frustulatim discerpunt. Eas omnes sic pressi, vt nec legendas cuiq; dederim, siue quod cupiam huius tragœdiæ finem esse, siue quod nolim Leum vi-deri tãti, vt in illum, tot ac tales viri stylum suum acuant. Quare sicut arbitror plane esse, ita plane lu-dum ac iocum esse cupio, quod minitaris Germaniam illi panegyricis annuis litaturam. Nã id si fiat, ipse sibi plane Deus esse videatur. In adornãda profectione Germanica, plane Callipidẽ agimus. Re-giam tuam cupidè videbimus, si modo citra magnum itineris dispendium liceat. Mihi vero vel tu-gurium quauis regia splendidius erit, quod habeat Bilibaldum. Sed ais pestem sub Caroli Principis aduentum desituram. Quis vates istuc futurum prædixit? Quod scribis ab Oecolampadio factum, iam ex illius litteris subodorabar futurum. Id siue iudicio fecit, siue animi morbo, quãdo mutari non potest, precandum est, vt illi ac nobis quam optime vertat. Video res humanas sic vndiq; corruptas, vt nullis vnquam seculis existimem plus licuisse impudentiæ, plus licuisse stoliditati plus licuisse scele-leri. Et nonnunquam libet aliquo profugere, sed vereor ne quocunque me reuertero, sequatur mo-lestia. Proinde tutius arbitror mali remedium ab animo petere potius, quam à loco aut vitæ institu-to. Bene habet, quod Christus in tanta vitiorum caligine nobis Euangelicæ doctrinæ scintillas reli-quit. Bene vale vir ornatissime. Louanij, Nonis Septembris, anno M. D. XX.

CLARISSIMO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO S. P. LII.

A Tuo, mi Bilibalde, calamo, nunquam metui, iam pridem expertus & prudentem tuam ciuilitatem & animũ in amicitia tuenda cõstantissimum. Verum illud me male habebat, Oecolampadium meum nomẽ præter causam suis libris admiscere, cũ ex me sciat, mihi ingratũ esse ab eo nominari: ingratius vituperari: ingratissimũ laudari. Nec tamen ille finem vllum facit. Huius rei nihil vnq̃ imputaui meo Bilibaldo. Nam multa dolent, quæ nulli possum imputare de silentio tuo præter soli-tum, si non nihil dubitaui, mirum videri non debet, quum & ipse scias, quantę sint humanorum ani-morũ mutationes, Euripũ dicas, quot artes quæ improbitas linguarum, præsertim hoc seculo. Huius tamen suspiciunculæ quemlibet leuis nõ omnino me pœnitet, quæ litteras tuas desideratissimas ex-torsit. Quod me reuocas ab apologiis, agnosco prudens & amicũ cõsilium: nec id tuum vnius est, sed omnium fere cordatorũ qui mihi bene volunt. Verũ hoc est fati mei, plurib. tamen obticui quam re-spondi, certe tutori respondisse semper pœnituit, quod tamen magni amici impulsu feci. Dorpiũ to-ties ad ingenium redeuntẽ vici. Si Lectragicas molitiones, & stunicæ fumos ex Hispaniis, quę parum succedebãt, Romam translatos pernosses, minus improbares factum. A Luthero quierem agere, per Principes nũ licuit. Lutetiani Theologi quidã per Leum quem nosti, olim orsi sunt suam fabulam, q̃ nunc eodẽ impulsore renouarũt subornato Bedda cui respondi. Qua de re mihi omnes amici gratu-lantur, hęc esse ,pdita me viuo. Nã expectabant indies mortẽ meam, vbi vident viuaciorem q̃ vellẽt, Impatientia victi prosilierunt in proscenium, impune vt putabant peracturi suam fabulam, Erasmo sepulto. Idem quidã in Hispaniis conflato rursus libello sycophantico tantũ tumultus ibi excitauit, vt res & Cæsarem & aulam, & Archiepiscopos & Academias exerceat. Tantũ valet illud stolidũ ani-malculũ, ad dissidia natum. Quanquã nec hic illi res succedet, licet habeat septem monachorũ ordi-nes ab ipso stantes. Nec ita nullum temporis operi in his rixis colloco. Longe plus datur epistolis, interdum nec iucũdis, nec necessariis. Facile credo quod scribis de Ecclesiastis. Nam video populum exoriri, à quo vehementer meus abhorret animus, de catastrophe magnopere metuo, perit cõcordia charitas, fides, disciplinæ, mores, ciuilitas. Quid supereſt? Iuuenis ille gloriosus de quo scribis, ma-gnum malum accersit sibi, nec facit finem. Quum totius Huttenicæ tragœdiæ fuisset autor abusus familiaritate nostra, miratur si Principi scripsit, vt illud ingenium ab illis nugis ad honestam ali-quam functionem auocaret. Calculum tibi meliorem gratulor. Meus mutatus est in aliud morbi ge-nus perpetuum sed tolerabilius. Ego medicis valere iussis, Deo me cõmisi, de Alberti Dureri nomi-ne celebrando mea sponte cogitabam. Tamẽ admoneri gratũ est. Iam isti podagræ mea quoq; causa male precor, per q̃ tibi non licuit epistolam tuam absoluere, quum tuarũ prolixissima quęq; mihi so-leat esse iucundissima. Cæsaré ornare te pro tuis meritis sane gaudeo. Vtinã & morbũ queat auferre. Hęc ad tuas ad me litteras. Nũc ad epistolã, qua veluti προκατάλυσιν de Oecol. cui negotij me iudicẽ esse noluisti,

noluisti, nihilo secius tamen licuit ex ea summam capere voluptatem, non tantum ob id, quod lepidissimis scateat iocis, sed quod te quoque hilariter viuere declaret. Ex ea didici quod nesciebam, me rursus ab illo attractam opinionem illius longe meliorem nunquam dixi. Illud inter amicos dixi, me posse in illius sententiam pedibus discedere, si probasset eam autoritas Ecclesiæ, sed adieci, me nullo pacto ab ea posse dissentire. Ecclesiam autem voco totius populi Christiani consensum. An idem dixerint hypocritæ, quorum meministi, nescio. A me certe sine fuco dictum est, & ex animo, nec vnquam Eucharistiæ veritate vacillaui. Quantum apud alios valeat autoritas Ecclesiæ, nescio. Certe apud me tantum valet, vt cum Arrianis & Pelagianis sentire possim, si probasset Ecclesia, quod illi docuerunt, nec mihi non sufficiunt verba Christi: sed mirum videri non debet, si sequor interpretem Ecclesiam, cuius autoritate persuasus credo scripturis canonicis. Est fortasse plus vel ingenij, vel roboris in aliis. Ego nulla in re tutius acquiesco, quam in certis Ecclesiæ iudiciis. Rationum & argumentationum nullus est finis. Agnoscit tua prudentia quibus epistolæ tuæ verbis per hæc responderim. Plura tecum libebat quidem, sed minime licebat. Excuditur totus Augustinus. Hoc oneris cum semper recusarim, tamen obtruditur humeris meis. Bene vale. Datum Basileæ postridie Lucæ, M. D. XXVII.

ERASMVS ROTEROD. TVVS.
LIII.

ORsus eram de Eucharistia scribere aduersus Oecolampadij sententiam ante annum, & initium adhuc apud me est. Verum considerabam, me nihil aliud profecturum, nisi vt hic excitarem tumultum. Tum enim regnabat Oecolampadius & adhuc plebem habet addictam. Præterea audiebam Roffensem & Parrisinos ad hanc prouinciam accinctos. Nec mihi deest, quod agam, vt hoc non agam. Rursum vale. Durerum salutabis meis verbis amanter. Clareanus totus tuus est. Berus item & suffraganeus applaudunt.

ERASMVS ROT. BILIBALDO BIRCKHEIMERO
S. D. LIV.

MAgnam voluptatem attulit mihi Epistola tua, Bilibalde, tam alacris ac gestiens, declarat enim tibi à podagra & calculo ferias esse; quod vtinam sit perpetuum. Quod mihi gratularis elapso, tu quidem & amanter facis, nec sine causa. Vt enim nihil fuerit periculi Basileæ, certe Friburgi magistratus me summa cum humanitate excepit. Cœlum autem comperio tam amicum meo corpusculo, vt hic propemodum videar repubescere. At antea mihi persuasum erat, hic Iouem esse tristem & incommodum, semper nubilũ ac nebulosum: & habimus sane cœlum iam diu prodigiose pluuium, qua de re tetrasticho lusimus:

Obsecro, quid sibi vult, ingens quod ab æthere nimbus
Noctes atque dies sic sine fine ruit?
Terrigenæ quoniam nolunt sua crimina fleri,
Cœlum pro nobis soluitur in lacrymas.

Verum hoc incommodum huius regionis non est proprium. Basileæ torrens quidam, qui sub terra labebatur, subito erumpens, tantam inuexit calamitatem, vt negent iacturam centum millibus ducatorum sarcire posse. Tamen hoc quoq; cœlo sat commoda valetudine sumus. Ceterum quemadmodum gaudemus discessisse: ita vehementer inuiti discedebamus. Ante annos quindecim cœpi cum ea ciuitate habere commercium, quam toties è Brabantia recurrens inuisi, denique annos ferme octo, perpetuo illius hospitio sum vsus, commodo sane bonoque. Ibi Iohannes Frobenius obtrigerat amicus, quo synceriorem ne optare quidem à superis poteram. Nec alius erat in me totius familiæ animus; vnde & mea erga liberos beneuolentia nihil illius morte est imminuta. Proinde ciuitatem illam propemodum adoptaram in patriæ locum. Nec ego, nî fallor, illi fui grauis aut incommodus hospes, id quod nauim ingressurus tetrasticho sum testatus, quod aureus ille Bonifacius Ammerbachius, qui profectionis fuit comes, suis tabellis excepit. Est autem plane nauticum, si libet audire:

Iam, Basilea, vale, qua non vrbs altera multis
Annis exhibuit gratius hospitium.
Hinc precor omnia lætatibi, simul illud, Erasmo
Hospes vti ne vnquam tristior adueniat.

Certe arbitror in ea ciuitate neminem esse, cui sit quod iure de me queri possit. Priusquam Lutheranismus eo demigrarat, eram & Ecclesiasticis, & Magistratui, & populo gratiosus. Mox vbi perspexerunt, à me nunquam impetratum iri, vt me tumultuoso negotio comitem præberem, nedum ducem, sordidi quidam & intemperantiores cœperunt obgannire. Tandem epistolis, picturis, ac libellis

bellis incessere. Id facile deuoratum est. Nec aliud illi profecerunt, nisi quod, quo vehemẽtius adnitebantur, vt me vel inuitum in factionem propellerent, tanto magis abhorreret animus. Tales enim vidi mores, vt etiamsi minus displicuissent dogmata, non placuisset tamen cum huiusmodi fœdus inire. Quum perspicerem rem paulatim ad summa tendere, iamque vix inuidiam principum, & obtrectatorum apud meos sustinerem, qui factitabant, me non tot annos in ea ciuitate commorarum fuisse, nisi tacitus probarem, quæ illic gererentur: subinde abiturientem me, nunc remorabantur ossa, quæ nisi adessem, absolui non poterant, nunc alia quædam alligabant, sed inprimis periculum, ne mihi pernicioſum esset, si nidum satis commodum, cui tot annis assueuissem, magno salutis discrimine relinquerem. Sola enim vita recuperari non potest semel amissa. Ceterum vbi publicitus omnia templa cessissent ei factioni, cui me nunquam volui addicere, & sublatis aris sæuitum esset in statuas ac picturas, tum nihilo secius his peractis, identidem noui quippiam exoriretur, resque videretur spectare ad seditionem, statui vertere solum, vtcunque cederet profectio. Huc quum me magis etiam animaret Ferdinandi regis voluntas, qui tum Spirensi consilio præsidebat, nonnihil etiam stimulabant quædam non satis auspicata præsagia. Nunc stolidus ille Thraso minitabatur iudicia, nunc alter ille Viperinus, simile quippiam moliebatur: quumque nihil haberent, quod obiicerent, tamen amicos videbam solicitos, ne vel optimam causam sub talibus iudicibus perderem, quibus vtcunque dedisse ansam, satis erat futurum. Ergo quum staret sententia discedere Basilea, consultatum est, vtrum furtim subducerem me, an palam excederem. Alterum erat tutius, alterum honestius. Nos honestum tuto prætulimus. Iam præmiseram duo plaustra scriniis & sarcinis onusta. Nam id clam fieri non potuit. Postridie nunciatum est mihi, Ecclesiastes omnes mihi vehementer infensos, duabus de causis. Altera, quod aditurus hortum Frobenianum, ipsis conspectis deflexissem ad dextram, ore veste obturato, quasi gestu significarem abominationem: quum os texerim ob ventos incommodos, qui admissi solent interdum dentium cruciatus gignere, & ad dextram ex more deflexerim, quod altera via esset, vt angusta, ita excrementorum fœtoribus molesta: altera quod in colloquio Cyclopẽ notarum quendam prælongo naso, qui quem gestaret in capite, vulpem in pectore. Is locus cum tortus esset in vnum ex amanuensib. meis, qui sat bene nasatus, pileo ouillo vteretur (nam tale pileum gestare Oecolampadium, nunquam auderam) existimabant eo notatum Oecolampadium. Ab his igitur ne quid forte mihi moueretur Tragœdiæ, præsertim rebus ad eum modum exulceratis, per litteras excusani me paucis Oecolampadio, inuitans etiam ad colloquium, si pluribus vellet mecum agere. Is nihil cunctatus venit, eiq; facile satisfeci: negabat enim se tuisse offensum. Quod ad amicitiam attinebat, negaui me vnquam inimico in illum fuisse animo, nisi quod in dogmatibus quibusdam dissentirem. Tandem cœpit suadere, ne discederem, ad eam rem, quum multis argumentis vteretur, interrupi sermonem, frustra indiceram) existimabant eo notatum Oecolampadium. Ab his igitur ne quid forte mihi moueretur Tragœdiæ, præsertim rebus ad eum modum exulceratis, per litteras excusani me paucis Oecolampadio, inuitans etiam ad colloquium, si pluribus vellet mecum agere. Is nihil cunctatus venit, eiq; facile satisfeci: negabat enim se tuisse offensum. Quod ad amicitiam attinebat, negaui me vnquam inimico in illum fuisse animo, nisi quod in dogmatibus quibusdam dissentirem. Tandem cœpit suadere, ne discederem, ad eam rem, quum multis argumentis vteretur, interrupi sermonem, frustra ind

vt eius generis mnemosynis sit opus. Ante paucos dies præter omnem expectationem vir egregius Antonius Fuggerus dono miserat poculum mira forma, & pulcherrime inauratum, nihil præterea non offerens, & humanitatis & benignitatis, si voluissem Augustam demigrare. Ac ne causari possem de viatico, designauit vnde Basileæ centum florenos aureos acciperem. Video, mi Bilibalde, non omnes esse Sutores, Beddas, Leos & stunicas. Ac plane malueram in celebri ciuitate vitam agere, vbi nihil non reperiatur; sed quidam apud me infamarunt cœlum Augustanum, & tam male tum de me ipse sentiebant, vt vix sperarem, corpusculum hoc dimitati diei equitationem laturum. At illa profuit etiam. In Brabantiam crebris amicorum litteris reuocor, cœlum ac terram obtestantium, quod alienas regiones illustrans, (sic enim loquuntur) solam patriam nullo digner honore, & sane magis decebat in patria senescere. Sed quoties succurrit illius aulæ frigus, præsertim quum de numerando agitur, quoties meo cum animo reputo, quas digladiationes multis illic annis cum monstris quibusdam pertulerim, minus me tædet exilij. Vbi bene es, ibi patria est, habet prouerbium. Libebit saltem ad annum hoc tam amico cœlo frui, nisi nos Mauors hinc propulerit. Scis quanto impetu nuper procursum sit ad arma; acies ferro ac machinis instructæ minimo spatio dirimebantur: feruntur fuisse viginti millia. Sed musca non periit. Tantum Cerasorum magna fuit strages. O bellum incruentum, & vt Græci dicunt ἀδάκρυτον πόλεμον. De actis Spirensis Concilij nec admodum fui curiosus, vt scirem, &, si sciam, præstaret Harpocratem agere. Cum Iohanne Fabro semel hic duntaxat sum collocutus. Ex eius oratione diuinaui nonnihil, quod vtinam bene vertat, vanumque sit hic animi mei præsagium. De conciliandis regum animis, (quæ res tot annis florentissimas Reip. Christianæ partes, Italiam & Galliam, misere perdit) nihil bonæ spei ostendunt amicorum litteræ, quin potius significant ad veteres monarcharum iras quotidie nouas accrescere: tantum abest, vt simultatem posituri videantur, quum nullum verius sit argumentum sublimis animi, quam quasdam iniurias negligere, quasdam ignoscere, etsi non promeretur is, qui læsit, certe Reipubl. condonare. Quid enim fieret de nobis, si Deus omnium rerum verissimus Monarcha semel offensus nesciret iram ponere? Iam tot annis nulla fere Europæ pars vacat à tumultu nec adhuc quicquam video, præter belli præludia. Fortassis hi rerum motus haudquaquam inutiles sunt Hispanis militibus. Verum quid facias? Hæc est rerum humanarum natura, sursum deorsum voluuntur ac reuoluuntur, in morem Euripi. Zasium plane beatsi missis libris Digestorum. Non enim aliter exiliit gestiitque gaudio, quam si regnum obtigisset; Ceterum vt illi non inuideo munus, ita vereor ne nobis tanta felicitate sit factus aliquanto ferocior. Miserat mihi cœnanti litteras tuas, indicans esse properandum. Exemi syngraphum Germanicam, eique missi, duobus verbis rogans, rem suo curaret arbitratu, meis impendiis. Post biduum misit pateram, dedi puero asses duos; ac meis litteris, quibus illi gratias agebam, inclusi coronatulum in viatici rationem. Ac ne dolo dicam, nonnihil metuebam litigatricem epistolam, sed non tam atrocem. Remisit aureum inclusum litteris, in quibus videbatur me vocaturus in ius, nisi hoc honoris haberet clisens suo patrono, nosti hominis immodicam modestiam: negat sibi toto anno quicquam grauius aut magis inuisum accidisse, & meam liberalitatem appellat insolentem. Mirabantur, vt ait, conuiuæ tam stupendam liberalitatem; ipse non stupebat modo, verum etiam expaue scebat tantum proluuium. Negat, illic amicitiam esse sinceram posse, vbi numus mercator, non patitur gratuita esse officia. Quamque me Zasius ante multos annos, & multis & magnis officiis onerarit, quibus ne micam quidem gratiæ rependi vnquam, nec in me tantum fuerit gratis officiosus, sed in alios quoque, vel notitia mei commendatos, tamen sua officia sic extenuat, sic deiicit, vt assis non æstimet. Postremo numina iurat, ac per principis salutem deierat, se quadrantem à me non recepturum. Hanc causam mira copia patique vehementia sic agit, vt non ausus sim cum homine tam Iurisconsulto, tamque diserto experiri, cessi causa, litemque cum aduersario composui. Extra iocum, mi Bilibalde, nihil adhuc vidi in Germania, quod æque sim admiratus, atque huius viri ingenium. Non est candidus in amicos, sed ipse candor. Corpore consenescit; sed vix credas quam adhuc totus vigeat animus, nihil decessit iudicio, nihil memoriæ, orationem vero sic ex tempore bonis verbis boniisque sententiis, nec id sine lepore, scatentem, nec in Italo quoquam adhuc animaduerti. Adde huc morum vere Christianam sinceritatem. Nullus ab illius colloquio non ad pietatem inflammatior. Quidam, qui nihil aliud sunt, quam numeri, & fruges consumere nati, cornicum viuacitatem superant. Hic vir prorsus est immortalitate dignus. Verum quo minus sæpe liceat illius optatissima consuetudine frui, illud in causa est, quod cum ille surdaster sit, ego sum parum vocalis. Vt nihil est in rebus humanis, cui non aliquid admisceat incommodi Nemesis illa. Dominus te quam diutissime nobis seruet incolumem, ornatissime Bilibalde. Datum Friburgi, Id. Iuliis, anno

M. D. XXIX.

EXEM-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [312] - 288
PUBLIC DOMAIN

EXEMPLVM CODICILLORVM D. ERASMI AD IOAN. OECOLAMPADIVM, QVORVM MEMINI SVperiore epistola. LV.

ANte dies complures cupiebam te euocare ad colloquium: nam & tempus erat incommodum, & affligebat pituita tenacissima non sine febri, sed verebar ne quid hinc fabularum nasceretur in populo, quod res tum minus essent quietæ, quam nunc sunt. Hodie mihi narrauit Hieronymus Frobenius, esse, qui nescio quid siniſtri suspicerentur de animo in te meo, quasi te scriptis meis perstrinxerim; deinde quasi nuper deflexerim ab itinere, ne te salutarem. Scito, vtrumque esse vanissimum somnium. Nullam litteram scripsi, qua te perstrictum volui, aut quam scribens, de te cogitaui. Quum excuderetur colloquium Cyclops, quidam ex operis Frobenianis suspicati sunt, quod dicitur de oue in capite, vulpe in pectore, deque longo naso, ad te pertinere; quum constet, hoc lusum in Nicolaum Cannium famulum meum, qui cupiebat in colloquiis celebrari. Is talem gestat pileum, & colore est fusco, capillitio nigro. Te simili vti pileo, nunquam audieram, nisi tu hac occasione. Non sum tam ineptus, vt talibus nugis vtar in viros. Ambiebat & Polyphemus cenatius. Sic res habet de scriptis. Iam ea via soleo fere semper adire hortum Frobenij, quum cœlum est commodius, quod altera sit angustior & fœteat. Itaque si nullus adfuisset, illac tamen eram iturus. Nec te tum noui aduersum, sed famulus admonuit. Itaque reflexissem iter ad te, nisi plures adfuissent mihi ignoti, quorum cœtum turbare nolui. Itaque tum dixi famulo. Sic habet de suspicione. Quod si quid aliud est rei, hodie circa horam quartam vsque ad sextam ero in horto Frobeniano, si dignaberis eo venire, vno comitatus, aut si mauis alio die, libenter tecum conferam. In libello quo respondes Bilibaldo notas me, quasi dixerim, tuam de Eucharistia sententiam esse longe meliorem. Hoc fortasse Iohannes Danus ad te pertulit, sed perperam. Dixi tuam simpliciorem, quod minus habeat quæstionum perplexarum. Alioqui si mihi certo persuaderem, tua dogmata esse meliora receptis, sic vt in ea persuasione conscientia mea possit acquiescere, hac ipsa hora profiterer eadem, quæ tu profiteris, vlturus meo more furiosos quosdam monachos ac Bedaicos Theologos: Nunc quod vnum possum, opto, & operam do, vt hi tumultus habeant lætiorem exitum. Bene vale. Reliqua in colloquio si videbitur.

ERASMVS ROTERODAMVS CAROLO ROMANORVM IMPERATORI SEMPER AVGVSTO S. D. LVI.

VT fateor me tuæ maiestati plurimam debere gratiam, Cæsar inuictissime, quum priuatim meo, tum publice studiorum nomine, quod me suo fauore benigniter subleuare non est grauata: ita vehementer optarim, vt ista tua virtus, quæ potentissimos Reges domat subigitque, parem habeat vel autoritatem, vel fœlicitatem in domandis quorundam improborum tumultibus. Ego Pontificum ac Principum, sed præcipue tuæ maiestatis præsidio fretus, Lutheranam factionem, quæ vtinam non tam late pateret, totam in me concitaui, magno sane capitis mei discrimine: cuius rei si quis fidem requirat, testabitur Lutheri seruum arbitrium, quod in me plus quam hostiliter scripsit: testabuntur Hyperaspistæ libri duo, quibus illi respondeo. Nunc cum Lutherana res incipit declinare, idque ex parte mea opera meoque periculo, cooriuntur isthic quidam simulato religionis prætextu, ventrisque tyrannidisque suæ negotium agentes: nos enim pro Christo pugnamus, non pro commodis hominum, & Hispaniam tot alioqui nominibus fœlicissimam in compositis tumultibus reddunt irrequietam. Ex istiusmodi præludiis, videmus aliquando grauissimas, oriri tempestates. Certe Lutheranum hoc negotium ex multo leuioribus causis ortum est. Quod ad me pertinet, non desinam vsque ad extremum halitum Christianæ pietatis causam tueri, tuæ vero maiestatis ac pietatis fuerit constanter ac perpetuo fauere iis, qui sinceriter ac fortiter propugnant Ecclesiam Dei. Sub Christi tuisque signis milito, sub iisdem moriar, sed æquiore moriar animo, si prius videre liceat, tua potentia, tua sapientia, tua fœlicitate tranquillitatem redditam tum Ecclesiæ, tum vniuerso populo Christiano. Quod vt per te largiatur nobis Christus Optim. Maxim. orare non desino, qui tuam maiestatem seruare dignetur, semperque in melius prouehere.

Datum Basileæ, Postridie Calend. Septembris, anno millesimo quingentesimo vigesimo septimo.

CAROLVS DIVINA CLEMENTIA ROMANORVM IMPERATOR, DESIGNATVS AVGVSTVS.

LVII.

HOnorabilis, deuote, dilecte. Fuerunt nobis tuæ litteræ duplici nomine iucundissimæ, & quia tuæ erant, & quod ex his intelleximus, Lutheranorum insaniam declinari: quorum alterum debes tu quidem singulari nostræ erga te beneuolentiæ: Alterum vero non tam nos tibi debemus, quam vniuersa Respubl. Christana, quum per te vnum id assequuta sit, quod per Cæsares, Pontifices, Principes, Academias, atque per tot viros eruditissimos hactenus obtinere non valuit. Vnde tibi & apud homines immortalem laudem, & apud superos perpetuam gloriam nequaquam defuturam, & quam lubentissime videmus, & hanc tibi fœlicitatem cõtigisse ex animo gratulamur. Superest, vt prouinciam hanc fœliciter à te susceptam, pro viribus ad finem vsque perducere adnitaris. Nos enim tuis sanctissimis conatibus omni auxilio & fauore nunquam defuturi sumus. Ceterum quod scribis de his, quæ in tuas lucubrationes apud nos tractari cœpta sunt, molestè admodum legimus. Nam videris nostro in te animo ac voluntati quodammodo diffidere: Quasi nobis præsentibus quicquam aduersus Erasmum, cuius Christianam mentem exploratam habemus, esset statuendum. Ex inquisitione enim, quam exin tuis libris permisimus, nihil est periculi, nisi vt si quid humani lapsus in his inueniatur, tu ipse amanter monitus, id vel corrigas, vel ita explanes, vt nullum offendiculum pusillum relinquas, & hac via tuis scriptis immortalitatem pares, & obtrectatoribus ora occludas. Si vero nihil calumnia dignum repertum fuerit, vides quantam gloriam tibi, tuisque lucubrationibus assequuturus es. Bono itaque animo te esse volumus, tibique persuasum, summa nos tui honoris atque existimationis ratione nusquam non habituros. Pro quiete Reipublicæ, quod in nobis fuit, huc vsque nos strenue præstitisse non est, quin aliquis dubitare debeat. Quid in præsentia præstemus, quidve deinceps præstaturi sumus ea malumus operibus declarare. Hoc vnum à te petimus, vt tuis precibus actiones nostras omnes Christo Opt. Max. semper commendes. Vale. è ciuitatẽ nostra Burgens. die XIII. Decembris, anno Domini M. D. XXVII. Regni nostri Romani Nono.

Carolus.

Inscriptio à tergo hæc erat: Honorabili, docto, deuoto, nobis dilecto Des. Erasmo Roterodamo, Consiliario nostro.

Alph. Valdesius.

DES. ERASMVS BILIBALDO PIRCKHEIMERO S. D. LVIII.

VIr Clarissime, opinor Franciscum Dilsum apud te fuisse, talemq; compertum, qualem depinxeram. Ab eius abitu redditæ sunt mihi tuæ litteræ, satis & alacres, & copiosæ, quæ mihi tristitiam omnem absterserе, quam ex prioribus illis litteris, quas obortæ tibi paralysis interruperat, concepèram. De fide amicorum etiam post illam meam querimoniam, talia comperi, vt totã anchoram sacram & non sacram fixerim in Christo, qui solus nec vult, nec potest fallere. Homines mirum quã interdũ simulent & dissimulẽt, & si qui ex animo bene volunt, immane quam h. e. temporarium, quam leui occasione tot⁹ ille fauor vertitur in odium. Ibi quã tenax offensæ memoria, quã profunda beneficiorũ omnium obliuio. Sunt qui prodesse, si velint, nihil possint, quum lędere nemo nõ possit. Sunt qui dum imprudenter prodesse studeant, lædunt maxime. Cum talib. amicis nobis res est, ꝙ quidem mihi tecũ commune esse doleo, moderatius laturus, si mihi proprium esset incõmodum. Mones autẽ & prudenter, & amanter, vt horũ mores boni consulam, ni malim in solitudinẽ aliquam demigrare. Humana vitia facilime cõdono amicis; capitales perfidias ab iis, in quos fui cumulatissime beneficus deuoro quidem, sed non sine tędio. Absit autem, vt tale quicquã de te suspicor. Quanquã noui, quosdã huic rei natos dirimendis bonorũ amicitiis. Facile boni consulo, quæ scribis de Oecolampadiano negotio, modo tu probes, quod in eo quietẽ ago. Fuerã orsus, sed ilico sensi me nihil aliud profecturum, quam vt hic concitarem tumultum, reb. nimium suppuratis. Et iam nunc meditor fugam, nec video quo. In Hispaniis tantos tumultus excitarũt μοναχῶν πυθάδες, vt nec Cæsaris, nec Archiepiscorũ autoritas possit eos compescere. Lutetiæ Theologi quidã duce Bedda moliuntur extrema. Louanij, qui princeps est huius carnificinę, mihi capitalis dicitur inimicus, vt est bonis omnibus. In Anglia inuitat amantissime tum Rex, tum Archiepiscopus Cantuariensis. Sed plurima sunt, quæ me deterrent ab ea Insula. Verum quorsum attinet hæc deliberatio? quũ hæc valetudo non patiatur vllam profectionem, cũ ægre domi tueat vitam, si tamen hoc est vitam, & non potius animã agere. An Philippus adfuerit Luthero aduersus Diatribam, nec ne, mea quidẽ haud magni refert. Articulos rursus hic

hic excudetur. Videtur Lutherus nõnihil adulari suo principi. Vbicunq; regnat Lutheranismus, ibi litterarum est interitus. Et tamen hoc genus hominum maxime litteris alitur. Duo tantum quærunt, censum & vxorem. Cetera præstat illis Euangelium, hoc est, potestatem viuendi, vt volunt. Regis Ferdinandi res sat pulchræ habent in Vngaria, si liceat per Turcam. Vrsinus Velius iam conscripsit librum de rebus ab eo gestis. Anabaptistas potissimum suppliciis torret, qui tollere dicuntur omnem principatum. Calculus meus versus est in calcem, cuius magnam vim quotidie eiicio, sed tolerabili cruciatu. Diuino malum conceptum ex vino & saccaro, quorum vtrumque venefici calce temperant. Vtinam tibi pro ista aqua, qua vitam, quemadmodum scribis, sustentas, contingat ambrosiæ succus, qui te reddat immortalem, vt patriæ quam diutissime prodesse queas. Dureri vicem vehementer doleo. Arbitror te legisse locum, in quo mentionem illius facio. Totum opus nunc absolutum est. Fortasse dices esse coactius. Fateor, sed non dabatur alia occasio, & arbitror eum libellum, qualis qualis est, maxime volitaturum per manus hominum. Clebergus iam pridem hinc abest, nec scio, quid egerit. Me bis inuisit; abiens non salutauit. Glareanus hic nunc solus habet discipulos frequentes. Deest homini sors, nunc cogitur in diem viuere. Hactenus ad tuas litteras, quas decimo quarto Februarij scripseras. Dilphum apud te fuisse puto. Scire cupio, quo modo tibi iuuenis placuerit. Cæsaris epistolæ, quam ad me dedit proximam, exemplum ad te mitto. Ex Apologia, quæ nunc prodit, cognosces aliquam Hispanicæ Tragœdiæ partem. Si Lutherani abstinuissent ab Eucharistia conuellenda, missa abroganda, imaginibus tollendis, ac suos in primis prouocassent ad vitæ sinceritatem, sperari poterat lætior exitus. Nunc Lutherus tacet, Melanchthon mitigat; sed sero, vt ais, sapiunt Phryges. Bene vale. Basileæ, anno millesimo quingentesimo vigesimo octauo.

ERASMVS PIRCKHEIMERO SVO S. P. LIX.

TAndem vertimus solum, ex Rauracis facti Brisgoi. Dum promiscua fex plebis armata ac dispositis machinis versaretur in foro, nemo non timebat sibi, cui domi esset quod nolit perire. Aliquãdiu res videbatur spectare ad arma. Melior pars fauebat Ecclesiastico negotio, sed numero minor. Nam altera multos habebat admixtos exteros, multos decoctores, multos palam infames. Hãc tragœdiam orsi sunt sub ipsam brumam, ne cui promptum esset vel fugere, vel accersere suppetias. Ecclesiastica pars, vbi videret contra Senatus edictum, contraq; iusiurandum fieri conuenticula, induit arma, mox idem fecit altera, operas etiam educens in forum, ac bombardas. Autoritate Senatus factum est, vt pars Ecclesiastica deponeret arma, quod egre fecit & altera, sed ad tempus. Nam quum decretum esset secure in diuos ac diuas, condensant sese in foro, dispositis tormẽtis æneis, & aliquot noctibus illic sub dio agebant, extructa pyra ingenti, magno omnium metu, in nullius tamen ædes irruperunt; neque cuiusquam corpus attigerunt, nisi quod consul vir facundus & de Republica cre bro bene meritus, scapha subduxit sese, periturus ni id fecisset. Profugerunt & alij complures metu, qui tamen ex autoritate Senatus reuocati sunt, si vellent iure ciuium viuere, è Senatu vero submoti sunt, quotquot fauerent pristinæ religioni, ne qua esset illic suffragiorum dissensio. Hactenus tamen Senatus moderatus est tumultum, vt per fabros & artifices tollerentur è templis, quæ tolli placuisset. Tantis autem ludibriis vsi in simulacra diuorum atque etiam crucifixi. vt mirum sit, nullum illic æditum miraculum, quum olim tam multa soleant ædere vel leuiter offensi diui. Quidquid erat pictarum imaginum, calcea incrustura oblitum est, quod erat capax ignis in rogum coniectum est, quod secus, frustulatim cõminutum. Nec pretium nec ars impetrauit, vt cuiquam omnino parceretur. Mox in totum abrogata missa, vt nec priuatim domi fas esset sacrificare, nec in finitimis pagis audire sacrum. Vbi sumus ille metus ademtus est, ac propemodum spes esset fore, vt in nullius facultates aut caput seuiretur, ad hanc clementiam adhortante Oecolampadio, quotidie tamen ex synodis illorum prodibant noua plebiscita, cœpi de migrando cogitare, sed dissimulanter. Anxie vero metuebam, ne male mihi verteret, vertere solum, non nihil etiã verebar, ne quam abituro remorã iniicerent; Itaq; procurarã à rege Ferdinando duo diplomata, alterum quo me accersit ad sese, alterũ quo tutus & immunis item per ipsius ac Cæsaris totam ditionem. Primũ omnium emitto clam nummos & vasa argentea, quæ potissimũ inuitant prædonem. Aliquanto palam onero duo plaustra scriniis & lectis. Hoc facto nuntiatur mihi Oecolampadiũ & Ecclesiastas infensos esse, id duab. de causis, quas ex litteris adiunctis intelliges, plusquam friuolas. Ego tamen reputans mecum quis esset rerum itatus, scripto placaui Oecolampadium, simulq; ad colloquium euoco. Collocuti sumus diu, sed absq; contentione. Obtulit ille sinceram beneuolentiam, quam ego non recusaui, modo pateretur me in quibusdam dogmatibus ab ipso dissidere. Tandem cœpit dissuadere, ne relinquerem Basileam. Respõdi me à mihi gratissima ciuitate multis nominib. inuitum discedere, sed me diutius inuidiam perferre non posse, Viderer enim probare quicquid hic publice fit. Cum vrgeret, respondi eam operam frustra sumi, quum tota suppellex esset Friburgi. instabat vt saltem abirem reditur⁹, Friburgi inquam

mensibus aliquot commorabor, illinc profecturus quo me Deus euocauerit. Sic datis vtrinq; dextris discessum est. Hunc sermonē communicauit, vt suspicor tribuno plebis, qui semper fuit huius negotij coryphęus, vir prudens sedatiq; ingenij. Agit cū Beato, ne discedam multis argumentis. Mihi nemo verbū fecit. Si dixissem me offensum abire, permisissent satisfactionem, si ob id, quod non probarē ea, quæ illic instituerentur, vocassent me ad elenchum, eoq; allegaui iram principū, & inuidiam Theologorum. Alioqui exceperam voces aliquot feroculas ac minaces eorum, qui plurimum valerent hac factione. Et acciderant quædam præludia. Itaq; non arbitratus sum esse cōsultum in ea ciuitate viuere, in qua nullus esset tā abiectus quin posset me cædere. Nec enim consentaneum est, magistratū ac plebē ex animo fauturos ei, qui dictis ac scripris ab ipsorum dogmatib. dissentiret. Quū ipse conscensurus essem nauim, nescio quas difficultates iniecerunt de sarcinis ancillæ. Cupiebam nautā soluere à portu secretiore, ne populo essemus spectaculo. Id constanter vetuit Senatus, quum ante hac semper fuerit liberum à quouis ciuitatis portu soluere. Parui, & à ponte solui, comitantib. aliquot amicis. Mihi nemo verbum. Hæc profectiuncula melius cessit quam expectaram. Huius vrbis magistratus obtulit omnem humanitatem sua sponte, priusquam me rex Ferdinandus suis litteris commendaret. Dederunt ædes regias, & Maximiliano extructas, sed imperfectas. Sedebimus aliquot menses hic, nisi bellum oriatur. Complures enim huc confluunt è Basilea, ferturq; totum canonicorum collegium huc commigraturū. Ea res citius huc inuitaret hostium seniciam. Videor hic satis gratiosus omnibus. An tibi notus sit Ludouicus Berquinus nescio. Is 15 Calen. Maias Lutetiæ exustus est, pridie duodecimas iudices pronunciarant, vt exustis libris ac peracta palinodia lingua illi pertunderetur. Quum is appellaret regem ac pontificem, irati iudices responderunt: se curaturos ne post hac quoq; appellaret, ac postero die tradiderunt hominem incendio. Id si nō commeruit doleo, si commeruit bis doleo, nec enim mihi causę ratio sat cognita est. Nec Berquinū noui, nisi ex scriptis & quorundam commemoratione. Vitam hominis nemo non probabat, fortuna erat sat splendida, regi cum primis charus. Quod euenit semper illi timui, nec vllas ad illum litteras, nisi in quibus non anxie dehortarer ab hac contentione, cuius nō posset non infœlix esse exitus. Primam causam vicerat. Eam causam iactabat etiam scripto. Deterrui ne faceret, sed frustra admonui, vt titulo legationis aliquo se subduceret, sineret crabones. Ille plenus fiduciæ iubebat me bene sperare. Retractus est paulo post in carcerem, & perierat, ni rex ab Hispaniis reuersus illum eripuisset incendio. A carcere datus est aulæ sub custode tamen. Tandem liber causam agere cœpit, aduersus tres priores, qui sua sententia illum damnarunt hæreseos, aduersus facultatem sacratissimam. Ego semper illi vaticinatus sum infelicem exitum, etiamsi causam haberet non omnino malam, ille contra sibi mihique pollicebatur indies speciosam victoriam. Quid facies eis, qui deuoti sunt exitio. Hæc res mire tollat cristas Beddæ aduersus linguarum ac politioris litteraturæ cultores. Proximis litteris scripserā Berquino, me à nullo hactenus fuisse infœlicius adamatum, nec quenquam vidisse consiliis fortioribus, sed infœlicissimis, nec alium cui spes essent æquæ pertinaces, sed fallacissimæ. Dominus, vt spero, recepit illum in requiem suam. Bene vale. Friburgi 7. Idus Maias, anno M. D. XXIX.

ERASMVS BOTZEMO SVO S. D. ANTE ICTVM FOEDVS CVM HENRICO EPPHENDORPIO.

LX.

QVam vellē te hic nunc adesse, quo patrocineris Erasmo tuo, rem nouā aggressuro. Hactenus gladiatura exercui cum Beddis & Sudorib. commissus, nunc si superis placet, fio litigator, & ab Hercule ad Mercuriū transfugio. Venit huc Hen. Epph. è Thrasone factus Phormio, vel vt melius dicam ex vtroq; conflatus. Vix ingressus est vrbem, nemo nesciebat illū mihi diem velle dicere. Habuit obuiam Beatum: In illū effudit stomachum suum, meis litteris factum esse, vt Ducē Georgium ex amicissimo haberet infensissimū, excidisseq; ab amplissima fortuna, vt minimum dicam, trium millium flor. matrimonium opinor significabat. Beatus, vt est vir melior quam vt suspicari possit inter homines eiusmodi portenta, tū quietis amans, & vtriq; bene volens, suasit vti prius colloqueretur, deinde statueret. Ita solent Imperatores. Colloquium non omnino recusauit Epph. sed negauit se domum meam venturum, quum ego sic affectus essem, vt totos quinq; menses, domo pedem nō extulissem. Interim in foro, in diuersorio, in viis publice priuatimq; vociferabatur πολλὰ πεζικῶς, quam indigna perpessus esset ab Erasmo. Hæc subvesperam. Postridie adiit, vt audiui proconsulem, significans se velle legibus agere contra me. Responsum est: Senatū nunc esse occupatissimum, differret in aliquot dies. A prandio postridie venit colloquium, vultu mire composito ad iracundiam. Dixisses Mezentium quempiam è tragœdia. Legit mihi epistolā quandam scriptā ad Saxoniæ Ducē Georgium, mihi quidem ignota manu. In qua cōtexta fuerat historia quomodo se gessisset Friburgi, mox Basileæ, demum Argentorati, in qua tamen fere nihil erat, præter ea de quibus ipse pene solet etiam gloriari. Vellem hic adfuisses & vultum histrionis, tibi nō ignoti compositum vidisses, absq; persona suam agentis fabulam. Miror ipsum potuisse à risu temperare: ego certe nō potui, quum & æger essem, & res

esset

esset inuisa. Quum ad singulos epistolæ articulos exclamaret, indignum facinus, sic lædi famam hominis innocentis ac simplicis, respondi me non agnoscere eam epistolam, nec meum esse vel tueri, vel impugnare, quod an scripsissem nescirem: si meam proferret epistolam Ducis ad ipsum scriptam, ex illa liquere me talia non scripsisse. Nam summam argumenti ad me scripserat Simon Pistorius Ducis Cancellarius. Iam abnegata epistola quid restat, nisi vt aut doceret esse meam, aut obticesceret? Nihilo secius pergebat recitare. Tandem quum asseueraret se habere manum meam cum Symbulo Termini, iussi proferret. Sciebam enim illum hoc non posse. Nec post vnquam procedia tractaremus. Ad id professus sum me esse propensum. Interea tamen fremebat illam illibatissimam antea famam meis litteris fuisse contaminatam. Obieci me grauius ab ipso fuisse petitum, qui ter missa scheda denunciauerit plusquam hostilia, tam horrendis minis, vt homini seni, valetudinario, ac timido possent subitam adferre mortem, quod compluribus accidisse scimus. Atque ego sane suspicor illum hoc animo talia scripsisse, vt aut extorqueret pecuniam, aut occideret. In earum vna vocarat me sceleratissimum furciferum, homo totus innocens. Ad id respondit se non ea fecisse ex animo. Alioqui putas, inquit, me tamdiu dilaturum fuisse? Nonne bella defensio? Hoc colore se quiuis fur tueri poterat. Sustuli, sed non ex animo. Deinde iactabat se fuisse læsum prius. Respondi me primum omnium fuisse læsum, quod Huttenum in me prouocarat, I bellum ædide-rat. Nec hoc contentus, Othonis cuiusdam furore in me sit vsus. Inficianti, quod facturum sciebam, falsus sum ista non tam facile probari posse, mihi tamen tot argumentis collecta, vt propemodum pro compertis haberem. Citaui Heresbachium testem, citaui Carolum Harstum, Hutteni libellum ipso castigatore fuisse æditum: item quum Othonis libellus æderetur, illum in Scotti typographi ædibus fuisse assiduum. Pessime omnium habebat illum, quod in epistola dictus esset, scelerati ædibus fuisse assiduum. Pessime omnium habebat illum, quod in epistola dictus esset, scelerati-ssimæ Ecclesiæ propugnator. Respondi illum his titulis celebrari ab Othone & Lonicero libris æditis. Nam Otho huius laudibus paginas aliquot expleuit: Lonicerus maiusculis subinde vocat illum Germaniæ procerem. Ibi magna impudentia negauit se scire, quod esset in libris Othonis nominatus. De Lonicero minabatur mihi, quasi id fingerem. Existimat enim homo veridicus mendacium esse crimen capitis supplicio dignum. Dixi librum Argentorati excusum esse & præstare passim venalem, si quid de fide mea dubitaret. Otho etiam hoc addidit suo libello, quod inscio Ephendorpio hæc faceret. Quid hoc fuco fultius? Hoc nimirum prodere est non accusare. Sed regibus sufficit, quilibet obtentus. Obiecit epistolam quam Hymelbergius huc misit à Melanchthone, vt putabatur, scriptam. Eam Hedioni miseram, cui tunc fidebam toto pectore. Is vt apparet communicauit Capitoni, Capito Epph. Pro Tra. N. posueram H. E. Has litteras interpretatus est, esse quendam alium, cuius nomen & cognomen iisdem litteris inciperet, se scripsisse super hac re Melanchthoni, illum id esse verum rescripto testatū fuisse. Hic nil aliud quam ridere libebat, scienti rem aliter habere. Nam ipse Philippi manum proferre possum, qua testatur se nunquam scripsisse Epph. nec vnquam ab eo accepisse litteras. Addebat se habere litteras à Bilibaldo, ipsius manu descriptas, quibus hortaretur, vt stringeret calamum in Erasmum, ac tueretur famam suam. Hic nugator vultu ac voce miram affinxit δείμωσιν, non sine dentium stridore. Respondi Bilibaldum sua manu proximis litteris mihi significasse, quod Epph. scripsisset, vt insaniendi finem faceret: epistolam esse in promtu, si cuperet videre. Obiecit in epistola ad Ducem scriptū esset, quod se gessisset pro nobili. (Hic appellabat me an vnquā se gessisse pro nobili) quum ipse mihi priusquam iactarim nobilitatē meam, Obticui mirans quur ille diceret. Repetiit eadē verba: Interiectione, nō verbo respondi, veluti non curans. Tū ille mire cōposito vultu: Atq; ho, inquit fortasse male habet principē meum condidisse mulem nobilitatem meam. Ad hæc proxima scheda, quo tertio denūtiauit bellum scripserat sua manu. Item ab Epph. equ. clypeus illius pendet pro diuersoriis, cum galea feneſtrata, gladius diametro dissecat clypei spatium: nec se vulgari more denominat à loco, vt a Roma Romanus, sed addit præpositionē, quasi sit dominus eius loci. Nā veteres hac sermonis forma significabāt munus ac functionem aliq̄, velut à cubiculo Cæsaris dicitur, qui præfect⁹ est cubiculo, sic Episcopus dicebatur ab Hippone regio, qui ei ciuitati præsideret. Eadem forma nunc magnates cognomina habent à loco, non quod ibi nati sint, sed quod illic dominētur. Ita scilicet est noster Henricus à Epphendorf fortassis ob cauponem cereuisiariam ab illius maioribus administratam. Quoties autem impleuit aures meas mentione artium paternarum? Ante annos sex referēs prolixam fabulam de monacho quodā sagittandi peritissimo, quē pater in arce sua fouerat. Præterea quum neganti se curare quo animo Princeps in ipsum esset, dixissem. Quid igitur metuis, vultu mire serio respōdit, se vereri ne paternas arces occuparet. Nec dubito quin similia iactarit apud te. Nam apud alios fecisse complures noui. Constantiæ quum Episcopus rogaret Beatum, num esset Epph. nobilis, vsq; ambigue respōdisset, Epph. obticuit, & primū mensæ locum occupare sustinuit. In hoc iter sequutus est nos, equo quo nihil miserius. Verum aiebat se Rinueldiæ à nobilibus equum commodato sumturum. At nil actum. Nobiles aberant scilicet. Eundem fucum lusit Schafhuliæ, atq; etiam Constantiæ, vt iuxta prouerbium, fur furem cognouit

gnouit, & lupus lupum, ita nobilis nobilem nouit, sed mala quadam fortuna, nusquam erant illi quos volebat. Indignabatur quod in Spongia vocassem ipsum Hutteni Achatem, at non indignabatur, q̃ in eadem feciſſem ipsum nobilem, sic enim tum suspicabar, non prorsus esse plebeium. Quur agnouit q̃ non erat? Ad hæc habet famulos, in quibus Germanos duos, qui nunquam nō appellent illum Ioncherum. Quid multis: videtur hoc vnum modis omnib. agere, vt pro nihili habeatur. Hoc non ignorabat me scire, nec tamen illum pudebat huius sermonis. Addebat se suam familiam qualemcunq; tanti facere, vt nulli principum cessurum sit impune, si quis eius famæ maculam aspergat. Hunc Thrasonismum magis rideres si legisses, quæ de eius familia narrauit Ægranus, scripsit Emserus, nunc & popul⁹ nouit. Post tales aliquot querimonias, oratio reuoluebatur ad animum ducis, alimentum, & sacram famam impetitam, cuius iacturam tanti faciebat, vt negaret se vel Cæsari tale quicquam condonaturum, & vitā citius amissurum quam nominis sui detrimentum passurum. Respondi quum adhuc agerem in ædib. Frobenianis, ipsum mihi narrasse se Ducem habere male propitium: Roganti causam addebat, vellem me scholasticum esse sordidum: non possum inquit. Rogabā quare metueret Ducem, si nihil ab eo peteret. Metuo inquit, arcibus paternis ne eas occupet, & fratrib. meis. Id factum non inficiabatur, sed aiebat post, ducem fuisse reconciliatum, & agi cœptum, vt magno suo commodo reuocaretur in patriam. Si dux inquam fuit iratus quod nō responderes illius expectationi, vnde post fuit reconciliatus, quum aliquando licentius vixeris quam antea? Tum ad irritandum in tē principis animum nō erat opus Erasmo, quum haberes Hieronymum Emserum hostem capitalem apud ducem. Sed ad nomē Emseri cœpit infremere, veluti iam dilaceratur⁹ homi-
nem. Audierat opinor esse mortuum. Itaq; tutum erat ferocire. Rursus amici qui aderant, interpellebant expostulationum catenam nunquam finiendam, ad amnestiam & farciendam amicitiam prouocantes. Id non omnino recusabat, modo præscriptis conditionib. Iussus est proponere. Respondit se homo grauis tum esse commotiorem, per Beatum postridie significaturum de conditionib. allatæ sunt postridie leges ipsius manuscriptæ, quarum exemplar ad te mitto. Respōdi mea manu, quorum exemplar etiam ad te mitto. Agitatum est de compromissione. Consensimus in duos optimos huius vrbis viros, & illi nō minus amicos quam mihi, Beatum Rhenanum & Bonifacium Amerbachium, Iuris Cæsarei professorem. Habes hactenus actam fabulam, quid sit sequuturum nescio. Vtinam his adesses quo liceat tuis vti consiliis, qui iuris scientiam profiteris. Consultamus enim vtrum satius sit, acceptis conditionibus otium emere ab otioso nugone, & his rebus nato, an experiri iudicio. Posterior sent. mihi placebat. Noueram enim famas vanissimi Thrasonis, & sciebā illi magis dolere crumenā quam famam, hoc est, magis esse famis negotium, quam famæ. Vtrumq; componeret Sarrapæ vultum, & verba funderet sesquipedalia. Promiserat hoc proxima scytala, qua bellum denuntiabat. Reuocabitur inquiens tibi tragœdia Huttenica. Hic præter morem, non est mentitus. Prorsus eadem tragœdia est. Scis ipse, tunc miris fumis & artib. captatam prædam, posteaquam Huttenus ad sacram confugiens ancoram, ex prædone factus est Sycophāta. Athic vt agnoscas vtriusq; fabulæ artificem, vide vt dissimulat prædæ studium. Prætexit famam læsam, damnum scil. mæstimabile, præsertim tali viro, cui nihil vnq̃ prius fuit honesta fama, quum illius vita nihil sit nequius, idq; adeo non clam, vt glorietur insuper? Deinde petitur libellus dicatus glorioso ipsius nomini, mox epistolam ad Ducem, quasi dux ignoret nugonis ingenium sic ab illo delusus. Tandem homo pius curam agit pauperum, qui Friburgi degunt, vbi tam sanctē vixit, vt eo nunquā sit reuersus: tum qui Basileę, vbi multo notior est quam putat, in horum subsidium imperat trecentos florenos homo clemens. Harum summarum non postulat esse dispensator, ne quid hinc suspitionis ac maculæ aspergatur illibatissimæ famæ. Cæterum quoniam Argentorati est maxima paupertum vis, quas ipse nouit ac diligit, quorum de numero primū arbitror ipsum Henricum Epph. ducētos ducatos postulat, quos secū deferat, suoq; dispensetarbitrio. Nec tamē explicat, quos ducatos postulet, de camera, largos, in auro, in argento, an Hungaricos. homo minime morosus. Fortassis accipiet pro ducatis coronatos, mō iusti sunt pōderis. Hoc erat artis, id q̃ erat toti⁹ negotij caput, vlt. loco ponere, & rei fœdissimæ titulū plausibilem prætexuit eleemosinæ. Quis. n. nescit illi semper curā fuisse pauperū? Abnegatis litteris quas proferebat, quum certum habere ab illo probari non posse meas esse, & arbitror sic à me scriptas nō fuisse, quid egisset si prouocassem ad iudices? Et à me scriptas non esse declarabat ipsa ducis ad illū epistola, q̃ nullo pacto proferre voluit, haud dubie prolaturus si pro ipso fecisset. Iam si probasset, habebā atrociorem ἀπάντησιν denuntiato bello schedis q̃ potuit atrocissimis scriptis. Dixissem homicidis genus esse tārum terroris incutere seni, valetudinario, & natura formidoloso, deniq; laborib. fracto ene&toq;. pertim qui non ignoratē virtutem ducis & vim militum. Neq;. n. paucos audimus sic subito extinctos. Quid n. refert gladio mortē adferas an metu? Et, pbabile est illū hoc animo scripsisse tā atroces schetulas, vt aut interire, aut q̃ opinor pro sua clementia malebat, missa pecunia placarē generosum ipsius animū. Proferre poterā epistolas multorū probātę fidei virorū, in quib. suis depingitur colorib. Verū sententia hæc displicuit Beato cū primis, tū Bonifacio & Bero, qui autores erant quibuscunq; conditionib. componendū esse pacem cū loquaci, fucato & otioso nepote, qui vt nihil aliud ageret, certe regionē hanc fabulis ac rumore cōpleret. Eras. Senatui Basilien si factū reum. Tū esse non paucos, qui nihil ob

bellum

bellum cum Lutheranis gestum male velent,eamq; nunc esse temporum conditionem, vt quamuis scurra possit impune lædere , cuius vel apud Germanos mira licentia,nec defore iuuenes æq; decotores,qui ipsi in hoc negotio adessent.Hæc atq; id genus alia quum agnoscebam esse verissima,tum me potissimum monebat ratio meæ tranquillitatis.Sustinebam humeris quinq; prela, interdū septem.Moliebar nouos libellos de pronunciatione & Ciceroniano , in quibus quo res tractantur mitiores,hoc plus est difficultatis. Et hoc tēpore sub nundines maxime tumultuantur officinæ. Nec poterat hic magis suo,minus meo venire tēpore.Iam n.excudi ceperant duo libelli, de pronuncianndo &de ciceronianis exili quidem,vt diximus,argumento,sed hoc ipso difficiliore.Quid multis,impar eram negocio,etiāsi nihil omnino turbarū accessisset. Deinde cogitabam quæ tragœdiæ monchorū agerētur apud Hispanos,Theologorū apud Lutetiā,quam quā Hispanica fœliciter cessit,spero Lutetianano fœlicius successurum. Deinde miserebat amicorum,quib. ille gloriosus exhibebat negotium.Vltro citroq; cursitandum erat ad Imperatorē,parandus erat aduocatus & patronus,ambiendi fauores.Adde his animi tędium,ab huiusmodi nugis supra modū abhorrentis.Iam si vacasset,si libuisset litigare,maxima pars causæ meæ constabat suspitionibus tam multis , vt mihi rem certā facerent,tā vero per se minutis,vt iudicem non potuerint habere intentum.QuodHuttenum instigleæ,quū quotidie blandus me inuiseret.Eas tū fabulas non tam ignoraui quā contempsi.Quum huc ta post comperi,longe plura compertus,nisi nemo me talium rerum esset incuriosior.Tandem hinc metu se subduxit Huttenus.Ad quem quumEpph.subinde recurreret,alia apud illum,alia apud me loquebatur.Id crebro suspiciatus post comperi.Scripseram forte per alium quendam Hutteno Millis,quorum apud me nulla vnquam mentio facta est.Etsi Epph.id mandasses,in promptu quod duas aut tres nonnunquā horas in foro ad colloquium detineri,adeo non potui abesse hypocaustis. HæcHuttenus.AtquiHen.Epp.mihi dixerat: Huttenū ob morbū non posse ab esse ab hypocaustis. Crebro mihi respondebat illū boni consulere,quod ipsum non admitterē ad colloquiū. Atqui post quinquaginta florenos offerret,ne liber veniret in lucem,expectans quid ego offerrem.Nihil respō-

quinquaginta. Approbauit. Huiusmodi technis admonebat me officii. Tandem vt magis me terreret exhibuit librum scriptum, quem negabat se aperuisse priusquam redderet. Iussi vt recitaret. Recitauit initium. Risi, negans ibi quicquam atrox esse, quum scirem illum aliud expectare: Volebat enim atrocissimum videri. Tum ille, ast alia inquit sunt inrus, & paulo ante negaret sibi inspectum codicem. Adeo raro sibi constant qui fingunt. Coierant inter amicitiam συναποθνησκόντων, & vterque debebat plurimum, nec habebat obolum, Huttenus etiam criminibus onerabatur, multis suspitionibus premebatur Epph. Ad tales amicos accessit hæc causa. Monueram amicos ne darent assem mea causa. Iam enim liber per multorum manus vagabatur, & post numeratam pecuniam erat illis in manu ridere nos. Hinc stomachus illorum in me, quia fefellit præda. Tot interceſſere coniecturæ, multo plures etiam fuere, quam ego referre queam. Omitto enim voces sycophanticas, quas apud alios effutire solet. Iam si quis legat Huttonicas ad me Epistolas, quas per Epphendorpium misit, nihil spirant nisi prædam. Quum tandem sentiret Epph. se magis ac magis grauari suspicione. Iam enim multis obolebat fucus, Tigurum accurrit ad Huttenum & rettulit epistolas .., quæ valde diligenter testabatur, libellum nunquam exiturum fuisse, si Epph. paruisset consiliis. Et adeo nullum mihi esse nasum putabat, vt has technas non olfacerem. Tam diligens excusatio, quid aliud erat quam accusatio? Concessit Argentoratum, prius apud me testatus, quod esset nobilis. Nec prius excudi cœpit liber Huttenicus quam ille eo commigrasset, & qui illinc huc veniebant, affirmabant librum ipso castigatore excusum, vbi vidit ilico prodisse Spongiam, & hoc rete nihil traxisse, subornauit Othonem: ac ne qua in ipsum caderet suspicio, curauit vt asscriberet inscio Epph. libellum esse æditum. Curauit vt prædicaretur vobis eques: quam ad rem abusus est & Loniceri ingenio, quem post sui facti pœnituit: Hæc eo procurabat, quod in Germania nihil non licet Equitibus, & à multis etiam formidentur, adeo vt creditores putent prædure secum agi, si non petant maiorem pecuniæ summam, hoc est, si non amplius spolientur mutui nomine. Ad hæc habeo multorum epistolas illum suis osoribus depingentes, quas tamen honoris ipsius causa nec amicissimis vnquam communicaui. Petrus Mosellanus obiurgat me, quod in Spongia faciem eum nobilem, quum constet esse plebeium. Emserus scripsit illius patruum aut patrem fuisse cauponem ceruisiarium in vico, vnde sibi nomen vsurpat, matrem fuisse parum secundæ famæ: eiusdem farinæ sorores esse, ipsum Duci esse inuisissimum. Ad hæc multi narrant illius sororem in delitiis esse cuidam Card. Narrant & ipsum mutuo amore hærere diuet sorii in quo versatur dominæ, & hinc accedere partem impendiorum. Neque enim desunt qui suspicentur, illi non deesse manus, si quid incustoditum obtigerit. Hæc vera an falsa sint, mea nihil refert. Illud demiror, ac mecum alii complures, quod his iam annos ferme 8. agit ociosus, nec vnquam inuisit suam patriam, ac Ducem bene meritum, quum iter sit non admodum prolixum. Obiecit mihi quod meis litteris fuerit in periculo, ne dux reuerso in patriam amputaret caput. Hoc odium ex aliis causis dux conceperit oportet, quando nec in illis litteris, quas mihi recitabat, erat aliquid morte dignum. Pessime sentit de principe, si tantum ab eo periculum timet homo simplex & innocens. Stomachabatur quod insimulassem ipsum Lutheranissimi, quum & hodie profiteatur se propugnatorem Hutteni, qui Ecclesiæ Lutheranæ protector est præcipuus, ne id dissimulabat, quum viueret Huttenus, nobis glorianter denarrans quibus periculis eum fugientem huc atque illuc deduxisset. Ego sane nunquam suspicatus sum, illum quicquam de Euangelica fide cogitasse, aliud agit, offenditur insimulatione vanitatis, quum tot insignia mendacia protulerit in vno colloquio, nec erubuit ea confirmare, coram quibus contraria mihi dixerat ipse. Vsque adeo nihil habet frontis. Habeo epistolam ipsius manu scripram ad Othonem Equitem ducis Saxoniæ, in qua iactat se Epph. soluere debita Hutteni, & illius causa periclitatum, ne conijceretur in carcerem. Summam enim excedere centum quinquaginta florenos, quasi ille vnquam pilum pro Hutteno soluerit vel soluturum spoponderit. Ille scilicet dissoluet æs alienum ab altero conflatum, qui quod ipse contraxit, non potest dissoluere? in eadem scribit, se hactenus omnes conatus, omnia studia sua huc contulisse, vt & principi & patriæ possit esse tum vsui, tum ornamento. Quid hac vanitate impudentius? Et similia non veretur scribere cordatissimo Principi, oportet illum Othonem esse sanctissimum virum, cui in iisdem litteris committit & vitam & famam suam: Illud satis ingenioſe, quod ad hanc fabulam semper adhibuit viros huius ciuitatis probissimos, Beatum, Bonifacium & Ludouicum Berum, quibus scit meam existimationem chariorem esse quam mihi. Probiores autem sunt, quam vt illis persuaderi posset, esse mortales vllos tanta malitia. Ipse vix tandem sensi, quamquam alias cum talibus impostoribus conflictatus, cum quibus mihi à puero fatale dissidium fuit: priusquam scirem quid esset mentiri aut imponere, arcano quodam naturæ sensu execrabar, hoc pestium genus, eosque vicissim infensissimos habui. Neque enim vlla causa à me, porrecta est, vt in me esset iniquiore animo. Fui illi sedulus monitor. Frequenter illum duci ac magnatibus commendaui olim Louanii, semel hic ex mea commendatione recepit florenos quinquaginta. Id perscripsit Petrus Mosellanus. Ingessit se in intimam familiaritatem, ac pene quotidie duabus horis à prandio, quibus feriæ dabantur à chartis & alea mecum fabulabatur. Adducebat ad me quoscunque volebat, & inter ceteros quendam veste coriacea, quem mihi persuaserat esse nobilem,

lem, quum mox compertum sit, illum fuisse coquum cuiusdam magnatis ruri: & paulo post fugit è diuersorio furatus equos aliquot. Talem affabulonem adduxit mihi, quum is nesciret latine. Sed vrgebat hominem inopia non odium. Adde leuitatem ad stultitiam malitiæ parem. Dabo speciemen: Orauerat me pridem, vt se commendarem duci. Scripseram in scheda laudes illius præpostoras, iuuenem esse mire sobrium, nunquam potare, nihil esse negotii cum chartis & alea, nihil cum scortis, nusquam videri in foro, nec in diuersorio, sed aut in templis orantem, aut in museo studentem, vnum tantum in eo metuendum, ne studio immodico parum consuleret valetudini suæ. Misit joco famulum ad illum scheda, si placeret ea commendatio, putans illum risurum ironiam, probabat serio, vno excepto, de periculo valetudinis. Hinc æstima hominis prudentiam. Accipe aliud æque ridiculum. In thrasonico illo colloquio, quum recitasset ex epistola, quod multis esset obæratus, vultu in me detorto. Quid inquit an tu putas infame debere? Infames igitur sunt maximi quique reges ac principes. Quid vllus Thraso possit magis thrasonice? Bene est; habet Epph. aliquid commune cum Cæsaribus & regibus. Credo futurum vt exemplo regum indicat etiam bellum iis quibus irascitur, & confiscet bona, & in exilium agat. Et hoc dicto sibi mire placet, adeo frequenter & apud alios habet in ore. Verum illud interrogat bonos viros, an honorificum sit, inuenem nullo aut tenui censu, nulla nobilitate, tantum pecuniarum nequiter profundere, nec interim pili facere voces hominum demirantium, vnde illi scateat in voluptates tanta nummorum vis, nec interim resoluere quibus debet? Iam si quis harum rerum σπωσὰ φροντὶς efficiat, quid boni rei ponerit de illo ominari? Frons nulla, lingua vana, otii dulcedo, luxus & libidinis intemperantia, animus contemnens bonorum tacita iudicia populique voces, cum perditissimo quoque intima familiaritas, commoratio tot annorum extra patriam, morum summa leuitas, fastus plusquam Thrasonicus, famuli suspecti, sursum ac deorsum cursitantes, tanta profusio, quum non appareat, vnde suppetitentur hæc, quem non reddant suspectum in ciuitate benemerata: Sed eligit eas ciuitates, in quibus est summa licentia. Hoc nomine placuit Basilea, sed magis Argentoratum, viuat ad istum modum Norimbergæ aut in sua patria, & audiet quæ non vult. Sunt alia huius generis argumenta innumera, verum qui sunt iudices tam ocioti, qui hæc patienter audire possent? Nec arbitror illum vnquam iturum ad iudices, sed interim in foro, in diuersorio concionabitur, quemadmodum nunc facit. Nusquam enim adest & pudet nihil. Plura scripturus eram ad te, sed hic nuncius parum erat certus. Venerat è Burgundia, Hollandus mihi visus est erro, tamen affirmat: se velle isthuc proficisci, & pecuniam credidi & has litteras. Quæ si perlatæ erunt, fac huc aduolet quam primum. Vereor enim ne compromissariorum autoritas parum sit valitura: attamen periclitabimur. Bene vale

Datum Basileæ Pridie Purificationis, Anno à Christo nato M. D. XXVIII.

Traduxit me non modo apud principem, cui licet vitæ & necis vis in me esse videtur, sed etiam apud plures priuatos, illius causa fama periclitamur, quam necessum est resarciat, quod per epistolam vnam atque alteram vix fieri poterit, sed opus erit inscriptione cuiusdam libelli, vbi pro sua prudentia rem illam temperet, vt sit præter suam infamiam; nec Lectori relinquat, quid de suspitionis inscriptione, alioqui homini non tantopere ambio. Principi scribat autem in aulam vbi epistolam suam sparsam scio, atque veteri de me expectationi de integro restituat, litteris tamen prius à me lectis, ne per obliqua & aliqua sua magis deprimer quam seruer.

Quod vero innocentē me sic conatus est perdere, & historiam de me contexuit, vt Friburgi concitato tumultu coactus sim discedere, quum diuersum & vrbs sciat, & testes vitæ probe illic actæ esse possunt vniuersi ciues. Pro læsa innocentia ibidem centum elargiatur ducatos. Itidem in hac vrbe faciat, ducentos vero in Argentoratos, quos ipse feram, & pro meo arbitrio egenis dispensaturus sum: Hæc omnia pro impetrita & simplicitate & innocentia.

Damna læsæ famæ, etsi maiora sunt, quam quæ æstimare possunt, tam ob vetera in me merita, tam pietate ductus, condono lubens, si priora recipit.

Quod si recusat Erasmus, vita sciat me potius periclitarum quam fama.

Hæc quæ præcedunt scripserat Epph. sua manu.

Hæc respondit Erasmus.

Epistolam quam prælegit non agnosco. Nec arbitror me scripsisse talia, nec exemplar in meis schedis reperio. Et Epistolam ducis si proferat, testabitur me talia non scripsisse. Tantum admonui ducem, vt illum ad honestam functionem ab ocio reuocaret, aut certe mihi quietem ab illo impetraret. De inscriptione libelli, si videro animum illius factum amicum, non grauabor, maiora facturus amicitiæ nomine.

Quam sit illi princeps iratus nescio, aut quas irarum causas habeat mihi non constat. Habebat Epph. Emserium hostem capitalem apud principem. Si ex mea querela princeps factus alienior est, non grauabor hoc meis litteris ciuiliter scriptis mitigare, quatenus licet cum tantis ptincipib. agere.

De eleemosynis ipse curabo quum mihi Deus in mentem miserit. Nec mea refert, quomodo hic aut Friburgi vixerit. Quo sanctius vixit, hoc magis gaudeo. De aureis quos postulat sibi dari præstat

præstat sileri, ne videtur ob hanc causam intendisse calumniam. Agat amice & desinat populum in me concitare, non patiar me vinci ciuitate. Vberius illi prodesse possum officiis, quam si dem ducentos aureos.

Hæc inquam respondit Erasmus sua manu.

Sequitur sententia arbitrorum.

QVoniam ex consensu vtriusque nobis ius fecistis dissidii inter vos amice componendi, visum est nobis vt D. Erasmus ad euitandum molestiam & alendam Christianam concordiam, præstet duos articulos sicut scripto recepit. Pro tertio eodem animo non grauabitur in subsidium paupertum dare florenos circiter XX. nostro arbitrio dispensandos. Et hæc facienda censemus citra notam alterutrius, tantum vt vtrimque offensis, querelis, ac suspitionibus abolitis, de integro certamen inter vos sit beneuolentiæ cum obliuione præteritorum omnium, perinde quasi nihil esset aut dictum aut factum, D. Hen. Epph. premat si quid scripsit, & vtrique liberum relinquimus, an vicissim aliquo beneuolentiæ symbolo, an potius mutuo animo contenti esse velint. Actum Basileæ postridie Purificationis Anno M. D. XXVIII.

B. Rhenanus & B. Amerbachius &c.

ERASMI EPISTOLA CONTRA RVMORES AD PIRCKHEIMERVM.

QVi tandem obsecro sunt isti, male linguaces, qui vt scribis per omnem pene Germaniam spargere, me modis atrocibus tractatum ab Hen. Epph. fœdisque conditionibus cum illo rediisse in gratiam? Quod etiamsi ex parte verum esset, quid est hic quod gestiant, quod exultent, quod triumphent ii qui se titulo Euangelii venditant, qui nusquam non præfantur pacem & gratiam: Fingant me lesisse Epph. fingant ab illo lesum, fingant vtrumque ab altero lesum, denique fingant nihil intercessisse offensarum, suspitionibus humanis ac sycophantarum delationibus diremptam amicitiam, Vtrum hic insultare mihi par est, an potius vtrique resarta concordia gratulari? Vbi hic est ille spiritus Euangelicus, qui semper illis natat in labiis, qui pingitur in epistolis? Vbi Christiana charitas, quæ nullius gaudet malo? Sed applaudunt Epph. victoriæ. Erant qui Huttenicæ temeritati plausum darent, nec immerito, si successum habuisset audacia. Profitebatur enim sese veritatis Euangelicæ propugnatorem, quum nemo magis offecerit istorum Euangelio. Cum Epph. vero quid istis tandem est rei? An credunt illum in Hutteni locum successisse? An id fecerit nescio, profiteri non arbitror. Etsi profiteretur, quid quæ causa facit ad veritatem Euangelicam? At sine causa malis alienis delectari ferinæ cuiusdam malitiæ, tantum abest vt sit Euangelicus spiritus. Nunc aperiam quam frustra semet ista voluptate titillarint. Non hic refricabo causam, quæ inter nos versabatur, ne quam stipulatisumus præteritarum offensarum ac suspitionum obliuionum oblitus videar. Illud tamen dicam mea in ipsum merita nec ipsum Epph. inficiari. Ceterum nihil esse in quo illi præstiterim animum minus amicum quam innumeris argumentis declararit, hostilem in me animum, vt quam ille iustam habuit causam mihi gratias agendi, tam ego iustam haberem causam expostulandi cum illo, si contendere vel libuisset vel vacasset. Sed vt inquit Paulus. *Seruum domini non oportet litigare*, & si non id prohiberet pietas, expertus sum quam bene tolerantia redimitur animi tranquillitas, Sed mea in illum merita non commemoro: Quid illum offenderet dicam. Scripseram semel atque iterum Duci Georgio, vt iuuenem alioqui bonis naturæ dotibus præditum, ab ocio vitaque voluptaria, quam tot annis agit, ad functionem aliquam honestam auocaret. Atque huc & præsens dictis & absens litteris ipsum aliquoties sum hortatus? Quod consilium si sequutus esset, iam fortasse pro famulis gloriolarum, quibus apud leues iuuenes nunc ludit, nec raro eluditur, apud principes viros & homines eruditos solidam veramque gloriam obtineret. Et in eam rem pollicitus sum operam meam. Audiebam quotidie voces ac susurros hominum. Quur hic tot annis hæret, nec reuisit suos? Quid rerum gerit? Vnde suppetit illi res tantis impendiis? Vnde illius stemmata? Vbi habet arces suas? Cur eas deserit? Quid illi cum Hutteno; cui ob manifesta facinora nullus iam locus erat tutus? Qui dissoluet æs alienum quod nusquam non contrahit? Hæc aliaque multa, quæ nunc referre non libet, occinebantur à cordatis, etiam ab his qui videbantur illi vehementer amici. Et interim non desinebant meis studiis facessere negotium, subinde schedas extrema minitantes huc mittens. Appellaui Ducis prudentiam, quæ simul & illius saluti & meæ quieti consuleret, meo quidem commodo, sed Epph. maiore bono. Hoc animo quid esse potest amicius? An non idem frater pro fratre, pater scriberet pro filio? Hoc quod factum sciebam, non sum inficiatus, epistolam quam proferebat, quoniam nesciebam nolui agnoscere. Erat barbarica descripta manu, sine consule, vt aiunt, ac die: nullam habebat subscriptionem, nullum symbolum. Fieri potuit vt aliquis eam finxit: fieri potuit vt aliquis ea, quæ voluit admiscuerit. Quid me stultius si talem Epistolam quam volebat ante complures annos esse scriptam, agnouissem? Nisi forte putant me memoria

tenere

tenere, quicquid vnquam scripserim, quum præter libros, interdum vno die quadraginta scribam epistolas, quarum vix vllam relego. Quamquam illius etiam hæc summa fuit, vt dux iuuenem pertraheret ad aliquod honestum munus, in quo omissis voluptatibus, ingenii sui dotes exerceret. At qui hæc erat summa Epph. querimoniæ. Finge hoc à me factum acerbius, certe scopus erat, vt ille ab ocio vitaque multorum fabulis obnoxia reuocaretur ad opes ac dignitatem. At mihi suppetebant multa alia querimoniarum argumenta, quæ malo premere, quam vllam rescindendæ concordiæ materiam præbere. Iam non immitis eram hostis. Agnoscere de quo dubites, extremæ stultitiæ est. Fauere sic minitanti aduersus te ipsum summæ dementiæ est. Iam si protulisset epistolam: quæ manus meæ similitudinem præse ferret, nisi mihi constitisset à me scriptam, stultum fuisset protinus agnoscere, quo lædereris, sunt in hoc quidam excercitati, vt manu exprimant alienam, tanta similitudine, vt nec is qui luditur possit deprehendere. Fecit hoc animi gratia Alexander Archiepiscopus D. Andreæ, filius Iacobi quodam Scotiæ regis, eius qui nunc regnat frater, ostendit mihi codicem quendam typis excussum, quem certo sciebam nunquam à me lectum, multa annotaret in spaciis marginariis, protinus agnoui manum meam. Rogo vnde nactus sit eum librum. Agnosco inquam figuras meas, verum Codicem hunc nec legi vnquam nec habui. Ille contra locutus olim, sed excidit, alioqui vnde hæc tua scriptura, Tandem cum risu fassus est dolum. Ac pridem is qui Argentorati dissectus est infœlix, non ignotus Epph. quas tragœdias excitat multorum manus effingens? Nonne D. Hieronymum olim æmuli conati sunt fictis litteris, vetare quod tale quiddam ab Epph. factum videri velim, sed quod ab alio fieri potuerit. Itaque quum nec ego litteras agnoscerem, nec ille posset vllo argumento conuincere, nihil illi restabat, quod de me quereretur, mihi potius erat quod de illo quererer, qui vlla de causa non solum atrociter expostularet. Verum etiam leges ac tribunalia minaretur. Ad hæc fingamus ea omnia à me scripta quæ recitabat, non negaui me scripsisse, sed negaui me agnoscere: & si negassem eam epistolam à me scriptam quam ostendebat, nihil mentitus fuissem. Non enim erat manus mea. Hic subclamabitur, dolus malus. Imo dolus bonus est, quoties scopo bono fallitur, qui falli dignus est. Sic Medicus fallit ægrotum: Sic Christus interdum fefellit Iudæos, quia merebantur, sic apostolos quia expetebat. Hæc tamen ex superfluo mihi dicuntur. Certe principis epistola, qua iussit Hen. Epph. à me impetrando quiescere, docebat, me talia non scripsisse, qualia habebat illius epistola. Illud ingenue citra illius contumeliam fateri possum, præter amicitiam quæ Christianorum inter ipsos omnium debet esse communis, nihil esse rei, quur Hen. Epph. visum aut auditum velim. Nam interius illud & sanctius amicitiæ genus, quam inter bonos conciliat studiorum similitudo, nunquam mihi cum illo intercessit, & si intercederet, facile renunciaturus sim. Non quod obsistere studeam, quo minus illum quilibet tanti faciat, quanti ipse haberi postulat, sed quod seni longe aliud agenti, tam iuueniliter amantis amicitia nec vsui possit esse nec honori. Huius concordię caput erat, ne obturbaret, ne maledicentia læderet, quod cuiuis etiam scurræ in manu est. Sed ille inquiunt præscripsit conditiones, tu accepisti. Accepi conditiones, fateor. Sed culpam non agnoui: itaque pacis amore superior fui, non causa inferior. An non suadet nobis Euangelium, vt cum aduersario controuersiam finiamus, priusquam veniamus ad iudices. Non statim inferior est, qui leges accipit. Nam boni viri sæpe malunt improbo litigatori causam cedere, quam experiri legibus, neque raro numerant turpi sycophantæ, quietem pecunia redimentes. Res preciosa est tranquillitas. Hanc paruo comparauit qui pecunia redemit. Quid quod viator interdum à piratis, latronibus, ac ficariis conditiones accipit & gratias agit: Sic ocium redimerem, à Leone, à scurra, ab ebrio, à furioso, denique à Turca. Quid quod à molesto cane non nunquam obiecto osse quietem emimus, etiamsi confabulantibus oblatret, tantum mordendi impotens? Hæc in Epph. dicta videri nolim, sed in istos qui talia iactitant, dum me lædere student, amasium suũ denobilitant. Postremo si extorsisset à me bonam pecuniæ summam, nemo prudens, cui nostrum vterq; fuisset notus, aliud suspicaturus erat, quã me rẽ charissimam viliore redemisse. Siquidem ocium, quod mihi semper charum ac dulce fuit, tum multis variisq; laboribus distento, sic erat necessarium etiam, vt nunquã magis. Ego adhuc vsq; diem nec in ius vocaui quemquam nec à quoquam, postulatus sum. Et adeo nihil est ocii, vt ægre tuear vitam in his laboribus, quos publicis studiis iuuandis perfero. Et Germanice litigandum erat, vtique per aduocatos. Quem autem amicum sustinuissem tali onerare negotio? Adde quod rebus humanis ad hunc modum exulceratis nullum animal tam vile est, tam abiectum, tam nihili, quod non posset cuiuis bono viro negocium facessere. Id itaque delectum est, quod & nobis & amicis erat commodius, quoq; Christianis dignius. Hæc dicere potueram, etiamsi leges mihi graues accepissem. Nunc qui habent iustæ conditiones quur debuerit per ambasios ac veredarios circumferri? Neq; enim animum possum inducere; Epph. vel tam nullius esse fidei, vt post iunctas dexteras, post pactam omnium offensarum ac suspitionum perpetuam obliuionem, post susceptum certamen officiorum & beneuolentiæ, post commune poculum ac φιλοτησίαν, post mensam hospitalem, hæc protulerit in meam ignominiam, vel tam stultum, vt existimet tales præscriptiones iactandas, ex quib.

homines

homines cordati facile colligerent opinionem de homine siniſtram, qui ventilet præfationem cuius liber non extet. Nam quæ hic ſparſerat Epph. ſe adegiſſe me ad conditiones, ad quos ipſe nollet pro multis aureorum milibus deſcendere, ſic interpretor, ante ſartam concordiam eſſe factum, quamquam & illam vocem complures, qui propius nouerunt hominem exceperunt cum riſu. Non poſſum igitur mihi perſuadere, hæc opera Epph. fieri, niſi mihi prius perſuaſero, eum hominem eſſe inſigniter perfidum, nec minus ſtultum quam malitioſum. Quod abſit vt deì illo ſentiam, niſi ipſe fidem fecerit, quod abſit vt faciat. In his igitur qui ſpargunt, non ſolum Chriſtianam mentem, ſed omnino prudentiam deſidero, qui dum hæc faciunt, plus labis aſpergunt Epph. nomini quam meo. Exigit enim hocà me fœdus amicitiæ, vt illius famam æque ac meam tuear. Quid enim dicent homines cordati, quum in primo ſtatim articulo legent hæc verba, apud Principem, cui ius vitæ ac neis in me eſſe videtur? An aliquid commiſit morte plectendum? Ne illa quidem epiſtola quam proferebat tale quicquam habebat. Quid autem veniet in mentem, qui vitam illius vt demus immunem à ſcelere, certe quod nec ipſe diſſimulat, ocioſam ac voluptuariam nouerunt? Et hic poſtulat meis curati ſcriptis, ne quid ſiniſtræ ſuſpitionis de ipſo naſcatur. In ſecundo articulo petit, vt litteris meis de integro veteri apud principem expectationi reſtituatur. Quid hic dicent naſuti? Num ego noui quid princeps ab ipſo expectet, niſi quod ab ipſo cognoui, principem in hoc iuuiſſe ſtudia illius, vt abſolutus ſcientia iuris aut profiteretur Lypſiæ, aut aliquo munere fungeretur. Iam conſtat principem illi fuiſſe infenſum, etiam tum quum illum meis litteris commendarem, & mihi quoque ſubiratum, quod illum ſic viuentem tam magnifice prædicaſſem. Nec mihi ſi maxime velim in manu eſt, illum de integro reſtituere, niſi ea præſtat, quæ princeps expectabat. Quid autem expecter, facile conjectandum eſt. Hoc ipſum ſi præſtet, non eſt noſtrum defuturum officium. At quomodo poſtulat, vt ipſum reſtituam in priſtinam principis gratiam, quum hanc ipſam tragœdiam mouerit in me contra principis litteras? Nam ille vetuit ne mihi negotium exhiberet, hic perinde quaſi iuſſiſſet, orſus eſt tragœdiam. De tertio quid ſuſpicaturi ſunt qui naſum habent? Ducentorum ducatorum ipſe poſtulat eſſe diſpenſator, & hoc poſtremo loco poſitum ſuſpicabuntur eſſe totius cauſæ caput. Notum eſt illum ſumptuoſe viuere, non pauca debere, nec prorſus ignorantur illius reditus. Quorſum attinebat hanc ſuſpicandi anſam præbere multis, præſertim quum, vt dixi, ſæpe voces audiam rogantium: vnde ſuppetat Epph. pecunia quam profundit? Nec illa fortaſſis ſine roncho legent quidam, quod homo tam licenter viuès tam de fama ſollicitus eſt, vt vita ſit citius periclitaturus, quam paſſurus illam contaminari, quod toties prædicat ſimplicatem & innocentiam ſuam. Si vero fauent Epph. prudentiam, in eis deſidero qui diſſe minant. Si non fauent, deſidero Chriſtianam Charitatem. Lædere nihil commeritum malitiæ eſt, lædere cui ſtudes prodeſſe, non vulgaris eſt ſtultitiæ. Iam hoc quoque nomine prudentiam in iſtis deſidero, qui iactant illiuis poſtulationes, quaſi non ſoleat iniquum peti, vt æquum impetretur: aut quaſi non liceat cuiuis quiduis à quouis petere. Nihil refert quid ille poſtularet, ſed quid ego receperim, & quid arbitri præſcripſerint: Nam arbitrii bona pars ex meo pendet reſponſo. Primum epiſtolam non agnoſco. Hic protinus ille non habet quod poſtulet, ego habeo quod expoſtulem, qui mecum litiget, quum ipſe dux ad eum ſcripſerit, me talia non ſcripſiſſe qualia obiiciebat, ſed id tantum, quod ego me ſcripſiſſe non nego. Quod ſi ex illis litteris meis ſparſis in aula male audit, Duci imputet, aut Othoni Equiti qui cum ipſo neceſſitudinem arctiſſimam ipſorum litteræ teſtatur. Nam huius opera factum audio, quod epiſtola venerit ad manus multorum. Quanquam hoc agunt iſti, ne quisquam hoc neſciat. His iuſtius indigneturquam mihi, qui epiſtolam obſignatam vni miſi. Porro libellum quomodo promitto? Non quod agnoſcam culpam, ſed amicitiæ nomine, ſi ſenſero illum poſuiſſe hoſtilem animum & induiſſe amicum. Eius rei nec verbis, nec vno die mihi poterit fieri fides, quum diuinæ quoque litteræ, quæ probant reconciliationem, admoneant ne ſecuri ſimus ab amico reconliato. Nec alia ratione præſcribit arbitrium de libello, quam ego recepi. Citat enim meum reſcriptum. Atqui libello dicando nullum eſt præſcriptum tempus. Nec enim mihi vacat ſemper, & ſunt quibus hoc officium iam annis aliquot debeo, nec quoduis argumentum conuenit Epph. De reconciliando principis animo quid polliceor? Si princeps meis ſcriptis factus eſt ab illo alienior. Nam quod ille iactabat eſſe periculum, ne Princeps reuerſo in patriam amputaret caput, vt demus non eſſe conuictum, certum eſt ex meis litteris ortum non eſſe. Nec ego principem quicquam noui docui. Non ignorabat quomodo viueret Epph. tantum oſtendi viam, qua poſſit ingenio iuuenis mederi. Nec promiſi niſi litteras ciuiliter ſcriptas: nec hoc contentus addidi, quatenus licet cum tantis principibus agere. Nam ſi magnifice prædicaſſem Epph. Princeps non ignarus rerum, quas fortaſſe nec ipſe ſcio, crederet ſe mihi eſſe ludibrio. De eleemoſinis nil pollicitus ſum reſcripto. Habes poſtulata & reſponſa, nunc arbitrium vide. In arbitros compromiſſio facta eſt, in quibus ille nec excepit quicquam, nec potuit excipere. In arbitrio præfantur ſibi ius datum diſſidii amice componendi: præfantur ea quæ præſcribunt, non præſcribo mihi, niſi ad euitandam moleſtiam & alendam Chriſtianam concordiam. Nec aliter præſcribunt duos primos articulos quam ſcripto recepi. Scriptum extat quod me refellat, ſi quid mentior. De tertio articulo quid præſcribunt? Eodem inquiunt animo non grauabitur. Quid eſt eodem animo?

animo? Nimirum ad euitandam molestiam. Nec his contenti addunt, citra notam alterutrius. An hic non satis declarant viris cordatis, quo consilio res sit acta? Quid est igitur quod isti gloriantur, Erasmum atrociter tractatum? Et vbi sunt illæ terribiles conditiones, ad quas Henricus Epphendorpius noluisset pro multis aureorum milibus descendere? Quid quod pecuniæ dandæ nullum tempus præscriptum est, & remitti poterat ab arbitris, quamquam quid opus remitti, quum ego mea sponte plura dem interdum paucis diebus, quam ibi præscriptum est. Et à me maiorem summam tribus verbis amice dictis impetrasset Epphendorpius. Rursus vbi præscribunt obliuionem offensarum, querelarum ac suspitionum vtrinque, nonne pares nos faciunt in causa. Quid igitur hic est, quod isti iactent, quo nomen Euangeij iactant? An quod gratis meas offensas condonaui? Hoc pietatis laudem mereatur. An quod per arbitros rem transigi malui, quam occupatissimus, linguæ ignarus, rudis fori, cum homine ociosissimo nec elingui litigare? Hoc erat prudentiæ tribuendum. Verum vtcunque hæc habet, si fauent Epph. quod Hutteni causam persequitur, hæc in bene merentis gratiam cum primis erant premenda. Nec enim deerunt, qui suspicentur, immo non desunt qui prædicent hos rumores Hen. Epph. opera spargi iactarique. Siquidem illud constat, famulum illius, protinus cum litteris in Saxoniam ablegatum fuisse. Quod si verum esset, quæ rogo Pœnorum perfidia, quæ Cecropum malitia possit cum hac comparari? Bene meritus fuerim de illo, nihil exprobo, habeam grauissimas expostulandi causas? amore quietes & concordiæ accepi conditiones. Nec enim mihi Epphend. amicitia vsquam est opus, nec est vt iam dixi quur illum visum aut auditum velim, nisi me mouerat studiorum amor & Christianæ concordiæ.

Res acta est præsentibus testibus, viris grauissimis, Ludouico Bero, & Henrico Glareano. Arbitri datis dextris, stipulati sunt obsequium. Promisimus vtrique. Pronunciatum est descripto arbitrium. Comprobatum est ab vtroque, primum voce, mox etiam subscriptione. In signum amicitiæ porrectum panem altrinsecus fregimus, mox ex eodem bibimus poculo, quod Georgius Dux dono miserat, Rursus stipulatus sum perpetuam amicitiam: asseuerauit Epphen. fore perpetuam. Datæ sunt dextræ rursus. Postridie omnes accepi cœna. Nihil omisi quod erat viri obliti omnium offensarum. Dicas satis religionis adhibitum, etiamsi fuisset occisus homo, post cœnam Epphen. cœpit efflagitare epistolas ad ducem, in postridianum mane. Quamquam illi suo scripto mihi liberum fecerat vel Duci scribere vel in Aulam: nec erat præscriptum tempus, tamen quoniam instabat, ne dissiliret gratia, priusquam satis coiisset, supra quam debui sum obsequutus. Flagitabat & præfationem. Id non solum erat iniquum, verum etiam ineptum, quum liber nondum esset natus. Ægre quidem illud, sed tamen hortantibus arbitris vel rogantibus potius, & sum hic obsequutus. In Epistolam inseruí locum ipsius arbitrio, nec illud erat pacti me ex illius arbitrio scribere. Flagitauit & aliud quiddam, quod arbitri mihi non sunt ausi proponere, nec à me dicetur in præsenti, ne & hoc iactent cum illius dedecore. Post hæc ita gesta si Epphendorpius curasset fabulam per Germaniam spargendam, quid dici potest sceleratius aut perfidius si rem spectes? Aut quid stultius si grauium virorum spectes iudicium? Quid enim cogitabunt homines cordati, quum audient iactari præfationem, cuius nullus est liber? An dux Georgius adeo stultus creditur, vt non intelligat ex epistola me quietem ab ocioso re demisse? Iam insignem perfidiam, tantam malitiam, tantam stultitiam ne tum quidem Epphendorpio tribuebam, quum illi irascebar: tantum abest vt nunc illi tribuam post fœdus initum. Sed quo magis illum libero, hoc magis eos grauo, quorum arte hæc procurantur. Ille se læsum putabat. Isti nunquam à me læsi sunt, nisi lædere est, quod nolo profiteri, quæ mihi non possum persuadere. Etiam de præteritis hoc æquior sum Epphendorpio, quod multis argumentis colligo, illum quod fecit aliorum instinctu fecisse. Neque me latent huius artificis machinæ, quamquam mire se credunt omnes fallere. Iidem instigarunt miserandum Huttenum, vt in me styli mucronem stringeret. Iidem impulerunt Othonem. Sic inquiunt eleuabimus autoritatem Erasmi. O consilia Euangelica. Fingite Erasmi autoritatem apud omnes extinctum, quæ iam nunc vel nulla est vel quam minima, continuo ne vos eritis dii? Quanto rectius vestram autoritatem muniretis, non per calumniam infamandis aliis, sed moribus Euangelio dignis, quos mundus in vobis iam pridem desiderat. Istiusmodi technis nil agetur, & si stultis imponatur ad tempus, erumpet quando fucis proditis veritas. Turcæ non magis officiunt Euangelico negotio, quam istis seditiosis, corruptis, minimeque Euangelicis moribus. Per istos non solum non reparatur Euangelica libertas, sed conduplicatur seruitus. Per quos enim inuecta est dura seruitus, nisi per homines intractabiles & nulli quamuis bene monenti morigeros, per quos inducta est tyrannis, nisi per ciues, nec legibus æquissimis obtemperantes? Si quid sanæ mentis est Luthero, & si qui sunt alii quibus hoc negotii curæ est, nullos magis odisse par est, quam istos tumultuarios & prorsus ἀνόμους, quos nec Episcopi, nec principes, nec magistratus, nec vlla respublica ferre possit. Hanc istorum iactationem mox excepit alius rumor. Iactabant Hen. Epphendorpium mihi dictis ac

litteris obiicere perfidiam, qui libellum promissum non præstiterim. Quid ille dixerit aut fecerit alii viderint, certe ad me nulla peruenit littera. Quid autem poterat in illum fingi probo viro indignius? sub nundinas ictum est fœdus, protinus à Pascha iactatum est de perfidia, quasi libros, vt mucum è narribus emungeremus. Sed demus annum præteriisse, fortasse poterat amice expostulare, perfidiæ crimen impingere qui potuit, quum nullus esset præscriptus dies, qui si ex æquo & bono præscribendus erat, iudicum arbitrio fuerat præscribendus. Sed demus fuisse præscriptum, an continuo perfidiæ reus est, qui promissum ante diem constitutum non præstat? Ita perfidiæ tenebitur qui creditori pecuniam non reddit ad diem præscriptum? Qui commodatum non reddit ad tempus designatum? Tenebitur faber & vestiarius, qui ad diem promissum non absoluit opus, itaque perfidiis plena erunt omnia. Si in contractibus ciuilibus locum habet excusatio, si non licuit, si commode non potuit, quanto magis valere debebat in hoc negotio, quod amicitiæ legibus peragitur? Rursus donemus fuisse præscriptum diem, non erat simplex promissum, sed additæ sunt duæ conditiones, amicitiæ nomine, & si compertum haberem, illum mihi ex animo factum amicum, iam vt vana sint quæ iactat rumor, illum frequenter totis conuitiis in meum nomen destomachare, scriptum in mé nescio quod famosum hospitibus recitare, litteras nihilominus hostiles quam antea scribere, quod specimen dedit, vnde certum habeam illum mihi ex animo factum amicum? Per quem iussit saluere? Apud quem amantet de me loquutus est? Atqui his officiis nihil est vulgatius, nec ex huiusmodi possis habere perspectam hominis in te beneuolentiam, quam nisi certis declararit argumentis, ne debetur quidem libellus. Tametsi non illud actum est per arbitros, vt ille sic à me libellum exigeret, quemadmodum miles pactam pecuniam exigit à rusticis, incensurus horrea ni statim numeretur, sed vt sartæ iam & coalescentis amicitiæ hoc aduersus calumnias hominum quasi testimonium esset. Id autem officiis ambiendum erat potius quam conuiciis efflagitandum. Vides quam nihil est in quo mea fides possit desiderari, qui tam multa præstiterim vltra præscriptũ arbitrii. Primum exegit, idq; nec ciuiliter nec amice, vt ipsi Duci scriberem, quũ ipsius postulatio mihi liberum faciat, Vtrũ vellem ad Principẽ, aut alteri cuipiam ex aulicis scribere, hoc extorsit vltra præscriptum. Deinde quũ litteras eas non aliter pollicitus essem, quá vt ciuiliter, & quatenus tanto principi scribere liceret, denique quatenus liceret sine mei honoris detrimento, ille postulauit, vt certas aliquot sententias adderem. Et hoc impetrauit vltra pactum. Tertio postulauit vesperi circa nonam horam, vt postridie mane habeat litteras paratas, vt mihi noctu fuerit in lecto scribendum. Quæso te an homini quicquam somniaret arbitri? Quarto flagitauit eadem hora præfationem, ad quid? nisi vt iactaret: si libuisset esse suspitioso. Datum est & hoc illius improbitati.

Quinto voluit epistolam ad Ducem sibi tradi legendam, ipsoque præsente per famulum meum obsignati, ne quid fraudis admisceretur, Quam statim non amicum erat sic diffidere? Tametsi quid stultius etiam? Si libuisset fallere, an poteram alias litteras per alium mittere? Quod si hoc ipsum applausu dignum putant, tantum potuisse extundere, gratulentur eadem opera prædonibus, qui bonum, virum sic animatum, vt nec occidi velit nec occidere hunc adigunt interdum, vt crumenam deponat, & insuper abiuret omne ius vlciscendi. Vter magis recedit à pactis, qui plus exigit quam habet contractus, an qui minus præstat?

Statim quum amanuensis adferret epistolam, cœpit illum obiurgare quod scripsisset epistolam, quam à me scriptam ne minimo argumento probare poterat. Et vbi hic promissa suspitionum & offensarum omnium obliuio?

Ad hæc an verus sit rumor, illum in conciliabulis & conuiuiis remis velisque in meum nomen inuehi, melius norunt illius comportatores. Si verum est quod isti iactant, ea demem vera perfidia est, non dicam, non præstare aliquem fœderis articulum, sed aduersum id facere, quod est totius fœderis caput. Nam hic non criminor Epphen. sed illius causam ago. Certe hic me ad actum ad conditiones, ad quas ipse pro multis aureorum milibus nollet descendere, apud plures iactant, quam vt abitror ipsum inficiaturum.

Quis ex hisce coniecturis non collegerit, illum fucato animo rediisse in gratiam? Sed vbi de pecuniæ spe decidisset, aliud vindictæ genus quæsiisse? Ego tamen omnia candide sum interpretatus. Et illius iactatur simplicitas, fides & integritas, ego peruidus violaui fœdus, qui tam multa præstiterim vltra præscriptum, qui tot argumenta malæ mentis interpretor in bonam partem. Nondum enim Epphen. fœdus renuncio, sed aduersus istos pugno, qui dum nusquam non nugantur de negotio, quod non intelligunt magis eius famæ nocere, cui volunt videri studere, quam meam. Hæc igitur pro Epphen. non contra Eppiendorpium scripserim. Arbitror enim iam ex fœdere mei esse officii illius honorem ac famam pro mea virili sartam ac tectam habere, quatenus per illum licebit.

Tibi vero vir Ornatissime scriptum hoc misi, vt habeas quod blateronibus istis respondeas, qui simul atque ventrem & ea quæ sub ventre expleuerint, nihil habent quod agant, nisi vt omnibus maledi-

maledicant, atque ita fruuntur Euangelica libertate. Bene vale. Datum Basileæ Calend. Maii. Anno M. D. XXVIII.

EPISTOLA ERASMI AD HEN. EPPH. LXII.

TAnta religione inter nos amicitiæ fœdus ictum est, vt non possit sine summo perfidiæ crimine violari. Quanquam vt scis, tua amicitia mihi nusquam est opus, lædere licet & vermiculis & scarabeis. Quantum autem tu possis lædere nescio. Certe ego prodesse cupio omnibus, lædere neminem. Si famam venaris, honestiorem tibi parares alia via, quam mihi obtrectando. Si pecuniam captas, eam tametsi mihi perquam exigua est, summisque parta laboribus, tamen citius communicarem amico, quam hosti minitanti.

Etiamsi magis conueniebat, vt tu tua pecunia subuenires ætati laboribusque meis, quam vt tuis impendiis.

Scis quum hic discederes me plura præstitisse, quam arbitri præscripserant, ne præberem occasionem rescindendæ recens sartæ concordiæ.

Hic iam tum erat sparsus rumor sæuus, me per te adactum ad conditiones, quas tu pro trib. aureorum millibus nolles subire. Id cõmode sum interpretatus, abs te dictũ priusquã dextris iunxissemus.

Mox atrociter etiam rumor peruasit totam Germaniam vsq; ad Aquisgranum. Et hoc comiter accepi missisq; litteris sic compescui rumorem, vt tuum negotium agerem potius quam meum.

Deinde tales ac tam multi retuleruut voces tuas plusquam hostiles, vt vix potuerim vel diffidere nunciantibus vel in bonam partem interpretari quod nunciabant.

Nondum tamen libuit eam persuasionem penitus demittere in animum meum, ne qua per me staret, quo minus maneret sarta gratia.

Ac prorsus opto esse vana omnia quæ mihi relata sunt.

Illud opinor non inficiaberis, te desiderare in me fidem quidem, qui hactenus non emiserim libellum quem pacto recepi. Atqui scit tua prudentia non tam facile nasci nouos libros, neque nescit, non quodlibet argumentum tibi congruere. Illud autem hic nemo nescit, me in castigandis Augustino & Seneca ceterisq; quæ sunt in manibus sic obrui laboribus, vt amici me clament esse parricidam. Deinde iam quaternis litteris efflagitur à me, vt sicut Reginæ Angliæ scripsi Christianam vxorem, ita Mariæ Cæsaris Germanæ, quondam Hungariæ reginæ scripsi viduam Christianam.

Adde quod mihi cum tot monstris Theologorum ac Monachorum, iuge & capitale bellum est. Quid multis si ter frater esses non potuissem hactenus tibi satisfacere. Quod si licuisset non fuisset opus vllo monitore. Id sat arguit quod in ceteris & plus debito præstiti & ante tempus.

Iam scis huic rei nullum fuisse præscriptum tempus, & adiectum fuit, si comperissem te ex animo factum amicum.

Quod si prorogassem æquo longius, admonitionem oportuit præcedere, priusquam ad minas aut inimicas voces veniretur, & arbitrorum erat diem præfigere.

At narrant te mecum per litteras acerrime expostulasse de perfidia, quum ad me nulla sit perlata syllaba.

Vbi locus perfidiæ, vbi nullum præscribitur tempus? Et si præscriptum fuisset, non statim est actio perfidiæ, vbi non præstatur promissum? Alioqui quotiens debitor non numerat pecuniam ad diem constitutum deberet accusari perfidiæ. Quod quam sit absurdum, nemo te melius nouit.

Præterea contractus ad diem præscriptum recipit excusationem, vt inciderit morbus, aut alia necessitas. Hæc excusatio magis valere debet, vbi nullus est præstitutus dies.

Iam de declarato animo tuo, decq; conditione promissi, nihil caussificor, ne videar vsquam defuisse concordiæ. Habebam in animo, si qua possem his nundinis satisfacere pactis. Sed si vera sunt quę narrantur à tam multis, nescio quid mihi sit faciendum.

Si animum hostilem iam palam declarasti, quid dicent, si liber prodierit? Quid nisi aut te tantum improbitate valuisse, vt huc adegeris Erasmum, aut me tam timidum esse, vt cuiuslibet imperata faciam.

Vides opinor eam rem vtrique pariter dedecorsam futuram. At pactum habet, vt negotium cuiuspiam alterutrius notam transigeretur.

Illustriss. Dux Georgius putat inter nos summam esse concordiam. Id ad me scripsit quidam illi intimus, Quod quidem ille putat esse confectum suis litteris.

Ottho Eques iam, vt aiunt, de capite periclitatur. Tuas ad hunc litteras mihi transmiserunt, & ad Ducem Germaniæ scriptas simili argumento. Verum eorum quæ facta sunt, ante sartam amicitiam, non refico memoriam. Fac ita agas, ne quis in te synceritatem ac fidem desideret. Etenim si constiterit, te fucato animo mecum reddisse in gratiam, satis diuinat tua prudentia, quid de te sentiant Dux ceterique mortales.

A me nihil fiet noui, nisi me de tuo animo per litteras feceris certiorem.

RESPONSIO HEN. EPPH. LXIII.

Literas noſtras tibi non redditas intelligo. Verum accipe quid ſcripſerim, fidei te & pacti admonui, quod tu tanta religione inter nos actum ais, vt non poſſit ſine ſumma perfidiæ nota violari. Vide bone vir quam te tuis telis confodias. Qui nec pacto ſteteris, & reconliatam bonorum virorum opera amicitiam, ſcelerata tua Epiſtola denuo dilaceras. Scripſi me vnquam tibi mea amicitia opus eſſe? quum tu tuam tam impudenter toties apud me iactaris: adiiciens quantus ſis in aſpergendis bonis viris artifex, putans ſcilicet ſic nos à tuenda exiſtimatione noſtra abſterreri poſſe. Ego te læſi nunquam, quum tu nos & vita & fama ſemel perdere perfide conatus es. Scio qua via paranda ſit fama etiamſi tu non indicaris.

Pecuniam alienam ſic capto, vt etiam meæ plusquam profuſus ſim, nec libet hic referre, quibus laboribus tu tibi congeſſeris pecuniam, ſubuenies cui velis, nec te impendii noſtri rogo pigeat.

Quod præſtitiſti inita iubebat concordia, illud quam decorum tibi erat, te appello. Certe non pluribus aureorum milibus numeratis, ego eo adigi potuiſſem, quæ vox fortaſſis inter conuiuas excidit homini qui nihil fama charius ducit.

Qui rumores exorti ſunt neſcio, quid ad te relatum ſit, ego ex huiusmodi rumoribus, nec famam, nec queſtum, nec tuam quæro infamiam: Quod inde intelligis quia pacti tam ſero meminerim, nihil minus futurum putans, quam quod hic fidem deſiderarem tuam.

Librorum nec effœtus es, & habebas quod commode nobis inſcribi poterat, inſcribas ſanctos ſeuerosque labores cui velis, nec mihi quicquam cum viduis commune eſt. Bella quæ ſubinde cum Theologos exhauris, vide ne ipſe quoque tibi accerſas, at nihil ad nos hæc, fidem ſaltem in te quæro.

Iam vero quorſum attinet excuſare perfidiam, tam odioſa comparatione, eum ſcilicet eſſe obnoxium perfidiæ, qui ad conſtitutum diem debitum non diſſoluerit, quod nemo melius ac ego nouerim.

Obteſtor te per deum dic cui debeam vltra præſcriptum diem? ſi ignominia eſt debere, infames ſunt ſummi Reges & Imperatores, ſed tu ſic ſoles nunquam non dente ludere.

Arbitri quid iubeant neſcio, tu ſcis quid pactum & innocentia mea exigat, non opus eſt vt imperata mea facias, fac quod bonorum virorum iuſſu debes. Georgius dux ſi quam de nobis concepit concordiam, hanc per me non amittet, Othonis cauſa ad nos nihil pertinet, nec video quid tibi velis cum litteris tum ad principem tum ad eum ſcriptis, poſſum ferre quod illas proferas. Otho cauſa ſua ſtet aut cadat.

Porro eo animo tecum redeo in gratiam, vt perpetuo tibi futurus eſſem amicus, ſi modo per te liceat, nec morabor aut ſæculi malignitatem aut improbas linguas. Vale Argentorati Anno XXIX. &c.

Henricus ab Epphendorph. tuus ſi tibi placet.

ORNATISS. D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO, CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO S. P. LXIV.

Opinor tibi redditas litteras, quas ante dies aliquot miſi, quibus inſtruxeram te aduerſus rumorem, quem Epphendorpius videtur per totam Germaniam ſparſiſſe, non minus atrocem quam vanum. Nunc quid velim, paucis expediam. Opſopœus edidit epiſtolas Baſilii & Gregorii Nazianzeni Græcas, quas in manus ſumpſi verſurus, quo Polono epiſcopo Cracouienſi, qui me vltro honorario munere ſexaginta ducatorum prouocauit, gratificarer. Sed comperi, deprauatiſſime editas. In ipſo ſtatim titulo eſt, πιλρῶν pro πιλρὸς. Nam πιλρῶν apud Græcos non dicitur. In prima epiſtola coniicio fuiſſe ſcriptum βαπλικάρῳ, pro *grauato crapula*. Is fecit, βαθῦκάρῳ, quod nec Græcum eſt, nec latinum. Ex his coniectans cetera, abſtinui à vertendo. Proinde te rogo, vt ſi exemplar manu deſcriptum eſt apud Opſopœum, iubeas mihi communicari. Id ſi in tempore fiat, ante autumnum emittam. Sin minus, primo quoque tempore. Simul non eſt committendum, vt tantus autor ita deprauatus maneat. Huiuſmodi iuuenes audaciores quam eruditiores, & auidiores rei quam commodi publici magnam peſtem inuehunt litteris. Opto te quam belliſſime valere. Datum Baſileæ 5. Cal. Iunias. 1528.

Eraſmus & mancipio & nexu tuus.

CLARIS-

CLARISSIMO BILIBALDO CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO S. P. LXV.

EXistimo tibi redditas litteras, quibus rogabam, vt Codicem calamo descriptum Epistolarum Basilii & Nazianzeni ad me mitteres. Vehementer enim hoc cupio: nec leuibus de causis, & sine tuo detrimento. Sed expecto his nundinis scripta tua. Ferdinandus honorificentissime et absque scripsit ad me, inuitans Viennam, salario quadringentorum florenorum, tantum vt illic viuam. Sed non est animus in alium migrare mundum. Si cognouero te recte valere, erit longe gratissimum. Bene vale, vir Ornatiss. Basil. 8. Cal. Septemb. 1528.

Erasmus Rot. tuus, ex tempore.

CLARISS. VIRO, D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO, CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIARIO S. P. LXVI.

CLarissime Bilibalde, Iussi, vt Hieronymus ad te mitteret vnum volumen epistolarum. In his reperies vnam, qua tibi gratias ago pro patera tua: quod munus non minus gratum mihi fuit, quam si talentum auri ponderet, quod quasi pignus esset constantissimæ tuę erga me beneuolentiæ, quam ego non in infima fœlicitatis meæ parte duco. De Codice Græco, ignoscat tua humanitas mihi, quod nō præsto fidem. Sub nundinas cœpimus conferre, quo sumus ingressi altius opus, hoc plus offendimus portentorum. Interdum toti versus omissi sunt, multa mutata, studio, vt videtur. Quin & epistolæ multæ omissæ. Postrema, plusquam tertia pars voluminis abest. Collatio peracta est; sed dit. Cæsar videtur omnia facturus ex præscripto Pontificis, quæ religiosa optimi principis obedientia magno malo est Florentinis, Vereorne & Germaniæ. Res agitur per Iohannem Fabrum & Eccium. Adest Episcopus Hippalensis, homo seuerus vt aiunt, qui mihi tamen in monachorum Hispanum. Adest alter Hispanus genere, professione Theologus & prolixum & periculosum. In Galliis videtur quies à Beddis, vereor, ne & illuc se proferat bellorum incendium, imo vix audeo sperare à bello quietam fore Brabantiam. Iam enim bellum ardet cum Phrysiis. Suspicor autem hoc esse in capitulis fœderis, vt Gallus sibi vicinam Heluetiam inuadat, si nolint ab hæresi resipiscere. Iam enim illos admonuit rex, precibusque minas regaliter addid

Nunc iussi vt mittant tibi Chrysostomum. Ex quo si quid habes abs te versum, velim communices. Habemus Commentarios eius in Epistolam ad Romanos, sed quibus dederamus vertendi negocium, nobis dedere verba, Curabimus tamen, vt ad Pascha accedant. Nonnullam spem præbuit & Baptista Egnatius. Opto te quam optime valere, vir immortalitate dignissime. Datum Friburgi 4. Cal. Septembr. 1530.

Erasmum tuum agnoscis.

CLARISSIMO ET OMNIVM IVSTISSIMO VIRO, DOMINO BILIBALDO PIRCHEIMERO, PATRICIO NORIMbergensi, Domino semper colendo.

LXVIII.

GRatia & pax à Christo. Optime Bilibalde, non possum ignorare, varios de me rumores circumferri: nec deesse, qui de me loquantur male, quandoquidem & hic sycophantas patior, per singulos dies noua in me mendacia fingentes. Ego autem gratias habeo Christo Iesu, inutilia esse vasa impiorum, & mendacia, eo quod nullo præsidio sunt fulta, sua sponte absque subuersore corruere. Sane tam importunos, tam implacabiles, tã oculatos habeo aduersarios, vt si vel de minimo crimine conuincere possent, neruis omnibus laborarent, eiicerer, vel perderer: maxime cum videant, quotidianis sudorib. meis demulsam plebem tandem mihi minus impropitiam: vt taceã, quid ipsis decedat. Sunt qui extrema minentur, conspirent, & si quã opportunitatẽ nanciscantur, audeant. Protexit tñ in hunc diem Dominus. Quod si illi victoriam sperarent, quid putas omitterent? Porro quod ad doctrinã attinet, publice doceo & scribo, paratus cuique rationem fidei reddere. Sed quid est, quod male loquuntur? Si hominib. placere voluissem, poteram ante decenniũ in paterno tusculo delitescere, at nõ est hoc agere seruum Christi. Denckius à me nullum venenum hausit, si venenum hausit. Nescio an multa de sacris contulerim cum eo. Audiuit aliquot lectiones Esaiæ. Sed quales illæ sint, iudicet lector. Nihil impudentius illis dixi. Et non opinor multum in illis veneni. Præterea de Eucharistia quam timide semper loquutus sim, sciunt qui audierunt. Sed cum Denckio nihil: tametsi ab hinc decennium est, quum multa super ea re à doctissimis quibusdam inter angulos referri audirem, à quibus forasse & ille audiit. Paulo ante aduentum Carlstadii, quem nec in hunc diem vidi, aperire mentem meam coactus sum, fratribus quibusdam rationem fidei meæ postulantibus. Ceterum videor mihi simpliciter & catholice sentire. Panem quidem panem fateor; sed iam non communem, si quidem consecratus fuerit. Scio quæ sit vis verbi mysterii. Nunquam negaui, in mysterio adesse corpus Christi: & certus sum, veteres Doctores in nostra sententia fuisse, tametsi plerisque in locis ἀσυγκατακλίτως tractent. Confido autem in Christo, Iesu & hanc rem prope diem fore dilucidiorem, mundumque ab hoc errore valde inueterato purgatum iri. Crebro decernitur à Senatu nostræ vrbis disputatio habenda, vel potius collatio, in qua & de hoc negotio tractabitur. Vbi dies designatus fuerit, curabo resciscas. Vocabuntur è longinquis viri docti. Vtinam & è vestris quidam aduenirent, & si cubi errauemus, docerent. Nam ex his qui Papæ non sumus addicti, nemo hic est qui non cupiat eruditi verbo Dei. Habeo autem & hoc nomine gratias Christo, quod nihil moratus aliorum calumnias de me tenes opinionem pristinam. Orabo autem Deum, ne falsa de me sentias, vtcunque traducar. Denique quod ad calcem scribis, de viua Dei voce, & trino sono, haud satis intelligo. Fortassis vranii illi Prophetæ tale quiddam garriunt. Mihi non constat quid velint. Satis mihi fuerit, è scripturis sacris fideliter doceri. Scio autem frustra illis me incumbere. Proinde oro Deum, vt mentem meam illustret, & ita sim vere θεοδίδακτος, neque enim caro, quæ Dei sunt, cognoscit. Ædificasse me scio super petram, quoniam Christus iustitia mea est, & illi soli gloriam deberi confiteor. Quod si periclitor, dico, non esse Christum. Sed ruent cœlum & terra, & in Christo periclitari non potero, vt vt interim labar & errem: à quibus me tam non excusarim, quam hi qui me amicis describunt. Denckius ante mensem scripsit, designatum sibi docendi munus in Mülhausen Tyringorum. Non meminit causæ, quare isthinc soluerit. Vale, virorum optime, & quod per corporis valetudinem denegatur, interni hominis innouatione quotidiana tibi cumulatim accedat. Basileæ 25. Aprilis.

T. Io. Oecolampadius.

PRÆ-

PRÆSTANTISSIMO VIRO, BILIBALDO PIRCKHEIMERO SENATORI NORIMBERGENSI, AMICO ET domino suo charis. LXIX.

S P. in Christo. Non est rarum, vir ornatissime, si hac tempestate præcones verbi male audiant, & multa Satan excogitet, quibus obsistat. Nam & præceptor noster Christus factus est in sibilum & opprobrium, quæsitaq; sunt aduersus eum testimonia falsa. Quomodo enitescceret veritas, si nō probaretur per aduersarios? Sane hac in re satis ipse sum fœlix, etiamsi virtutibus nulli ministrorum Dei comparandus sim. Vnum consilium est, vt fiam tanquā surdus, & non habens in ore redargutiones, propter eum, qui promisit, nos per patientiā possessuros animas. De Müntzero, vt res se habeant, audi. Venerat huc exul, & me salutarat, cuius ego faciem nunquam videram, nomē vix tenebam, quod primo congressu non prodidit. Conferebamus igitur pauca quędam, plane nullius momenti, neque enim ille se mihi credebat. Nihilo minus quid peregrinis & exulib. debeamus ex præcepto Domini, mecum recogitans, etiam ipse exul, rogabam, vt mecum cœnam sumeret, qui annuit, & cū Hugualdo venit. Tunc tandem edidit nomen, & causam itineris. Quid facerem: Solabar hominem, vt patienter ferret omnia, & de materia crucis colloquuti sumus multa, atque adeo illam commendabat vir, vt nō male de eo sentirem. Abeunti à cœna dicebam, die sequēti de libello eius plura nos colloquuturos, quem tunc neprobabam, nec improbabam. Precabar quoq;, ne insalutato me hinc discederet. At post colloquium illud non fuit à me visus. Neque mihi constat, num illi scripserim. Quod si scripsi, nihil periculi fuit. Hoc scio, quod Hugualdo dixi, salutem illi per litteras ex me diceret. Et ô vtinam vota mea audisset Deus! saluus ille fuisset cum multis. Nihil tale spirat genius meus, quale ab hoc attentatum, neque conscius sum. Itaque res saluæ sunt, vbi conscientia innocens. Hugualdus interim plane alius homo factus est, Rebaptizatus, vt aiunt: vnde cum eo iam male conuenit mihi. Ita hinc & inde exercemur. At est fortassis ille dies magnus Domini. Cererū quæ de Eucharistia scripsi, ex nundinis mitret opinor Cratander. Liber hic nō est impressus, neque exemplarium fuit copia. Indiligenter excusus est, per se obscurus. At tu boni consules, sciens, eos qui Deo seruire volunt, hominibus an placeant, nō curare. Quod isthic veritas Euangelica verbis celebratur, vnus fœlicitatis gradus est: neque benedictione omni carent, qui cœlesti pluuia compluuntur. Addat Dominus, vt & lętam segetem, imo messem multorum operū bonorum spectetis. Qui hic pure euangelizamus, multis stipamur contradictoribus. Vulgatibus & humilibus verbum crucis magis arridet: scandalum est multis & potentibus. Vereor ne nostris accidat seculis, quod & superioribus contigit, præclaras prophetias subsequuta magnarum gentium excidia. Auditum enim erat verbum, vt magis fierent inexcusabiles. Periit in Ecclesiis omnis disciplina, nulla est docentium authoritas. Præualet apud multos Pseudoprophetarū malitia. Quid igitur expectaremus? Bene valeat præstantia tua, & me, vt solet, commendatum habeat. Basileæ in die Matthæi Apostoli, anno 1525.

T. Oecolampadius.

CLARISS. VIRO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO, NORIMBERGENSI PATRICIO PRIMARIO, Egnatius S. D. LXX.

S Atis tibi esse & debuit & potuit, quod annis superioribus librorum fascem dono ad me miseris. Ceterum ne non semper nota omnibus extet liberalitas hæc tua, egregiaq; animi propensio, excogitasti, non solum qua ratione maiorem ex ea fructum indies perciperes, siquidem hæc virtus in dandis beneficiis inprimis enitescit, verum etiam solerter adinuenisti, quid iterum ad me mitteres, quod ego non possem non accipere. Quis enim Sciotericum hoc abs te paulo humanior non libenter acceperit? cuius præter egregium artificium ipsa etiam nouitas vel ἀμουσοτέρους inuitare posset. Ego vero, quod etiam ad te scripsi antea, admirabar etiam atque etiam nobilitatem hanc tuam & gentis & animi: admirabar litteraturæ vtriusque excellens studium tuum: vnum te & nostratibus multis & Germanis præferebam vestris: Qui in magnis semper negotiis versatus, & principibus acceptissimus tuis animum ad elegantiores Musas primum applicasses: Tum quod verā ac rectam studiorum ingressus viam, eloquentię vim & ornatum ad sacram rem iuuandā contulisses. Nam cū Nazianzeni orationes lego abs te versas, iurare tibi possem, idq; sanctissime, ne illum quidē ipsum tam pure, tam ornate loqui: vsque adeo, vt tamen etli Athenas ipsas oleat, in quibus diu versatus est. Tu hoc ipso cælo, ab illis tam dissito, easdem pene auribus doctissimi cuiusque reddas. Verum hæc, quæ in aliis admiranda forent, obscurantur abs te maiore tua & vberiore laude. Nam cum mecum sępe animo repeto, quæ certa penes nos fama de te prædicat, nescio quo pacto obsolescunt illa, quæ longe maxima videri poterant. Quanti. n. apud Principes semper tuos sis habitus, nemo nō nouit. Quātus postea domi in Rep. administranda fueris, omnes prædicāt. Quales in doctos & bonos viros existas,

futura poſt ſecula non tacebunt, ſi præſens ætas malignius id interpretetur. Ceterum ab hiſce temperabo in præſentia, ne tibi ſubblandiri velle videar. Tu certe ſic exploratum habeas velim, cuius rei Muſas ipſas vere ſacras atteſtor, me tantum tibi debere velle perpetuo, quantum animo fortaſſe capio, oratione certe non aſſequor. Id tantum doleo, non eſſe ad manus nobis, quod ſi non hoſtimentum ſit beneficij, ſaltem μνημόσυνον foret amoris erga te mei, quamquam niſi fallor, inita videri poſſit à me non contemnenda ratio, vnde tu mihi poſthac etiam debeas aliquantum. Gregorius Haloander Miſnenſis iuuenis eſt cum tui ſtudioſiſſimus, tum, quo illum plus ames, omnium bonarum artium peritus: quod tu facile coram perſpicies. Is veluti emeritus miles honeſta miſſione impetrata ad vos proficiſcitur, Norimbergæ futurus aliquot dies, vt te non ſolum colat, ſed vt familiarior tibi fiat. Hunc ea nota tibi commendo & formula, qua decet à bonis inter bonos agier. Non dubito, quin, ſi illum in clientelam receperis tuam, maiore etiam menſura redditam tibi gratiam à me putes, cum tibi præſtantiſſimæ indolis aduleſcentem conciliarim. Sed, vt video, rides tacitus inuentum hoc redhoſtiendæ gratiæ meum, vti verear, ne Italicum ingenium ſemper apud veſtros, ſuſpectum, ſuſpicioſius tibi reddam. Sed me hercle extra iocum, ego ita me tibi trado & dedo, vt vindicias liberales nunquam, vel ab æquiſſimo prætore petiturum me pollicear. Bene vale, & Genuenſem iuuenem, qui Solenum attulit ab ſe, commendatum habeas, oro. Venetiis 1527. die 20. Ianuarij.

CL. V. D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO, PATRICIO NORIMBERGENSI, ET CONSILIARIO CÆSAREO, Ioan. Baptiſta Egnatius. LXXI.

COmmodum mihi ex meo propinquo rure, quo per autumnales vindemias conceſſeram, in vrbem reuerſo, redditæ ſunt abs te litteræ, redditi etiam cum his libri, abs te partim ex Gregorio Nazianzeno in latinum fœliciſſime verſi, partim pro tuenda Chriſtiana pietate fortiter elaborati, cum appendice hominis, vt præferre videtur liber, non minus docti quam pij. Ad hæc, ne quid deeſſet, quo tuam erga me beneuolentiam teſtarere, additum eſt nomiſma argenteum, apud argenti fodinas recēs percuſſum, in quo Chriſti Redemptoris noſtri cruciatus inſignis, ſimul & ſerpens à Moſe olim erectus, vnde ſalus omnibus intuentibus in eum contingeret, repreſentata. Nec his contentus, Illuſtrium virorum aliquot Imagines adiungis, vt omnibus numeris liberalitatem illam, antimique tui beneficentiam egregie abſolutam declarares. Quæ animi propenſio, à maioribus accepta tuis, tanto illuſtrior & celebrior mihi videri ſolet, quanto tu illos omnibus aliis & fortunæ, & animi dotibus antecellis. Quæ tua numera, tanta me voluptate affecere, vt ne in præſentia quidem, quid ad te ſcribam, habeam. Tu igitur, homo hiſce natalibus ortus, hiſce litteris inſtructus, principibus viris tuis ſemper acceptiſſimus, apud hoſce in ſummis opibus & gratia verſatus, apud tuos maximis honoribus functus, ſummaque authoritate præditus, litteras tam elegantes, tam plenas, tam ornatas, non ſolum mittas, verum etiam muneribus hiſce ornes? quibus neque maius, neque gratius offerri mihi quicquam hoc tempore potuit. Adde quod, quæ aliis impoſueram, tu veluti vicariam operam non aſpernatus, nihil omnino reiicis, dum modo rem gratam facturum te mihi ſperes. Quæ omnia cum mecum cogito (cogito vero quam ſæpiſſime) non poſſum te non modo non amare plurimum, verum etiam admirari. Quod ſi verum tibi fateri ingenue velim, inuideo planæ tantæ virtuti tuæ, inuideo huic tuæ laudi, inuideo non ſolum patriæ, quæ te genuit, verum etiam vniuerſæ Germaniæ iam tuæ, quæ noſtræ Italiæ hoc alumno præferre ſeſe & oſtentare nobis ſuo iam iure poteſt. Neque enim ille iam ſupereſt, quem tibi non modo præponere, ſed nec quem tecum conferre habeat. Atque hæc in præſentia ſatis, dummodo tibi ſic plane perſuadeas, me ex animo hæc tecum agere, ab omni adulatione cum meo ingenio, tum litteris & doctorum hominum diſciplina maxime abhorrentem. Ceterum quid de libris tuis ſentiam, mox cum accuratius legero, plane omnia perſcribam. Verum aut me amor iam nunc fallit, aut certe ex breui eorum lectione proferre id poſſum, quod homerico verſu celebre eſt, omnes hactenus velut vmbras erraſſe; Te vero vnum Chriſto & Chriſtianæ pietati fortiter militaſſe. Nam quod te mihi excuſas, næ tu dignus ſumma mihi videris laude, ne tum excuſationem tuam admittam, qui tacentibus aliis, tanti momenti aleam ſubieris. Qua in re neſcio, (Deum immortalem teſtor, qui mihi ſit perpetuo infeſtus, ſi tibi ſubpalpor) quod primum in te laudem, an conſilium tuendæ religionis, an animi conſtantiam, qui tuas hoſtiſque vires probe metitus, non potueris id negligere, in quo alij, ad quos maxime res attinebat, vel muſſarent, vel plane formidarent: quod quam recte facerent, ipſi viderint. Noſtras enim iniurias non modo diſſimulare, verum etiam condonare ex Chriſti præceptione & debemus, & poſſumus. Publicam vero cauſam deſerere, & in Chriſti cauſa nec Gyrinium quendam ranunculum agere, vt vel motu ſaltem ipſo deprehendas eos viuere, hoc non modo inertiæ ſummæ eſſe duxerim, ſed propemodum impietati proximum. Nam quod vitio tibi quędam data adnectis à calumniato (qui interdum hodie plures ſunt numero quam velles) illi vero & priuatæ rei ſuæ & publicæ multo conſuluiſſent melius, ſi fuſum hydræ Omphalæ reliquiſſent, & clauam leoniſq; exuuias induentes, in arenam pugnaturi deſcen-

descendissent, quam vt vltro aut sibi delicias facerent vnguentati, aut te falso accusarent. Ego vero nunquam dubitaui, te eum plane esse, qui pro tua sapientia, rerumq; maximarum vsu, & litterarum peritia, modeste simul & prudenter te gesseris, quidquid etiam litteris mandares. Tu autem huiusmodi nænias, Bilibalde clarissime, magno animo contemnito, & cepas edere iubeto huiuscemodi tenebriones: ac Homerum secutus, ἄντα πάμε τῶς ἐχθρούς crucis Christi, & domi, quod tu scribis, delitescens, vt vero ego interpretor, hoc consilio multo celebrior orbi factus, in litteris & bonis artibus otium consumito, si quando tibi per podagram hanc tuam licuerit, quam tibi infestiorem esse etiam atque etiam doleo. De Haloandro fecisti, quod te, quod patria hac tua præstantissima dignum maxime erat. Nec dubito quin ad egregias tuas & Norimbergæ laudes, huius etiam tam præclari facis accessio sit futura non contemnenda. Ego cum aliquid eorum legero, quæ ille edenda curauit, quid sentiam de iuuenis optimi industria, certiorem te faciam. Pro nomismate autem tuo & imaginibus, mitto Synesij orationes duas περὶ προνοίας, quas veteres maxime admirari sunt soliti: quippe qui cum ingenium illius & pietatem suspicerẽt, hunc de prouidentia sermonem, miris laudibus extollentes, θαυμάσιον τὸν λόγον κατ' ἐξοχήν appellabant. Floruit autem Synesius Episcopi dignitate apud nostros homines Honorij Iunioris ætate, nisi fallor: qui cum multa scripserit, quæ posteritas non sine admiratione legeret, præcipue tamen Epistolas maxime laudatas, & hunc θαυμάσιον λόγον περὶ προνοίας, & alia monimenta reliquit, quæ apud nos extant. Si quid aliud occurrat interim, quod in hoc genere gratum tibi fore arbitror, occasioni nunquam deero. De Turcarum bello, quo Selymus eorum princeps rem Sultanicam afflixit, nihil adhuc litterarum monimentis est proditum. Si quid expiscari potero, quam diligentissime curatum ad te mittam. Tu fœliciter vale, & me ama. Venetiis M. D. XXIX. die XV. Septemb.

CLARISS. ET DOCTIS. D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO, CÆSAREO CONSILIARIO, IO. EGNATIVS S. LXXII.

NIhil mihi gratius euenire potuit, quam in iungi mihi abs te aliquid, in quo tibi operam probare possem meam, in hoc præsertim litteratio genere. Curata igitur sunt à me omnia quam diligentissime, & inuentæ orationes illæ Gregorij duæ: quas exscriptas, primo quo isthinc ad vos profiscetur, perferendas dabo. Non dubito, superiores meas litteras tibi redditas cum aliquot Synesij Episcopi orationibus. Quibus scriptis si te delectari intellexero, mittam ad te & plura & meliora cotidie. Non longius ad te nunc scribere potui, cum Hieronymus ad me sub vesperam veniens petasatus properaret. Dij te & tua fortunent omnia. Legi orationes abs te versas, & magnam partem tuarum lucubrationum: quæ, vt breuiter dicam, nam mox latius ad te scribam, omne sane punctum retulerunt. Haloandro cupio salutem amantiss. à me dici, & si qui sunt alij huiusce notæ homines. Pleniores expectato non multo post. Venetiis, die XX. Octobris, M. D. XXIX.

Egnatius tuus.

EGNATIVS BILIBALDO PIRCKHEIMERO CÆSAREO CONSILIARIO S. LXXIII.

NEc voluntati propensissimæ in te me studium, nec studio fortuna defuit. Nam post excussam vnam alteramve ex his, quæ nos penes visuntur, bibliothecam, inueni tandem, quẽ quærebam, θεολόγου χρηγορίου Codicem. Quare vt quam maturrime, quod in tuo deerat, describeretur, curaui: quæ tibi fide operaque Iacobi mercatoris officiosissimi reddita, non dubito. Quod à me sic accipias velim, vt ab homine, qui te non modo propter excellentem animi virtutem, verum etiam ob tua in me maxima promerita, & amet & colat. Id φ cum optem etiam posteris testatum esse, nõ desino cotidie Deum immortalem fatigare precibus, vt tantum mihi ab hoc profitendi munere quietis & otij detur, quantũ testandæ gratiæ & beneuolẽtię erga te meæ & amicissimos aliquot sit satis. Interea veto sic tibi persuadeas velim, nihil vnquã tam graue, tamq; magnum nobis abs te iniungi posse, quod non idem pro te susceptũ mihi perfacile iucundissimumq; sit futurum. Quo animo cum semper erga te fuerim, ex quo mihi de litteris & officiis multis es cognitus, futuruſq; perpetuo sim: ita tamen plane mihi accidit, vt minime mihi in te amando satisfaciam, tametsi tibi & aliis fortasse satisfaciam. Ceterum vt me, quo possum ad præsens munere, nõ ingratissimum experiare mortalium, dedi ad te proximis hisce, diebus Synesij Ptolemaidos ex Africæ Pentapoli Præsulis orationes aliquot: cuius ego ingenio cum maxime semper delectari soleam, eundem tibi nõ iniucundissimum fore existimaui: Quib. litteras ad te adiunxi meas longiores: ad quas breuiores accessere postmodum vnæ. Eas tibi reddet,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [333] - 309
PUBLIC DOMAIN

reddet, vt opinor, Hieronymus ille, non magis tuus quam meus. Ea fuit hominis prudentia, ea dexteritas, vt ſtatim hominem, quantum pro tempore potui, ſim complexus amiciſſime. Quamobrem ſi tibi Syneſium placuiſſe intellexero, nō grauabor, & alia quædam egregij hominis monumenta ad te mittere, quæ te, niſi fallor, poſt Gregorium tuum non minus oblectent quam iuuent. Quis enim non ſummam voluptatem capiat, cum ſententiarum eius acumine & grauitate, tum orationis ornatu, & filo plane Attico: qua laude etiam cum eloquentiſſimis viris conferri habeat. Tulit ſcilicet ætas ea ab Arcadio ad Theodoſium Iuniorem, ſub quibus maxime floruit, viros cum ingenio & litteris excellentiores, tum vitæ puritate maxime ſpectatos: Inter quos principem facile locum ſibi Syneſius vendicat, qui Ægyptij vir ſanguinis, atque à ſacerdotibus ortus, Chriſtianæ tamen pietati addictus, non, vt eius patria, Φάρμακα πολλὰ μὲν ἠδ' ἀλεξήματα μειγμένα, πολλὰ δ' ὀλέθρου, ſi credas Homero vati, tulerit, ſed quod mox ſequitur, qui ſit ἐντεῦθεν ἐπισήμου καὶ πάντων ἀνθρώπων. ſi quidem præter orationes καὶ φρονήσεως eius epiſtolæ ab Aldo excuſæ, in admirationem ſemper à doctiſſimis viris ſint lectæ. Quæ ego eo copioſius artigi, tametſi fortaſſe non ignota tibi, vt ſi forte huiuſce te viti oratio pellexerit, habeas in promptu, vnde facile ſitim extinguas. Neq; enim tibi fontem tantum oſtendam, ſed plane ita deducam, vt hauriendi, quantum ſit futurum ſatis, facultatem habeas. Nam cum te ſacræ, vt video, literæ totum ſibi vendicent, vt ne tranſuerſum quidem vnguem ab hiſce abeas: nolui non dicam tibi, ſed potius publicæ vtilitati deeſſe, vt cum à vertendo Gregorio ceſſabitur, habeas & ſtationem alteram, in qua iucunde tutoque conquieſcas. Qua ſane ratione & otium optime collocaris, & animum interim ab hiſce malis auerteris, quib. plus nimio iam pridem fatigamur, quod vitæ inſtitutum cum à pueritia perlibenter vſurpatim, hodie tamen ſic me ad ſeſe trahit, vt vel tuo, vel aliorum exemplo ardeam hæc ipſa ſtudia repetendi deſiderio, à quibus vna me tantum mors abducat & abſtrahat. Quare primus è noſtris cum Pſalmos publice prælegere cœpi tertium ab hinc annum; tum hoc tempore Solomonis παροιμίας profiteor, vt hac veluti luce inflammati noſtri homines ad hæc ſeſe transferant, quæ vere Chriſtiani eſſe hominis intelligant. Bene ac fœliciter vale, die XIII. Nouembris, M.D.XXIX.

EGNATIVS EIDEM PIRCKHEIMERO.
LXXIV.

VCl. non deſinam te chartaceis iſtis muneribus obruere pro argenteis, quæ ad nos miſiſti, vt vere χρύσεα χαλκείων fiant, tametſi, ſi ingenium tuum mihi plane perſpectum eſt, ſi mores cogniti, tu hæc ipſa noſtratia pluris æſtimaris, quibus non arca, ſed ingenium ornatur, quæque non in vnum alterum ve parentur diem, ſed perpetuo nobiſcum ſint futura. Vtinam mortales, quantum auro argentove tribuendum ſit, vel ex eo intelligerent, quod intra terræ viſcera natura ea recondidit, quæ non modo non profutura, verum etiam noxia homini intelligebat, vt cetera metalla, ac magna ex parte venena: cum tamen benigniſſima interim parens herbas, ac fruges & arbores in aperto eſſe voluerit, quibus vita innocentiſſime tranſigatur. Ceterum cœci, & cimmeriis, quod aiunt, tenebris obſepti, ſic ad auri fulgorem obſtupeſcimus, vt eius, quod eminentiſſimus cecinit vates, ſacra fames ad quæuis ſcelera ac flagitia nos impellat. Sed hæc ſatis. Memini, in litterarum tuarum calce petere te à me, idque ſummo ſtudio, vt ſi quod extaret monimentum, quacumque modo lingua proditum id foret, quo Turcæ cum Sultanicis Volonibus ſint congreſſi, vniuerſaque Syria, mox & Ægypto ab vna pugna potiti, id ad te quam primum mitterem. Quare, vt deſiderio ſatisfaciam tuo, mitto ad te Cambini cuiuſdam lingua Etruſca conſcripta monimenta Turcarum: Quæ tibi non iniucundiſſima futura arbitror. Nam præter cetera, quæ nos Latina in Cæſaribus noſtris tanto ante complexi eramus, hæc ipſe recentius geſta ſumma fide perſcribit. Tu cum legeris, quid tibi ſequendum ſit, facile iudicaris. Alexandro noſtro, quem vnice diligo, ſalutem quam ſuauiſſ. vt dicas, opto. Non luſit, crede mihi, egregius iuuenis operam, quam in emendandis Pandectis inſumpſit, quantum ex breui earum lectione conſequi potui. Manet te egregia ſane facti huiuſce laus, cuius auctoritate & conſilio Alexander ſit adiutus. Sed & patriam hanc excellentem tuam nō magis celebrarint vel præclara domeſtica inſtituta veſtra, egregiaque diſciplina, vel belli illuſtria facinora, quam hoc ipſum prouehendi bonas litteras, & artes præſertim honeſtas de authorē ſtudium publicum. Ibit, ibit, in ora omnium, & poſteritatis iudicio, ſimplicius multo æſtimatura, tam egregia laus veſtra celebrabitur, vnam fuiſſe Norimbergam, quæ ardentibus vndique bellis, Chriſtianaq; te domeſticis diſſidiis plane laborante, & integram ſeruauerit pietatem, & publica impenſa non paſſa ſit tot egregia doctiſſimorum hominum monimenta penitus interire, quæ ad hanc diem in tanto reliquarum artium ſplendore in ſitu & ſquallore ſine vlla ſpe libertatis iacebant. Quare operępretium hoc veſtrum tantanto maius æſtimandum ſit, quod hoc ipſo nullum aliud aut maius, aut vtilius eſſe poterat. Bene ac fœliciter vale cum omnib. his, qui rectam doctrinam profitentur. At reliquis tamen meliorem animum optare non deſinam. Die XIIII. Nouemb. M.D.XXIX.

Venetiis *Egnatius.*
Gratis

LXXV.

GRatia & Pax à Deo patre, & Domino nostro Iesu Christo. Cum audissem de te prędicari, bonum illum Christi odorem, & fortem tuæ confessionem fidei: Magnifice Pirckeim. non modo intelligere, sed & sentire apud me cepi, qd sibi hoc Pauli vellet, quod suis ita scribit Romanis: Cõmunem capiam cõsolationem in vobis, per mutuam fidem vestram, simul & meam: Tanta enim gaudio afficiebar, de tua quam te esse audieram fide, vt abstinere non possem, quin & mea (quantulacunq; est) rursum fide te confortarem: aut certe solarer. Cum enim non nesciam te: tanquam virum Christianum, foris cum carne pugnas, intus autem conscientiæ terrores habere (tempus tñ non sine pace, quam fides indubie sequitur) certus fui, consolationem hanc meam non importunam tibi fore. Dico autẽ me hoc scire: quod omnes, qui volunt in Christo pie viuere, persecutionem patientur. Persecutionem namq;, non tam externam, quæcunq; illa sit, carnis internam, longe acerbissimam, animi: Hulcerũ tantus numerus sine dubio, vehementer torquebant S. Iobum: verum nõ illa, sed Dei iudicium q; intus sentit, vel solum deprecatur. Est autem (suo modo) Iob. omnis Christianus, aut, pfecto Christianus non est. Te autem Christianum, non tam à te scio: vel aliis, q̃ cum laude & gloriam tuam prædicant famam, quam ex Dei isto verbo: Quem diligit Dominus corripit: & quasi pater in filio, complacet sibi. Tu autem plerunq; laboras corporis tui incommodis, filius quo es. Quoties amãtiss. Pirck. spiritus eius officium vel solum est (quod vel ex nomine paracleti certum est) apud illos, qui tristitiæ tantũ habent, tibi hæc, quæ dixi sapienter verba inter dolores corporis, occinit? Quoties dicta in ædificationem fidei tuæ, quam in aduersis animi oppugnatur: & quandoq; etiam expugnare videtur, legisti ac relegisti? Quidnam maiori tibi potest esse cõsolationi, quam quod istic paulo ante dulcissimus Christi spiritus nobis præstitit legendũ afflictis: Habe (inquit) fiduciã in Domino ex toto corde tuo: & ne innitaris prudentiæ tuæ: in omnibus viis tuis, cogita illum: & ipse diriget gressus tuos. Deest aliquid tuæ in Deum fiduciæ, quod tamen desideras impleri: aut certe malles nõ deesse? Beatus es tamen, beati enim qui esuriunt iustitiam, prẽmunicantur. Obiicit tibi prudẽcia carnis: mala & effrænis bestia: Deum animæ tuæ ita aduersari: quemadmodum corpus afflixit? quum ei sic respondes: Abi post me Satanas, obstaculo es mihi, quia non sapis ea, quæ sunt Dei, sed quæ sunt hominis. Augetur tibi quandoq; vel exterior cum carne pugna, aut (haud quaquã enim hæc desunt Christiano) interim per Deum vexantes infœlicitatis fructus, adeo vt impatientia frangeris? memineris, quem hanc viam esse hominum, vt superentur: ille autem Dei spiritus, te verbis admonet prioribus: vt in omnibus viis tuis, Deum cogites, sic fiet, vt & malum impatientiæ tibi cooperatũ sit in bonum: cedet enim illud tuum peccatum, in laudem Dei, cum (ipso agnito) illud displicet: & vel displicando, deprecaris. Meminerit quoq; prudentia tua, istiusmodi militia super terram qua perpetuo nunc afflicti vincimur, nunc victores in Deo euadimus: non aliud velle misericordiarum patrem efficere, quam, vt non simus confidentes in nobis: Imo, experiamur, quam nihil simus, nobis relicti, & vt tandem vere possimus, non tantum mundum, sed & nos ipsos abnegare, adeo: vt toto fic ad Deum clamemus desiderio: Cupio dissolui, & esse cũ Christo. Quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Atq; hæc vult ille, cuius delitiæ sunt, esse cũ filiis hominum, vt nos rursum desideremus esse cũ, illo. Deniq; Deus ille viuus conseruet te Norimbergensibus, nuper vere Christo regnantib. donec ipsi perueniant ad vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei: in virum perfectum: in mensuram ætatis pleni adultę Christi, vt nõ amplius sint pueri, qui fluctuent, & circumferantur quouis vento doctrinæ, per versutiam hominum, per astutiam qua nos adoriuntur, & qua impositum est iam miseris mortalibus: & nunc nouo quodam modo imponere nituntur secundum, nunc à dextris, vt olim à sinistris. Et vt te monitore & duce veritatem sectentur solius Euangelij. In charitate adolescant, virtute spiritus Christus meruit omnibus: vt sic nomen vestrum olim in vitæ libro clarum reddatur supertum atque vtrisque inferis in æternum, quemadmodum iam bono tempore modo clariunt; Quod faxit Deus per Christum. Gratia tibi & pax adeo reliqua, quæ tuæ prud. scribenda fuissent vere præsens tabellio enarrabit.

Conradus Cordatus.

CLARISS. VIRO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO, SENATORI NORIMBERGENSI, PATRONO OPTIMO S. D. LXXVI.

FAest, clariss. Bilibalde, vitæ meæ, & huius vrbani hic muneris ratio ac occupationum moles, vt non solum huc vsque amicorum absens studiis, sed plerumque & mihi ipsi commodisq; meis defuerim. Quamobrem obsecro, ne quicquam pristina erga te mea beneuolentia hac intermissione desluxisse arbitreris: quæ certe tanto aliquando vehementior videbitur, quanto diutius consuetudinis vsu caruerit. Nunc vero etsi, vt nunquam antea, negotiorum onere premor, non potui tamen Philippo Obermaiero, cui tuo ad vos proficiscenti deesse, cum ob singularem necessitudinem, qua mihi tot annos omni officiorum genere iungitur, tum quod ij sint studiorum ipsius fructus, vt omnium

omnium sane spem amicorum, non minus quam obtrectatorum inuidiam superasse summa cum gloria videatur. Versatus quidem est mansuetioribus in litteris, sed ea fœlicitate ingenij, vt paulo ante hic, Italorum quoque confessione, omnes, quotquot nostra ætate eo scribendi genere delectati sunt, longo interuallo post se reliquisse iudicetur. Quas eius virtutes egregias non ex ore & frontis integumentis, non sermonum inuolucris, sed vbi in interiores animi eius recessus penetraris, perspicue agnosces, ac vltro complecti voles: quæ vtinam oculis, vt ille inquit, cérni possent: quam ardentes vndique igniculos essent excitaturæ? Licebit tamen interea id ex eius amœnissimo epigrammatum libello, quo nihil candidius, suauius, & antiquorum vatum genio similius, aliquo modo æstimare: quod velim non meum tantum, sed omnium doctissimorum hominum iudicium existimes. Fac itaque, optime bonorum atque litterarum Patrone, ne tanta gentis nostræ prope adulta spes & gloria vsquam intercidat: Tum rebus meis, quibus alium portum, vt ex ipso Philippo abunde intelliges, meditari ac iam circumspicere cœpi, adiis & amanter faueas. Est occasio mei perpetuo deuinciendi, neque erimus indecores vestro patrocinio. Vale, & me vbicunque terrarum tuum numera. Romæ raptim prima Febr. anno Christi M. D. XXIV.

D. T.

Georgius Sauromanus Cæs. Maiestatis Procurator.

MAGNIFICO VIRO, D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO IVRISCONSVLTO, PATRI PATRIÆ, DN. SVO S. D. LXXVII.

DEbemus tibi, Magnifice vir, omnino omnes, qui litteras profitemur, ceu communi, vt aiunt, Mercurio, vel Herculi, vt ad illud Senis Lyrici alludam: κωφὸς ἀνὴρ ὃς, δὲ κεκλαγμένος μὴ παρεδέκετο. Quare salutandus mihi videbare, qui soleo alioqui nihil habere prius, quam ordinis tui hominum fauorem, quo & alantur studia nostra & alita foueantur. Ergo te quæso boni consulas, quod excidit, quasi χαῖρε, pro simplicitate scribendi, quodcunque animo flagrante, in laudis videlicet tuas, collibuit. Olim, si nos litterario aliquo munere excitaris, daturi sumus vel magis elegantia, vel certe magis meditata. Vale. Ex Tubinga.

ΕΙΣ ΒΙΛΙΒΑΛΔΟΝ ΤΟΝ ΝΩΡΙΚΟΝ ΦΙΛΙΠΠΟΣ.

Ἐρμῆ πάλαι κυλλήνιε
ἄγγελ' εἰς Γερμανίαν
τὴν δυσμάρεσιν ἔλθοσαν
λυγρὴν σὺ νεῦν ὑμᾶς
μοῦσά με πέτνι' ἀλλάσσασα.
τίς δὲ μίζες σὺ τόδε
πλανοδαπὸς εἰσήνεγκε ζῶς
εἰς Βιλιβάλδην τὸν ἀκτῆ
ἔ ἀλλοῖον. μοῦσαν ἢ τε
ξεινοδοκεῖσα σὺν τῇ χορῷ
τῶν δυσμῶν χαλέπτει θεᾷ,
τῷ πολυμύθῳ πειθοῖ,
ἢ νίκα ἔρις ἐν τοῖς χείλεσιν
κ' ἀμφοτέρους εἶδος πλήσμον', ἐ-
κέλευσεν ὑμνεῖν τὸν ξεῖνον
ἐν ὀλυμπίοις τοῖς δίμασι.
μουσῶν δὲ κἠμὶ χαλέπτων χορεῖ
ὕδωκεν οἶκοι γ' ὀπηδεῖν
τὸν Βιλιβάλδεν, τὸν ξεῖνον.

Philippus Melanchthon.

IN OMNI GENERE LAVDIS SVMMO VIRO BILIBALDO PIRCKHEIMERO NORICO, COMMVNI LITTERARUM præsidio, Domino suo. LXXVIII.

Ἐπαίνειν τὸ ἔμμεσον, ὥς φασι μύσται· ἀεὶ φιλόκαλος εἶναι, πάλαι ῥηθὲν εἰσὶ, μάλιστα δὲ τὸ σὸν φιλόκαλον, ᾧ σοφοὶ πᾶσι τὸ ξ σοφῶν αὐδῶν ὑπὸ τῆ ποιητῆ ἐπιφορὸν αὐθρώπων, ὃ ἐμὶ τὸ ὑπέριον ὠσάπερ ἀξιωσόμβρ, ξ τῶν φίλων σὺ δῆμα. Ἐμοὶ μὲν φιλῶσι, ὁμῶς τοῖς μβρσικιστάτοις, σίγαμαι δὲ ὁμῶς τοῖς ὡς παμαδικιστάτοις. κηρυξάμβρ, ὡς ὀλίγῶς ἱερὸν ὑμοὶ ; Ἀμαστῶν στον, τὸ μόνον τὸ τῆς σοφίας σὺ ἄφθονον κλί, ἀλλὰ καὶ τῆς σὺ φιλοφρόσυνης ἱερόσυλος ἡλεήμα. σὺ δὲ τὸ δίχ μα, ὡς τάλαν εἴωθες, ὑμοίλιχ ἀσπάζῃ, μηδὲ μυελοσόμβρ ὁ τῶν ξ ἀκενόδοξος σοφῶν κορυφαῖ. Νῦν δὲ σὺ λῷ ξ ἁμαίμονι ἐμὶν χρῖσθ δέομαι, ξ ἀληθεινὸν, ὁ φιλάνθρωπ, χρεὼ δ αὐτὸν, ὃς φιλανθρώπιος, ὁμοίξαι τι καὶ τοῖς ὑπὸ ἰσωσίας πέφυκόσι σκέπασον. καὶ ζε ξ ἐμοῦ φίλε, μηδ' συκινῆ, ὦ φίλ ζωτ, μεταστήσαι τι καὶ ἀλίγιστον. σὺ γὰρ ἀδήμια ἀλλοσκοπία. ἔῤῥωσο. Δοτ νυσλήβιῃ ιγ τῶν Σαξόνων. τῇ κα. ξ φεβρουαρίου. M. D. XIX.

Meo

Meo nomine multam Geudero tuo salutem dices. Spalatini item verbis tibi salutem nuntio. Amicissime tu quoque Capnioni me, si quando ad illum scribes commendabis. Interim da veniam αὐτο χειρόγραφον.

Philippus Melanchthon Tuus.

IOANNI HVTTICHIO BILIBALDVS PIRCKHEIMERVS S. P. LXXIX.

VIx mihi iucundius quid hoc tempore accidere posset, mi Huttichi, quam quod te laborum meorum correctorem offers. Et profecto nisi Cobergerio nostro identidem roganti morem gessissem, haud quaquam exemplar Argentinam misissem. Videbam enim in prioribus Ptolomæi libris multa perperam impressa & inuersa esse: ex quibus facile constabat, Bibliopolam non admodum gnarum esse litterarum, minus vero diligentem. Sed quid faceremus, cum tabulis careremus? quas licet multis in locis ineptas, nullo ille tamen pretio nobis locare seu commodato dare voluit. Inuitus itaque, ac spe non bona oneratus, Cobergerio obtemperaui. Verum tu omnem timorem adeptus itaque, ac spe non bona oneratus, Cobergerio obtemperaui. Verum tu omnem timorem adhibe, & quod te vltro ad id obtulisti, quod nobis summopere optandum erat. Per bonas musas itaque litteras ac amorem nostrum te rogo, vt laborem hunc suspicias, non tam nobis quam studiosis omnibus rem gratam facturus. Nosti enim, libros tales nullius esse momenti, imo plus damni quam commodi adferre, quoties inemendati in publicum exeunt. Permolestum profecto mihi foret, si tot labores mei, & maiores quidem, quam facile quis, nisi expertus, credere posset, ab ineptis contaminarentur impressoribus. Exemplar vero elaboratum esse confido, nisi vbi quibusdam in locis scriptoris erratum est incuria. Verum id diligentia tua facile restituetur. Accelerare coactus fui Cobergerij nostri precibus, aduersa etiam degrauatus valetudine. Proinde si quid dubij incidet, semper me certiorem reddere poteris. Quid vero aliud adponi debeat, bibliopolæ commissum arbitrio. Ptolomæus primo ponetur loco. Dein Ioan. de Regio monte sequentur adnotationes. His demum Fabulæ tam antiquæ, quam modernæ adnectentur, licet multis in locis sint ineptæ. De reliquis Bibliopola videbit. Nollem ego alienum damnare laborem. Tantummodo cupio, vt mea maneant incontaminata. Si liber hic impressus fuisset, Ioannis Schöneri Geographiæ introductionem, vt vocant, adiunxissem. Tu cum amicis in medium consulite, & libero hac in re vtimini arbitrio. Ego tabulas tam nouas, quam antiquas delineare cœpi. Si Deus annuerit, aliquando absoluentur, & denuo Ptolomæus noster imprimetur. Beatum Rhenanum, si apud vos est, nomine meo saluta. Et tu quoque bene vale, mi Huttichi.

BILBALDVS PIRCKHEIMER BEATO RHENANO S. LXXX.

GRatæ mihi fuere litteræ tuæ: Longe gratissimum, quod videam, te absoluisse ea, quæ multi voluere, pauci potuere. Tibi igitur non solum Germania nostra, sed & omnes eruditi, præcipue vero Germani, plurimum debent, quoniam commnuem patriam, ac omne Germanicum nomen non solum exornasti, sed & ab obliuionis iniuria vindicasti. Labores igitur tuos honestissimos Cobergero nostro, vt dignum erat, commendaui, hominemque induxi, vt illos impressioni mandare conetur, dummodo tecum conuenire possit, quemadmodum ex litteris eius plane intelliges. Ego vero quamuis totius operis specimen ex Indice deprehenderim: tamen ob amicitiam recens initam te admonere, imo rogare volui, vt præcipue Gothorum gentem, tanquam vere Germanicam nobis vindicares, quam Gothorum & Longobardorum fex (Italos dico) nobis ob innatam inuidiam eripere conatur, ac ob Germanici nominis odium Gethas pro Gothis esse contendit. Ostendes igitur ex priscorum scriptorum autoritate, gentem eam Germanam origine lingua Germanica vsam fuisse. Dein quemadmodum diuisa fuerit in Ostrogotthos, Wisigotthos vel Hyppogothos, Vandalos & Geppidas: ex quibus Longobardi & Turcilingi Longobardorum optimi, Anures quoque initium sumpserint: quæ omnes gentes nomine tantum discretæ, vna tamen & eadem vsæ sunt lingua: quod plane Paulus Barnefredus ostendit. Dicendum quoque erit, quo pacto Gothi totam Asiam vsque ad Ægyptum subiugarint: cuius rei Herodotus quoque meminit: quemadmodum inuicem hi ad Orientem, alij ad Occidentem concesserint. Quibus viribus Brennus Asiam inuaserit, id ex Pausania, quamuis mendace, intelligere datur. Quemadmodum Huni, & ipsi Germani, Gotthos inuaserint, vicerint, ac cedere coegerint. Quo pacto Atila Scythica & Germanica regna possederit, militantibus Sueuis pedibus, Hunis arcu, Alanis graui armatura, Gotthis ensibus. Quo pacto per legatos vlteriorem subegerit Hispaniam. Quemadmodum regnum Germaniæ verus Ortum cum Osterreich, versus occasum cum Westerich terminauerit: Hunnorumque nobiliores sedes in Hundsruck, hoc est, Hunnorum, vt appellant, secessu, posuerit. Describendæ quoque

erunt, auctoribus Radeuico, Ammonio, Warnefredo, Iornande, Luitprando Sueuorum, Francorum, Vandalorum, Rugorum sedes. Præterea Terungi pars alia Gotthorum: Turcilingi Herculi, & horum stirps Brenni, Thaiphali, Astringi, Carpi, Alani, Sciri, Burgundiones, Vitungi, Chaibones, Hermunduli. Quemadmodum Gotthi, Sueui & Vandali deuastata Gallia Hispanias inuaserint: Sueui Lusitaniam: Wandali Beticam, Gotthi Hispaniam possederint. Inde quo pacto Wandali Aphricam quoque sibi subiecerint. Describenda quoque erant Hunnorum, Wandalorum, Alanorum gesta, & bella, quæ Turcilingi cum Rugis, Longobardi cum Gepidis, Sueui cum Gotthis gessere. Quemadmodum Franci ruptis limitibus Galliam ingressi ac illa potiti sint: Quo pacto Germani Massiliam cum omni maritima ora, ac Arelate regnum in ditionem suam redegerint: Quæ omnia, Procopius de bello Gotthorum ostendet. Narrandum quoque erit, quemadmodum Odoacer genere Rugus, auxilio Turcilingorum, Sueuorum & Herulorum, Italiam inuaserit & subegerit. Demum Longobardorum gesta diligentius describenda erunt: quomodo auxilio Saxonum Italiam irruperint, ac illam possederint: Angli Britanniam occupauerint: Nortmanni, & ipsi Germani, Gallias vastauerint. Hæc omnia etsi minime dubitem à te ex amussim descripta esse, amice tamen admonere, & tanquam generoso equo calcaria adigere volui. Tu vero, vt vir bonus ac doctus, amicè omnia accipies. Quin & hoc adnitendum, ne in quibusdam decipiaris. Nam libro tertio, capite quinto, Hungorum gentem, non vetustam, sed moderniorem, pro Hunis accipere videris, qua in re & Michael Ritius non indiligens scriptor errauit. Deceptus quoque est bonæ memoriæ optimus ille amicus noster Celtes in quibusdam, quem & tu in Oddonis sylua sequeris: cum non ab Ottone, sed ab Oriente Osterwalt, quemadmodum ab Occidente Westerwalt, nomen sortita sit. Præcunctis vero cuperem, vt antequam tua hæc Germanica emitterentur, amico nostro Stabio, & quibusdam aliis doctis examinanda traderentur, non quod aliquid in te desiderem; sed quia labores tuos dignos, qui à doctis legantur, existimem: ac vellem, vt Zoilorum, quibus nemo caret, iudicium tuto subire posses. Nam vsus, experientia, & doctrina facit, vt multi plus quam singuli videant: facileque est inuentis addere. Vale.

BILIBALDVS PIRCKHEIMERVS BEATO RHENANO S. P. D. LXXXI.

ACcepi, vir clarissime, litteras tuas, nec non libellos, quos vna misisti. Ceterum aliquantisper molestum fuit, anxiam illam tuam legere excusationem, tanquam mihi suspectus esses minus sincerè mecum agere. Noli quæso tam sinistre de me iudicare. Quo enim officio amici colendi sint, satis mihi nosse videor. Ideo vanam illam suspicionem depone, ac tibi persuade, non solum illa, sed & quæ penes me latent, tibi esse communia. Doctorem Paulum per te mihi conciliatum esse, gaudeo. Nam præter litteras, virtute quoque præditum esse audio. Sed omnium gratissimum fuit intelligere, nostrum Roterodamum viuere. Nam eum vitam cum morte commutasse non sine magno animi dolore audieram. Nostrum dico, quamuis hominem nunquam viderim: attamen ob doctrinam ac ingenij fœlicitatem non solum tanquam nostrum diligo, sed & vehementer amo. Epigrammata Mediolanensium non accepi. Cocleum tamen ac Chelidonium tuo nomine salutabo. Ceterum promissi memorem esse te, etiam atque etiam hortor, vt ineunte vere ad nos accedas, ad ædesque meas, quas tibi benigne offero, diuertas. Non solum enim verbis, sed & operibus tibi declarare cupio quam tibi sim amicus. Vale.

D. BILIBALDO PIRCKH. GLAREANVS S. D. LXXXII.

PTolomæum abs te restitutum, ornatissime Bilibalde, vehementer gaudeo. Est enim Geographiæ solus ac vnicus artifex. Ceterum quod ad librarios attinet, hoc vnum scito, omnia illis ad lucrum tendere, ac vnicum esse illis scopum, vt ὡσὶν τ' ἄλφιτα sint, quæ premant. Præterea nullus hic est, qui vllas habeat figuras, Argentorati citius acquisieris, quippe qui tantas expensas impenderunt in stultissimas indoctissimi cuiusdam Nænias, vt miserear plane eorum, qui adeo nullius sunt iudicij, vt quicquid lucidum viderint, statim aureum existiment. Et vt nunc est seculum omnium quotquot vnquam fuerunt tumultuosissimum, propediem fore timeo, vt disciplinæ bonæ omnes vna cum linguarum notitia pessum eant. Ad hoc spirant quidam, qui tamen pietatem se instaurare prædicant, & Sophistarum se flagella profitentur, ipsi omnibus Sophistis stolidiores. Ego vt pietas nobis absque disciplinis bonis, & græce linguæ notitia restituatur, plane non video. Et tamen hi magno boatu clamitant, nō esse græce latinoue studendum, sat esse si hebraice, ac germanice sciamus. Dispeream, si non est hoc consilium, vt ex Christianitate nobis alteram Turciam efficiāt. Ego modestiam sane quorundā omnino magnorū desidero. Eadē conqueritur parēs ac præceptor

ceptor noster Erasmus, qui laborē tuum summe probat, iniquitatē seculi deplorat, sed hęc hactenus. Iuuenis hic, notus antea tibi, eruditus est, bonus est, modestus est, quem adeo cōmendatum apud te ac tuos velim, vt qui commendatissimus, ita Lutetiæ, ita Basileæ, ita Solodori, vbi natus est, se gessit, vt nemo sit, qui non vitam ac mores eruditionemque eius summopere commendet. Cetera ex eo intelliges. Mihi porro gaudium haud mediocre erit, si sentiam meam apud te tuosque profuisse intercessionem. Hic tales sumus, vt propemodum plures sint præceptores quam discipuli, Tempestas ingens est in honesta studia, maior quam cum sophistæ grassarentur. Sed hæc Christo commendanda. Vale vrbis tuæ & totius Germaniæ decus. Basileæ ex Collegio nostro. M. D. XIV. anno à natali Christi, vndecimo Calend. Maias, &c.

D. Bilibaldo Pirckheimero Senatori Norico, Græcæ latineque doctiß. litterarum antistiti, amico tanquam parenti.

DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO VIRO CONSULARI VRBIS NOR. OPTIMATVM OPTIMO.

D. BILIBALDO PIRCKH. VIRO CONS. GLAREANVS S. D. LXXXIII.

HAbeo gratiam haud mediocrem benignitati tuæ, ornatissime Bilibalde, pro dono tuo mihi misso, quanquam vellem id tuo animo tam satisfacere, quam scio syncero, & amico animo ad me missum. Augurabar hoc, vt laboribus tuis, accuratæque diligentiæ non responderet librarij. Et plane non respondit, vt litteræ tuæ testantur cum ad me, tum ad D. Erasmum missæ, Sed quem vnquam librum eximium excuderunt illi, quem non magis deprauarunt? At retulit mihi D. Erasmus te alterā tam adornare editionem. Ideoque iussit me scribere tibi, de qua tamen re vix constabat mihi, nisi vt gratias agerem, tibi de dono misso. At ego paratus sum tibi cum codicem remittere, multis in locis notatum, ea tamen lege, vt nouum exemplar, ex iis quo nunc adornas ad me mittere digneris. Notaui autem facta in hoc, vt iudicio tuo subiicerem, tuque ea vel probares, vel reprobares, ac si vsui tibi futura sint iis vtere sis, suppresso meo nomine. Atque vtinam omnes ita animati essemus, qui iuuare litteras volumus, vt in restituendis authoribus alius alij auxilio esset, ac non quisquis suas quæreret gloriolas. Malo ego eximios viros iuuare pro virili, sub quorum nomine libri exeant. Nunc veto tot sunt, qui libros edant, etiam ineptissimos, neglectis bonis ac antiquis autoribus. Ptolomæum emendare immensi laboris opus est, ac vellem esse multos, quorum singuli singulos acciperent libros ac singula capita, ac collatis exemplaribus, tamen etiam facta Plinij, Straboniſque collatione ad Ptolomæi restitutionem restituerent loca, nam id fieri potest, temere fieri non suadeo, sed adhibito iudicio: Mihi, qui sum occupatissimus, in hac temporum iniquitate, licebit fortassis quædam reuidere, omnia non licet, facessunt enim negotium, qui omnes litteras exinctum iri vellent. Adeo debacchantur hic in omnia studia improbi quidam, sed nominibus abstineo, facilius etiam in me, cui videt perpetuum esse bellum max. πάντα, ipsi interea bellissime ex noua ista hypocrisi comminantes, furchones, bibones, comedones, ventres, abdomines, etsi quid aliud, quod dicere nolo. Quare mi doctissime Bilibalde meam operam tibi promitto, nec vllam aliam ob rem, quam vt sim tibi charissimus. Atque vtinam sit aliquis, qui tabularum picturæ succurrere velit. Romæ tabulæ in æs incisæ erant atque vnum tale apud me exemplar est, immensis vt puto, factum expensis. Quæ Argentinæ factæ sunt, mihi displicēt tabulę. Atque adeo quædam ita deprauatæ, vt deprauatiores esse non possint. Vt in codice nuper edito est noua Europæ, ac quarta Asiæ. Tu scribis mihi si placuerit, quod te in re me facere velis, ac quando ea inchoare, inuenies me clientem. Orbe redempto M.D.XXVI. quarto C. Iendas August.

EXIMIO AC VERE GENEROSO VIRO DN. BILIBBALDO PIRCKH. NORIMBERGENSI, MECOENATI AC DOMINO nostro summe colendo. LXXXIV.

MAgnas atque adeo ingentes benignitati tuæ ago gratias, ornatissime D. Bilibalde, de munere tuo. Video enim in amicorum tuorum albo locum habere non extremum. De quo cum multa benignitas tua mereatur, ille mihi præter animum addictissimum tuæ clementiæ adferre potest. Sed voluisse referre gratiam, cum nequeat, ita ab illo accipias, vt à clientulo nominis tui studiosissimo. Porro plurimum gaudeo Ptolomæum nobis in integrum à præstantia tua dari propediem. Sed heus tu optime D. Bilibalde, Lampas nostra ita nunc lucet Basileæ, Vt Glareano egregiæ sit iciundum, ni propere illinc facessat. Et timeo sane hic cum pietate etiam interitura omnia honesta

ſtudia. Quare ego his diebus Friburgum conceſſi, nactuſque ſum poetices profeſſionem, paucos poſt dies totus illuc vna cum omni ſupellectile migraturus. Nam ego quietam nullã video, vbi hic Lampas regnat. Nunquam deſiit tumultum excitare hic cum ſua cohorte. Sed qui nihil minus ſua opinione facit, totus Euangelicus, totus pius, totus Paulinus. O Dij boni. Vtinam liceat vel vnam horam iſtic tecum libere de hoc portento fabulari. Sedenim nunc deſino tibi eſſe moleſtus, Deus Optimus Maxim. benignitatem tuam incolumem ſeruare dignetur, Baſileę, ex Collegio neſcio quamdiu noſtro, certe quod dixit ille, ſic vos non vobis nidificatis aues: Aut veteres migrate Coloni. Vale. Anno Chriſti 1529. nonis Februariis, &c.

VERE NOBILI AC EXIMIO VIRO, D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO NORICO, OPTIMATVM OPTIMO, AMICO ac Domino inprimis colendo, Glareanus S. D.

LXXXV.

TErtio Idus Aprilis D. Doctor Zaſius in choro ſummi Templi Friburgi tuas oſtendit mihi litteras, plenas omnis in me cum benignitatis, tum humanitatis plus quam officioſæ. Nam in eis vidi, quam vere me ac vnice ames. Pro quã re quid viciſſim retribuam, nihil plane habeo, niſi vnum animum in te certe promptiſſimum. Sed faxit Deus Optimus Maximus, vt tuæ benignitati aliter æquum reddatur beneficium, quam vt eo deuenias, vt ego vel quiſquam mei ſimilis tibi queat referre gratiam. Oſtendiſti enim boni perfectique officium viri, & amici minime fucati. Sed de his ſatis. Animum tene pro gratia. Baſilea diſceſſi non abſque cauſa. D. Eraſmus quoque propediem Friburgum ſe recipiet, vbi magnifica illi domus eſt Theſaurarij Cæſaris, quem Villinger vocant. Oppidum plane mihi arridet, tot elegantibus fluminibus, populo ſatis mundo ac modeſto, ritibus adhuc veteſtis. Itaque nullius rei vnquam minus pœnituit, quam quod à Baſilea mutata habitatio. Scripſit ad me Georgius Hartman, ſancti Sebaldi neſcio Decanus an vicarius (nam ſubſcriptionem legere non potui) olim congerro meus Agrippinæ. Eius memoria fixa hæret pectori meo, non ſecus ac fratris. Is ad me miſit horologium, priſtinæ amicitiæ μνημόσυνον, vt puto, ac ingenij ſui fidum apud me monumentum: Quod equidem his diebus allatum nondum in ſuum repoſui locum; ſed adoleſcenti cuidam rei mathematicæ ſtudioſo dedi qui curaret. Nam ego nouus hoſpes publice Liuium, priuatim vero Homerum græce, Ouidij Metamorphoſin, ac Virgilium, quatuor grauiſſimos authores profiteor, vt profecto non ſit mihi tantum otij, vt vel eam rem dono miſſam ipſe iam tentem, vel illi digne, vt decuit, reſpondeam. Oro itaque clementiam tuam, oratoris apud illum fungaris officio, mei cauſa, magnaſque gratias me dicere, dicturumque porro, quo ad referre aliquando queam. Sed iam deſinam moleſtus eſſe tibi. Tuum recens elaboratum, expectamus Ptolomæum, non immemores, quantum prioris editio adiuuerit multos, quantumuis ſæuierint in eum barbari bibliopolæ. Vale fœlix. Friburgi, anno à Chriſto nato M.D.XXIX. pridie Idus Aprileis.

EXCELLENTISSIMO ORNATISSIMOQVE VIRO, DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, OPTIMATium optimo, amico ac Mecœnati noſtro ſumme colendo, Glarenus ſalutem dicit.

LXXXVI.

VIx dici poteſt, ornatiſſime D. Bilibalde, quantum gaudij ex epiſtola tua acceperim, atque id quidem non tam mei ſtudioſorum omnium cauſa. Fœlicem Germaniam talibus proceribus, talibus viris, Ptolomæi Geographica quantum geſtit, quantum deſiderat ab omnibus doctis. Sed hoc vnice dolendum quod librarij non adſunt ad notum quoq; quæſtui ſtudent, laudi nullus. Dij boni quantum campi haberet his iuſta in illos ira. Vidimus olim in Bibliotheca D. Iohannis Rinch Coss. Agrippinenſis, qui adoleſcentiam meam vnice promouit, tabulas Ptolomæi in æs inciſas. Placuit id nobis maxime, ac poſterioribus annis talem & nos nacti, quanquam cuiuſdam Cœleſtini monachi traditionib. contaminatum, adiectis nouis tabulis pluſquam ineptis, meo quidem iudicatu. At in tuo codice mirum, quam omnibus doctis placuit, in ipſis authoris libris, hoc eſt, in fontibus tam locos quam fœliciter reſtitutos. Mihi ſane, vt verum fatear, quantumuis cupido non fuit tantum otij ab occupationibus meis, vt ex animi mea ſententia conferam eam cum Plinio, ac Scarabone. Nulla mihi à labore, quos. E Baſilea ceſſi, ædificata illic multis expenſis pulcherrima domo, atq; hæc quidem omnia voluntarius. Friburgi alia mihi purganda reſtituendaq;, quæ eſt Dominorũ ab Stonffen prope prædicatores. Quod porro ad profeſſiones attinet, animo

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [340] - 316
PUBLIC DOMAIN

animo neminem miseriorem in re videri, quam nos bonarum litterarum professores. Iura, medicina atque ipsa etiam Theologia ** non audeo dicere suum quæstum. Sed certe ea, quæ sunt πρὸς τ' ἄλλα φέρτα. Nos quibus est res angusti domi, ac nunc ab illis præditantibus in suggestu apud populum traducti, tanquam qui doceamus gentilitatem, qui græco latineque loqui nitimur, omnium infœlicissimi merito iudicamur, certe in Heluetiis iidem clamatores constantissime in omnia studia apud vulgus indoctum clamant. Vt nunc apud eos, nihil scire, sit prope laudi. Et iuuenes, qui nunc ad nos mittuntur, plerique adeo infantes veniunt, vt non absque ingenti animi dolore mecum apud Christum deplorem, sæpiusque illud Euangelicum væ clamare cogor, qui paruulos, quorum est regnum cœlorum, & quorum curam tantopere præcepit Christus, ita negligunt. Hæc ratio est, cur omnibus aliis prope relictis rebus, iuuentuti erudiendæ intendam, putans talentum meum mihi lucri fore apud Deum. Itaq; sæpe quinque horis vna die prælego, maximumque tempus meum ita perdo aut potius. Enimuero, vt mihi quidem videtur, librorum pluſquam satis est. Melius facerent, qui veteres restituerent authores exemplo tuo, atque tui similium: Ac profecto ego quoq; nunc in hoc cum eram. In Liuij duas decadas scripsi prope mille annotationes, Vnumque hoc mundo ostendere cobi hæc retinent publicæ inuidentes, vt multi quidem ** militari, vt soli ipsi iudicentur docti. Budæus recte sæpe eum græce citat. Nunc quid ego te velim eruditissime D. Bilibalde, paucis accipe. In Ptolomæi lib. 8. respondentia graduum terræ ad cœli gradus dicitur esse stadiorum 500. cum apud Rotosthenem, quem Scraba, Plinius, ac veteres plerique sequuntur, sit 700. stadiorum. Vnde hoc tam magnum in singulis gradibus discrimen inciderit, cum sæpius ea de re cogitauerim, tamen id reperire nequiui. Rursus cum Clima sit vbi diei quantitas mediata varietur hora, qui fit, vt Climata non dupla ratione instituantur, ad Parallelorum rationem, ita vt vbi Paralleli quadrantibus horæ progrediuntur, Climata dimidiatis horis? Quanquam dubitare quis poterit, haud immerito, quam vetusta sit Climatum in Geographicis tractatio. Certe Parellelorum consideratio quam libro secundo tractat Ptolomæus διὰ τὸ μεγάλης σπουδείας longe aptior videri. Porro de passu ac Orgyra variatum est apud scriptores. Cum ego cum Valla eadem esse putem, videlicet mensuram inter manus expansas, vt ex Suida vertit Budæus, vt sit à pondo, quamquam nemo nescit etiam pro gradu accipi, quid græci τὸ βῆμα, vt sequitur, quæ patrem non passibus æquis. Sed hæc obiter, vtinam liceret cum benignitate tua vel biduum esse. Quid porro si Ptolomæi codex, cum sit tibi adeo correctus etiam græce excuderetur? Id quod fere tam paruo nunc fieri possit, vt latine, fœliciter vbique nascentibus formulis. Basileæ Ioannes Bibelius Aristotelis omnia opera nunc græce promit pulchertimis ac plane græcis characteribus. Si formæ illi essent tabularum, credo virum facile induci, vt Ptolomæi quoque opus premeret. Sed nunc subit mentem, atq; adeo miror, quo manifeste elegantissimæ formulæ deuenerint, quibus Romæ excusus olim Ptolomæus, si hæc quoque in manus tuas vna cum reliquis rebus deuenissent, quam vellem. Nihil enim fœlicius esset, ad absolutam tuam illam editionem. Quapropter Hungariæ tabulam, quam benignitas tua mihi dono misit, exculpsit, oppido planecet. Vobis potentibus ac diuitibus hac in re enitendum. Nam me conantem, cupidum præter opti-me vires deficiunt. Inter Chorographica, quæ multa nunc parari scribis, vellem & Syracusas, vt apud Liuium, lib. 4. & 5. decados tertiæ. Et apud Thucydidem, lib. 6. ac 7. digna me hercule ingenio magno pictura. Denique id quoque vtile operi tuo putarim, vt index latinus ad Alphabeti ordinem in totum opus fierer. Quod Argentinenses in prima editione vtrumque præstiterunt, in tuo Codice addo intricatam quidem apposuit, vt Delio nacutori, quemadmodum recte conquestus es aliis tuis litteris. Verum alius index a mediocri aliquo docto fieri poterit, & tantum laboris vel bibliopola facere possit. D. Erasmus ex morbo conualuit, at Senium, quo tamen non admodum magno est, multum virum grauare videtur, aut fortasse turbæ inimicorum quotidie pullulantium, item immensi illi labores, quibus plusquam obruitur. Abitum dixit mihi nuper se parare, quod hic non habeat quæ velit. Verum ego miror, vbi locum eum inuenire queat, potius timendum locum eum inuenturum, in quo sint, quæ nolit, hoc est, imperiosos monachos aut Theologistas supercilios. Ex animo si illi consulere velim, nescio an ausim. Hic nemo ei molestus est, sed perdices ac auiculas pro arbitrio non inuenit semper. At ego putabam pluris esse deberi animi quietem. Salutabis D. illum Georgium Mathematicum, qui horologium quondam ad me misit. Tibi porro Eximie D. Bilibalde, pro tuis in me beneficiis nihil possum remittere. Vnum oro, vt sim tibi ex animo charus, vt vere te suspicio ac veneror, qui dignus es omni veneratione. Mitto etiam hic ad te meas de Geographico lucubrationes, vt si quando male locare tuas velis horas, non desit materia. Nescio enim num apud nos libellus vendatur. Ipse qui presit Ioannes est Emmeus Iuliacensis, homo ad bonas litteras & græcas & latinas, etiam Mathematica doctus, optimis plane formulis, quas ipse qua est dexteritate exculpsit.

Vtitur autem D. Eraſmus nunc eius præl ** Nam eandem Oecodiaboli inuidiam eum Baſilea expulit, qui Pelargi hominis docti aduerſus eundem preſſerat apologiam. Is nunc meo hortatu mittit nouam D. Eraſmo apologiam contra Argentinenſes Prędicantes. Cupitque tibi inprimis innoteſcere, quod equidem te ſcire volui. In libello meo pro virili enixus ſum maxime principia ad Geographica tradere, vt rudes viam ad illa maiora haberent, poſſetque Ptolomæi opus doctum iuxta atque vtile à mediocriter eruditis etiam alius *legi. potiſſimum etiam in hoc ſcripſi, vt in Scholis prælegi ea poſſint. Ideoque poſteriora omnia ad eius præſcriptionem direxi. Puto autem Ptolomæi codici coniungi poſſe vel hæc, vel ſimilia. Nam vt mea adiungantur, tantum abeſt, vt magnopere ambiam, & cum ſuis alterius malim, modo is melius introducat rudes ad eiuſmodi ſtudium. Reliqua in præfatione ſatis, vtpote à nobis declarata ſunt. Vide quam copioſe garrio. Sed iam deſino eſſe moleſtus tibi. Vale Germaniæ decus, & veræ eruditionis ſydus. Friburgi Nonis Septembr. anno à Chriſti natali M. D. XXX.

CLARISSIMO VIRO ET DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, CONSILIARIO CÆSAREO ET PATRICIO Norimbergæ, Domino ac Mecœnati ſuo plurimum colendo S. D. P. LXXXVII.

SCripſi ante menſes aliquot ad te, clariſſime vir, nomine Stoffleri noſtri, eius ſcilicet imaginis conficiendæ gratia, quam indies expectat, & quotidianis quaſi conuitiis à me efflagitat. Sed quia reor Matthæum Artificem hunc comitiis etiam intereſſe Auguſtæ, euenit fortaſſe, vt nondum perfecta ſit, vel ne cœpta quidem. Quidquid ergo in mora ſit, quæſo nobis ſignifices, perlibenter enim vellem, vt optimus ille Senex, mortalitatis ſuæ vmbram videre poſſet priuſquam humo conderetur. Quod autem hac priuiciam, vt tu ſ. procures, tibi iniunxerimus, ne quæſo iniquo animo ſuſcipias, cum te harum rerum diligentiſſimum inſpectorem cognouerim. Abiuiſſem & ego & Auguſtam, vbi artificem ipſum ſuper hac re conuenire licuiſſet, ſed inopinata matris meæ indulgentiſſimæ mors hanc profectionem impediuit & inſtitutum meum omnino intercidit. Siquidem hoc iter non ſolum, vt multarum rerum cauſas cognoſcerem, ſuſceperam, ſed potiſſimum & amore antiquitatum, quarum magnam copiam apud Peutigerum me aquiſiturum ſperabam, opem promittentibus aliquot amicis, illi enim me ei familiarem ſe reddituros ſpoponderant. Ego quotidie inquirere ſoleo, non ſolum nummos, ſed & antiquas ſcriptiones, quarum multas modo apud Rotenpurgum Necchari, item & in ducatu noſtro inueni, vtinam liceret aliquando illam quam tu ex Treuetis habes, turrim ſc. depingere, haberem ſiquidem pictorem Norimbergæ, qui tantum opere meo nomine libenter ſubiret, vbi tu eandē mihi & impartire haud dedignareris, & eſt Lucas ille quem & Georgius noſter nouit. Exſcripſi modo librum iuſtæ magnitudinis, refertiſſimum antiquarum inſcriptionum, quem Cardinalis quidam noſtræ Germaniæ, Romæ tranſcribi mandauit, is inquam liber elegantiſſimis characteribus & tenui membrana conſcriptus, ademptus ei eſt, in tumultu Ruſticorum propter aureas clauſuras, & alia ornamenta à milite quodam, qui poſtea detracto auro libri paruipendens, nobili cuidam docto dono dedit, is familiaris breui mihi factus eundem ad me tranſmiſit. Liber ille non ſolum habet antiquitates Romæ inuentas, ſed & totam fere Italiam, item Hiſpaniam. Præterea quod mea opinione præclariſſimum videtur continet illuſtrium virorum memoriam à primordio orbis terrarum vſque ad annum Chriſti M. CD. XXXII. quos olim Iordanus Cardinalis Vrſinus Papæ ſumus pœnitentiarius in cenaculo magnifice depingi curauit. Hæc autem omnia ordine quo depicta fuerant Rainaldus Vrſinus Florentiæ Archiepiſcopus Iordani pronepos in vnum libellum deſcribi iuſſit, ne tempore quod omnia conſueuit, nomina ac res geſtæ clarorum virorum vna cum pictura, abolerentur. Hunc certe libellum paruum antiquitatibus additum tibi deſcripſiſſem, ſed ſerius de nuntij abitione certior factus non potui, vbi autem intellexero te id vel videre ſaltem velle, curabo vt breui habeas, ſcio librum hunc inuito maxime poſſeſſori exciſſe, cum vix alius inter Germanos Epiſcopos, qui antiquitatem ita curet, ſed ne ineptiis plus nimio tibi moleſtus ſim hæc ſufficiant. Interim te Deus Opt. Max. diu nobis incolumem conſeruet. Ex Tübinga die XXV. Septembr. anno M. D. XXX.

Stutgardiæ mirum in modum peſtis graſſatur, adoritur modo Tübingam noſtram quo fugiamus non eſt locus, premimur & magna caritate annonæ qualem vix ſenſere panes poſt menſem. Sed ita diis placuit.

Tuus Andr. Ruttelius, &c.

CLA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [342] - 318 PUBLIC DOMAIN

CLARISSIMO VIRO, BILIBALDO PIRCKHEIMERO, PATRICIO VRBIS NORICIÆ, IVRISCONSVLTO EGREGIO, patrono suo S. LXXXVIII.

PRimum tibi vt debeo gratias ago, vir Clariss. Cum me non solum humanitate incredibili, verum amore quoq; summo semper es complexus. Quorum alterum perpetua tuæ consuetudinis suauitas, alterum in nostris difficillimis rebus deliberationis diligentia & consilii fidelitas nuper declarauit. Velim autem tibi persuadeas, quamuis vt tibi vllam gratiam referam, propter meam tenuitatem sperare non ausim, nunquam tamen esse commissurum, vt meritorum tuorum oblitus, aut parum gratus erga te fuisse videor, scire vero debes illam tuam consultationem, de mutanda accusatione in supplices querelas & deprecationem, omnibus, quibus exposui, ita te quoque pro tuo candore iubente, valde fuisse probatum: Me autem in primis magnam voluptatem è tuo consilio percepisse postquam huc adueni, & horum iudiciorum formam perspexi. Placebat mihi primum ille ἀναλῦσαι τὰς ἀληθείας λόγῳ: sed valde verum esse intelligo, quod Euripides ait, neque solum ad cogitationes sed consultationes etiam pertinet, αἱ ἐυβίοτου πῶς φρονῖδες σοφώτεραι. Modestissime vero quetus sum, & citra vllam acerbitatem, de sæuiss. iniuriis. Itaque impetraui, vt misericordia motum concilium Sueuorum sociorum legatis Episcopi negotium dederit, vt Episcopo de communi sententia significent, se hoc facto magnum dolorem accepisse, & petere, vt tolerabilibus conditionibus frater meus amittatur. Quod si ea spes est in legatis, quam mihi faciunt, plus confido me consecuturum, quam si atrocissime Episcopum accusassem, & iactassem nostram innocentiam immodice. Nunc sedeo hic otiosus, expectans episcopi responsum. Quod si non ἀλλ' ἐκ ἐθέλω ὀνεχθεὶς ἢ πεισθῶ. At omnia integra erunt, & rem, sat scio, non fecero peiorem. Equidem credo te facile existimare, quanto animi cruciatu tam indignas contumelias, quibus per summam iniuriam afficimur, feramus: verum τὴν κραδίην τλῆναι τοίῃ τὸν ἐνὶ παπτα μύθῳ, Τέτλαθι καρδίη ἐμὴ. Quid enim possum aliud? Irascar, arma capiam, insaniam? vana est sine viribus ira. Quare cum omnia summa fratris mei charitas requirat: Ego nihil eorum prærermittam, quæ vel salutis meæ periculo debere facere videbor: quo pacto officium meum, vt arbitror, præstitero. Ceterum exitum, sicut is in nostra manu non est, ita præstare non poterimus. Hæc ad te scripsi simul, vt quoniam festinata mea discessio gratias me tibi agere non est passa, animum meum litteris testarer, simul vt te de nostris rebus facerem certiorem. Quod superest, te clariss. vir oro, vt quo nos ab initio tibi à Philippo Melanchthone commendatos, studio & beneuolentia es prosecutus, conserues ac custodias, mihique credas, memores habiturum & gratos. Vale. XIII. Cal. Quintilis ex insula Danubii.

Ioachimus Camerarius.

VIRO PER OMINA MAGNO BILIBALDO PIRCKHEIMERO PATRICIO NORIMBERGEN. AMICO forti & cognito salutem Huttenus. LXXXIX.

HAbes, mi Bilibalde, perpetuum, nisi omnis nos, quam in litteris reposuimus, spes fallat, testimonium de te meum aut testimonium potius amicitiæ nostræ, quam rogo studiosissime colas. Mitto Dialogos L. item Orationes quinquaginta, Kobergo danda exemplaria. Verum Epistolæ CC. mittuntur, non idcirco, quod Kobergo omnia tradi velim, sed quia Stromer obnixissime flagitat mitti sibi. Tu igitur, qui vtrunque amas, mihi vero in re adhuc nulla defuisti, quia aliter à me Lipsim, quo ille vult, mitto non possunt, datis Kobergo L. aut centum, si vult, reliqua Lipsim, quam potes cito perferenda cura in ædes Melchioris Lother, apud quem ea quæret Stromer. Ego bene valeo. Breui aut me, aut copiosissimas litteras à me habebis. Interim vale. Accepi commentaria Cæsaris. Vale heroice. Augustæ Martinalibus.

CLARISSIMO VIRO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO SENATORI S. P. XC.

VIr Clarissime, Libellum tuum de Eucharistia lecturus sæpe, nunquam hactenus licuit perlegere, tot obruor vndiq; tragœdiis. Strages agriculorũ sic in spẽ victoriæ erexit animos omnniũ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [343] - 319 PUBLIC DOMAIN

Sunt Romæ quidam Pegani, qui peſſime volunt germanis omnibus, ſed duo præcipue mihi peculiariter infenſi, qui nunc extrema moliuntur denuo, quum id facere nunquam ceſſarint. Pontifex bis miſit mandatum ad academiam Louanienſem, vt blaterones illos cohererent, & per Rectorem totius acadamiæ nomine fieri cœptum: Reuerſus Latomus cum ſuo collega preſſerunt rem. Interim is, cui commiſſa fuerat executio, Theologus eſt, perſuaſus à Latomi collega quo nullum animal ſceleratius viuit, ſcripſit clanculum Datario, quod mutarit conſilium, excuſaret ſe Pontifici. Datarius clam miſſis literis probauit factum, probauit prudentiam, & promiſit ſilentium. Venit edictum Cæſaris admodum ſeuerum, & hoc eluſerunt. Impetrarunt ab aula edicti interpretationem hoc eſt irritationem. Habet Iodocum præſidem ſenatus Mechlinienſis, hominem plusquam capitaliter infenſum bonis litteris. Beda miſit ad me plusquam ducentos articulos damnabiles, ex libris meis collectos, nullius momenti. Lodouicum Berquinum præfectum & conſiliarium regium iterum coniecerunt in carcerem, non ob aliud, niſi quod libellos quoſdam meos vertiſſet gallice. Mater bis ſcripſerat, vt expectarent Regis reditum, delegati nihilo ſecius progreſſi pronunciauerunt eum Hæreticum. Articuli ſunt ad me miſſi, qui nihil aliud declarant, quam impudentiſſimos illorum ſycophantias, & craſſiſſimam inſcitiam. Quibus reſpondi. Rex vbi rediit, & quid eſſet actum cognouiſſet, miſit caduceatorem, denuncians illis, ſe velle cognitorem illius cauſæ fieri, ſcripſit per alium, ſe vitam ac mortem Berquini ab ipſis repoſciturum, ſi quid eſſet factũ. Quid deinde factum ſit, neſcio. Iacobus Faber, qui metu profugerat, non ob aliud niſi quod verterat Euangelia, Gallice reuocatus eſt in aulam. Romæ Verpus quidam, quem noſti, qui miſere inuidet omnibus doctis Germaniæ, exhibuit libri partem olim in me ſcripti, niſi quod adiecit quædam ex hoc temporum ſtatu furioſe nomen ſuum diſſimulat. Inter cetera dicit ſe mirari, quod in Germania tot hominum millibus cœſis, ego ſuperſim, qui ſic docuerim Germaniam. Deinde dicit Lutheranos, quamquam impiiſſimos ideo ſcribere in me, quod impietatem meam ferre non poſſint, qui Virgini Mariæ detraxerim ſuam Virginitatem, Chriſto ſuam diuinitatem, aliaque his furioſiora.

In Hiſpania monachus quidam ſcripſit ad me librum plenum laudibus, ſed virulentis aculeis reſperſum. Lutherus ſic ſcripſit, vt nullum amicitiæ locum reliquerit, & tamen videtur ſibi mire cohercuiſſe ſtomachum. Dum aduerſus Lutherum pugno, ſcio me iuuare partes quorundam, qui me mallent extinctum, quam ipſum Lutherum. Liber tuus de Euchariſtia vehementer arridet antilutheranis, Oecolampadianis mire diſplicet. Hoc diſſidium ſi tantum læderet nocentes, tolerabilius eſſet, nunc illis diſſidentibus erigunt caput quidam, qui nulli bono bene volunt, Optaſſem eam materiam fuiſſe trãslatam in aliud tempus, aut ſaltem fuiſſent in vero concordes. Mihi non diſpliceret Oecolampadi ſententia, niſi obſtaret conſenſus Eccleſiæ. Nec enim video quid agat corpus inſenſibile, nec vtilitatem allaturum ſi ſentiretur, modo adſit in ſymbolis gratia ſpiritualis. Et tamen ab Eccleſiæ conſenſu non poſſum diſcedere, nec vnquam diſceſſi. Tu ſic diſſentis ab Oecolampadio, vt cum Luthero ſentire malis, quam cum Eccleſia. Citas autem illum reuerentius alicubi, quam erat neceſſe, quum aliorum authoritatem potuiſſes adducere. Vbi extricaro me aliquantulum, perlegam totum librum tuum, deinde dilucidius intelliges quid ſentiam, ſi tamen pateris, me de tuis ferre ſententiam. Has litteras pro tua prudentia non communicabis quibus libet, faciesque, me de iis, quæ iſthic geruntur certiorem. Vale Baſileæ poſtr. Non. Iunias Anno 1526.

Eraſmus.

GEorgius Saxoniæ dux crebris litteris perpulerat me, vt mitterem, qui Moſellano ſuccederet, miſi Iacobum Ceratinum egregie peritum vtriusque litteraturæ. Res non optime ſucceſſit. Fortaſſis incidit in ſuſpitionem, quod non ſatis abhorreret à doctrina Lutheri, ſi vacat iſthic profitendi locus, fac vt ſciam. Nam Sigiſmundo decretum eſt, hinc non diſcedere, pro Ptolomeo tuo & Dureri libello, iam gratias egi, nunc pictum Eraſmum expecto.

SVMMO VIRO BILIBALDO PIRCKHEIMERO PATRICIO ET SENATORI NORIMBERGENSI S. IN Domino. XCI.

PAulus omnibus omnia factus, non ita moderabatur ſermones ſuos, quin non nullos contriſtaret, neque id ei dolebat, quandoquidem plerisque vtiliorem cognoſcebat triſtitiam. Itaque mi Bilibalde, neque ego pœnitudine ducor eorum quæ ſcripſi, etiamſi ſecus euenerit atque ſperaueram, & offenſi ſint ii, quos minime ſuſpicatus eram mihi ſuccenſituros. Et quid mihi inexpectatius immedicabili ira tua? Vnde reſcire poteram, te in proſcenium protrahi, in tanto concionatorum numero? qui ad rauim vſque contra me clamant, & multas chartas commaculant? Miror ſane, vnde ita ſubito in amicum proſilieris hoſtiliſſime, & antea multorum longe intempeſtiuiores libros decoqui potueris? Vix mihi tempero, quin amicitia noſtra indignas ſuſpiciones admittam. De fama mea nihil periculi eſt apud eos, qui ſobrie ſapiunt, neque ego ſummam rei in nominis immortalitate

litate constitui. Hoc mihi curæ est, vt Domino, qui est ipsa veritas, non displiceam. Is me, vbi tempus fuerit, per gratiam suam etiam coronabit. Verum vt honoris cupidine non valde mouetor, ita neminem defamare studui: imo hic caui, vt ab omnium nominibus abstinerem. Neque prius iniurius fui cuiquam, quam insignes antea contumelias excepissem. Nescis tu quales acceperim litteras, quomodo pro suggestu me atque alios quidam dedolarunt. Hoc autem non ignoras, quare tui triadem Satanicam vocarint Ecclesias Tigurinensem, Basilienſem & Argentinen. id quod ex tuis litteris accepi. Verum non tam conuicia, quam veritatis iactura spiritum meum excitarunt. Quin & adhuc certus sum, me conuiciis longe inferiorem, & manſuetudine superiorem aduersariis. Quod si illis ita otiosum ac iucundum, contra amicum inuehere, quis ego sum, vt prohibeam. Scio tamen, mihi aliquando fore vindicem Christum. Nondum deliberaui, an tuo Commentario respondere velim. Insuper quod precaris mihi mentem meliorem, & ego & mihi & tibi precor. Sed quod ad hanc veritatem Eucharistiæ pertinet, nihil minus opus tuis precibus. Neque enim est frigida opinio, vt tibi vel assentatoribus videtur, sed Christiana sententia, longe certioribus subnixa rationibus, quam vulgo credatur. Dic tu, quæ illa diuina oracula, in quibus Christus hanc potestatem Sacerdotibus se daturum promittit? Nam in his verbis aliud subest, quam cortex inconsideratis mentibus ostendat. Neque opus est vt Adelmannus aut quispiam alius ad conciliandos nos, vel diiudicandum inter nos à quiete ad nos reuocetur. Veritas ipsa satis declarabit propediem, quo quisque spiritu ad scribendum incitatus sit. De peccatis nostris quid mereantur, scribis. Non ignoro. Sed ego à misericordia Christi pendeo, qui pro peccatoribus mortuus est: & spero, quod me à blasphumia sui nominis conseruaturus sit. Demum, mi Bilibalde, doce me primum male habere, & deinde iube, vt resipiscam. Longe enim verius dicere possum, me confirmatum ex libro tuo, quam tu ex meo. Si videbitur res poscere, scribam & ego pro mea tenuitate ac simplicitate; Sed nullius propterea amicitiæ renuntiabo, quatenus per Christum licet. Tu multo ciuilius cum amico agere potuisses. Vale, & patius in Christo fratres ama. Basileæ XIII. Aprilis.

T. Oecolampadius.

PRÆSTANTISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO, DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, senatori inclytæ vrbis Norimbergensis, in omnibus eminentibus litteris viro principi, amico selectissimo S. D.

XCII.

QVi te in omnium virtutum exempla, Bilibalde præstantiss. genitum negant, illi mihi vel plane cæci, vel iniqui æstimatores esse videntur. Ita in te collocari videmus, quicquid in homine vsque insigne & commendabile iudicatur. Cum enim eruditionis & doctrinæ gloria in studiis humanis iam diu principatum teneas, emaculatam tamen illam sanctissimæ fidei sinceritatem ita tuæ eminentiæ adiunxisti, vt Orator ne vehementior, an absolutior sis Theologus, discerni non facile possit: In vtrisque certe victricia signa feras. Incidimus nuper in libellum immortali præconio dignum, quæ contra iustam Satanæ prolē, Occolampadium (sic enim Occatorem Lampadis nomino) veritatem corporis Christi Saluatoris nostri in Sacramento altaris adseris & defendis. Legi per transcursum locos aliquot, nec enim totum pellegere licuit, vt quem fortuito nactum, restituere mox fuerim coactus. Verum obitanea isthæc lectio, vehementi me partim admiratione, partim gaudio peruasit. Gaudebam, te sanctæ fidei rectitudine tam egregie constantem. Ceterum scribendi modestiam vrgentissimis iunctam rationibus, non mediocriter admirabar, contra eum maxime hominem, qui pestilentissimis doctrinis accerrima castigatione dignus esset. Libelli exemplum necdum meo iure habere potui, quod abominor. Nostri enim Bibliopolæ nihil nisi furfureas chartas circumferunt. Munere me optato imparties, si eius libelli copiam feceris. Qui enim à tua sententia, immo à Christo pertinacissime, tuos laudatos illos labores legere percupio, vt qui voto meo quam maxime subseruiant. Apud nos vix vnus aut alter contra Bestiam nititur: apparentque rari nantes in gurgite vasto. Erasmum, virum cum paucis principem, anxie exspectamus. At nihil dum scripsit, loco fortasse deterritus. Tota enim paulo minus Basilea ciuitas veneno Bestiæ infecta est. Ferunt pestiferum istum Occatorem Lampadis, tuis modestissimis admonitionibus, conuicioſe, superbe, & vsque ad effrenem contumeliam respondisse. Sed quid aliud faceret furiis actus,

actus, immo plenus Dæmonibus? Status causæ susceptæ satis sese prodit, vter disceptet fundatius. Tu stationem retenta, verbisque & fide nixus, modestia plane Christiana hominem vrges. At occator iste cum causæ diffidat, turpibus conuiciis, & mera cauillatur impostura, & velut nebulæ, quæ a procella feruntur, sursum versum iactatus, immo in omnem sese Protea conuertens, quod iusta ratione non potest, scommatis, mendaciis, suggillationibus substruere conatur. Tui proinde officii erit, vir Amplisſ. cum hæretico, immo hæreticorum antistite, amplius non congredi. Veritas ipsa, omnium bonorum virorum iudicio, in quibus tu primas tenes, tuas, quin potius Christi Saluatoris nostri doctrinas adprobat: quod puto sufficere. Cetera Dominum præstolabimur, qui huius bestiæ & tyrannidem & familiam, cum ei visum fuerit, conficiet. Vale, & parce intempestiue tecum loquenti. Libellus enim tuus, etiam non plene perspectus, inuitabat vt scriberem. Gregorii Nazianzeni si quæ habeas nouiter translata, fac meis mittas pecuniis, quas Clariſſ. Vir, amicus selectiſſ. Dominus Doctor Christophorus Crugelius meo mandato tibi numerabit. Fulmen cœlo vel sereno vel non turbido superioribus diebus Basilien. afflixit. Turrim altam, machinis & nutrimentis iaculatoriis referram, cum eius muri bona parte, non perculit modo, sed funditus euertit. Vineas, domus, & quicquid intra trecentos passus erat, vna cum hostibus extirpauit. XIV. homines in vineis extincti reperti sunt: nec pauci adhuc desiderantur. Complures saucii languent. Moles lapidum quadratorum, immo saxorum, nutrimentis machinalibus eiectorum, damnum dedere vix reparabile. Paria Turegii ante menses euenisse feruntur. Vereor vt ista fulmina N. & N. debeamus: vtpote quod Dominus noster commonere malesanam plebem peregit, vt præsentissima hæresum venena fugiant. Nam & Basileæ pestis non dico regnat, sed grassatur, M. D. hominibus & eo amplius, breui abiumptis. Argentina hæreticis istis obsessa ita insanit, vt me illustris ciuitatis misereat. Nos Friburgi adhuc in officio manemus, sed clero nescio an ad exemplum honestatis composito. Denuo vale. Ex Friburgo V. Kalendas Octobris Anno XXVI. Franciscum Froschium Doctorem cum doctrina singulari integerrimum, si isthic sit, meo nomine salutem dicere ne grauator.

Tuus ex animo Huldericus Zasius LL. & Doctor & ordinarius Fryburgi Briſſ. Rector.

AMPLISSIMO ET PRÆSTANTISS. VIRO, DOMINO BILIBALDO BIRCKHEIMERO, MELIORVM LITTERARVM Ornamento, inclytæ vrbis Norimbergæ Senatori primario, Domino obseruantissimo,

XCIII.

SEse commendat. Fortunatus esse vel ex euentu mihi videor, Amplissime & præstantissime vir, quod tuam tanti Herois amicitiam meruí, cui satis fuisset, vel inter seruitia tua connumerari. Ornare me vel operibus meo exiguo nomini inscriptis non dedignaris, denique nihil apud te pulchrum est, cuius me non facias participem. Nam & Pandectas ex archetypo emendatas dono dedisti, res quam facilius mirari, quam ex iusto commendare possim: & insuper specimen eius translationis, quam vir Doctissimus Greg. Haloander in Authentica Imperatoris meditatur, exhibuisti: si interim præteream, quod nihil ex Greg. Nazianzeno abs te editur, cuius me non facias participem. Pandectæ magno mihi commodo sunt: ex quarum verioribus LL. multa mihi difficultas non sine præconio tui & Haloandri tollitur. At de interpretatione Authenticorum tam eleganti, tam propria, tam remota ab omni sorde barbarica, vsque adeo non dico lætatus sum, sed vel exhilui, vt id verbis consequi non possim. O beatissimum & plane cedro dignum Haloandri ingenium, ora, manus, animum, qui nos è lacu miseriæ eripit, & velut cœlo restituit! O humanitatem mirificam hominis doctissimi, qui nostram egestatem miseratus, & in Pandectis magnum in modum, & in Authenticis transferendis nobis quam maxime commodauit! Velim, Amplissime Heros, me tam eminenti viro commendes, & meis verbis commoneas, horteris, impellas, vt eam tralationem accelerat, facturus operæ pretium, quæ in mille annis nemo vnquam non dico fecit, sed nec cogitauit. Nisi in spelunca iacet, si quo rapere innocentes possit. Harpocratem induit, vt cui mens præsagiat, quo periculo ei sit Diui Cæsaris aduentus. Vale. Plura scribere volentem, is nobilis præsentium exhibitor præcipit, è vestigio discedere paratus. Iterum vale, seculi ornamentum. Ex Friburgo, Quarto Kal. Maii Anno M. D. XXX.

Erasmus noster grauiter ægrotat, speramus tamen eum à morbo euasurum, multum afflictum ab insolentia suorum aduersariorum. Cupio vt eum aliquando consoleris, & ad animi tranquillitatem horteris.

Tuæ Amplitudinis obsequentissimus Vdalricus Zasius LL. Doctor. Rector.

MAGNI-

MAGNIFICO ET CLARISSIMO VIRO D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO, PATRICIO ET SENATORI Norimbergensi, Domino colendo.

XCIV.

SAlutem & commendationem Magnifice & Clarissime vir, Domine mi colende. Digestorum libros, Iustiniani Codicem, tum cetera Iurisprudentiæ volumina ad vetustissimorum exemplarium recognitionem emendata, in illa tua Norimberga, vel tuo ipsius nomine inclyta, imprimenda esse cognoui ex nepote tuo, ornatissimo & humanissimo viro Sebaldo Geudero, qui plane, ornat & illustrat comitatum veteris amici nostri Antistitis Hildesheymensem Hæc autem res in primis æternam in posteris nomini tuo gratiam comparabit. Et vtinam iam diu accidisset! Fortasse plures æquiori animo fuissent in Iureconsultos, qui, vt scis, ab ipsis etiam monachis, nedum eruditorum vulgo, male audiuerunt. Profecto dissimulari nequit, corruptorum partim Codicum vitio, partim inexcusabili & plane fœda interpretum ignorantia candoris & proprietatis sermonis Romani, qui (quod paucis contigit) tibi est Atticissimo etiã purissimus, Intellectus esse inuectos, ab omni le futurum, mihi, meique similibus, quos remoratæ sunt salebræ, possit esse vel sero vsui. Et simul, quantum, per laudatam à te primum podagram licet, de tuo ingenio, tanquam instructissimo pœnore, semper aliquid, vt consuesti, promere non cesses. Sic pleno ad immortalitatem gradu contendes. Tuorum ego sum librorum & admirator & lector non indiligens. Expecto à Rhenano nostro vnico iam apud nos delicio & domicilio Musarum homilias tuas nuper versas. Auunculus meus Wympfelingius plenus dierum abiit à nobis ad beatas sedes. Vale, & me, vt soles, ama. Ex Selestadio, XXIII. Ianuarii. M.D.XXIX.

Tuus ex animo cliens

Ia. Spiegel.

ORNATISSIMO VIRO, D. BILIBALDO PIRCKHEIMERO INCLYTÆ CIVITATIS NVREMBERGENsis patricio S. D. P.

XCV.

OSualdus est, ni fallor, Iurisconsultus, quem inter ceteros legum tractatores apud Ingolstadium regnare scribis, nam nobiles nostrates, qui superioribus annis in Italia Iurisciuilis Doctoribus operam dederunt, hominem hunc & ingenii & industriæ gratia magnopere prædicari, vel apud Italos aiunt. Sed male sit istis obtrectatoribus seditiosis, quo vt omnibus bonis vbique, ita & optimo Osualdo isthic negotia facessunt. Atque vtinam vir ille, si quando æmulorum tædio isthinc alio commigrare statuit, ad nos potissimum se transferret. Quanquam enim & hic non mododii sunt, quemadmodum de casa sua olim dicebat Hieraclitus, sed &ἀλάβολοι, qui meliorum conatibus odiosis obtrectationibus obstrepere nusquam cessant, tamen video litteris litteratisq; viris in principum Saxoniæ ditione non omnino pessime esse. Quod ad me attinet adolescentem meum in Gallias aut Italiam citius, quam isthuc in tantas factionum turbas misero, Attamen inclinat animus, si parentes annuerint Friburgum eum prius mittere, vt Nestorem illum Zasium aliquantisper audiat. Atq; hinc alio studia sua traducat. Iam vero Nazianzenum meũ tibi non improbari, magnopere gaudeo. Tametsi sunt, quæ ipse in primo libro non nihil mutari cupiam. Fefellit enim me semel atq; iterum reconditissimum & argutissime contortum viri illius acumen, vt qui singulis pene sylabis, singulas sententias μαθηματικῶς informet, certe mihi magno sudore lucubratio ea constitit. Porro aurem τῶν μαθητῶν Studiosos, etsi non magno hic sunt numero, in magnam spem de Ptolomæi tui editione maturando conieci. Neque deerunt præsertim apud Gallos & Polonos, qui ceteros libros Mathematicos, quorum mentionem facis, si imprimantur cupide emant. Nouum mihi vero accidit, esse qui Ptolomæi editionem parum decoram tibi cauillentur. Nam si decorum fuit summis olim viris hæc studia sola sectari, tibi vero omni decorum genere ornatissimo ni eadem ex tempore veluti expectari pudori erit? Sed facessat hæc crassa vulgi cogitatio. Tu vero vir optime res optimas pro tua virili adiuuare perge. Vale. Lipsiæ postridie trium Magorum M. D. XXIV.

Tuus Petrus Moselanus.

BEATVS RHENANVS D. BILIBALDO PIRÇKHEIMERO D. S. P. XCVI.

REscripsi hęc, vix dum tuis, vt verũ dicam, inspectis, nã abiturus iã tuas mihi reddidit tabellarius. Cupis scire, si recte legi, qd nũc pareat Basin. Recognoscit suos in nouũ instrumẽtũ Anotationes

& auget

& auget, imprimitur nunc hic illius jdagia iam certum locupletata. Querela pacis, Declamatio de morte, Luciani versa ab eodem epistola, in Esaiam Basilius Latinitate donatus. Suetonius, Ælius Spartianus, Lampridius, cum reliquis recogniti & annotati, Theodori Gazæ Grammaticæ institutionis libri duo versi, Epistolæ eiusdem Thomæ Mori Britanni de optimo Reipublicæ statu libellus elegantissimi tituli Vtopiam fecit, Item Mori Epigrammata. Erasmus in Paulinam epistolam paraphrasin parat. Ad Calend. Septembr. ab eo litteras accepi. Luciani ** alias mittam, nam tabellarius nunc petasatus & suffarcinatus astat subinde me vellens, ne tam diu moraturus videtur, his in meas ædes me conferam, nam alienæ me domi reperi apud Frobenium scilicet: de exilio Plutarchi non habeo, libens tibi Pater libellum misero, si modo lubens iste tulerit. Rescribam proximis accuratius & fusius. Bene vale eximie vir. ex Basilea XVIII. Nouembris Anno M. D. XVII. Cursim.

CLARISSIMO PARITER ET DOCTISSIMO VIRO AC DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO NORIMBERGENSI SENATORI, AMICO & PATRONO SUO INCOMPARABILI S. D. P.

XCVII.

QVanquam scio occupatiorem te esse reipub. arduis negotiis, quam vt cuiusuis nugas legere sufficias, non possum tamen committere, vt aliquando tui oblitus videar. Editum est nobis hisce diebus Lipsiæ rarum omnino & iucundum spectaculum. Nempe Theologorum insignium disputatorius congressus. De quo non dubito quin plura scire gestias, sed grauissimi morbi, qui me totos quatuordecim dies decumbere coegit, reliquiæ non sinunt rem accuratius perscribi. Tum itineris molestiæ, quod ex rei familiaris negotiis ad Treuiros institui, multum quoque alacritatis adimunt. Itaque rerum capita paucis tibi signabo. XXVII. Iunii, qui dies condictus erat, illustrissimi principis meæ Georgii iussu & sumptu magnificum sacrum mane omnis generis musica adhibita in honorem sancti spiritus, ceptum. Quo peracto, doctores peregrini, qui disputaturi erant, honestissima totius Scholæ nostræ pompa in arcem deducebantur. Ibi enim spaciosissimus locus in auditorium erat auleis ac tapetis pulpitis suggestis instructus. Hunc locum armatorum ciuium manus ita obsedit, vt non cuiuis gregario (confluxit enim ad id spectaculi magna vis hominum doctorum pariter & indoctorum) aditus esset. Huc vbi ingressum est, & consessum, ipse consenso suggestu illustrissimi principis mei nomine disputaturos commonui sui officii, longa oratione disserens de disputandi ratione, præsertim in re theologica. Quam partes liberius fortassis tractaui, quam vt omnium auribus grata fuerit. Princeps ipse lectam orationem, antequam pronunciaretur vehementer probauit. Hoc vnum mirabatur esse tam stultos Theologos, immo malos, vt locum facerent eiusmodi reprehensionis. Eam orationem principis iussu editam hic vna mitto. Tu si quando vacabit lege & iudica ad rem. Posteaquam ipse peroraram tibicines pariter & liricines tum cantores dulcissimo concentu Canticum illud: Veni sancte spiritus, ter modulabantur. Quod ipsum ex meo consilio princeps demandaret. Hic finis apparatus. Iam prandii tempus appetebat. Quare disputationis serium initium in horam secundam dilatum est. Quod tempus vbi aduenit. Partes vtrinque pro more Theologico simplicitatem suam protestabantur. Martinus hoc adiecit, se hoc grauatim ferre, quod ex fratribus prædicatoribus, qui eam tragœdiam primi exuscitassent, nemo disputaturus adesset. Cum tamen in singulis suis concionibus grauiter Martinianos errores in inuidiam vocassent. Commissi sunt primum Carolostadius & Eccius par omnino dissimile. Nam Carolostadius voce, vultu, gestu, incessuque modestiam theologicam præ se ferebat. Disputabat non ad ingenii gloriam, aut victoriam, sed veri rectique inquisitionem. Quare nil nisi adhibitis libris asserebat, nihil item ab aduersa parte adductum admittebat, nisi sententiam scriptoris ex præcedentibus ac sequentibus collegisset. Qua diligentia doctis se vehementer commendauit. Indocti timorem & tarditatem interpretabantur. Eccius contra clamore, vultu militari, ac truci gestu histrionico pene & incessu impetuoso feroculus quispiam apparebat. Omnia illa externa corporis signa animum parum theologicum declarabant. Dixisses Gorgiam quempiam disputare non theologum. Adeo leuiter & impudenter subinde iactabat. Magnam adeo nominis sui iacturam apud nos fecit; leuissime asserit, quæ falsa sunt; impudentissime negat, quæ pro certo vera. Idq; cum iactatione sui. Quo res fit odiosior. Res fuit Eccio cum Carolostadio de libero arbitrio, omne ne bonum opus proficiscetur è diuina gratia, an non nihil etiam de suo conferat humani arbitrii actio, priorem sententiam Carolostadius, posteriorem Eccius tuebatur. Tum illud iactatum, sit ne omnis Christianorum vita pœnitentia, vnde fluit in omni opere suo hominem peccare. Contra quæ nisus est Eccius. Porro Martinus negauit pontificis Romani potestatem primariam iure diuino, hoc est, sacræ scripturæ testimoniis posse comprobari, immo sacerdotem quemuis ex æquo (quod ad Paulum Theologiam attineat) Apostolis succedere, habereque facultatem & culpæ & pœnæ remittendæ. Si necessitas ita ferat. Hic Eccius in aduersum multa decreta, multas patrum autoritates congessit,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [348] - 324 PUBLIC DOMAIN

congessit,cum iure diuino tantum primatus pontificis esset asserendus. Ventum tandem est ad sacram anchoram.Nempe illud Matthæi XVI. Tu es Petrus & supra hanc Petram &c. Hic Martinus Petram solidam fidei confessionem interpretabatur,& totũ corpus ecclesię cum Origene aut Christum ipsum,cum Augustino.Eccius cum recentioribus,hominem Petrum & successores, eamq; exclusit,per hoc quod toties Ecclesia redderetur ἀκέφαλος, quoties Episcopus Roma. aliquis moreretur. Nam eo tempore quo nec dum surrogatus sit in sedem aliquis Pontifex,dubio procul ἀκέφαλος, reddi ecclesiam.Nam quod de Cardinalium cętu,qui interim agat pontificem respondeatur,duplici de causa friuolum esse.Primum quia Cardinales haud ita multa ante secula esse cœperint; qui tamen multa capita faciant,non vnũ. Deinde quod quæ iure diuino statuantur nullius hominis mortę, immo ne cœlorum ruina interpellari posse.Iactatæ item sunt in disputationis aleam indulgentię, sed magis pro ludo,quam re seria,De purgatorio item disceptatum. Non quod esset, sed quomodo erga Deum afficerentur in eo supplicio derentæ animæ.Eiusmodi contentionibus tres pene hebdomadæ sunt consumptæ,certe (quantum mihi iudicare licet) maiore expectatione quam fructu. Nec enim quidquam est decretum.Nec vlla de re partes consenserant. Res tota notariorum fide est excepta. Iudices disputatis sunt delecti. Erphurdienses ac Parisienses. Erphurdienses quantum priuatim ex quorundam colloquio coniicere potui,grauatim tanti oneris sarcinam in humores suos recipient.Cum ob alias causas tum maxime,quod Eccius optimos quosq; & doctissimos Theologos iudicium vulgo iactatur, in primatu Pontificii ordinis,vt sibi suspectos à iudicio submouit.Hoc præi

fingi potest barbarius, insulsius, indoctibus, mendacius, impudentius, insanius. In eo laboratum est à quatuor: Vincentius addidit sua venena, Cornelius Iuuelandus bonam operam partis confecit, Tertius quidam expoliuit, additis aliquot flosculis, Godefredus Toxander famã operis in se recepit. Ad hæc conniuent theologi Louanienses. Latomus tres emisit libellos, in quibus miris strophis me petit. Huic respondit Oecolampadius. Aiunt titulum esse, Ellebrum. Nondum enim vidi. Vereor ne hic tumultus citius in Italiam transuolet, quam expectet Pontifex. Nos interim non agnoscimus manifestam iram Dei, prouocantis nos ad pœnitentiam, sed Ægyptiorum exemplo tot plagis admoniti, nihilo reddimur meliores. Multis in locis dure tractati sunt Monachi, verum plerique cum sint intolerabiles, alia tamen ratione corrigi non poterant. Tot priuilegiis, tot exemptionibus, tot phalangibus armati sunt. Ciuitates aliquot moderatioribus consiliis vruntur, permittunt exire, qui reddita ratione cupiunt mutare vitæ genus, his datur aliquid vnde viuant ab ipsis monasteriis, etiamsi nil intulerunt, ceu longæ seruitutis merces. Iubentur abire, qui illic professi non sint, nec licet illis suas colonias aliunde alio mittere, quemadmodum solent. Nec fas est nouitios sufficere, nisi permissu magistratus. A curandis virginum collegiis arcentur. Nec permittitur illis concionari, nisi in suis monasteriis, idque consuetis duntaxat horis. Qui simul omnes volunt mutare cultum, permittitur. Qui nolunt, coguntur tamen obedientiam iurare magistratui in his quæ pertinent ad reipub. commodum. Ita futurum arbitrantur, vt aut nullos habeant Monachos, aut habeant magis sobrios. Vacua monasteria vertentur vel in parochias, vel in pœdagogeia. Nec post hac passuri sunt, vt à quoquam suscipiantur vota perpetua, quæ vocãt, qui minor sit triginta sex annis. Tota cura transferetur huc vt sint probi pastores. Quod si continger, non erit magnus numerum monachorum. Aliquot Monasteria relinquentur, sed insignia, & extra ciuitatum mœnia, immo procul in agris, quo sese gnau ter exerceant opere manuario. Cultuum infinitam varietatem omnino tollendam authumant. Nec ferunt anniuersaria conuenticula, quæ illi capitula vocant, nec exemptiones, quibus abutuntur ad impune peccandum, sed erunt subditi suis Episcopis ac Magistratibus, quemadmodum cæteri sacerdotes & laici. Hæc an probanda sint, in præsentia non disputo, certe minore tumultu cohercebitur malorum monachorum tyrannis, & bonis Monachis consuletur, immo iuuenibus omnibus, ne in talium seruitutem posthac dedant sese. Quod populari tumultu geritur, infœlicem habet exitum. Quod pro sua quisque libidine genus vitæ mutat, improbis fenestram aperit ad nequitiam. Si res ageretur Pontificis & Episcoporum authoritate, rectissime fieret. Nunc certe proximum est vt magistratus authoritas excludat confusionem, & ita consulat bonis, vt malis non detur peccandi licentia. Vtinam omnes essemus veri Monachi, hoc est, mundo mortui. Verum hos populos coniuratos, has fomites mundus non videtur diutius laturus. Et quam quam immane videtur, quod rustici monasteria quædam diripuerunt, tamen huc istorum improbitas prouocauit, qui nullis legibus corrigi possunt, vt ipse inter sese conueniunt. Scripseras mihi de poculo quod dono mississet Episcopus Olmucensis: Cuius tamen in posteriotibus litteris non memineras. Id autem datum est, mihi quidem inscriptum, sed quoniam Beatus acceperat litteras ab Olmucensi de phiala inaurata missa, & item à Velio, cum mihi nil esset scriptum, nec data esset Episcopo occasio, cur mihi mitteret aliquid, traddidi poculum Beato, suspicans Conpergium errasse in nomine. Si quid habes hac de re compertius scribito. Ptolomæum tuum nondum vidi: sed tamen curabo vt habeam. Hic neminem inueniq qui sciat ex Gypso fundere imagines. Itaque maluissem archetypum apud te manere. Linguam emisimus vt faris, posthac Erasmum elinguem fore. Calculus iam aliquanto mitius me tractat, posteaquam assueui vinum omne diluere aqua ex Glycyrrhiza decocta. Sed tamẽ corpusculum hoc indies attenuatur & exarescit. Breui ni fallor, abliciẽtur hoc Syphar & exiliet noua cicada. Martinus Torpius nos anteuertit, petiit & Linacrus in Anglia: Longolius Bononiæ, & Baptista Casalius Romæ, & Franciscus Deloinus Lutetiæ, magnus bonarum litterarum patronus. Hic sesqui mensem perpetua duranit pluuia, vt quasi parum sit, commatuisse imbre cœlesti, stant in procinctu nobiles & agricolæ, congressuri, quo magis madescant mutuo sanguine. Saluta Durerum artis Appellæ principem. Et Paulum Rizium: Cuius Catapotio sum vsus hodie fœliciter. Non sumo, nisi quantum est dimidium; nisi aut minus etiam, & tamen soluit aluum citra molestiam. Expectamus Erasmum, illa fœlicissima Dureri manu pictum, simulque litteras tuas. Bene vale. Datum Basileæ quinto Calendas Septembris, Anno M, D. XXV.

Agnoscis manum tui, &c. Erasmi

CLARIS-

CLARISSIMO VIRO BILIBALDO PIRCKHEIMERO SENATORI NORIMBERGENSI GRECE ET LATINE eruditissimo, Domino suo Io. Cocleus Noricus S. D. P.

XCIX.

GEographiam Pomponii Melæ iam pridem nostros docere adolescentes, animum induxi, præstantissime Domine Bilibalde, ob plurimas sane, maximasq; (quas præ se fert) vtilitates. Verum exemplaria alibi impressa, diu mihi incassum desiderata sunt: Ideo curaui, vt hic denuo procurarentur. Etenim nec poetas, nec historicos sine Cosmographiæ intelligentia, plane quispiam intelliget, sed ne leget quidem fructuose ac iucunde, nisi prima saltem rudimenta eiusmodi artis calluerit. Imo vero littus arare videtur, Sisyphiq; rotare saxum, qui aut poesi aut historiæ, sine Cosmographia vllam impendit operam. Haud secus atq; oculis captus, qui de colorum natura varietateq; disserere conetur. Illi enim ignota sunt loca, in quibus res dicuntur gestæ ac transactæ. Quemadmodum, huic ignotum est lumen, in quo colores conspiciuntur. Qui si causentur, iuuenculos primis litterarum rudimentis initiatos, hanc lectionem capere non posse, meminerint quæso, subiectam huius artis materiam sensibilem esse omnem. Intellectum perinde discipulorum facile posse iuuari, & fideli præceptoris institutione, & oculari locorum demonstratione. Mihi profecto tres in eum vsum mappæ asseruantur, duæ scriptæ, & vna impressa. Adieci insuper breue compendium, quo Pomponii intelligentiã promouerem. Nam de zonis ac climatibus terræ, ac de circulis cæli, poliq; elevatione, atq; de vocabulorum Geographiæ recta acceptione, nihil sollicitus fuit in sua descriptione Pomponius. Ideo pauca de illis subiicere, dignum simul & necessarium fore visum est, quandoquidem sine iis perfecta nequit esse eius artis traditio. Ceterum de Germania paucissimis (quæ tunc ignota adhuc erat) scripsit. Pro cuius elucidatione breuem adiunxisse descriptionem fas sit quæso, ne patriam nostram contemnere videamur, cum priscis illis scriptoribus. Hæc tibi nuncupo omnia, quę vt boni æquiq; facias, rogo, pro mea in te obseruantia, discipulorumq; communi profectu. Vale ex Scholis nostris, sexto Calendas Decembris. Anno 1511.

AD BILIBALDVM PIRCKHEIMERVM CONSVLEM NVRENBERGEN.

COnsilii, famæ, decoris, pietatis & artis
Aoniique gregis pastor. virtus honor & laus
Iam tua tornato canerem præcordia versu,
Si mihi musarum fontes, si ianua Phœbi
Donarent dignam tanto pro corpore venam.
Nam te pregnanti condignor carmine vatem,
Qui sapis & nosti Vilibalde perite cohortis
Pieriæ quid sit, quanta consurgere laude
Illi concessum veros vbi labra liquores
Imbiberint, & vbi proles est notior illis.
Nota magis nulli tua nunc est fama poetæ,
Quam mihi, qui partim visu tua gesta notaui,
Et partim scriptis doctorum nempe virorum,
Te docti coluere viri, te carmina Celtis
Hospitium cui tu largumque bonumq; dedisti
Hospes es aonius. Musarum magnus alumnus
Et generale Poetarum laudaris asylum,
A teneris quorum didicisti carmina cunis
In latium missus flores vbi carpere legum
Cœpisti, & variis operam persoluere rebus,
Ad Latii voces post ad Græcas & Hebreas,
Flectere te primum mira virtute solebas,
Post ad dicendi fontem, quo pulchrius vnquam
Nil est auditum, recta ratione dedisti
Te mentemque animumque tuum dulci labra fonte
Vnctus & eloquii quo nunc Ciceronis haberis
Filius, vt patet orandi tibi ianua semper,
Musarum fontes quoniam spes vnica dici
Iamque tuis docto meruisti pectore amicis:
Hinc cum patre tuo musarum condere ludum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [351] - 327 PUBLIC DOMAIN

Veniſti, illorum tibi nunc defenſio detur
Indoctus rauca quando iam voce ſacerdos
Obloquitur vati, vel muſis irrita blactret.
Scilicet vt quondam rabies ſæuiſſima quando
Inſulſo ſtolidas intrauit corde cucullas
Spurcidico ſacros maculauit & ore poetas.
Tunc ſpes nulla fuit patris, nec vita ſuperſtes
Horum ſtulticiam quæ nobis vlta fuiſſet.
Sæpe mei triſtes Heinrici labra querelas
Grunigeri dederant, patrisque tui meditatam
Virtutem, quæ cœleſtes adſcendit ad arces,
Et ſua pieriæ liquiſſet iura cohorti,
Sæpe etiam illius laudabat noſtra inuentus
Iura, quibus mira viguit certamine ludus
Muſarum, cuius defenſor & ipſe fidelis
Illius. Sed cum gemitu non vita redibit
Viuet cum Chriſto. tu dico ſed pace Camœnas
Cum rurſus tetro blactiuerit ore ſacerdos.
Quem Veneris feſtum, Feſtum quem torquet Iachi
Dedecus & crimen, ſcelus & turpiſſima mentis
Inſanies. Inferre licet tunc iura paterna,
Atque illos toto debes defendere corde
Victrices per te Bilibalde vireſcere lauri
Pirckheimer hei poſſint fac, neu marceſſere ſine
Grandis honor primos meruit Nurnberga poetas
Cum fertur. Domus huic muſarum pulchra patebit,
Hic vbi virtutum locus eſt, vbi ianua ſacræ
Auditur vocis, puerisque vbi verba latine
Eloquio pandunt: ſacris redolentia ſcriptis
Et fiunt habiles poſt ad ciuilia iura.
Et quaſcunque artes, illorum tu documenta
Fac age confirmes, verbis defende probatis
Te ſequitur præſtans magna virtute ſenatus
Quem variis ornas linguis, quem moribus arte
Quam magna, ſolus quem tu ſuper omnia tollis
Ornamenta virum magno cum numine diuum.
Iam fœlix illis dicaris ſplendor in orbe &c.

BILIBALDO PIRCKHEIMERO.

CI.

CLariſſime vir, venit in manus meas quæſtio ſuper paſcendi Iure, in vno itemque altero iudicio hic vſque ad definitiuos terminos agitata. In ea ego te pro altera parte hinc oratoria quadam copia, illinc orationis mundicie dicentem deprehendere mihi viſus ſum Verum cum ipſa quæſtio, ex meris Iuris terminis conſtaret, putaui non è re mea futurum, ſi tibi meæ opinionis de ipſa cõtrouerſia rationem ederem, non alio nomine, niſi vt ſi qua deuiare tibi videret, tua autoritate & eruditione, monitus rectam capeſſerem. Obiicit iterum atque iterum pars appellata, ſe in poſſeſſorio iudicio victoriam retuliſſe, eſto, quid inde, nunquam ergo ea victoria petitorio præiudicabit? minime, in eo enim interdicto, prætor non inquiſiuit iure ne confeſſoria agentes, ſeruitutem impoſitam habuerint an non? ſed hoc tantum an ipſa ſeruitute ruſtica hoc anno vſi ſint, non vi, non clam, non precario. Eſſe ergo potuit, vt ipſi, tanto vel longiore tempore & citra vſi ſint paſtu, eoque nomine in poſſ. à prætore tutati, ſiue enim inquit Iureconſult. in l. 1. de itin. actuque pri. habuerit quis ius viæ ſiue non habuerit, in ea conditione eſt, vt ad tuitionem prætoris pertineat, ſi modo hoc anno vſus eſt, vel modico tempore, id eſt, non minus quam triginta diebus &c. nec tamen vllum ius ſuæ poſſeſſionis habuerit.

Sed dicunt appellati. Ex hac confirmata poſſeſſione præſumitur pro poſſeſſionibus. Et poſſeſſor titulum ſuæ poſſeſſionis allegare vel probare non cogitur, non enim curamus de iure poſſeſſionis, niſi conſtet de Iure petitoris per legem finalem, Codice de rei vindicatione. Et eſt Placentini opinio, quæ in dubio præſumatur, quæ ipſi poſſeſſori cõpetat ipſum Ius ſeruitutis, niſi eius aduerſarius probet, nullum Ius ſeruitutis ei competere quæ negatiua poſſit probari per vicinos circum-

circumstantes qui deponant, se nunquam vidisse aduersarium vti tali seruitute, & quod non potuisset ea vti, quin ipsi testes vidissent &c.

Respondetur l. final. intelligi de possess. rerum mere corporalium. Nam pro eo qui possidet rem corporalem præsumitur de eius dominio. Et opin. Placentini est ab omnibus reprobata. Nam pro possessore non præsumitur quod ei seruitus debeatur, nisi aliunde probet seruitutem sibi seu prædio suo quæsitam modis legitimis vt & Dd. clare in l. si quis diuturno: Est ergo differentia longa in eo qui possidet Ius incorporale, vt est seruitus, cum non præsumatur quod aliqua seruitus constituta sit, ratio huius est manifesta, quam & tu sæpius vt sacram anchoram vt certe est adduxisti, quia quælibet res à natura sui præsumitur libera. l. Altius. C. de seruit.

Cum ergo hoc modo sit appellantis intentio fundata de Iure communi, quid restat nisi vt contra Iuris præsumptionem, super qualibet re, vt libera habetur, necesse sit inducere contrariam præsumptionem. argumento l. super seruis. C. qui milit. possunt. lib. XII. Quomodo autem in petitorio obtinere potuit pars appellata, quæ nihil aduersus eam præsumptionem probauit, nec probaturam se aliquid recepit, nec suffragari poterit longissima præscriptio, quæ nusquam vt video, adducitur, sed quadragenanæ fit saltem vno atque altero loco mentio, quæ tamen in hac seruitute habente causam discontinuam nullo modo sufficit.

Nec coniicere possum quomodo vlla præscriptione se recte tueri posset pars altera. Cum de interruptione per testes in acta præsentia translatos manifestario constet, quod autem ea sit vera præscriptionis interruptio constat ex l. naturaliter. ff. de vsucap. quæ naturalis interruptio, vtpote cum quis vi de possessione deiicitur, vel alicui res mobilis eripitur, maioris etiamnum est efficaciæ quam ciuilis, vt per Dd. ibid.

Nec obstat quod vi hoc fecerit, si enim possessor turbetur in Iure seruitutis extra iudicium, potest de facto resistere. Et qui per vim poss. suam retinuit non videtur vi possidere l. 1. §. 1. ff. de vi & vi armata. Et quod super ciuili possessione in animo retenta pars appellata nititur nihil stringit, vt & tu eam quæstam rationem sustulisti. Ciuilis enim non sufficit, cum naturalis est per alium occupata, fit enim hoc casu interruptio. Stat ergo mea sententia, iudices nostros contra apertissima iura pronunciasse, de quibus tuam aliquando sententiam coram audire desidero.

Tibi deditissimus

Christophorus Gugel. D.

CLARISSIMO VIRO BILIBALDO PIRCKHEIMERO NVREMBERGENSI SENATORI ANDREAS Francus Camiczianus S. D.

CII.

MIraberis, Bilibalde, eius ad te venire Epistolam, cuius ne fama quidem ante hac peruenit. Me certe iam multis inde annis, vt taceam reliquam operum eiusmodi familiam. Piscator tuus eloquentiæ tuæ rhetibus in littus tuum attraxit, vt te in animo egregie charum, inter eos semper habuerim, qui laborantem ex legibus humanis Christianissimum, è manibus superborum de mundanis theologistantium exprimere sollicitissime nauant piam operam, freti doctrinarum clypeo, tum lorica recte pro Christi gloria conscientiæ. Nec tamen ausus fui ad te, tam illustrē omni studiorum genere, ego cum chartis in tenebris modo mussitans scribere, nisi addidissent animum multi tuæ virtutis amatores maximi, quorum hic magnus est numerus. Simulatque occasio sese probe capillata ostentasset, qua commodius amicitiæ tuæ fores pulsarem, & receptus subinde ribi hospes venirem: hanc ego hic apprehendi. Nuper vbi, vt fit, salutatum Stromerum medicum veniissem: & ille in oraculis turbæ valetudinariorum promendis occupatior, mei rationem non admodum haberet, mieci manum litteris Huttenicis, & aliorum Germaniæ nobilitatis procerum ad eum, quibus legendis oblectarem me, donec molestum consultorum agmen profligasset (nam tantum vsurpaui mihi apud illum pro iure amicitiæ) tum inter fasciculos duas repperi epistolas betne longas, sed bene Christianas, sed doctas, etiam interim lectu iucundas, vnam eius ipsius Strometi, alteram Gregorii Coppi eiusdem monetæ amici, auidus vtranque legi, atque adeo fauente Mercurio sublegi, egomet continuo mecum sic cogitaui, edendas prorsus neque postea amiculi in senatum meum adhibiti dissuaserunt nempe, vt ex opinione tantorum hominum, & ceteri eius professionis sacrorum lectionem susciperent, iuuentusque saniorem mentem de religionibus vt inderent. Næ horum medicorum magna est in Germaniis penuria: Charissime Bilibalde (nam Erasmi Stellæ Ricii, Christophori Schonfelt, Adelphi raræ sunt aues) qui ita inter se de Christiana republica sermones multo pulcherrimos misceant. De ceremoniis plusquam Iudaicis:

de fastuoso & stulto sophistarum grege: orbi vt Fici oculis incumbente, de ridiculis ad populum concionibus, deque multis aliis synceram pietatem respicientibus. Videas medicos ne huius quidem de lege Christi sollicitos, quam meditari debent omnes homines, inflati & fatti physicis, contenti Auicennæ canonibus, ex Euangelio vix litteram tenentes, à Bibliis abstinentiores, quam mi-noritæ à contractu pecuniæ. At hi nostri rem secum recta reputantes via, in terram peccatoris, vigilantissimo patre familias animo sementem Euangelicam spargunt, vt inde necessarios fructus metant, vt Christo villico olim exigenti, possint rationem animæ salutarem facere. Mitto autem vtriusque epistolam ad te, cum quod sciam Stromerum, & ipsum nostræ vrbis splendidissimæ senatorem tibi dilectum, vna cum Coppo, vel ex Erasmicis tibi noto, tum vt his veluti alienis plumis obtruderem me tibi, quousque meis ego satis conuestitus, spectaculum aliquando edam te dignum. Et quamuis intelligam indigne laturum Stromerum, qui modestia insigni, non putat sua lucem ferre, ad tot Germaniæ lumina inprimis familiariter scripta, nec in hoc vt ederentur, fructus tamen reipubliæ ex hoc facinore rediturus vicit offendiculum, de Stromero placando post factum videmus, cuius causam præbuit etiam aliam genius tuus longe fœlicissimus, qui robur erit huic nostro qualicunque officio, contra eorum morsus, quibus non ad rem facit, si de recto moneatur Germania, & iterum alia Apologia quædam ista infantissima, qua te è sapientum Collegio in numerum cogunt eorum, qui nihil sciunt in Theologia, grauissima terræ pondera picæ, sed vultibus humanis Eobanicæ, quæ degenerem scilicet à tuis ciuem ex te vnico & eloquentiæ & sapientiæ lumine faciunt, quo nobilior facta insigniter Nuremberga, gloriatur se patricium habuisse, visum beatæ memoriæ Maximiliano Cæsari, quo consiliario terris fœlicius imperitaret. Nunc intelliges non te cum vno huiuscemodi ludos ludere fraterculos; sed vbique terrarum, tanquam ex demoniacis conciliabulis emissarios, bonis viris obstreperos, mille modis iniurios. Vel huic Coppo, probitate vitæ, & scripturarum opibus excellenter diuite, quam impudenter insultauerunt? quam crassa ignorantia oblatrarunt? Porro orationis filum, quod tuas aures non opplebit forsan, vel me tacente sic excusabis, medici sunt, atque hi ita possunt fœliciter ex tempore scriptitare, quid si in tempore & de composito epistolas concinnassent, quibus eloquentiæ doctrinarumque viribus tyrannicos oppugnarent? bene vale Charissime Bilibalde nobis similiter scribe: Et quoque si nescis, nos tua turba sumus. Vnice gaudeo Huttenum nobis ex Brabantia reducem atque saluum, familiaritas inter nos nuper per litteras admodum est, quod si scripseris homini rogo te per omnes gratias, nostri memoria eius de me opinionem augeas, sic enim fiet, vt facilius me totum in amicitiam recipiat, nam ego illius amore iam multo prius captus adeo sum, vt etiam toto pectore cupiam præsens videre vas illud fictile, in quo tantus tanti animi thesaurus lateat, etiamsi optima eius pars in editis libris appareat, & Stromer, vt est facundissimus, nuper anxie mihi querenti illustri quodam sermone totum Huttenum deliniauerit. Iterum vale, Lipsiæ Anno Dominico M. D. XX. Septembris 27.

MAGNIFICO VIRO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIKERO PATRITIO NVREMBERGEN. Viro vndequaque Doctissimo, Præceptori & Amico suo inprimis honerando.

CIII.

SAlutem & plurimam mei commendationem. Accepi litteras tuas, vir Magnifice datas Nurembergæ, pridie Kalendas proximi Februarii, ex illisq; intellexi, quid actum agendumq; fuerit, vt illustrissimo Principi Domino de Nassau, alias & mihi in negotio pecuniæ à me Cæsareæ Maiestati à Nurembergen. debitæ mos gereretur. In quo plane vsus sum consilio tuo, prælegique ac interpretatus sum easdem litteras Magnificentiæ tuæ eidem Illustrissimo Principi ad verbum, tametsi in hoc Magnificentia tua eas non scripserit, nec ita fieri iusserit, ac superaddidi etiam ea quæ in rem visa sunt conuenire. De quibus quidem litteris non paruam sane inuisti gratiam apud suam Illustrissimam. D. De me quantum mihi gratum feceris, nihil scribere lubet, ac tibi vel iam pridem totus sum addictus. Est autem modus rebus ni fallor adhibitus, itaque actum in causa, vt cum Legati reciperent Nurembergen. contra suam Illustrissimam. D. nulla fœdera cum Lantgrauio iniisse, nec alioqui quicquam temere egisse, vnde & D. de Nassau illorum desiderio acquieuit, ac ipsi dictam pecuniam solutam iri ad litteras promissas indemnitatis, ne hæc solutio Nurembergensibus in suis Priuilegiis fraude sit futura, ac congruas quitantias fidem dederunt. Vix cessam in proximo mense Aprili Augustæ in manus illustrissimi Principis de Nassau & aliorū, vel suo nomine Bartholomei Welseri & societati illic agentiū, vsurā autem suis loco & tēpore opportunis. Quod quidē negotiū iam tandē ita confectū esse sane gauisus sum & gaudeo non solū pp cōmodum meum

meum,sed etiam propter ipsosmet Norimbergenses,scit enim magnificētia tua, quam multa in aulis principū deferri soleant, vana ac temeraria etiam plerumq; , & tametsi dilata sit hactenus solutio pecuniæ,putaui tamen perpetuo eam olim cōcessam iri,ac idcirco mei officij esse,vt semper pro Norimbergensibus,vbi deferrentur,quatenus possem,defensorem agerem, quod & certe ita feci, licet postremum,quū illi tres legati affuissent,nō omnia ex voto meo cesserint. Vix autē potuissent commodiores his legatis huic negotio destinari,nec res fortasse prudentius (quod tum mea causa nō volo temere dictum)agi,eo quod iidem legati in mandatis haberent me primū alloqui,meoq; consilio & ductu agere,egi autem apud omnes vbi visum est,singulatim ac priuatim,illisq; dein proponentibus sua cōmissa asseti,etiam apud ipsummet Cæsarem,vt res iam sit eo deducta,quo Norimbergenses habeant Clementem Imperatorem,amicum Illustrissimum Principem de Nassau, & Godefridō defuncto superstitem Georgium Flachen,quibus hæc pecunia assignata est, fortassis non inutilē seruitorem,& me inprimis. Quod vt factum sit in præsentiarum,illi ipsi legati,de quo nō dubito, testabuntur,daboq; operā,vt & post hac Norimbergenses cognoscere possint, hanc pecuniam quatenus ad ratā meam mihi persoluere non vtiliter consenserint. Norimbergensibus à Cæsare & Nassau clementer ac benigne scriptum est, responsumq; est item à me, sicuti, non dubito,cognosces,quare de serie litterarū hic nihil repeto,nisi hoc vnum,quod equidem velim,quum res Norimberg.nunc sit in bono loco,vt in temerariis solum nouitatib.horum temporū caute agerent.Hoc ita sentio,videlicet quod ipsis videretur faciendum,id ita facerēt,vt ea ad maiora mala,vel seditiones,vel tumultus euitandos fecisse videri possint,alios aut ductores esse turbarū sinerent,& in omnib.prudenti modestia vterentur,& tamē si videretur agerent,quæ consulta viderentur, ne scilicet inter inuentores vel ductores nouitatū exorbitantium coargui vel culpari possint. Res eo loci tamē deuenit, vt semel peragenda sit & diffinienda,in quo velim sibi alios quam Norimbergen.si ita ipsis visum sit,malā gratiam conciliare,quemadmodum & illis de eo,sed cumulatius pro meo erga eos animo scripsi, & agā ego, ad reliqua,sedulū seruitorem & amicum, cui & in omnibus,quæ mihi credere voluerunt,mihiq; officij mei causa licuerunt libere committere poterunt. Aliud non super est, nisi vt tuæ magnificentiæ agam,sicuti ago de dictis litteris,quam maximas possum gratias,relaturus etiam & tibi,& tuis,vbi in mea facultate fuerit. De Georgio nostro Geudero nihil, nisi quod Dei gratia fœlicissime valet, qui tuæ Magnificentiæ,quod non dubito, de omnibus scribet. Quod de studiis tuis scripsisti,nihil molestum fuit,nisi quod tibi soli fœlicitatem istam inuideo, qui in libris bonorum authorum etiam fœlicius versari magis desiderem,quam in negotiis mei officij,quibus in Italia hactenus satis & plus satis sæpe distentus fui,sed vescendum est panem sudore,vt scis,vnicuiq; fortassis pro sua sorte cui me necessum est etiam accommodem. Spero me aliquando cum Cæsare Norimbergam venturum, & te & tua,quam nunc transfers,visurum. Hodie sua Maiestas hinc discedit,in Germaniam profecturus, & omnia Deo dante fœliciter compositurus. Quod faxit idem ipse Deus,qui tuam Magnificentiam conseruet incolumem. Ex Bononia die 22. Martij,anno 1530.

Ex. Mag. vestræ

Ad omnia paratissimus Alexander Schweiz.

CONSVLTISSIMO SENATORI ET PHILOSOPHO LONGE FOELICISSIMO BIL. PIRCKHEIMERO, PATRONO SVO venerando S.P.D. CIV.

CApnio noster occasionem mihi dedit ô doctissime Sanator Pirckeimer, vt hoc meum scribendi ad te institutum,quo iam diu plus quam ἀφ' ἑλκυστῶν abfui, nunc quodam quasi postliminio reperterem ac plane magis intenderem,sed quid ego aduena & peregrinus, quemadmodū omnes patres mei de Capnione viro omnium longe illuminatissimo dixerim ? Qui cū diu in terræ huius tenebris non absq; ingenti sacrarum litterarum gloria conuersatus est ? Qui Dei cooperator est. Dei agricultura,Dei ædificatio est. Cui merito cum parte illo multarū gentium Abrahamo, terra illa æternæ hæreditatis repromittitur,vt Geneseos verba intonant. Tibi dabo terram hanc & semini tuo. Cui præter cōmunes animi dotes,mater natura nonnihil addere dignata est, vt iam non vnius non duarum linguarū,solum autem trium peritiam haberet peritissimarum.Sed vel πενταγλωττον,vel ἑπταγλωττον, aut si placet omnium linguarum moderatorē eum dicere par sit. Nemo doctior,nemo integrior, nemo fœlicior,nobilior Capnione nemo. Quis enim Cæsarum vnquam,tātam ex inimicis reportauit gloriam ? quis tot illustres gessit triumphos ? Capnio non viribus, non militum agminibus peditumque equitumque certauit, sed innocentia, sed vitæ integritate, ac fide, spe & charitate,& id genus virtutibus, sed missa sint hæc. Caponio in Bauaris est, nobiscum est, atque adeo non longe abest,vt pater ille Chilianus in Rebdorff ac ego, proximis cum sequentib. diebus,ad eum demigrare constituerimus. Gaudeo desiderio meo oportunitatem accessisse,vt quēdiu ac olim semper videre

desiderabamus, iam concupiscentibus animis ipse sese vltro nobis offerat, satis dixi, Capnion Ingolstadij est. Nos eius virtutem ac beatitudinem accessuri sumus, vtinam te quoque à tuæ vrbis administratione & Republica parumper abesse liceret, donec cum viro desideratissimo tuum oblectares animum ac plane satiares. Dij faxint, vt aliquando casus se offerat, qui te & hunc in amplexus constringat ac longo tempore teneat. Vale viue, & Capnionem rediisse, vicisse, triumphasse gaude studiosorumque fœlicitate applaude, Ex ædibus S. Burburgis, 3. Calend. Ianuarias, anno M.D.XX.

Si aliquando Hieronymum Holtzschuer videris, dic quod optem eum saluum, dignus est enim cuius in me benemerita nunquam intermoriantur.

Thomas Venatorius tibi deditissimus.

DOCTISSIMO ET CONSVLTISSIMO VIRO SENATORIO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, PATRONO SVO venerando S. D. P. CV.

PRoximis ad te datis litteris doctissime & consultissime Senator Capniona in Bauaris esse scripsi, eoque nos, vt coram videre possemus, profecturos esse. Quod & factum est. Altera enim die post currentis anni caput, Pater ex Rebdorff ac ego Capnionem accessimus, admodum doctum virum. Qui quam exultauerit, nemo vel maxime eruditus scribere posset. Namque sese beatum reputabat, qui in omni locorum viros sibi conciliasset amicos. Quin & ipsi beatos nos reputauimus, qui tanti viri fruitione ac colloquutione digni habiti sumus. Dicebamus ô lætum diem, ô salutarem profectionem, ô Deis dignũ virum. Hinc & ipse cantaui: Vidim⁹ & desiderio vis aucta videndi. Hos animos rapuit, nec satiare potest. O vtinã adfuisses, & quo cum honore tui memoriam ægisset, audiisses. Equidẽ credo, Nestorem illum Homeri: quamuis mellitæ eloquentiæ virum, huic haud prætulisses, ita nihil loquitur, q̃ aut fucum aut adulationem sapiat vnq̃, sed sincera veritate cum grauitate cuncta relucent. Dicebat etiam, cum olim Demosthenis orationibus careret, & id tibi conquestus esset, mox è vestigio eum illis donasse, & cum tres aureos nummos tibi in pretium transmisisset, te ægre tulisse. Quibus erga eum amicitiam tuam non esse vulgarem intellexit. Addens diis benefacientibus, illucescente vernali tempore te accessurum. In quo me itineris comitem fieri rogauit. Ego quam facile annuerim, iam nõ sim dicturus, Sed de Capnione hæc breuiter? Ceterum litteras ad me misisti, quæ 9. Calend. Decemb. anno XIX. datæ sunt, vix tandem Nonis Ianuarij, anno XX. ad me perlatæ sunt. Interea tamen binas ego ad te dedi litteras. Verum quod de Eccio impuro Theologo scribis, nihil te molestet, impius enim est, occasionem quærit, qua omnes studiosos in sui odium trahat, Quod facile assequetur. Nam & Capnio ab eius sententia abit quam longissime, Aliique bona pars Academiæ Ingolstadiens. Hisce enim diebus quando Bibliopola tractatus quosdam Matt. Luther inuexisset, publico ædicto decreuit (iuncto sibi Gymnasio) hos omnes vulcano tradere. Inde q̃d assequutus, iam non scripserim omnibus risum mouit ipse, confusionis rubore perfusus solus abiuit. Blasphemiæ vitio triumphans, præterea nihil egit. Postremo nec hoc tacebo, Capnio copias habet litterarum, quæ male prædicatoribus precantur, ab Francisco illo Reuchlinianæ iustitiæ executore emissæ. De me autem nisi bene sperare debes nihil. Equidem breui tecum affuturus. Vale & me tibi commenda. Ex Epstett VII. Idus Ianuarij, anno M.D.XX.

Thomas Venatorius tibi deuinctissimus.

PRÆSTANTISSIMO AC CLARISSIMO VIRO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, PATRICIO NORIMB. Patrono suo colendissimo S.D.P. CVI.

ARguunt non nihil me posteriores tuæ Mediolanum transmissæ litteræ mi colendissime Patrone, quasi promissa minus seruarim nihil nouarum rerum ad te scribens, sed frustra. Haud secus atque tua humanitas frustra expectasse se asseuerat. Equidem quo minus pollitica morarer nihil non ante hac conatus sum, Historiam sane omnem, quo pacto illuc vsque cum copiis Cæsareis ventum fuerit, alieno stylo compositam, vbi transscribi curassem, Augustam Simperto Hoserio ex cathis iam dudum, Placentiæ agros tũ occupantibus, priusquam illinc diuerterem, destinaui, tibi videlicet transmittenda, impellebar non modo ardore exequendi promissa; verum, & quod duplicem inde gratiam consequuturum me nihil diffiderem, alteram ab heroe meo, Domino Georgio à Fraintsperg, quem quod sua egregia facta vndique propallent immodice delectat. Alteram vero quod sciam tuam humanitatem, studiis alioqui ac omnifariam negotiis cõtinuo obturbatam nihilo magis

magis atque nouarum rerum exploratione refocillari, præsertim vbi tanta expectatio, quantam ego, de rerum Cæsaris huiusque fœliciſſimi exercitus bellico euentu, apud nos esse nec dubito nec ignoro, quandoquidem & ipsi nos sub Cæsare militãtes ardentius hucusq; præstolati sumus nihil, eam ipsam (quam tu sic vocas) desidiam vehementer improbantes, desidiam, inquam, quam Pont. sumnus eiusque Cardineus cœtus celeritatem, si quis interroget, appellabunt. Accipe igitur, quæ nouissime ad nos delata sunt noua. Cæsareæ copiæ Romam nono huius mensis, armata manu occuparunt, Cardinales tres cum ingenti numero militum, nec non & religiosorum vtriusque sexus (quod aiunt) trucidarunt, tres item cardinales captiuos effecerunt alios, vna cum Pontif. & nonnullis aliis primoribus vrbis Romæ in Arce sancti Angeli obclusos & obsessos taliter detinent, vt nulla sit eis euasionis spes, Florentia factione Pontif. expulit, Cæsari sese dedere cupiens. Hæc sunt summariæ quæ apud nos circumferuntur, quo vero pacto singula ad vnguem successerint, nemo est adhuc qui sciat, litteras expectamus in horas, & omnem ex serie successum & Pontif. captiuitatem nunciantes. Vale fœliciſſime & me tibi commendatum habe. Datæ Mediolani sub strepitu machinarum bellicarum & resonantibus vndique Campanis triumphantibus, die XXII. Maij, anno M. D. XXVII.

Tuæ humaniſs. Dominationis
semper seruitor

Nicolaus Ziner Doctor.

BERNHARDO ADELMANNO BIL. PIRCKH.
S. D. CVII. ἀνίφαλδ.

CEterum perplacet, quod tibi consilium meum de absolutione à rerum publicarum onere placeat: quamuis plures ex amicis, ne id faciam, orando & precando instent. Ego vero in sententia permaneo. Num vero mihi propositum illud ex sententia cedet, nec ne, tempus comprobabit. Vetum quod æmulos meos culpam detentionis ἐδίτα in me conferre scribis, insuper & minis aduersus me velitare: didici ego, mi Bernharde, iam pridem, non solum eorum verba, sed & facta floccipendere. Dies enim prius me relinqueret, quam sycophantias, calumnias, & illorum aduersus me machinationes & insidias cunctas enumerarem. Sed Dominus mihi fuit adiutor: nõ igitur timeo, quid faciat mihi homo. Fuit ille mihi olim & anteaquam ad maiora ascenderet, amicus. Nondum enim magistratus, qualis nam homo esset, declararat. Sed cum illum euectum furiis agitari tandem, ac nihil pensi habere cernerem, quo minus leuitate, superbia ac auaritia diuina ac humana cuncta permisceret, illum derelinquere coactus fui. Longe enim satius existimabam, homines quam Deum offendere. Et quamuis certo certius cognoscerem, labores, quos varios in bellis & pace per multos annos Reipublicæ impenderam, nihil illo reluctante mihi prodesse (nam solus omnia cum complicibus suis poterat) malui tamen sceleribus eius reluctando parui momenti esse, quam cum fauore ipsius multa posse. Id cum cerneret, penit⁹ nullum calumniæ genus obmisit, quo me infestaret & opprimeret. Longum esset scribere, qua æquanimitate ac patientia aduersitates per illum mihi illatas sustinui. Et profecto ni sacræ & gentilium fuissent litteræ, quæ mirum in modum me consolabantur, procul dubio defecissem, ac tot tantisque iniuriis succubuissem. Sed dices forsitan, cur te non tum à curis publicis absoluebas, illasque pluris quam quietem faciebas. Ceterum scias, nil vnquam ipsum maiori instantia quæsiuisse, quam quo pacto me, quem sceleribus suis præcipue resistere videbat, è Senatu deturbaret. Hæc enim illa Helena erat. Nam cum palam & via recta id perficere minus posset, omnibus modis me eo deducere quærebat, vt tot incommoditatibus & calumniis oppressus, sponte absolutionẽ quærerem. Id cum non solum ego, sed & amici & omnes boni intelligerent, assidue instabant ac orabant, ne malis cederem, sed fortiter agendo vincerem. Nec conscientia mea id me facere patiebatur. Sciebam enim, si me à pedibus sustulisset, nihil ipsi reliquum fore, quod non improbitate sua aggrederetur. Sustinui igitur incommoda cuncta, perpessusq; sum non solũ indignos & nihili homines mihi præferri, meque iniuriis omnifariis irritari, sed & amicos meos mei causa ab illo modis variis molestari cernere coactus fui. Eo tandem dementiæ peruenit, vt impedimento totis viribus esset, ne res aut causæ arduæ ac laboribus plenæ mihi demandarentur, veritus, ne laudem inde reportarem. Et quamuis vndique me quotidie oppugnaret, non destitit tamen suos subinde submittere, qui amicitiam suam mihi offerrent: quam profecto non repulissem, nisi plane intellexissem, eo amico, Deum mihi plane inimicum ac iratum fore. Tandẽ anno elapso cum ob publica negotia Cæsarem in Lintz insecutus fuissem, submisit quendam Nebulonem, qui periurus & profugus erat, vt Senatui Norimbergensi scriberet, meque inuidia oneraret, ac iniuriis calumniisque infamaret, qui non solum egregie id peregit, sed & ad viginti circiter ciues litteras dedit, quibus tot mala de me inseruit, vt honestæ aures vix ea tollerare possent. Addidit, quibus modis

modis vnumquemque eorum priuatim læsissem, adeo insigni mendacio, vt nonnulli ex eis essent, quibus cum nullum vnquam sermonem contulissem. Adeo moleste vero Senatus nefandum illud scelus tulit, vt priusquam excusationem meam audiret, plane me absolueret, idque honorificis & consolationis plenis ad me perscriberet litteris, orans & obtestans, ne grauius æquo aduersariorum ferrem iniurias: ostendens insuper, se paratum esse, rem tam mali exempli non inultam relinquere, illamque non meam, sed propriam existimare. Regressus itaque, etsi absolutus, tamen ita calumnijs inimicorum respondi, vt non solum denuo absolutus fuerim, sed & plane cuncti intelligerent, artificem & omnium scelerum machinatorem τὸν δεῖνα fuisse. Multa tamen spiritu quasi fatidico prædixi, quæ vera aliquando futura, exitus manifeste docuit. Noueram enim, vultum Domini super facientes mala, & tandem improbis irasci numina posse. Hæc quoque causa fuit, cur Plutarchum de lenta Dei vindicta in publicum edidi. Quam moleste vero ipse & sequaces sui id tulerint, vix dici potest. Asperrimis itaque verbis tum apud Seniores correptus fuit, ac palam ei dictum est, ni à malefactis suis desisteret, fore, vt non solum ab officiis, sed & Senatu ignominiæ causa moueretur. Sed homo sceleribus excœcatus nō solum propositum suum in melius non mutauit, sed tanquam rabie actus quotidie flagitijs facinora accumulauit. Sunt interim nonnulli ex ipsius complicibus ignominia notati, ac ab officijs depositi: inter quos & N N. fuit: qui dein Cæsaris iussu restitui quæsiuit: ob quam causam ego Inspruck missus sum. Et, quod mireris, omnes, quos homini nequam & improbo, de quo iam antea verba feci, consilium seu operam præstitisse suspicatus sum (sunt vero sex) omnes ignominia affecti abierunt. Demum vero cum à quodam incusatus esset, quod Reipub. secreta contra iuramentum præstitum reuelasset, litteræque manu sua conscriptæ ostensæ fuissent, detentus est, & interrogatus de nonnullis aliis delictis, absq; violentia aliqua confessus est, contra iuramenti formam plures accepisse pecunias. Et quamuis ob varia malefacta criminaliter puniri potuisset: Senatus tamen bonitate motus illum solum ademptis honoribus in vinculis habendum decreuit, donec statuatur, qua pœna affici debeat. Ea augebitur seu minuetur ex propinquorum ipsius actis: qui si sapiunt, quiescent, nec mihi aliive innocenti culpam hanc impingent, sed improbitati ac sceleribus facinorosi illius hominis adscribent, qui nec Deum nec homines reueritus est, quo minus omni scelerum genere debaccharetur, ô quot & quanta mala partim peregit, partim vero adhuc mente versauit. Nego enim, quemquam bonum cuiuscunque sexus, ætatis aut conditionis improbitatis eius expertem esse potuisse. Sed valeat. Iam enim in foueam cecidit, quam fecit, & dolor in caput ipsius conuersus est. Longam cantilenam cecini, mi Bernharde: sed, vt mihi visum fuit, ob amicitiam nostram necessariam. Multa tamen intermisi, multa etiam consulto præterij, sed solum capita quædam annotaui, vt intelligere valeres, æmulos meos, quemadmodum omnes peccatores facere solent, culpam propriam mihi acceptam referre: quos tamen minime timeo. Non potuerunt me, cum in exultatione sua essent, quantumlibet voluissent, offendere. Longe minus nunc verbis lædent. Dicant quicquid velint: tamen ex fructibus eorum cognoscentur. Intrabit profecto gladius eorum in cor eorum. Vale.

PRÆSTANTISSIMO AC HVMANISSIMO VIRO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, CÆSAREO CONSILIARIO PATRICIO, nec non Senatori Norico, prudentissimo Fædericus Nausea Plancicampianus S. P. D. CVIII.

QVanta me nuper vir humanissime: cum inclyti Baronis Christophori de Schwartzenberg nomine tecum Noricæ essem, tuis, quibus abs te non tam benigne quam liberalissime condonabar, muneribus, lætitia affeceris, arbitror nullis nec litteris, nec vocibus vnquam explicare posse. Quippe qui tuam in me singularem & animi beneuolentiam, & munificentiam hactenus demirari sat nequiuerim. Gaudeo ea propter mirum in modum talem te certo offendisse, qualem omnium ore passim prædicari audieram, cui vel tandem (ni fallor) me gratum fuisse non possum non augurari. Gaudeo inquam mihi perquam maxime cui talis contigit amicus, quo melior, humanior, eruditior, sapientior alius est nemo, quem vel à pueris vsque & videre, audire, & alloqui quam ardentissime deliderauerim. Nunc equidem nihilo mirari soleo, quod te omnes viri & docti, & apprime eruditi tantopere cum diligant & obseruent tum suprema denique veneratione extollant. Quandoquidem is mihi plane videaris, qui ab omnibus iis non amandus tantum verum etiam colendus, veneranduſque. Quis enim tui animi moderationem, prudentiam, bonitatem non iure laudet? Quibus ipse virtutibus me hercle fulcitus, tantum hanc in diem assequutus in vniuersa es Germania, vt vel hæc in vitæ genere priorem inuenire licet neminem. De tua autem magnidicentia aut (si malis dicere) liberalitate, qua etiam vnica virtute magno viro qualis ipso haud dubie vnice es censendus, arbitror esse laudibus, honestius magisque consentaneum nihil: plura quid dicere attinet. Illud ipse vnum ingenue fateri ausim, me hactenus multorum & eorundem doctrinis illustrium consuetudine vsum, ex iis tamen, qui te vno aut facilior, benignior, liberaliorq; fuisset inuenisse neminem nullum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [358] - 334
PUBLIC DOMAIN

nullum. Nam de tuis mihi muneribus quid referam, aut qua laude merito extollam sane me præterit. Muneribus dico, quibus alia penitus munera nulla conferri posse autumo, quibusque Ædepol nihil splendidius, decentius, maiusque inuenire quisset. Siquidem non fuere qualibus calaber hospes (vt est apud Flaccum) vesci iussit, sed quibus C. Pompeium professoribus artium liberalium Rhodi ampliora largitum esse haud facile credam, nec Ptolomæum Philadelphum septuaginta sanibus Bibliacæ historiæ solertissimis à Iudæa vsque in Ægyptum accersistis maiora dedisse fatebor. Tu etenim vtramque in me liberalitatis rationem es haud obscure amplexatus, quippe qui & mihi indigo opera industriaq; & pecunia beneficiis esse minime dubitasti. Quandoquidem duobus me muneribus primo pecuniario & sane opulento & opimo: Altero litterario liberalissime condonasti. Quorum illud eo mihi fuit iucundius acceptiusque, quo vitæ vsui, magis enim necessarium tum accommodatum nemo ignorat. Quo enim quæ nunc caret prorsus (φ tamen nephas sit puto) inutilis ceterorum consuetudine propemodum indignus habeatur & censeatur. At hoc mihi tam gratũ extitit quã quod omnia maxime, quo medius fidius nihil præclarius, præstantius, antiquius delectabilius denique præstare potuisses aliud minime. Quod sit fortasse quæris, sunt egregia nõnulla, quæ eruditissime è Græco Marte (vt dicitur) tuo in laciale colloquium transtuleris opuscula. O miram cum doctrinã tum eruditionẽ, qua instare vndiquaq; monumẽta perinde quibusdam gemmulis sunt adornata. Hæc certe mihi perspicuo sunt argumento, qua præ cunctis nostra ætate viris artiũ maiestate fulgeas: Hæc inquã sole clarius ingenij tui acrimoniam animi magnitudinem, cõsilium, probitatem arguunt hæc profecto hunc te limpidissime declarant, quo Norimbergensis florentissima Respub. te vno nihil habeat cõtinentius, nihil moderatius, nihil ad omnes illustres actiones vel splendidius, vel strenuum magis. Harũ me hercles tuarum lucubrationũ lectione vel eadẽ oppido suaui (quia sæpius millies ferme lectitaui) adeo vsq; sum delectatus & lętatus, vt hosce legẽdis me plane fœlicẽ (si modo φ in humanis sum⁹ vlla possit esse beatitas) autumauerim. Nam quid illis aut esse, aut reperiri possit culcius, maturius, exactius & quid postremo salubrius in illis nimirũ te mihi totum ostendis, qualem iam pridẽ æstimauerim: *doctum, elegantem, disertum, probum, & omni virtute conspicuum. Et vt semel hac de re supersedeam, tuum me porro ingenium optime delectat, delectat in illis eruditio, per munda deniq; mihi tua est. qua nõ vno in loco inibi vteretur, humanitas, sunt insuper ea ipsa tuæ & perspicacissimæ mineruæ monumẽta grauissimis (si mõ me iudice quippiã possit aut supprimi, aut laudatũ iri) sentẽtiis verbisq; nitore plenissimis referta & prorsus talia, quæ ab eruditissimo eloquẽtissimoque viro profecta censeantur & videantur. Proinde minoris ipsa nequaq̃ fecerim quam olim Alexander ille cognomẽro magnus Homeri carmina fecisse proditur. Is nempe (vt est apud Plinium ceteros q; legere scriptores) post Darium prœlio subactum cum in regia esset præda scriniolum auro & gemmis præciosissimis fabrefactum, adeptus, è vestigio ab iis, qui Persicæ erat luxuriæ haud vsi, quæritans. Ecquis tam operis tam precioſi foret vsus audiente, vt regia in eo vnguenta seruari solita essent. Quin infit, rei magis pretiosæ post hac sit custos, itaq; mox hoc in bellissimo scrinioloHomeri libros clausit. Sic, vir clarissime, mecum, lectitatis ingenij tui impẽse egregiis monumẽtis propediem statui, vt hæc tua, quib. equidẽ apud me pstantius ducitur nihil, opera primarium inter ceteros, quos famo libellulos occupauerint locum, tanti me hercle hęc ipsa, quib. me tam amice tanque liberaliter cõdonaueris faciõ munera. Ceterorũ dicet meorũ quispiam amicorum, virtutis vt rationẽ habeam, cohortantis sane Nausea. Quid ergo ipse muneris tuo doctiss. Bilibaldo, pro tantis suis in te & donis & beneficiis refundes. Nam equidẽ te ingratitudini φ à pueris vsq; summopere semperq; detestatus sis, obnoxium esse deceat. Enimuero quidẽ si id tecum vitij apud te locum habere sinas, non iniustus tantũ, sed impudens quoq; ab omnib. merito sis habendus & iudicandus *quidem à viris equidem doctissimis & sapientissimis ingratitudini impudentiam, perinde atq; comitate conglutinatam dici. At homo impudens quo queat flagitio vocare minus video. Ille hactenus. Cui ipse Ciceroniani de officiis (si rite recordor) docuimus, φ haud obscure monemur, vt ꝓpin nos beneficiis aliquãdo vel maiore mensura (agrum imitantes fertilem) gratias sumus relaturi neſcius sum minime. Sed dij boni quid abs me huic queat integerrimo viro oblatum iri, φ satis eo dignum foret, quo vel ipse careat. Quidquid enim porrexero, vereor γλαῦκας εἰς Ἀθήνας. φ interpretamur: Noctuas Athenas, de pecuniis namq; mittendis prorsus sileam, quippe quarũ ipse difficultate, quia pauperculus, laboro, quibus ille meus Bilibal. oppido abundat, quoniã ei diuina benignitate fortunarũ nulla deest cõmoditas. Mittere non nulla ingenioli munuscula, & ea quidem chartacea** alioqui delectatur: at timeo, quæ sub mea incude fuerint depromta nõ iucunditati seu pot⁹ fastidio futura, nẽpe quæ ex otio ac plane insulso sermone (quo tanti viri iucundissimas aures multarũ nephandũ sit reor) scateant. Hinc doctiss. mi Bilibalde, quid aliud tua excellentia dignũ tibi referre possim, habeo ædepol nihil, nisi vt te orẽ & obsecrem, tibi (φ recte secus vsu venire nunquã comperies) etiam atq; etiam persuasum sit, eum esse Nauseam, φ mihi auitum patriumq; à maiorib. extat cognomen, tum, atq; semper fore quo queas omni in re vel peculij iure intrepite vti, cuiq; sis omniũ indubitato charissimus & indies charior ẽ fore, si me meaq; abs tua obseruantia non aspernatum iri sensero. Quo circa si quid in me est, quod tibi aut vsui, aut voluptati futurum sit (horum quanquam ne vnum quidem mecum esse subuereor)

id iuxta

id iuxta tua in potestate collocatum esse velim, atque ea cuncta, quæ peculij iure cénseri solita sunt. Tibi autem (ne sim ingratus) gratias quas referre opis non est meæ, eas ingentes & habeo & ago, quod me pro innata tua humanitate atque singulari animi & munificentia, & magnitudine non obseruaueris solum, sed omni vel officij, vel pietatis, dum tecum fueram, opera fueris prosecutus. Et vt quatantenus magis liquido intelligas quam lubens tuis in me beneficiis gratiam essem relaturus, hosce ad te mitto humilimeq; offero piscículos, qui licet paruiúsculi, de optimo tamen piscium, qui nobiscum degunt genere, quas trudas vocant, sunt selecti. Quos obtestor te Deo gratius, acceptius, benigniúsque suscipias, quod tibi à Nausea tuarum rerum amantissimo, qui te omni studio & industria cum colit, tum apud quoscunque & laudat, & veneratur, missi sunt. Nec velim hoc me tuæ excellentiæ exiguo munúsculo sat gratiarum retulisse, sed vt apud tuam claritudinem vberioris memoriæ pignus adipiscerer. Nimirum tibi tantum debere fateor, quantum à me dissolui posse diffidam. Quod veto voluntate, ingenio, litteris, studiorum opera, lucubrando possum: id equidem, ita lubens facio, vt vix aliud quicquam magis. Et hæc hactenus. Nunc Bilibalde mi suauissime, quæ mea causa te facere impensius obtestatum velim, accipito. Tuum precor de meis nuper adde sedendariis lucubratiunculis, tuæq; à me amplitudini, submissius dedicatis, quibus fortasse ineptius hujusmodi titulus est inditus: Dialogus de virtutis ac probitatis contemptu, iudicium (quod æquis scio lancibus libratum) scribendo vel breuiúscule citraque formidinem adaperias, ne scilicet eædem vel minus abs te viro instructissimo & integerrimo probantur, sint ne lectu visuque dignæ. Id etenim si lucubratiunculorum à te viro omnium nostro tempore, & mihi obseruatissimo probatum iri animaduertero, post hac medius fidius nullis nec laboribus, nec sudoribus parcam, quin indies effecturus sim, quibus tuum clarissimum nomen, quantum quiuerim, immortalitati apud posteros commendarem. Deinceps plurimum rogito, hoc adnuntio ire statuas sintagma de historiis conscribendis, quod tua egregia musa, è Græco idiomate in latinum conuertit eloquium: quo, quia te interprete in medium prodiit, nunc gratius esse poterit nihil. Eius autem valoris preciolum vna breuiter significato, quod ipse procul dubio, vel quantumuis & grando sit, soluam refundamque. Postremo per immortalem te quæso Deum, libellulum si quempiam tuam apud excellentiam detentum habes, qui in Græcã litteraturam, perinde ac introductorius aut amussis, aut, vt sic dicam, perpendicularis foret, ad me quamprimum hoc tabellione dare nõ negligas: Cuius pariformiter pretium quo queat & vendi & emi, significes velim. Tu namque nuperis diebus cum mecum variis de rebus commendabaris, inter ceteros quos mecum dulcissimos conferebas sermones, me ad discendas græcas litteras, quippe sine quibus te arbitro, id quod & ceteri artium professores haud incelebres astruxere, nemo sit consummate latinus litteratusque (vti decet virum probitate insignem & sane humanum) inhortabaris. Quod profecto tuum consilium quia sit salubre, & à beneuolentissimo in me animo latum, non laudans modo verum probans & manibus pedibus sequi & studeo & studebo. Quapropter ne ipse frustrã.

CLARISSIMO VIRO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, PATRICIO NORIMBERGENSI, VINCENTIVS Obsopœus S. D. CIX.

CVm nuper inspiciendum mihi obtulisset ex Bibliotheca tua Bilibalde clarissime Georgius Leutius, codicem epistolarum Basilij & Gregorij, quem cum ob litterarum characteres, tum ob vetustatem vehementer videre cupiebam. Est enim, vt mihi coniecturam facienti visum est, ante ducentos aut amplius annos descriptus, inque regis Vngariæ Bibliothecam repositus: in eo ergo cum auidissime versarer, cœpi epistolas quoq; aliquot excutere, quæ prima statim degustatione (quantum quidem nos in litteris Græcis palati habemus) ita mihi ceperunt arridere, vt magnum nefas ducerem, tantum & tam insignem elegantissimarum epistolarum thesaurum ita defossum esse, ac non omnium potius vsui & lectioni obuium & expositum. Sed enim cum animaduerterem huius tam rari codicis pretium nulla tua inuidia premi, cum alias tuæ instructissimæ Bibliothecæ vtriusque linguæ authores studiosis à te flagitantibus, candidiss. & libentiss. vtendos dare soleas, sed potius librarij penuria hactenus in obscuro delituisse, cepi te per Andream Rutellium familiarem tuum interpellare (ne quid in rebus tuis te inuito & nescio facerem aut statuerem) me describendi laborem & tædium libenti animo suscipere & deuorare velle, modo meæ voluntati tuus assensus non refragetur. Ibi tu nihil cunctatus, perliberaliter respondisti summe tibi probare nostrum institutum, atque vt ceptum laborem strenue vrgerem, amice cohortatus es. Itaque ego hoc tuo tam liberabi responso sum non mediocriter erectus & exhileratus, tuæque cohortationi non illibenter obsequutus, eas vel hoc nomine diligentius transscripsi, partim quod antea nunquam editas compererim, partim quod sperarem studiosis & candidis lectoribus me non vulgariter gratificaturum, si nostra opera tanti ac tam rari thesauri potirentur. Promiserat quidem Aldus ipse optime de litteris meritus, in epistolio ad Codrum Vrceum, quod secundo libro Græcarum epistolarum præfixum est, eas aliquan-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [360] - 336
PUBLIC DOMAIN

aliquando se editurum. Verum quid eius voluntatem ab edendo retraxerit, parum compertum habeo, paucos saltem Basilij ad Libanium Sophistam, & alios nonnullos in secundo volumine edidit, quas nō in hoc libello consulto prætermisimus. Porro autem, qui aliquem fructum harum epistolarum lectione consequentur, eundē tibi iure optimo acceptū ferendum existimo, deinde non minorem gratiam Ioanni Secerio solertissimo Typographo habendam, propterea q illas tua humanitas non grauatim exscribendas dederit, & ille easdem suis impensis & laborib. non parcens diligentissime excusas inulgauerit. Neq; enim vulgarem de litterario profectu illi merētur gratiam, qui id genus auctores in lucem edunt & producunt. Qua in re & te, iam per multos annos fœliciter elaborasse & sudasse conspeximus, dum vnum hoc sedulo curas, vt vetustis auctoribus, suus restituatur nitor & dignitas. Ceterum præter alia, quæ in hisce epistolis continentur & tractantur lectu dignissima, facile videre est, quæ misera sit & perturbata Ecclesiarum conditio, vbi Christianorum vnanimis & consentiens per fidem concordia, hæreticorum impiis conflictationibus diuulsa fuerit & impugnata. Vixerunt enim eo tempore in Cæsarea Cappadociæ quidem Basilius, Constantinopoli autem Gregorius quo vehementiss. viguit Arriana hæresis, quam sub Constantino Magno, Alexandriæ emersisse accepimus, cuius perfidia & malitia tunc Christianissimus crudelis. conuellebatur. Eas ergo turbas, quibus Ecclesiæ misere infestabantur quibusque simplicium conscientiæ variis erroribus inuoluebantur, dictu mirum, quibus lamentationibus, quibus lacrymis, quibus denique querimoniis vbique fere deflet Basilius, acerrimus alioqui Arrianorum impugnator, dum lacrymans monet, obsecrat, hortatur ac aliquoties interminatur Episcopis, vt relicta inutili & ambitiosa, cum multis offendiculis coniuncta contentione Christianorum mentes solo Dei verbo pure & sincere pascant & ductitent, nec eas hæreticorum pestifera & lethali contagione imbuerēt. Verbi diuini puritatem & simplicitatem adulterantes & contaminantes, plenæ sunt harum querimoniarum pleræque Basilij Epistolæ, quas qui non oscitanter legerit, haud dubie in illis nostri infœlicis seculi miserandam faciem & statum ad amussim expressum esse videbit. Neque enim minore multorum ruina & offendiculo iam furiunt hæretici Müntzerani, & omnium maxime Oecolampadiani, quam olim insaniebant Arriani, Christum in verbis suis (proh impietatem execrabilem) plus quam blasphemo ore mendacem coarguentes, Christianæ pacis concordiam maligne & factioso conscindentes & perturbantes, simplicium conscientias malitiose erroribus non dicendis illaqueantes, dumq; rationis ductum & fallibilem carnis sapientiam furiis per preceps acti sequuntur, sacrarum litterarum simplicem sensum ad suas blasphemas & impias nænias comprobandas violenter pertrahunt, adeo vt mihi ex tripode prodita videntur ista verba, quæ nimium graphice de hæreticis protulit Basilius. Ita enim scribit in Apologia ad Casarienses, & quid vetat Græce eius verba subiungi cum sint & verissima & elegantissima * * * *

vide vero quam stricte & compendiose talium hominum mores & conatum tetigerit, quibus profecto nequaquam studio est, vt ex sacris litteris simplicium animas instituant, sed potius externa sapientia, ipsam veritatem funditus subuertunt, sensisti haud dubie hoc ipsum & tu in conflictu cum Oecolampadio (quem longe verius αἱρεσιάρχην quis dixerit, cum tantas Ecclesiæ Dei, & sacræ Scripturæ offundat tenebras) Sibillinis foliis esse certius. Verum ista præsentis non sunt instituti, Prius tamen quam epistolam claudam, vnum hoc reticere nequeo, quandoquidem ipsi adeo patrum scriptis innituntur, quę tamen pro more suo falso & temere, vt sacram quoque Scripturam citant, erroneis interpretationibus deprauata subiiciant, quidnam de Sacramento corporis & sanguinis Christi, idem senserit Basilius, quem ex vetustissimis autoribus vnum esse satis certo constat. Ad hunc enim modum in eadem ad Cæsarienses Apologia scriptum reliquit, super illud Iohannis, Ἐγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα, quod vsurpatur ab Arrianis in hoc, vt probarent Christum non esse æqualem patri. Ille ergo interpretera ita subiungit exemplum inferens * * * * * *

Sed facile hariolor, quid ad ista dicturi sunt, nempe de spirituali manducatione intelligenda esse (vt homines sunt plus quam cœlestes, plus quam spirituales) & minora hæc esse, quam vt hisce verbis quicquam probari possit. Næ, si ista dicunt, recte pro spiritus sui vesano & vertiginoso ductu dicunt, quibus quæcunque ab aliis producta fuerint pauca, hoc est, nihili videntur, & nullo spiritu condita. Ceterum quæ ab ipsis in medium allata fuerint, ex opulentissimo ipsissimi spiritus ærario deprompta sunt. Qui enim isti Bacchantes & furiosi spiritus mouerentur, aut crederent scriptis Basilij, quo rum perditam vesaniam nec Christus ipse, nec Paulus nec tot patrum consentiens authoritas ad sanam mentem retrahere potest. Atqui nec propterea ista produximus, Oecolampadianis & Müntzeranis spiritibus, vt crederent, qui nihil prorsus solent credere, nisi quod illorum perfidiæ videbitur consentaneum, nempe, quod cernitur & palpatur, & ratione percipi potest. Quasi vero Basilius non hisce paucis verbis egregium & præclarum præstiterit suæ fidei testimonium, quid de Sacramento recte sentiendum sit, ipsumque illud, si opus fuisset, etiam quam copiosiss. vt alia restatus esset. Quis

autem credidisset aliquando orituros pestiferos & seditiosos hosce Müntzeranos & Oecolampadianos spiritus, qui ita crudeliter & impie Christi verba essent dilaniaturi, discerpturi & abnegaturi, vt suis blasphemis nugis fidem facerent & statuerent. Atqui ita iam missa faciamus, neque enim humane patitur istorum spirituum intolerabilis arrogantia alicuius mediocris admonitionem, curiosissima ingenia moderate non audiant, sed contemptissimè quosque fastidiunt, contenti interim quod & Basilius vna nobiscum aduersus illos de Sacramento sentiat, cuius vnius calculum omnibus Müntzerano & Oecolampadiano spiritu Bacchantium suffragiis anteferendum existimo. Quanquam homini vere Christiano, parum quid hic aut ille dixerit, aut senserit curæ est, cui vnius adeo Christi verba, qui solus est via, veritas & vita, quique certius de se dicere possit illud, quod Ioui suo tribuit Homerus, ὃν γὰρ ἐμὸν παλίνορσον ὃν δ' ἀπιπτάλον, ὃν δ' ἀπολύσσω γ' ὅππιον κεφαλῇφι δύσω, vera videntur. Hominum autem eatenus vera, quatenus à Christi verbis non abhorrent & discrepant. Siquidem Euangelion omnis veritatis, imo omnium verborum est amussis, & regula & plane lapis, quod aiunt, Lydius. Nos hac de re iam desinemus, tibi Bilibalde clariss. hanc Lampada deferrentes, qui istam pugnam prior cepisti, & hactenus non inauspicato Marte depugnasti. Faxit Christus, vt per te & Martinum nostrum incomparabilem illum sacræ doctrinæ vindicem, perque omnes cum Euangelio sentientes quam primum triumphet veritas, aduersariorum impia perfidia & vanitate detecta & profligata. Bene vale, vir clarissime, & nos vt facis ama, &c.

REVE-

REVERENDÆ MATRIS
CHARITATIS PIRCK-
HEIMERÆ, ABBATISSÆ
ORDINIS S. CLARÆ IN COE-
NOBIO NORIMBERGENSI,

EPISTOLARVM LIBER VNVS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [363] - -
PUBLIC DOMAIN

FEDERICVS PEYPVS LIBRARIVS IVRATVS LECTORI S. D.

Venerunt in manus meas fortuito quattuor aut quinque Epistolæ, quas CHARITAS PIRCKHEMERIN *Abbatissa aliquando scripsit, non animo deliberato, sed calamo veloci: non vt pluribus, sed vt vix vni legerentur. Cum autem ea matrona fœminei sexus, & nostræ ciuitatis præcipuum sit ornamentum, in quam vnam Saluator noster plus eruditionis cõtulit, quam in multas alias huius temporis mulieres, putaui eas quoq; publicandas fore, quatenus libellus ipse vendibilior fieret, & in argumentum à fœmina caperes, bonis litteris incumbere, & Deo seruire frugalissimum esse. Quicquid id est, boni consule: gratiam autem, quam ab auctrice non expecto, repende, & doctam familiam mecum dilige atque honora. Vale. Norimbergæ, anno à partu Virgineo 1515. mense Aprili.*

EPIST. I.

AD REVERENDAM ET ERVDITAM MATREM CHARITATEM PIRCKHEIMERIN NORIMB. CENOBII DIVÆ Claræ Abbatem Christophori Scheurli, studij Bononiensis Sindici Epistola.

SIxtum Tucherum hominem librati iudicij & iurium interpretem acutissimum, dicere solitum accepimus, reuerenda mater, se in omni vita duos potissimum viros vidisse, qui claritudine natalium & disciplinarum splendore illustrarentur: in quibus & naturæ dotes & fortunæ bona cumulatim congesta essent. Ioannem Picum Mirandulanum Comitem Concordiæ, & Ioannem Cameratium Dalburgium, Vangionum antistitem. Hunc Germanicum illum Italicum. Et me hercules recte ille quidem, vt cetera omnia. Nostris enim temporibus tam rarenter bona mens bonaque fortuna: ex quibus duobus clarissimi philosophiæ conditores, humanam fœlicitatem metiuntur, coputantur, quam frequenter glacie media nascuntur violæ, de niuibus rosæ, de pruinis liliæ. Ego vero qui doctorem Sixtum emulandum mihi proposui, & illius vestigia adoro, dicere audeo, me hucusq; duas tantum matronas nouisse, ab ingenio & fortuna dotatas, litteris & opibus conspicuas, pudicitia & forma, quibus alioquin magnum inter se est bellum ornatas, quas facile cum Lelij & Hortensij filiabus, & Cornelia Gracchorum matre conferre possis. Cassandram scilicet fidelem Venetam. Et Charitatem Pirckheimerin Norimbergens. Nam vt illam in præsenti, silentio præteream, vtpote suis & doctorum monumentis, satis superque celebratam. Tu ex familia Pirckheimera orta apud Norimbergens. antiqua patricia, famigerata, in qua anno ab hinc quinquagesimo floruit Thomas, iuris pontificij Licentiatus, quem Eneas Siluius Nicolao Pontifici, vtpote virum doctum spectatum, & Cæsari Federico conciuibusque gratum, commendandum putauit. Floruit dein Catharina, amita tua magna, qua nescio quid doctius, cultius absolutusve vrbs nostra viderit? Sed & Ioannes auus, & Ioannes pater tuus, nunquid ambo diuini & humani habiti sunt iurisconsultissimi doctores? In præsenti autem eminet & tanquam luna inter minores stellas splendescit Bilibaldus humanissimus frater tuus Cæsaris à Consiliis, pariter iureperitus, vt græce & latine vehementer eruditus & belli & pace clarus, optimus Orator, optimus Senator, optimus Imperator, qui Plutarchum de vitanda vsura, vel quod non oporteat fœnerari, & his qui tarde à numine corripiuntur, Romane loqui docuit, qui Lucianum de ratione conscribenda latinitate donauit. Qui Xenophontis Paralipomena, & septem libros de rebus Græcorum traduxit, & quidem latinissime adeo, vt in omni imperio, multifariam doctrinam, eloquentiam, prudentiam, natalium claritudinem, diuitias, præstantem formam respicias, anteferatur huic nemo, pauci pares putentur, cuius virtus nullius laudatione crescit, nullius vituperatione minuitur. Omnes vero Pirckheimeri viri boni, spectabiles, improborum inimici & clarissimi Iureconsulti. Nam sicut ipsum ius

nostrum

nostrum ciuile cum sceualis nasci videbatur: vnde etiam cognominatũ est scedo hæreditarium Verum tu familiari splendore minime cõtenta, quum videres pulchritudinem aut tempore euanescere, aut infirmitate recedere. Voluptatem escam malorum, potentiam libidinum ministram, diuitias magis nequitiæ quam probitatis supellectilem. Et in summa omnia hæc externa bona fragilia caduca & possidentium magis esse quam cuiusque, vt in thilari ludo huc atque illuc transeuntia: iudicasti solam virtutem & viuenti, & mortuo stabilem esse & firmam possessionem: cetera omnia, præter quod regnare est seruire Deo, quandam vanitatem, immo vanitatem vanitatum: contulisti te exemplo maiorum tuorum ad bonas litteras; voluisti pro lana librum, pro fuso calamum, stylum pro acu tractare: donec super ingenij muliebris captum ad tantum litterarum fastigium peruenisti, vt epistolas scribas, & orationes componas, subtiles, elegantes, latinas, eruditas, & quanquam virginali quadam gratia dulcissimas: tamen etiam mira sententiarum grauitate refertas. Ceterum quum doctrina & religio nodo pulcherrimo inter se copulentur consocienturque tamque conueniant, quam bene gemma auro clauditur, & rosæ liliis contexunt, vitam tuam à puertis religioni diuæ Claræ addixisti, in cuius cœnobio quum probitatis tuæ, eruditionis, virtutum longo tempore specimen dedisses: magno omnium assensu electa es abbas. Quam dignitatem ita geris, vt reliquæ sacerdotes, ex institutis tuis viuendi formulam mutuent. Quæ quum ita essent, quumque audirem patronum meum, præsulem Sixtum, ad te suauissimam materteram meam Apoloniam Tucheram, quæ eum apud te magistratum obtinet, quam apud dictatorem magister equitum: tales subinde mittere epistolas, quales olim ad Paulam & Eustochiam diuus Hieronymus suam, cœpi ego quoque iam dudum cogitare, quidnam ad te scriberem religione tua & me dignum, quo amicitiæ tuæ magis atque magis intinuarer, & tibi quod de me ingenue sentis & magnifice loqueris gratiam referrem. Occurrerunt mihi quædam epistolæ non Ciceronis, sed ad Christi Optimi Maximi vitam pertinentes. Collegi apud Ecclesiasticos doctores maxima quædam commoda, quæ ex auditione missæ & oratione pro defunctis assequimur, quæ omnia in vnum libellum redegi, qui vt in iustam magnitudinem excresceret, subnexa sunt nonnulla alia ab instituto nostro non aliena, quæ vt breui lectione digneris, & boni consulas, te etiam atque etiam rogo obsecroque. Vale. Bononiæ Calendis Septembris, anno Salutis sexto supra millesimum quingentesimumque.

EPIST. II.

DOMINO CONRADO CELTI, PHILOSOPHO ET POETÆ, PRÆCEPTORI SVO OBSERVANDO, EXIGVA alumna soror Charitas professa ordinis sanctæ Claræ, salutem dicit in eo, qui est omnium salus.

EGregie Doctor, accepi litteras vestras, vtique odore suauissimo, mirificæ humilitatis atque inopinatæ beneuolentiæ flagrantes, pellegi eos non mediocri admiratione & stupore: admirabilem namque stuporem mentis mihi ingerunt, dum insignis vestræ dominationis excellentiam, meamq; rusticitatem, inertiam, ingenioli quoq; mei imbecillitatem recolo, nec satis admirari possum, tam præcipuum doctorem, tam peritũ philosophum me idiotam, ignaram ac simplicem puellam, in qua nec scientia, nec facundia, nec quicquam laude dignum inuenitur, suis dulcissimis litteris salutare dignari. Fateor tamen egisse vos secundum sapientis monita, inquientis: Quanto maior es, tanto humilia te in omnibus. Compassionis præterea gladio intime confiteor me confossam, dum ex eisdem litteris accepi, vos tam inhumaniter à truculentis latronibus spoliatum, tamque crudeliter verberatum, & si non diffidam excellentiam vestram esse de numero perfectorum philosophorum, qui cuncta aduersa æquanimiter norunt tollerare, si omnia caduca & transeuntia eis auferantur, modo earum thesaurum, veræ scientiæ & sapientiæ, cunctis opibus precioſiorem reseruent, quapropter in aduersis magis consolantur, quam de illatis iniuriis contristentur, profecto non ignari talia pati sapientibus, magis prodesse quam obesse. Quid enim latrones vos spoliantes fecerunt, nisi quod temporalia seruandi abstulerunt? Et quid vos verberantes egerunt, nisi quod materiam exercendæ virtutis præbuerunt? potissimum sanctæ sapientiæ, quæ secundum Apostolum dictum, perfectum opus habet, quia vt etiam sanctus Iacobus asserit, beatus prædicatur vir, qui suffecit tentationem. Quinimo non tantam vestram dominationem eximium philosophum, verum etiam optimum Theologum, & quod honorabilius est, Christi discipulum fore non ambigo, qui non modo aduersa æquanimiter, sed & gaudenter sustinet, nostri redemptoris intuitu, qui haud inuitus, sed spontaneus passus est obprobria, lodibria verbera, flagellationem, spoliationem, atque mortem amarissimam. Hæc meditari dixit sanctus Bernardus summam esse philosophiam, quid quod doctor quoque gentium vas electionis se iactabat coram regibus & gentibus, coram

græcis & latinis,aliisque sapientibus, nihil scire nisi Iesum & hunc crucifixum? Idcirco non fortuitu, sed diuina dispensatione,puto hanc tribulationem super vos irruisse,hoc sacratissimo tempore: quo Dominicam passionem celebramus, vt ipse, qui maiora pro humana redemptione sustinuit, occasionem vobis, non solum suam sanctissimam passionem meditandi, verum etiam experiundi tribueret.

Ceterum superioribus diebus accepi etiam scripta amabilia Rosuitæ virginis doctissima à vestra dominatione mihi exiguæ,nullis meis meritis exigentibus,destinata,vnde vobis immortales gratias ago & habeo, gaudeo enim qui largitor ingenij, non solum iuris sapientibus, & doctis profundam sapientiam impartiri solet: sed & fragili sexui abiectisque personis, aliquas non denegat micas de mensa diuitum doctorum cadentes. Verificatum est in illa prudentissima virgine illud Apostoli. Infirma mundi eligit Deus,vt fortia quæque confundat,laudanda est pro certo gratia almi pneumatis, quæ istud ingenium virgineum, tantis splendoribus scientiæ & industriæ decorauit illustrauitque. Extollenda atque laudanda vestra humilis diligentia, qua studuistis scripta & carmina mulierculæ, in lucem producere, atque arti impressoriæ tradere, non spernendo fragilem sexum, humilemque statum sanctimonialis pauperculæ. Plane non possum non fateri: fecisse vos contra consuetudinem multorum æruditorum,vel forte potius superborum, qui abusiue nituntur omnia verba, facta ac dictamina mulierum in tantum paruipendere, quasi vterque sexus non vnum haberet conditorem, redemptorem ac saluatorem, non animaduertentes manum summi artificis, adhuc non esse abbreuiatam. Ipse habet clauem scientiæ,diuidens singulis prout vult, non enim est acceptor personarum. Egregie vero vos ô sapientum sapientissime imitamini diuum Hieronymum, qui & ipse nostrum genus nequaquam spreuit, nec horruit Deo dicatis virginibus, sacras edisscere litteras, ad earum requestam, quas viri inertes & desides ab eo inuestigare negligebant, dabitis quæso veniam audaciæ, præsumpsi meis puellaribus & indoctis scriptis v. d. occupare. Reuera verecundia atque confusio operuit faciem meam in scribendo litteras tam incultas atque incongruas,sed fit hoc amore fratris mei amantissimi,qui singulariter vobis afficitur,& quos ille amat, merito & ego,illa autem charitas,quæ omnia suffert,excuset desiderio meos errores. Valete perennij hospitate,&c.

EPIST. III.

DOMINO CONRADO CELTI PRÆCEPTORI COLENDISSMO, HVMILIS ORATRIX SOROR Charitas, professa ordinis sanctæ Claræ Norimbergæ.

CVpio vos bene valere mente ac corpore in Christo Iesu,saluatore supremo.Egregie domine Doctor, Philosophiæq; doctissime accepi debita reuerentia & gratiarum actione permaxima, iterum libellū preciosum a.v.d.meæ paruitati destinatum, vna cum litteris vestris dulcissimis, quæ admodū gratæ mihi fuerunt.Sed quia pauper nil pro tanto munere rependere valeo,illū inuoco à quo omne datū optimum,& omne donum perfectum, vt sua solita clementia, vices meas gerat erga vestram humanitatem,illuminando nec non accendendo vestrum ingenium ardens,splendore atque amore veræ sapientiæ, quæ desursum est, descendens à patre luminum, ita vt non solum visibilia & terram,verum etiam inuisibilia & æterna sapere vobis incipiant,secundum admonitionem apostoli dicentis: Quæ sursum sunt sapite,non quæ sunt super terram, nempe nō possum non fateri quin descriptio atque commendatio patriæ terrenæ in libello isto contenta, quam optime mihi placeat, tametsi delectabilior ac suauior mihi foret, descriptio ac laudatio patriæ cœlestis Hierusalem, videlicet supernæ, quæ sursum est, è qua exulamus hic in valle miseriæ, calamitatis & ignorantiæ: ad quam aspirare totis viribus debemus: in veritate nouit dignitas vestra me indignam vestram alumnellam,singularem fautricem,addo etiam amatricem vestræ salutis; Idcirco toto animo rogo vos instantissime, mundanam philosophiam non derelinquere, sed potius in melius commutare, hoc est,de litteris gentilium ad sacras paginas,de terrenis ad cœlestia,de creaturis ad creatorem vos conferre. Quid enim ruant omnes creaturæ, si à creatore erimus neglecti? quod nobis facile euenire,si creaturas conditori præponeremus,quod absit:Enimuero nō est culpanda scientia,aut quæuis rei notitia,quæ bona est,etsi considerata,& à Deo ordinata,sed præferenda est semper mystica theologia ac bona & virtuosa vita: Quippe ratio humana debilis est, & falli potest, fides autem vera & sana conscientia falli non potest. Recogitate peto insignissime Doctor, qui sapientissimus hominum post inuestigationem omnium sub sole fatetur: Vanitas inquit vanitum, & omnia vanitas, & afflictio spiritus,plenitudo autem sapientiæ timere Deum: si ergo omnia vana sunt, præter Deum timere,colere & amare,cui seruire regnare est, vtiq; vanitati non est adhærendum, sed omni celeritate,ad certissimam veritatem,quæ in sacra Scriptura recondita est,recurrendum: Ibi enim inueniuntur margaritæ preciosissimæ: quia in agro illo dominico trahit mystica theologia, de testa nucleum, de li-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [366] - 342 PUBLIC DOMAIN

de littera saporem, de petra sugens oleum, de spinis legis florem, ad hanc occupationem meditandi in lege domini ac diuina scriptura V. D. summa cum affectione inuito, vtpote meum specialissimum dominum ac præceptorem, quem opto magnum reputari in oculis dei, oroq; hoc non amplius in crastinum protelare. Agite nunc charissime quidquid agere poteritis. Nescitis enim quando moriemini, absconditum etiam est ab oculis vestris, quid vobis post mortem sequetur. Cras est dies incertus, & ignoratis si habebitis crastinum. Ergo dum tempus habetis, congregate vobis diuitias immortales. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Et quidem nō reuelatum est nobis, quando nos oporteat exire, de hoc iuto fecis, nudos & rei nihil nobiscum præter virtutes & peccata portantes; pro quibus remunerationem vel punitionem accepturi sumus, in districto examine iusti Iudicis, qui à nobis non dicta sed facta exigit. Tunc vt ait sanctus Gregorius apparebit ceterum quod videbitur rectum, quia quanto plus & profundius sapimus, tanto gratius inde iudicabimur: nisi sanctius vixerimus, quapropter d. v. pro singulari nostra amicitia hortor, desistere à prauis fabulis Dianæ, Iouis, Veneris & aliorum damnatorū, quorum animæ in præsenti gehennalibus flammis cōcremantur: vnde nomina eorum & memoria orthodoxis viris, qui Christiana professione censentur, omnino sunt respuenda, detestanda ac obliuioni tradenda: Facite nunc vobis amicos dei sanctos venerando & eorum actus imitando, vt cum defecerit is in hac vita, illi vos recipiant in æterna tabernacala, fiat, fiat. Quæ omnia potius amicæ confabulationis, quam docendi gratia perscripsi: quod si excessi vel reuerentiam vestram minus obseruaui, in eum proculdubio retorquenda est culpa & pœna, qui mihi rudi & imperitæ puellæ, sub pœna obedientiæ vobis rescribere mandauit. Humilis itaque obedientia V. excuset quæso errorem. Reliquū est, vt de facultate nominis Charitatis pauca sisterem: quam tamē (vt verum fatear) solum nomine & non re porto, quia vt Iohannes Gerson Doctor Parisiensis testatur, mistica theologia nihil aliud est nisi ars amoris vel charitatis in scientia deum amandi: scientia vero sine charitate magis damnabilis quam laudabilis dinoscitur, iuxta Apostolicum dictum, scientia inflat, charitas vero ædificat, littera enim occidit, spiritus autem viuificat, germana mea Clara puella vtique bonæ indolis vna mecum vos optat valere perenni sospitate nunc & in æuum. Ex ædibus ancillarum regis seculorum, Anno à partu virginis 1502. die vero 25. Aprilis, &c.

EPIST. IV.

AD CHARITATEM DE FAMILIA PIRCKHEIMERORUM.

SANCTIMONIALEM ORDINIS SANCTÆ CLARÆ Norembergæ professam Conradi Celtis Carmen.

VIrgo Romana bene docta lingua
Virginum clarum iubar & corona
Hoc meum paruum rogo fronte læta
Suscipe donum.

Quo tuæ laudes patriæ videbis
Et leges quanto niteat decore
Quales & sancti fuerit beati
Vita Sebaldi.

O Soror nostris meritis camœnis
Digna: & æterno mihi iuncta amore
Charitas lingua mihi dans latine
Candida verba.

Teutonis rarum decus es sub oris
Virgo Romanis similis puellis,
Quas vel Hispanis tenuit vel olim
Gallia claustris.

Docta tu Doctum sequeris parentem
Qui fuit legum canonum & peritus
Præsulum charus ducibusque nostris
Sæpe patronus.

Docta tu fratrem Bilibaldum in vrbe
Norica doctum sequeris pudica
Græca qui claro ingenuaque miscet
Scripta latinis.

Nuper in diros cecidi latrones
Aurum & argentum mihique auferebant

Et dabant nostro truculenta seui
Verbera terga.
Duce solamen mihi epistola mox
Virgo reddebas variis medelis
Quæ mihi tristes pepulere & acres
Mente dolores.
Hinc tibi grates meritas rependo
Virgo Germanæ decus omne terræ
Charitas nostra recolenda semper
Pectore virgo.
Tuis sanctis & sororum tuarum orationibus me commmendo &c.

EPIST. V.

OPTIMO, PRÆCLARO DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO; FRATRI SVO DILECTISSIMO ac Præceptori vnico, soror Charitas tua discipula.

IEsus plenus gratiæ & Maria mater eius sint tecum in omni via, germane amantissime. Mitto ad te exemplum litterarum, quas tuo iussu atque imperio, cui refragandum nunquam censui, ad Doctorem Celtem scribo, rogans vt pellegas, errores corrigas, fatuitatem castiges, ac tandem si placet, reddas, profecto ni timuissem te offendere, simul & charitatem fraternam lædere, nequaquam tanto doctori ausa fuissem scribere, maxime litteris latinis, quas vt nosti, nec scribere nec proferre didici. Sed forsan hoc proderit, propter infirmitatem, quam à te recipere spero, non tam ad me quam sororum mearum instructionem & consolationem, quibus lubenti animo, & prompta voluntate, omnia, quibus me imbuere dignaberis, & sine inuidia cõmunicabo. Dein rogatũ te velim, vt Celtem tuum nullatenus ad nostram locutorium perducas, nisi prius me informaueris, qualiter cum tanto philosopho fati debeam, quia puer ego sum & loqui nescio, arbittor littteras meas incultas, & festino calamo exaratas, in præsenti non admodum gratas illi futuras, propter stimulationem insertam, quod tamen bono animo & recta & simplici intentione feci, puto homini magis expedire quam obesse, diẽ mortis aliquando præ oculis habere: Tu me prouocasti magnanimiter scribere, quod si offendo obediendo, oportet te meum esse aduocatũ. Præterea ago tibi cordialiter gratias, ô frater amantissime, & non solum frater & pater fidelissime, pro omni benenolentia ac beneficia, nostro conuentui à te gratiosissime exhibita, spero incunctanter te plenam mercedem recepturum, in iustorum retributione à iudice iusto promittente, quod vno ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, ille custodiat animam tuam & corpus tuum in æternum & vltra. Salutabis meo & Claræ communis sororis nomine vxorem tuam probam ac pudicam. Vale &c.

EPIST. VI.

CHARITAS ABBATISSA DIVÆ CLARE NVREMBERGÆ BILIBALDO PIRCKHEIMERO fratri suo.

SOlum pax & gaudium tibi semper sit, pater & frater charissime, Accepi nuper læta fronte admiratione etiam permaxima thesaurum incomparabilem, sexternum videlicet de libello, Plutarchi, viri clarissimi, mei amore à te, non sine ingenti (vt credo) labore de Græco in latinum translatum, quæ res mihi vt esse debet admodum grata est atque acceptissima, imprimis vero gratias ago cuncti potenti creatori, qui sua solita Clementia tuum acutissimum ingenium perlustrauit summa sapientia, tribuitque tibi gratiam inueniendi illam preciosam margaritam, tam diu in agro Græcarum litterarum absconditam. Fodiant alii aurum & argentum ac de latentibus eruant venis, tu vero de occultis traxisti, ac in lucem produxisti vendicastique gemmam nobilissimam omni auro & argento preciosiorem & chariorem, non solum ad meam, vt spero, salutem & vtilitatem, sed etiam, vt ita dicam, totius Christiani orbis commodum. Omnes enim, vt ait Apostolus, quippe volunt viuere persecutionem patiuntur, patientia ergo nobis necessaria est, ad hanc patientiam incitant atque inuitant dogmata illius patientissimi Plutarchi, cuius argumenta sunt ignita, ac medullas cordis penetrantia, neque enim scribit vt infidelis gentilis, sed vt optimus theologus ac imitator Euangelicæ perfectionis. Mira res, quæ mihi gaudiũ pariter simul ac stuporem attulit. Intelligo enim verba sua, non vt gentilis, sed vt doctoris eximii, puto me audire ac legere alterum Iobbum, ita quantumcunque prouocatus, attamen imperturbalilis est animi, scio non minoris prudentiæ, de rudi quaque

quaque spina florem decerpere, quam fructum de arbore nobili manducare. Eia bene fecisti frater dulcissime, qui talentum tibi à deo creditũ, non celasti, In diuinis enim (testante diuo Ambrosio) voluminibus, reus scribitur, qui non studuerit, dare gratis, quod ipse gratis accepit. Quidquid enim ecclesiæ Dei profuturum erat subtraxisse arguetur, cum voluerit dare omnibus, quod ipse non celandum acceperit. Fecisti mihi rem gratissimam, sector vtique factus es Theophrasti Hieronymi, qui etiam ad instantiam virginum maiorem partem sacrarum scripturarum, de Hebræo transtulit in Latinum. Non autem te fugiat me plus confusam quam gauisam, lecta præfatione illius preciosissimi libelli, in quo laudas ea quæ in me minime reperiuntur. Vnde operuit confusio faciem meam timens, ne forte præsumas de me, supra quam est in me. Non enim vt ipse scis, docta sum, tametsi amatrix doctorum, litterata etiam non sum, attamen gaudeo audire & legere sermones litteratorum. Quapropter indignam me agnosco, tam precioſi muneris, quamquam vt verum fateor, bene & optime fecisti, qui tam eximium opus nomini charitatis dedicasti: Charitas enim communis est virtus, facitque omnia bona communia, illa charitas qui spiritus sanctus est, reddat tibi gratias immortales, hic & in futuro, vbi bonorum laborum, glorioſus erit fructus, fiat, fiat. Salutat te soror communis, gaudet nempe plurimum, quod eam in præfatione sic honorasti, sciasque filiam tuam non solum mihi, sed omnibus sororibus maxime gratam, tum propter ingenii subtilitatem, tum propter morum grauitatem. Ecce enim non vt puella quindecim annorum, sed vt matrona plena dierum, sic honeste, mature ac prudenter incedit. Vniuersus conuentus gaudet se habere talem puellam tam bonæ indolis. Videmus in ea multa bona indicia, quæ vt speramus sunt præsagia futurorum bonorum. Vale frater vnice, ac dimidium animæ meæ: his incultis ac incongruis litteris veniam da, multis enim occupationibus præpedita, nec tempus nec ingenium scribendi habeo. Iterum vale ac in æternum & vltra bene vale, &c.

EPIST. VII.

INTEGERRIMO ATQVE ERVDITISSIMO VIRO, DOMINO BILIBALDO PIRCKHEIMERO, GERmano vnico & præceptori dulcissimo: tuæ charitatis indigna discipula: Illũ cui ex charitate nimia crucifigi placuit loco charitatiuæ salutis.

REmitto tibi germane charissime, carmina deuota Prudentii poetæ Christianissimi, quæ suauiter ad stomachum mihi faciunt: Reperi compluscula, quæ per circulum anni in nostro choro dicantur: & si illorum auctorem vsque huc ignorauerim: Volumen vero egregium patris sancti, moralium specialissimi Theophrasti scil. diui Hieronymi, copioſi placet diutius reseruare: videor enim vero thesaurum mihi inuenisse preciosissimum, legendo scripta suauissima eiusdemque patris sanctissimi, quæ mihi ipsum reddunt super omnes sanctos amabilem. Immortales gratiarũ actiones, mille milleſies replicatas, corde magno, affectuq; anheloſo, tuæ refero ingenti humanitati, qua me nec non & germanam nostram Claram sæpissime sacris libris consolari amaris, in quib. delectamur sicut qui inuenit spolia multa, quia in illis delectatio bona, thesaurus vitæ & diuinæ salutis: Tametsi ambæ, vt nosti, simus simplices ac idiotę, tamen iuxta modulum nostri ingenii, legimus cupidissime ea, quæ ad salutem nostram scripta sunt, dabis veniam meis incultis atque incongruis litteris, quas ideo ad te exaraui, vt habeas occasionem corrigendi meam ruditatem, ceterasque congruitates in lingua latina, cuius minime sum perita, cum nullum vnquam habuerim præceptorem, præter te germanum meum amantissimum, quem non solum amplector fraterna charitate, vt meum fratrem vincum, sed etiam veneror vt patrem fidelissimum, præceptoremq; colendissimum, cuius correctioni per omnia me humilime subiicio, desideroq; cordalissime, vt aliquãdo nacta oportunitate non dedigneris venire ad nos, causa informationis, quia etsi quid modicum mediante dei gratia ex diuina scriptura intelligo, tamen neſcio intellecta mentibus iuuencularum meæ eruditioni commissarum satis imprimere. Reuera res esset magnæ vtilitatis si ingenioſæ virgines, diuino cultui die noctuque mancipatæ, talem haberent præceptorem, qui doceret eos, mel sugere de petra, oleumque de saxo durissimo, alioquin frequenter psallere & fructum psalmodiæ non posse carpere, quam tædioſum sit ipse cogitare poteris: Interea altissimum deprecor, vt cunctorum bonorum desideriorum tibi concedere dignetur complementum. Vale in gratia Dei & memento mei, &c.

EPIST.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [369] - 345
PUBLIC DOMAIN

EPIST. VIII.

BILIBALDVS PIRCKHEIMERVS REVERENDÆ MATRI CHARITATI, ABBATISSÆ DIVÆ CLARÆ, Sorori suæ charissimæ S. D.

QVemadmodum nautæ variis acti tempestatibus, immensisque exhausti laboribus, ac iam iam præsenti morte votis ac precibus ab imminentibus liberati periculis, tandem præter spem amica potiti terra querulis se solantur verbis, & adhuc naufragii timore præteriti, vixque etiam turi, ac procellas tumentesque aspicientes fluctus piis lacrymis præ gaudio fluentibus inuicem se salutant: sic te, charissima soror, ac magna pars afflictæ animæ meæ, multis affectus laboribus, ac periculis erutus, timorisque & spei adhuc plenus, te pio affectu amplector, lacrymantibusque saluto verbis. Quod mihi congratularis, tamque fraterne solaris, plus quam scribi potest, gratum fuit. Nam præterquam quod te vnice diligam, nescio quemadmodum tua me cuncta delectant scripta, penitusque sancte animæ meæ inhærent. Congratulor ergo & tibi, quod pene amissum recuperasti fratrem. Nam qui mortuus erat, reuiuiscere cœpit: qui perierat, repertus est. Vtinam à periculis ac etiamnum imminenti cura liberatus. Charissima germana, ago tibi gratias ob sedulam curam tuam, & orationes ad Deum effusas. Conuentui vero tuo dignas gratias rependere non possum. Retribuat Deus omnium bonorum retributor. Salubres enim fuerunt. Vale, mea Charitas.

EPIST. IX.

EPISTOLA CHARITATIS PIRCKHEIMERÆ, BILIBALDI SORORIS, ABBATISSÆ COENOBII S. CLARÆ, apud inclytam Norembergam, &c. ex germanica lingua in latinam fideliter traducta.

GRatia Dei nobis omnibus adsit, Prudentissime, sapientiss. & dilectiss. Domine Præfecte: Tuas litteras iterum percepi, & agnosco equidem longe me inferiorem atque imparem esse, quæ tuæ prudentiæ, ac multo minus Doctori alicui eximio respondere queat aut cum ipso disputet: quod etiam non iudico necessarium esse. Quæ nostra sit sententia, ex proximis litteris cognouisti: in qua re possetis in eo, si ad omnia postulata vestra annueremus, cum interim non ex animi sententia id faceremus, sed roderet nos conscientia nostra, & aliud nobis dictaret monstraretque. Quid hoc rei esset, aut quem decepissemus? Neminem profecto alium præter nos ipsas. Nouit prudentia tua, Neminem mortalium quicquã habere, nisi quod à Deo ipsi datum fuerit, sine cuius voluntate nihil fit rerum omnium. Iam si nobis Deus, quem dies noctesque oramus animorum nostrorum illustrationem, & incrementum veræ fidei Christianæ, non tamen dat amorem nouæ illius fidei, certe nos non possumus nosmetipsas refingere, & alias præstare quam quales vt simus, ordinat Deus. Si igitur propter hominum fauores, aut terriculamenta aut minas nos exhibeamus aliter quam in animo sentiremus, magna profecto hæc esset hypocrysis: Quod vt faciamus, procul dubio tua Prud. à nobis minime desiderat. Deo enim hoc esset repugnare. Quod autem T. Prud. quasi pro comperto & explorato habet, vti nos consilio quorundam turpilucricupidorum Missificatorum: sane per fidem meam nunquam in vita mea consilium aut machinationem vllam ab iis duobus, quos nominasti, aliisue illorum similibus petii. Nam ipsi sibi consulere aut opitulari non possunt miseri. Neminem iudicare debemus, quisque suo domino stat vel cadit. Is suo tempore eum iudicabit. Si quis est qui Missarum nundinationem exerceat, aliisue improbis attibus deditus est, profecto à nobis minime hoc probabitur, quicquid etiam secundum voluntatem Dei nobis fiat. Quod autem mihi adscribit T. Prud. Me maiori præditam esse acumine ingenii, quam in præsenti negotio tibi gratum sit: scio equidem, miseram & fragilem me esse hominem, indoctam atque rudem omnis boni: Quamobrem etiam quouis ludibrio digna sum. Scio etiam, omnem mundanam sapientiam coram Deo stultitiam esse. Opus autem mihi foret quam maxime, vt hisce difficilimis temporibus Deus mihi suum sanctum spiritum largiretur, vt scirem quid agendum quidue omittendum esset mihi. Animaduerto enim, hoc tempore, maximis etiam & doctissimis quibusque viris suam deficere intelligendi facultatem, non solum illis qui à Papa stant partibus, sed etiam illis, qui se Euangelicos appellant, adeo vt multi ex ipsis non amplius ferant carnem & sanguinem Christi sub pane & vino: & hoc tamen etiam Dei verbum esse volunt. Quod porro de nobis Prud. tua scribit, se desperare propemodum, equidem mihi dolet. Nos vero de Deo non desperabimus, quin imo confidimus, non subtracturum nobis suam gratiam & misericordiã, cum eam adeo vehementer atque ex animo ambiamus, & quod rectum est facere cupiamus. Quantumuis eximus ex

Cœno-

cœnobio, non ob id tanto beatiores efficeremur, sicut neque in cœnobio statim de salute certi securique esse possimus. Nam certe externæ illæ res nihil neque dant neque adiuuant, ac libertate sua gaudere debent, sicut quotidie nobis in suis concionibus occinunt. Sancti sane Apostoli (quod negari non potest) simul habitarunt cum ceteris fidelibus, omniaque inter sese communia habuerunt. Quid ni etiam nobis liceat simul habitare, & inter nos mutuam exercere caritatem quæ sorores deceat. Bone Deus! Tamen lupanaria tolerantur. Quamquam audire cogimur, illis nos deteriores esse atque improbiores. Equidem fatemur, satis nos esse improbas. Deus nos pro sua bonitate corriget. Si sciremus, hanc Dei voluntatem esse, nosque cœnobii desertione saluos fieri posse, profecto nondum eunctaremur, non enim certe mollis ac delicatæ vitæ perfrendæ ergo in cœnobio commoramur. Id nouit mundus, & Deus, in quo omnis nostra spes omneque refugium consistit. Neque nos (de quo testem appellamus Deum) verbum Dei improbamus. Sed vt pro verbo Dei habeamus multiplices illas verborum contumelias, obtrectationes, diffamationes, approbria, & honoris detractiones, id sane fieri non potest. Nouimus quippe, sanctum Euangelium legem esse dilectionis, quæ proximum non contemnat. neque iudicat; sed omni abhibita moderatione eum corripit. Neque vero nos solæ sumus, quibus oboritur de concionatoribus aliqua dubitatio. Nescio quales habeantur conciones, sæpe tamen audio, multos in hac ciuitate esse homines, qui fere desperabundi sint redditi, & à concionibus deinceps audiendis omnino abhorreant. Sic enim aiunt, se per conciones perplexos ac perturbatos esse, vt quid credant, nesciant, magnoque redemptum vellent, nunquam se vllam eiusmodi concionem audiuisse. Iam & nos CXI. conciones tales audiuimus, & aliquando tua præsente prudentia Doct. Andr. Osiandrum per horas quasi quatuor auscultauimus: sed & Doctoris Wenceslai scriptum diligenter perlegimus ac descripsimus. Ex quibus omnibus satis instructionis percepimus, de omnium ipsorum fundamento, animo ac scopo. Nimis infirmæ sumus quam vt possimus aduersus tantos Doctores disputando consistere. Quicquid dixerimus, in errore versari dicemur: Atque hæc vnica fere causa est, ob quam huc vsque cum Præcantibus illis non multum verborum facere voluerimus, ne verbis nostris offenderemur, indeque occasionem arriperent, multa super his declamitandi in suis concionibus: quamquam hoc ipsum nobis parum profuit: Nam tametsi verba nostra non audiuerunt, tamen conantur arcana cordium nostrorum, quæ soli Deo sunt perspecta & cognita, adeoque inter nos sensus & cogitationes illas, quæ nobis tamen per Dei gratiam nunquam inciderunt, tam fœdi atque crasse proponere non dubitant, magno cum scandalo auditorum, & tam graui super nobis ac seuero iudicio, quasi ipsi Dei personam sustinerent. Sed hoc Deo commendamus, qui optime nouit, quare in suo iusto & irreprehensibili iudicio in nos permittat hæc & alia fieri. Ipse sit benedictus in secula, de omnibus opprobriis, quæ in nos permittit: detque nobis, vt ea patienter & æquis animis feramus. Scitote quoque hoc pro certo, quamquam nobis, vtpote hominibus, non stupidis neque insensatis, valde sit graue, tot tantasque passim pati calumnias atque obtrectationes detractionesque, multo nos tamen malle ista omnia pati, quam aliqua facere. Consolamur interim nos conscientia veritatis, quæ suo ac iusto tempore patefiet, in lucem prolata. Non dubitamus, quin, si cœnobio deserto improbis artibus studere inciperemus, futurum esset, vt à quibusdam pro bonis Christianis & plane Euangelicis hominibus celebraremur, & à multis laudaremur. Sed misericors Deus talem à nobis laudem prohibeat. Ignoscat, quæso, mihi tua Prud. Fieri potest vt modum excedam. Sed quia sic omnino de nobis desperas, & tamen scribis te sincere hanc rem agere velle, meum quoque est, cor meum tibi aperire clare, ac sincere negotium hoc tractare, vt semper quoque apud tuam Prud. feci. Confidimus etiam Deo, nos nullam inter nos fouere idololatriam: multoque minus errores nostros agnoscere recusamus. Hoc enim Deo & rectæ rationi repugnaret. Quod autem non quolibet spiritu nos moueri sinimus, non potest à quoquam vitio nobis verti bona cum ratione. S. Paulus nos docet: Omnia probare, quod bonum est tenere & sequi. Nescimus vllos aduersarios, nec cum quoquam factiose conspiramus; sed, proh dolor, ab omnibus fere desertæ sumus. Deus nostri misereatur. Nouimus quoque, non debere nos fiduciam collocare in Regula nostræ vitæ monasticæ, sed in solo Deo, & in vnico eius filio Iesu Christo Domino nostro, qui nos sua passione & sancto sanguine redemit, & cœlesti suo patri reconciliauit. Is diuinam suam gratiam vobis pariter ac nobis omnibus largiatur, ne sua passio in nobis sit inanis & irrita. Speramus de tua prudentia, non futuram aduersum nos tam duram atque inclementem, quam nobis minatur, sed potius Christianam & fraterna charitate erga nos vsuram: Et (vt magis etiam aperiam viscera cordis tui) non aliter nobiscum acturam esse, quam velles tecum agi, secundum præscriptum sacro sancti Euangelii.

Atque

Atque hæc tuæ prudentiæ litteris à me imprudente & rudi fœmina responsa sunto quam breuissime. Reuera non ita sum idonea vt possim ad omnia, pro vt res ac necessitas postulat, respondere. Quare si cubi modum excessi, per Deum oro vt ignoscat mihi Prud. tua. Si cubi vero omissum est aliquid, quod ad rem necessario pertineret, meæ adscribendum est imperitiæ. Nam vt antea dixi, indoctior sum certe quam vellem, qualemcunque tandem T. P. me esse iudicat. Quod ad. N. attinet, nunquam nos quidem T. P. habuimus suspectam. Alioquin non scripsissem tibi. Sed negotium ipsius idcirco tibi significaui, si forte nos iuuares, vt à quotidiano onere interpellationum libelleremur. Nam affligimur, molestamur atque interpellamur. Et nobis deinde obicitur, à nobis missos esse ipsos. Omnes conantur nos docere & instituere, quid faciendum sit nobis. Quod si tot haberemus opitulatores, quot informatores & magistros, satis instructi essemus, ad resistendum exercitui rusticorum. Et si omnia illa facienda nobis essent, quæ nobis consulunt, regimen habituræ essemus mirabilius etiam, quam cœtus erronum illorum qui Zygeini appellantur. Iterum peto mihi abs te ignosci. Porro quod nuper T. P. ad me scripsit, de Domino Oliandro, ipsius doctrinam mihi non probari: Fateor sane, nullam mihi probari doctrinam, præterquam Christi & Apostolorum eius. Homines sunt, homines non minus hodie quam ante mille annos. Verbum autem Domini manet in æternum. Optandum esset ipsum docuisse rationem auertendæ seditionis, priusquam tanta hominum strages fuisset edita. Quanquam etiam nunc bonum est, ipsum docere, quo pacto futuræ sit occurrendum. Faxit Deus vt hoc fiat. Omnia curauit describi, etiam Doctoris Wenceslai scriptum. Quæ causa est diuturnæ illius retentionis meæ. Philippum Melanthonem huc vocatum esse, perlibenter audio. Iam diu enim est, quod de ipso audiui, virum esse perquam probum, honestum, & sincerum, iustitiæque amatorem. Non credo ipsi omnia probatum iri, quæ fiunt, inprimis illud, quod homines ad religionem suscipiendam vi cogere nonnulli annituntur, & ad res illas, quæ ipsorum conscientiis repugnant. Deus ipsi pariter & nobis omnibus sanctum spiritum suum largiatur. Eidem T. S. & P. in æternum commendatam esse volo. Omnia in bonam partem velim accipias.

T. Prudentiæ & Sapientiæ
Humilis filia Caritas Pirckheimeriana, Abbatissa
ad S. Clarum.

POST SCRIPTA.

PRudentissime & sapientissime vir, Domine Præfecte amantissime. Litteras tuas heri sub noctem accepi, legi. Ex illisque intelligo, tuam erga nos fidem. Placet conditio & cum gratiarum actione accepto, vt T. Prudentia, sed sola cum Domino Philippo in locum confessionis veniat. Desiderio teneor audiendi illum virum, de cuius moderatione tam multa ex tuis litteris & ex aliis quoque intellexi. Quanquam ego me inferiorem reputo, quam vt possim cum tantæ eruditionis viro sermones conferre. Confido tamen, vbi adest moderatio, ibidem etiam humilitatem adesse, in qua nostram necessitatem etiam cognituras sit, & D. N. M. Deum nostrum spero neutri parti gratiam suam denegaturum. Cuperem etiam à T. P. mihi præsignificari, quo tempore ad nos venturi sitis. Bene beateque Vale.

Abbatissa.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [372] - 348
PUBLIC DOMAIN

VIRI NOBILIS

CHRISTOPHORI SCHEVRLI, I. V. D. ET PATRICII NORIMBERGENSIS COMMENTARIVS,

DE VITA ET OBITV REVERENDI PATRIS ANTONII KRESSEN, I. V. D. PRÆPOSITI NORIMBERGENSIS IN COLLEGIO S. Laurentii.

EIVSDEM

SACERDOTVM DEFENSORIVM.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [373] - -
PUBLIC DOMAIN

CHRISTOPHORO, SCHEVRLO, I. V. D. ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS RECTORI LIBERALISSIMO.

GEORGIVS SIBVTVS POETA ET ORATOR LAVREATVS.

Ex Latio nobis veniſti nuper ad Albim
Doctrina inſignis, vita præclarus honeſta,
Moribus argutus, forma vt laudatus Iachus.
Mox tua cum virtus pollebat cognita nobis,
Tota caterua tuas conata eſt dicere laudes.
Poſt vbi compoſitos docto de vertice libros
Effuſos legi, patriam mirabar, & ortus.
Exte quæſiui: dixti, Nuremberga parentes
Ipſa meos genuit, me Norica tellus.
Inde nouem crebris Latium me viderat annis:
Sed me Dux fortis Fridericus miſit ad Albim.
Ecce noui quicquam ſit opus, ne hoc carmine dignum.

DOMINO HIERONYMO EBNER SENATORI ET DVVMVIRO, NVREMBERGEN. DOMINO PATRONO ET AFFINI ſuo integerrimo clariſſimoque Chriſtophorus Scheurl, I. V. D. obſequia parata.

PLurimorum beneficiorum, tuæ integritati, humaniſſ. vir fateor me debitorem: quum diſcendi grátia ſedecim annis abfuiſſem, non ſolum ad patres primus retuliſti, de conducendis operis meis, arbitratus me, non mihi tantum, quandoq; oportere illi ratione reddere ſtudiorum meorum: verum etiam triennio hoc, quo pro ſenatu conciuibus, dictaui ius & reipublicę ſeruiui, meam paruitatem complexus es familiariter & benigne fouiſti. Quę res ornamento mihi cœdit & commodo: tu enim hoc fœliciſſimo reipublicæ anno, ad decimum nonum Calendas Ianuarias, concordibus patrum ſuffragiis, Domino & cognato meo, Antonio Tucher: qui iam multo tempore diuina benignitate principem locũ, & primas partes in curia tenuit, deſignatus es Collega: & omnibus acclamantibus huius inclytæ ciuitatis adeptus es primarium magiſtratum, quem duumuiratũ dicunt: id quod toto animo cupio & opto tibi tuisq; ac populo Nurembergenſi eſſe fœlix fauſtumq;, ſicut hucusque fœlix fauſtumque fuit. Quod autẽ ad me attinet, certe in omni vita parum mihi accidit iucundius: quin pro tanto munere quotidie gratias ago Deo immortali, qui tandẽ ſua Clementia ſuos reſpicere dignatus eſt, & quid non agerem: ſententia Platonis eſt, beatas fore reipublicas, ſi eas vel ſtudioſi ſapientiæ regerent, vel earum rectores ſtudere ſapientiæ contigiſſet, & apud Vegetium, nullus eſt, quem oporteat, vel plura, vel meliora ſcire, quam principẽ, cuius doctrina debet omnibus prodeſſe ſubiectis: Hoc eſt, q̃ Eccleſiaſtici ſcribitur. Regnũ à gente in gentem transferetur, propter iniuſtitias & contumelias & diuerſos dolos. E regione vero, teſtatur Ariſtoteles, iuſtitiã regentis vtiliorẽ eſſe ſubditis, q̃ temporis fertilitatẽ. Tua autẽ amplitudo, in ſuauiſſ. morib. & dulciſſimis litteris, vno cum Reuerendo patre Antonio Kreſs, à puero, & in eodẽ contubernio, ſub iisdẽ rectioribus imbuta atq; educata eſt, vnde veſtra amicitia, quę iuſtitiã religionẽ & Dei timorem fundamentũ habebat, cum ętate creuit, durauitq; perpetuo, quare arb tratus ſum, facturũ me operæ precium, & tibi minime fore ingratum, ſi cõmunis amici vitam, tuæ dignitatis amore, componerem: atq; in mille exemplaria tranſcriptã, tuo nomini dedicarem, vt ita te autoritate & patrono, poſteritati legeretur, ſpero, vt etiam eo pacto, te facile intellecturũ, meã deuotionẽ, ac paratam voluntatem, quo nihil magis cupio, q̃ de excellentia tua, cui beneficiũ dare, recipere eſt, pro virili mereri bene. Si quid igitur integerrime patrone, in me eſt, vel vnquã futurum erit, quod ad tuam, vel tuum, vel tuorũ vtilitatem vel ornamentũ pertinere putaueris, quantuluscunq; ipſe ſum vel vnquã futurus ero, hoc totũ tuæ humanitati ſolemniter ſtipulor, dedico, dedo, voueo, polliceor, imo obnixe rogo, nõ dedigneris vti operis & vigiliolis meis, vale cum pudiciſſ. vxore Helena conſobrina mea, & me habe cõmendatum quemadmodũ hucuſq; feciſti diligenter. Iterum vale ornamentũ populi Nurembergenſis, præſidium & refugiũ meũ. Data ex officina mea litteraria, in profecto diui martyris Chriſtophori, ſingularis patroni mei, anno à partu virginis quintodecimo ſuper mille quingentos, &c. AD

AD DOMINVM HIERONYMVM EBNER SENATOREM ET DVVMVIRVM NVRENBERGENSEM, REVERENDI PATRIS Anthonij Kressi, Iuris vtriusque Doctoris, & Præpositi S. Laurentij vita, per Christophorum Scheurlum Doctorem ædita.

MAiores Anthonii Kressi iureconsulti, supra ducētos annos, quemadmodū monumenta litteraria testantur, Nurembergam incoluerunt, & continuo ex agris & redditibus suis honeste vixerunt: vnde genus Kressium apud Nurembergenses antiquum, patritium, & consulare habetur, honoratiss. familiis affinitate, longa serie, frequentissime coniunctum. Ipse in ædibus auitis, apud fonarum fructuum (vbi ego quoq; fere quinquennio post natus sum) patre senatore, matre vero Katharina Löfelholzia, fœmina insigni pudicitia, in hac tenebra susceptus est: anno à partu virgineo octauo & septuagesimo, supra millesimum quadringentesimum, ad tertium Nonas Februarias: circiter diei horam primam, Sixto 4. & Friderico 3. habenas ecclesiæ & imperii Romani moderantibus. Puer singulari memoria & summa docilitate, grammaticam didicit. Ferunt à coæquaeuis, inter ludendum plebanulum subinde cognominatum. Regebat sub id tempus Laurentinum templum Doctor Laurentius Tucherus, homo magnanimus, sed staturæ breuis: Cuius imaginem repræsentare, & morum grauitatem præ se ferre adulescentulus iam videbatur. Fuit hæc puerum compellatio, omen credo futuræ successionis in dignitate. Sic M. Tulium in tenera ætate constat à condiscipuls patritiis in medio per viam duci consuetū, quod tandem assecutam dignitatem significasse interpretatum est. Missus deinde, vt primum per ætatem licuit Ingolstadium humanitatis & Iuris cœpit esse candidatus: vsus præceptore Sixto Suchero iureconsulto, qui tum magna celebritate, ac frequenti auditorio, publico stipendio profitebatur. Hic præ ceteris condiscipulis, Hieronymi Ebneri moribus, probitate & eruditione, vehementer oblectatus, illius se familiaritati, mimo etiam contubernio dulciter insinuauit. Quippe trahuntur à conuersantibus, mores: vt vetus verbum ait, similia similibus lætari. Et iterum: pares cum paribus facillime congregantur. Et Platonis sententia, bonos omnes inter se oportet amicos esse, etiam si sint minus noti, quorum mores sectæque conueniunt, & apud Ciceronem nihil amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum, in quibus enim eadem studia sunt, & eædem voluntates in his, fit vt æque quisque altero delectetur, ac se ipso, & istæ sunt veræ diuturnæ amicitiæ, quæ in scholis conciliantur. Vixit itaque cum illo, vsque in mortem, fraterne, amice, sinceriter, coniunctissimeque, septemuirum vidit, nec non signiferum, & qui in senatu primus sententia rogaretur, parum abfuit, quin & duumuirum consalutassat. Ita integritas vitæ, coniuncta Dei timore, quæ vera est prudentia, ad summos patriæ honores Ebnerum, vix triginta sex annos natum cum publica salute Dei benignitate euexerat. Deinde quum satis lactis hausisset, & iam solidiori cibo aptus videretur, Italiam litterarum litteratorumque altricem ac parentem, tanquam ad mercaturam bonarum artium, petens. Ticinum peruenit, commotus autoritate illustris Iasonis Mayni, principis huius ætatis iureperitorum, quem audiuit, donec turbato à Ludouico Sphorcia principatu, Patauium secessit, causa commodioris studii, vbi res pacatiores erant. Vtrobique totum se iuri Cæsareo & Pontificio permisit: ac si omne tempus periret, quod studiis non impenderetur, quo melior non euaderet, quantum animo conniti potuit, quantum labore contendere curabat, ne domum rediret, inanis litterarum, cum dedecore gymnasiorum magistrorum, in hunc modum egregiam nominis sui famam & expectationem de se concitauit. Quumque pararet Viennam Pannoniæ contendere: vt quæ priuatim didicerat iura, honesta conditione alios doceret publice, forte accidit, vt Sixtus Tucherus præfectura Laurentii populi, quam à patruele Laurentio, per cessionem acceperat, tametsi renitente senatu & grege inuita, libere se abdicaret; vt ita à pulcherrimo munere quiescens, ocium sibi sumeret aliquando, & à cœtu hominum frequentiaque, in solitudine Deo Maximo tranquillius famularetur. Quum igitur plerique candidati primatiam dignitatem ambirent, & patres diu multumque consultarent, cuinam animas suas tuto crederent, quenque sibi præficerent rectorem, haud ignari, Prælatorum prauitatem plerunque subditis præstare causam magni casus; taceo quod oues aliquando suum sequuntur pastorem. Et tandem Hieronymus Ebner, vtpote eruditionis eruditus patronus, & Mecœnas præcipuus, Anthonii virtutum, quam, vt supra memorauimus, ab ineunte adolescentia perspectam habuerat, in senatu pleno ore dilaudasset, patres eius authoritatem secuti, vota sua, in hunc vnum, etsi absentem & huius rei omnino insciū, declinarunt, ita enim Gregorius in pastorali præcipit, locum desiderantibus negandum esse, fugientibus offerendum. Vnde acceptis litteris, senatui gratias egit: parenti vero rescripsit: se paterno forsan affectu, huiusce dignitatem, contra decreta canonica ambiuisse, certum modo haberet, quandocunque hoc resciscetet, se illa abdicaturum. Ceterum intellexit, omnia sinceriter, integre, fideliter acta, sicut reuera

acta erant, Romam contendit, vbi de more Apostolico dyplomate expedito, mandataque cura animarum, sacerdotio insignitur, mox etiam Senis, diuini & humani iuris doctor, non absque laude, declaratur. Initio postea mense Aprili, Anno 1504. officio pastoris se totum ad curam commissi gregis, quæ duodecim milia communicantium transcenderat, conuertit, & plane per omnia vixit vitam, Deo & hominibus acceptabilem. Homo fuit verus, integer, apertus, nihil habuit ficti, nil simulati, non ad ocium, non ad segniciem sed ad præclaras res agendas natus videbatur, rem diuinam caste & pie faciebat, frequenter culpam suam dicebat, sicut etiam aliquos audiuit, assidue celebrabat, horas Canonicas & quidem debito tempore, intermissit nunquam. Paulum, Hieronymum, Aurelium & Kunegundam, præ ceteris diuinis dilexit habuitque patronos, cum mulieribus nullum sibi vnquam, aut saltem adolescenti rarissimum crediderim fuisse commertium: iura ecclesiæ, dignitatis & personæ suæ tuebatur: Constanter anniuersarios inueteratos restituit: redditus parrochiales auxit sua opera & consilio, iuxta parrochiam erectum sacellum animarum, quod nuper indulgentiis vrbis Romanæ, quas stationes vocant, perpetuo dotatum existit, rem nostro seculo prius non auditam, pari modo reparaturus erat ecclesiolam diuæ Kungũdis, si paulo longior vita contigisset. Delectatus etiam est ingeniis nostri temporis: Et in magno precio habuit Albertum Durer Nurembergen. quem ego Germanum Appellem per excellentiam appellare soleo. Testes mihi sunt, vt reliquos taceam, Bononienses pictores, qui illi in faciem me audiente, publice, principatum picturæ, in vniuerso orbe detulerunt, affirmantes, iucundius se morituros, viso tam diu desiderato Alberto. Testis liber, quem de ratione pingendi, post Appellem nostro æuo solus peiscripsit: de quo pictores iudicent, & posteritas, mihi in meo suauissime Durer non minus grata sunt ingenuina probitas, facundia, comitas, facilitas, humanitas. Itaque vnum præterire nequeo, Iacobus Vimphelingius nunquam à me sine honoris præfatione nominandus capite. 68. Epitomatis Germanorum, tradit: Albertum nostrum vsum esse præceptore Martino Schön Columbariensi, ceterum Albertus ad me, hoc significantem scribit, sæpe etiam coram testatur, patrem Albertum is ex vico Cula prope Voradium ciuitatem Hungariæ natus erat, destinasse quidem, se adolescentulum, tertium decimum annum natum, Martino Schön, ob celebrem famam, in disciplinam traditurum fuisse, & ad eum, eius rei gratia dedisse etiam litteras: qui tamen sub id tempus excesserit, vnde ipse in Gymnasio, vtriusque nostrum vicini & municipis Michaelis Wolgemuts, triennio profecerit, tandem peragrata Germania, quum anno nonagesimo secundo Colmariam venisset à Caspate & Paulo Aurifabris & Ludouico pictore, item etiam Basileæ à Georgio aurifabro, Martini fratribus susceptus sit, benigne atque humanæ tractatus: Ceterum Martini discipulum minime fuisse, immo ne vidisse quidem, attamen videre desiderasse vehementer. Sed de Alberto alias plura. Ad Anthonium redeo. Is quod nobilissimi ciuis est, patriæ tuæ augmenta cogitauit: Non censebat fœlicem rempubl. non modo turpe stantibus mœnibus & ruentibus moribus. Habere quæstui rempub. non modo turpe, sed sceleratum etiam, & nepharium ducebat, si qui honores & iura venalia habebant, hos perpetuo bello, & eo quidem acerrimo persecutus est. Nullam putabat ciuitatis, pestilentiorem gladem excogitare posse, quam rectorem prudentem, qui prudentia & potentatu suo abuteretur, nihilque minus cogitaret, quam Deum: hunc quam primum è medio tollendum dictabat. Sæpe Platonem, teste Laercio, interrogatum, qualium locorum vel vrbium habitatio vitanda esset: respondisse aiebat, non habites, vbi sumptus lucra exuperant: vbi mali prævalent bonis, & vbi plurimum domini mentiuntur & periurant. E contra vero, si qui publica commoda priuatis anteponebant, his singularem sedem, apud superos collocatum asserebat. De Anthonio Tuchero patræ patriæ ita sentiebat, vt diceret, eo absente, senatum viduum, & eo stante, saluam fore rempub. atque incolumem. Rogatus qualiter ciuitas bene regi posset? Respondit, si maiores Dei mandata custodierint, & secundum legem vixerint. Illud Biblicum frequenter in ore habebat: à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus & vermis est: hodie extollitur & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit. Homo proponit inquiens, Deus autem disposuit. Item illud Hieronymianum. Bene est, quod malitia habet non tantas vires, quantos conatus, periret innocentia, si semper nequitiæ coniuncta esset sapientia, & totum quicquid cupit calumnia prævaleret. Sæpe testabatur scripturam vsuenire, diuino etiam iudicio comprobatum ostendi, quæ quis aliis fecerit, eadem patiatur. Cum Paulo scimus ait quis dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam. Aurelio etiam Augustino subscribebat, qui sine Saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia, æstimat se prudentem, fieri posse non sanus, sed æger, non prudens, sed stultus in ægritudine assidua laborabit, & in ciuitate noxia demens & stultus permanebit. Quapropter ipse in Dei timore semper ambulabat, quando curiæ limen introibat abiecta priuata charitate, publicam induebat, non status, non dignitatis rationem habuit, nihil amicitiæ, nihil odio datum, non sanguinem, non amicis pepercit, prout quisque meritus erat, ita eum ciuiliter damnandum, vel absoluendum pronunciabat. Orta contentione cum vicinis, liceretne mercatori dare centum, & eis saluis pacto quotannis recipere quinque, ipse partem negatiuam, vtpote magis

magis piam & conscientiæ amiciorem sustinuit, aduersariorum argumenta luculenter refellens extat super ea re consilium egregium, quo facile se ostendit clarissimum fuisse iureconsultum. In consolationibus propter dignitatem, primus de iure respondebat, ita disserebat, acute, grauiter, modeste, ita in vtramque partem factum librabat priusquam decerneret, quem hominem sæpe stupidus fuerim admiratus, qui ætatem virtute longe superauerat, priuatim quoque multos clientulos, etiam pauperes, pupillos, & viduas patrocinio iuuit, quorum causas passim tutatus est, dissidentes item coniuges conciliauit sedulo, Alioquin paucis admodum familiaris, sicut etiam in conuiuiis rarissime accessu tamen facilissime, nimium hospitalis non est habitus, sed temporis & pecuniæ parcus, attamen egenis, maxime erubescentibus, honesto sanguine natis, nec non infectis morbo gallico, clam egregiam opem ferebat, illius Hieronymiani memor: Mensulam tuam pauperes & peregrini nouerint, tu cum illis Christum conuiuam noueris. Et iterum: legi, relegi, perlegi, nunquam vidi hominem pium mala morte perire, supra omnia diligentissimum patremfamilias egit, ex præscripto dirigebantur singula, mediocri cibo vtebatur, non exquisito & lauto, cibos raro sibi apparari iussit, quod apponebatur hoc edebat, vini parciss. dilutique ac leuis magis quam austeri amator, circa cultum corporis, neque morosus neque negligens, habitui sacerdotali amictus, solitudine gaudebat, publico frequenter abstinens, præter ecclesiam & curiam, alienam existimationem apud se lacerari nunquam passus est, delatores summo odio habens, ipse ad iudicandum tardus. Quibus artibus patribus conscriptis admodum gratus, & apud vniuersam ciuitatem haud mediocris authoritatis haberi cœpit, ita vt quibusdam in dubium venisse sciam, contuleritne ipse plus dignitatis Præposituræ an acceperit? Homo fuit staturæ modicæ, corpus natura illi dederat gracile, macilentum & continuis laboribus exhaustum, molli carne caput habuit ante annos, multa calicie insigne, in vniuersum albenti colore, decente rubore interspersa, cesiis & vigilibus oculis, dentibus quoque candidis & æqualibus, aspectu sæueritatem facilitate conditam ostendebat. Postremo gentem Tucheram, vtpote maxime eminentem elegit, cum qua affinitatem constitueret, collocata in vxorem suauiss. fratri Christophero, mox senatori, Helena Tuchera, sorore mea amicissima, cui mulieri cuncta bona à Summo opifice & natura data sunt, procera statura, facies candida, moderatus rubor, facundia suauis, sermo comis & tardus, grauitas morum, prudentia singularis, amor mariti, obseruantia sacri, sanctimonia vitæ, & quod omnium amabiliss. est, pudicitia præcipua, Dei timori coniuncta, quas animi & corporis dotes, in fratria summopere dilexit coluitque perinde ac dimidium animæ suæ, vt Helenam compellaret margaritam, mel & delitias suas, addo etiam vnicum solatium suum, quam animi causa libenter adibat, habuitque amasiam dulciss. diem nuptiarum indixit, decimo sexto calendas februarias, anno dominico tertio decimo, quam præsentia sua illustrauit, patronus meus Hippolitus Estensis, Romanæ Ecclesiæ tituli S. Luciæ in silice diaconus, Cardinalis optimus maximus, qui Iulium secundum declinans, eo die, me Senatus nomine obuiam progrediente, Nurembergæ forte venerat, nullo non honoris genere exceptus. Cererum quin omnia ex sententia succederent, vt sunt res humanæ, fragiles & caducæ, comprobatum est illud Plinianum: ingenium præcox signum esse præmaturæ mortis. Itaque in magna fœlicitate cœpit Anthonius graui atque ardentissime, ne dicam pestilenti febri afflictari, quo genere morbi etiam Philippum Beroaldum, præceptorem meum proch dolor vidi excedere, tantæ autem constantiæ & fortitudinis fuit, vt tota ægritudine, impacientiæ aut perturbationis nullum vnquam signum dederit, neque mortem exhorruit, sed signa integerrimi Christiani, omnibus in rebus præse tulit, sua innocentia & conscientia bene actæ vitæ fretus, petiit sponte sacramenta omnia, quo viatico magna deuotione communitus, accersito prætore se fecit a patre emancipari, mox condidit testamentum, quo Christum instituit hæredem, cauitque perpetuo, singulis angariis memoriam suam missis & vigiliis celebrari, deinde sancto Laurentio librum missalem vbi se effigiatum, his verbis: Delicta iuuentutis meæ ne memineris, indiuiduæ Trinitati, præsentauit patroni suo, quem exquisita cura parabat, aureis quasi centum donauit causa mortis, pariter monasterio in Bildenreut propter sororem Magdalenam sanctimonialem, aureos quinquaginta, nec non cenobio sanctæ Claræ, cui ob virtutem meæ Charitatis Pirckheimerin abbatissæ singulariter afficiebatur, aureos centum prælegauit, quæ mulier vniuersi fœminei sexus, singulare decus & ornamentum præcipuum habetur, denique quidquid in egregiam fœminam laudis dici potest, & in hac vna beneficio naturæ collatum est. Ita iam video multo tempore in ciuitate nostra, vsu venire, prout quisque ingenio aut potentia præstat, ita charitatis dexteritatem, eruditionem, humanitatem, eloquentiam, sapietiam, integritatem certatim colit, suspicit, amat, diligit, miratur, reuereturque, patri vero grandeuo hæreditatem maternam, quippe mater pridie Nonas Martias Anno 1505. naturæ debitum soluerat, restituit, ascriptis Christophoro, Georgio & Katharinæ Sthuleri fratribus, nec non amicis, legatis quibusdam, diligenter prouidens, vt quidquid ex ecclesia percepisset, hoc totum exemplo sui prædecessoris, cuius vestigiis libenter inhærebat, secundum. Hieronymi, & canonicas sanctiones pauperibus redderetur, bona vero aduenticia, & quæ consul-

tationibus pepererat, amicis distribuerentur, & quoniam in Sixtina vestigia incidimus. Ipse quoque de restituenda senatui dignitate cogitare cœperat, quam etiam vita comite restituisset, ita in solitudine Deo & sibi commodius viueret: quanquam aliquibus persuasum sit, salubrius mortuum fuisse pastorem, quam priuatum: iuxta illud, pasce oues meas, & iterum: redde rationem villicationis tuæ. Condito testamento Bilibaldum Pirckheimerum, vndecunque eruditum & Lazarum Spengler, senatus ab epistolis, hominem amœni ingenii & gnauum, accersiri curauit: quin eorum accessu lætatus, cum eis de rep. suauiter interlocutus est. Ceterum ingrauescente quotidie maligni febris ardore, simul ac capitis dolore tam vehementi, vt absque summa difficultate audire non posset, cum iam quintum decimum diem lectulo æger decumbe ret, vix duas horas priusquam animam efflaret, collacrymantes, vt credere pium est, probum patrem & amicos circumstantes, iussit esse forti animo, monuitque bene viuere, & Deum timere, constantiss. asseuerans non posse male mori, & si ipse proch dolor is non fuerit, qui bene vixerit, nihil insuper mali esse in morte, quæ finis sit ærumnarum & ianua paradisi, vnde dolore vacuo temperarent, & potius pro se rogarent, in omnibus Deo gratias agentes. Fratriæ vero accersitæ, quæ tota infirmitate nunquam discesserat, & propter continuos singultus & mœstas vigilias, iam faciem mutauerat, iunxit dextram & strinxit, quodque difficulter sine lacrymis refero: Vale inquiens, vale mea Helena, & esto fœcunda marito tuo: aliud nihil in te desideratur, in hunc modum omnibus valedictis, & anima Deo commendata, leniter extincto similior quam mortuo, anno tertio decimo supra quadringentos & mille, anno regiminis decimo ad septimum, Idus Septembris, qui dies diuæ Kunegundæ patronæ dioecesanæ sacer erat: Horam circiter primam ante noctem, quum iam finitus esset cantus, quo singulis quintis feriis ex ritu, apud nos angustia domini honoratur, cui diligenter adesse consueuerat. Funus sequenti die, octo domesticorum sacerdotum, quos capellanos dicunt, humeris elatum, prosequuntur optimates quinque, accurrente tota plebe, me quoque ordine progrediente, non absque frequentibus lacrymis, quippe non eram nescius, quantam iacturam passa esset dulciss. patria mea, moriente tanto ciue, in quo virtutes & iustitia cum ætate creuerant: Cuius opera vendicandi reip. libertatem maxime necessaria erat, quamquam illo intercessore & nuncio apud Deum, crediderim serenitatem subsecutam tempestati, cadauer peractis de more exequiis sepelitur in Basilica Laurentiana, pro maiori altari diui Laurentii, tutelaris nostri Dei, indutum lacera casula, quam in sacristia quotiens viderat, ita exhorruerat, vt tandem efferre mandauerit, ac si futurum illius vsum tristrem funebrem auguratus sit, sic etiam paulo ante, optime adhuc valens, quibusdam libris Chirographo inscripserat, hunc codicem delego ego Antonius Kress. Doctor & præpositus bibliothecæ Laurentianæ, quæ res memorem me facit eius, hoc in libro Alphonsi Boriæ, postea Calixti tertii de execrandis Turcis, in pontificia dignitate repertum memoratur. Hieronymo autem Ebner, cuius memoria mihi sacro sancta est, ob singularem fidem ac integritatem, vna cum parente Antonio & Ioanne im Hof, quam familiam etiam multi fecit, vltimæ voluntatis executio credita demandataque, quo defuncto monumentum, & simulacrum æneum sub statua sua diuo Paulo dicata, iuxta aram magnam posuere, vixit annos triginta quinque, mens. septem, dies quatuor, mortuus est ingenti de se relicto desiderio, & optimo nomine, reuiuiscente autem republica, quippe non potest nisi salua esse ciuitas, vbi Magistratus dantur bene meritis, vbi honores tribuuntur bonis. Cuius rei locuples argumentum est, quod decedente Anthonio, patres quasi summam vrbis dignitatem, spretis candidatis patriciis, decernunt absenti, inque demortui locum Pontifici Romano præsentant, Georgium Behaim Theologum eruditum & præstantem, qui tum Moguntiæ Canonicus diuæ virginis ad duodecim gradus, sacras litteras, frequenti audientium turba, magna dignitate profitebatur, nullius rei minus gnarus aut ambitiosus, quam huiusce nominationis. O diuinum consilium, o gratiam cœlicam, o beatum populum. Remisit nuper senatus plebi tributum annonæ, moriar, ni credam, magis placuisse patres ciuibus, hac nominatione, quam remissione tributaria, tuncannua vilis est, quando magistratus, cum Dei timore, coniunctam habent potentiam. In hac electione nihil datum sanguini, nihil ambitioni, nihil præcibus: solius eruditionis, solius integritatis, solius bonæ vitæ habita ratio, tametsi genus Behaim, apud nostrates honestum sit, antiquum & probum, in quo, hoc tempore plures docti conspiciuntur, quam in aliqua alia domo, quocunque nomine censeatur. Ita rari sunt, apud nostros patritios, immo ciues omnes, eruditi, libenter dicerem: instruere nos vniuersam Europam ingeniis & artificibus nostris, solos ingenuis disciplinis elaboratos oportere nos ab exteris inuehere quos paucos habemus, haud scio, quo alio remedio, publicus luctus mederi potuerit, nisi hac vna surrogatione, neque quisquam frustratus est opinione, & hic quoque præpositus quotidie celebrat, prædicat, ita caste, ita probe, ita sancte viuit, vt nos ceteri ex eius vita, viuendi normulam mutuemur. Homo iustæ staturæ, capite caluo, colore inter aquilum & candidum, quinquaginta duos annos, & ad litteras natus, qui à puero nihil aliud fecit præter legere, docere, orare, summus amicus & maior meus honorandus, quem Deus publicæ saluti diu conseruet fœlicem, qui non minus me diligit, quam Helenæ matris meæ frater amitinus, Melchior Pfintzing diui Sebaldi

baldi Præpositus & Cæsaris à Consiliis. Audite viri Norimbergæ, lex gregis est flamma pastoris, si vultis diu regere, semper sic eligite, habete Deum præ oculis, estote memores salutis animarum vestrarum, cogitate quæso quare maiores vestri instituerint redditus Ecclesiasticos. Date honores viro, non virum honoribus, sed forte hoc fato quodam accidit, quippe vulgo persuasum est, diuum Laurentium apud summum Deum impetrare solitum, vt suæ Ecclesiæ semper hi præficiantur, qui sunt boni, eruditi, egregij, integri & salutis Reipubl. & commissæ gregis & amantes, & auidi: quemadmodum iam longa serie, & quasi vltra memoriam nostram, cum publica lætitia, compertum habemus, benignitate diuina, cui laus gloria & honor, in sempiterna secula, & vltra, amen.

Finit vita D. Antonij Kressen, I. V. D. & prepositi S. Laurentij, ad dominum Hieronymum Ebner, senatorem & duumuirum Norimbergensem, per Christophorum Scheurl. iureperitum, supra mille quingentos. Laus soli Deo, &c.

Fortes fortuna formidat.

C. S. D.

CHRISTOPHORI SCHEVRLI I. V. DOCTORIS LIBELLVS,

DE SACERDOTVM AC RERVM ECCLESIASTICARVM PRÆSTANTIA, TAM CHRISTIANIS

quam Ethnicis exemplis abunde demonstrans, Deo dicatis bonis sub interminatione futuri & præsentis iudicij laicis abstinendum fore atque parcendum. Clericos autem etiam malos honorandos, & cum eorum bonis, diuino ac humano iure ab omnibus exactionibus & muneribus ita immunes esse, vt eis aut rei Ecclestasticæ iniuriantes anathema sint, & plerumque mala morte pereant. Quod & inscribi placuit:

SACERDOTVM DEFENSORIVM.

AD IOANNEM SCHEVRLVM IVRIVM DOCTOREM,

Canonicum multiiugum, Vratislauiensis Antistitis Vicarium, Richardi Sbrulij Endecasyllabon.

Ioannes relegas tuum libellum,
Hoc est, auspiciis tuis vagantem:
Is si forte tibi quater legatur
Vultu Socratico quater placebit:
Tam pulcher, placidus, pius, politus,
Quando religio fidesque nostra
Hoc se ceu speculo videt libello:
Hoc se ceu clypeo simul tuetur.
Ergo te moduli monent amici,
Qui de pectore confluunt amico:
Ioannes relegas tuum libellum,
Qui te præcipue petit patronum.

R. S.

RICHARDVS SBRVLIVS AD DOCTOREM CHRIstophorum Scheurlum:

His Scheurlina simul, Tucherinaque signa refulgent.
Quæ doctor gemini Scheurle parentis habes.
Hæc duo, diuersa celebrant insignia gentes
Sarmata Pantheram, Noricus Ethiopem.

CLARO AC INTEGRO VIRO DOMINO IOHANNI SCHEVRLO, PATRICIO VRATISLAVIENSI, I. V. DOCTORI, CAnonico Augustano, Tridentino, Legnizensi & Vratislauiensi, Archidiacono Glocouiensi, aulæ episcopali Vicario & Officiali generali, agnato suauissimo iucundissimoq;, Christophorus Scheurlus Doctor fœlicitatem.

QVum aliquando Romani Asiam ingressi Ilion venissent, mutua gratulatio Ilienssium ac Romanorum fuit, Ilienssibus Æneam ceteroscq; duces à se præfectos Romanis se ab his procreatos referentibus: Tantaque lætitia omnium fuit, quanta esse post longum tempus inter parentes & liberos solet. Sic ego quoq; (si modo licet ima summis comparare & dissimili vti similitudine) quum nuper pro Principibus Saxoniis, apud Monsterbergium legatione functus essem: vt primum Vratislauiam ciuitatem nobilem & potentem Slesitarum

rum caput redij, summum ac præcipuum tibi ac mihi studium fuit, nos inuicem visendi & in mutuos amplexus veniendi, vt qui eousque, & si arctissima necessitudine iuncti, solo tamen nomine & fama noti, nos mutuo colueramus, etiam præsentes, coramque amicitiam constitueremus, atque beneuolentiam, & plane sumus tanta voluptate affecti, quanta solent affici ingenui agnati, nunquam sibi visi, sc. studiorum tantum & morum simillimi: ita vt vterque eum diem niueo lapillo non immerito sibi signandum putauerit. Ceterum dum inter cœnandum sermo natus esset, qui tum maxime per omnium ora volitabat, de rege scilicet Vladislao, quod à clericis suis iterum intolerabilia tributa exigeret, neque in vsus domesticos verteret, sed proceribus suis elargiretur, multa vtrinque egregia ac præclara disputata sunt atque commentata de sacrarum rerum præstantia ac sacerdotum dignitate. Tu sacros codices percurrebas, ego gentilium historias allegabam. Alter pios cultores summis laudibus in cœlum tollebat, alter sacrilegos aceruatis testimoniis ad inferos deprimebat. Hinc sacerdotum & religionis obseruatoribus amplissima præmia proponebantur. Illinc sacrarum rerum exactoribus clades iacturæ & manifestum exitium interminabatur. Sed dum alio se nostra flecteret oratio, dixisti me tibi gratum facturum, si eas cogitationes nostras aliquando ordine in litteras referrem. Ego vero etsi imbecillitati meæ non ignarus, attamen nihil magi optans quam tibi morem gerere, qui es singulare decus & columen familiæ nostræ, mox vt Wittembergam ad officinam meam litterariam reuertor, vix sumpto calamo ex Senatusconsulto decernitur mihi prouincia cuiusdam Sarmatæ sacerdori insigniendi. Vnde initio concilio, iudicaui me & tibi & candidato, addo etiam vniuersæ concioni facturum fati, si ad illustrem Academiam nostram orationem haberem, qua nonnihil Celsum Veronensem Canonicum secutus, autoritate & ratione abunde demonstrarem colendos esse sacerdotes, contenderemque super omnia rebus sacris parcendum esse atque abstinendum. Et profecto (ni fallor) ea oratio visa est multis ex patribus, qui tum frequentes, & vt ita dicam, turmatim gratulatimque conuolauerant, luculenta, erudita Christiana, præcipueque Ottoni & Sbrullio meis digna iudicata, quæ publico donaretur atque libertate, tanquam sacerdotum defensorium, & rerum Ecclesiasticarum fortissimum propugnaculum. Eam igitur clarissime vir, in mille exemplaria transcripta ad te transmitto, & celebertimo nomini tuo nuncupatim dedico, vt sit meæ in te obseruantiæ perpetuum monumentum, simulque intelligas me accepti beneficij minime esse immemorem. Quippe vt reliqua taceam aduentum meum in signum susceptæ lætitiæ auro & gemmis exornasti, quod asserebas Doctori annulos conuenire. Et me hercule oratio nostra tota sacerdotalis, tota religiosa, tibi quoque meo iudicio quam bellissime congruit, qui es totus probus, elegantior, politus, modestus, humanus, religiosus, & sacerdotum gemma ac præcipuum ornamentum. Ceterum quum lux & cultus sacerdotalis doctrina sit, tu in Italia & maximæ Romæ ita de ingenuis disciplinis, & Scæuolarum scientia meritus es, vt domum tuam effeceris Vratislauiensium oraculum, vt tuo grauissimo iudicio fere omnes lites, quæ in prouincia oriuntur, iuste sapienterq; diffiniantur, quem maximus antistes Iohannes Quintus tam charum hodie habet, quam olim Panetium Scipio, Aristandrum Alexander. Quum itaque munera etiam aurea qualia tua fuere quandoque interitura sunt. Chartacea vero nullo senio obliterantur, sed vetustate ipsa sanctiora fiunt durabilioraque, munus nostrum non minus pretiosum quam aureum, neque minus fulgens quam gemmeum tibi potissimum videri debet, qui optime nosti bona animi tanto extrariis præstare, quanto animus corpori antecellit. Suscipe ergo libellum nostrum hilari fronte, & obuiis (vt aiunt) manibus, quem vt legeris & boni consuleris, eius quoque reuerendissimo Episcopo domino meo singulari ceterisque concanonicis tuis, quorum amicitiæ me insinuaui, atque familiaritati legendi copiam facias, & vt eis me commendes, te oratum velim. Interea vale & viue Nestoreos annos, meque agnatum tuum mutuo ama. Iterum vale. Wittenbergæ ex ædibus nostris. Calendis Martias, anno a reconciliata diuinitate vndecimo supra sesquimillesimum.

ORATIO DOCTORIS SCHEVRLI, DE SACERDOTVM ET RERVM SACRARVM LAVDE, HABITA AD ACADEMIAM Wittembergensem in promotione Andreæ sacerdotis Sarmatæ, die decima Februarij, anno millesimo quingentesimo vndecimo.

Christi Optimi Maximi, Mariæ reginæ cœli, totius cælestis hierarchiæ auxilio suppliciter implorato.

MAndata mihi hodierno die prouincia Andreæ sacerdotis nostri promouendi generose Rector, patres conscripti, ne illam illotis manibus aggrederer, iudicaui me operæpretium facturum, si de sacerdotum ac sacrarum rerum laude paucula quædam perstringens, apertissimis exemplis ac ratio-

rationibus,varię atq; ornatę manifestum facerem diuina numina sequentibus,omnia prospera euenire,aduersa & horrida spernentibus, hoc est, eos qui sacerdotes honorant, & res sacras intactas inuiolatasque seruant,bene habere. Econtra vero cum his, qui non verentur Dei ministros irreuerenter tractare,& Deo dicata bona in prophanos vsus commutare,pessime agi.

Quæ res vobis omnibus grata & iucunda esse debet. Nemo enim ex vobis erit, qui in commendandis rebus sacris non sentiat fuisse se in his quam amplissime commendatum,ac si qui sacri initiati non sunt, attamen omnifaria eruditione referti, quæ cum sacerdotio ita iungitur, vt rosæ liliis miscentur,& gemmæ auro cluduntur. Quippe religio vitiorum expultrix Deo nos conciliat, & vinculo pulcherrimo connectit. Doctrina vero virtutis indagatrix imo ipsa virtus animos nostros exornat,excolit,venustat.

Propter hanc vicinitatē, Pythagoras ille philosophiæ primus nuncupator, inter plurima quæ humano generi saluberrima documenta præcipit.Cum primis monet Deum religione colendum esse, animum disciplinis excolendum,adeo quod conditores Ecclesiasticæ litteraturę celeberrimi prodiderunt.Cœcum animalDeo offerri quotiescunque illitteratus sacris initiatur,sitque ascriptitius militiæ religiosæ,quod tam ciuiles quam canonicæ leges diligenter prohibuerunt.

Omitto quod in vniuersum ad omnes pertinet instituta causa & oratio nostra: quoniā Christiani nominis decus,Christianæque religionis ratio præcipue custoditur, si inter alia quoque res sacrosancte immaculateque custodiantur. Omnium nempe rerum (Aristotele teste) prima cura esse debet religionis sacrificiique diuini,deinde reipublicæ, postremo vero priuatæ.

Quibus de rebus sermo habendus sit audistis, vtpote de his, quæ neque auribus vestris iniucundę,neque mentibus infructuosę futuræ sunt,quæ dum à nobis summatim pertractantur vos quæso, (licuti facere consueuistis)benigne attenteque audire dignemini.

Prouerbio celebrari solet. Amantem Deum colere & sacerdotes. Sacerdotes inquam quos ipse Christus honorauit dum ad eos leprosos mitteret,qui quantum ad sacramentorum dispensationem attinet, vicarij Dei sunt, & Apostolorum locum tenent, & lumen mundi sunt, quos nemo dubitat regum & principum omniumque fidelium patres & magistros censeri,quum videamus illorum colla genibus eorum submitti, quorum dextra oscula se credunt orationibus communicari vel muniri,qui diuinis eloquiis aliquando dij, aliquando angeli vocantur. Scriptum est enim: Diis non detrahes,scilicet sacerdotibus.Et apud Prophetam: Labia sacerdotū custodiunt scientiam,id est,Iustitiam & legem exquirunt ex ore eius,quia angelus Domini exercituum est. Ita Gregorius ad Mauricium Imperatorem,& repetitum est in Decretis canonicis,11.q.1.

Ceterum dum annales reuoluo,monumenta & historias,inuenio nullum vnquam tempus, nullam ætatem extitisse, in qua sacerdotes tam illiberaliter atque indigne habiti fuerint, ac nostra tempestate. Apud Ægyptios namque (autore Diodoro) quum vectigalia omnia tres in partes æquissime diuiderentur: primam sibi partem sacerdotes vendicabant.Tantaq; apud eos auctoritate erant, vt eorum consilio & auspicio cuncta gererentur,immunesq; & ab omni prorsus onere liberi; secundum post Reges dignitatis locum obtinebant.

Indi vero quum vniuersum populum in septem tribus diuiderent, primam sacerdotum tribum constituebant, quam quidem ab omni opere & onere liberam, summo cultu, summo honore dignabantur.

Apud Æthiopes sacerdotes templorumque cultores tanto in honore fuerunt, vt ex ipsis solum regum sumeretur electio, quodque incredibile dictu putatur, tanta fuerunt autoritate, tantaque illis fides adhibebatur, vt quum sibi videretur regibus nunciarent, vt mortem oppeterent. Ita enim dicebant, Deorum suorum iubere responsa. Quam ob causam omnes reges vsque ad Ptolomæi secundi tempora,ipsis sacerdotibus non vi neque armis coacti, sed ex veteri quadam consuetudine sponte paruisse & mortem oppetiisse traduntur. Vnde hunc suæ tantæ pietatis in Deos gloriantur fructum mercedemque tulisse, quod nihil illis hostilis incursus, nihil vnquam inimicorum crudelitas obfuit,quod nunquam sub externarum gentium sunt potestatem redacti. Nam Cambyses Persarum rex potentissimus,quum infestissimo bello eos semel aggressus fuisset,maxima suorum strage accepta, totum pene exercitum turpiter amisit. Hercules ac Dionysius toto orbe peragrato, Æthiopes propter eorum summam religionem intactos reliquisse feruntur.

Concilium Lateranum librorum Geneseos meminit. Vbi etsi Ioseph ille sanctissimus præfectus, vniuersam Ægypti regionem ob famis sæuitiam in potestatem Pharaonis redegisset: ita vt vsque ad Moysen (sacro id attestante eloquio)quinta pars omnium fructuum regibus solueretur. Sacerdotali tamen terra, & quæ ad sacerdotes templorumque cultores pertinebant, ab hac lege immunia permanserunt. Non solum ingentia illis prædia contulit Pharao: licet diuinæ legis insciis, verū etiam ex publicis horreis toto famis tempore statuta cibaria præbuit, quapropter nequaquam sicut ceteri omnes possessiones suas ac vtensilia reliqua vendere compulsi sunt, neque maxima rerum penuria & acerrima fame quantumuis paruum tributum,vel exactio prædiis sacerdotalibus iuncta fuit.

Quid

Quid Romanos commemorem, nonne apud illos amplissima sacerdotia sacrorum ministris constituta erant? Nonne summum illis studium, summaque vigilantia fuit, non seruandæ solum, verumetiam amplificandæ religionis. Omnia namque (vt placet Valerio maximo) post religionem ponenda illa ciuitas duxit, adeo vt ipsis sacris, summi quoque magistratus seruire non dubitarint. Ita demum se humanarum rerum imperium ac principatum assecuturos existimabant, si diuinæ potentiæ religiose fuissent famulati.

Intelligebant enim cuiusq; Reip. optima gubernacula quibus conseruatur, augetur & propagatur imperium, duo præcipua esse, religionem sc. atq; iustitiam, quibus quidem stantib. & imperium stare necesse est, & pariter cum labentib. labi. Huiuscemodi itaq; artibus & institutis magi quâ armis imperium terra mariq; latissimum facile parauerunt. Vbi vero hæ artes & optimæ disciplinæ labi ac declinare cœperunt, illico imperium quoq, ipsum magis ac magis, minui ac retrofluere cœpit.

Xenophon Philosophus egregie luculenterque describit Agesilaum clarissimum Imperatorem templa, quæ etiam inter hostes erant summo semper studio, summaque diligentia venerari solitum, existimantem immortalem Deum non inter amicos solum, sed etiam inter hostes pia religione colendum, parique modo Dei supplices atque cultores etiam inimicos nullo penitus pacto vexari patiebatur. Absurdum quippe ac immanissimum scelus esse dicebat, vt quicquam ex templis delubrisque diuinis vnquam demeretur, aut eorum sacerdotes damno seu aliquo afficerentur incommodo, quapropter capitali admodum odio tales impios, talesque sacrilegos semper insectabatur. Hoc namque pacto & hostes debellare & exercitum suum strenue deducere posse sperabat.

Iulius Cæsar gladium suum in templo Aruenorum suspensum, tanquam spolium à summo Imperatore raptum conspicatus, subridens obmutuit, quum amici eum detrahi inde iussissent, id nequaquam fieri permisit. Et optime ac religiose quidem, eum namque sicut & cetera quæque templorum ornatui ac cultui dedicata, iam sacram rem existimabat. Vnde nephas censebat talia amplius in vsus humanos transferre.

Sacri canones testantur Constantinum primum Christianum Imperatorem diuini cultus tam munificum illustratorem extitisse, vt ipsam Romam caput orbis, imperij sui sedem, beato Petro, successoribusque donum fecerit. Quumque apud Niceam Synodo præsidenti clericorum accusationes afferentur, vocatis reis, libellos incendit dicens. Vos à nemine iudicari potestis: quia solius Dei iudicio reseruamini, dij etenim vocati estis, ite & inter vos causas vestras disponite, quia dignum non est, vt nos iudicemus Deos. Et alio loco ait religiosissimus Imperator. Vere si propriis oculis vidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monachali habitu circumamicti sunt peccantem, clamydem meam expoliarem & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur. Et me hercule prudentet & catholicæ. Sunt etenim à nobis etiam mali, si qui sunt honorandi sacerdotes: Tum quia nostrum non est illorum vitam discutere, sed quid de domino loquuntur prouidere. Tum quia adhuc nescimus quis in terribili iudicio Dei qualis futurus sit, prohibente Paulo egregio prædicatore, nos ante tempus iudicare quoad vsque veniat Dominus, quia multa sunt, quæ de iudicio ipsius homines ignorant: quia fortasse, quæ nos laudamus ille reprehendet, & quæ nos reprehendimus ille laudabit.

Huc accedit quod etsi omnia sacramenta obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus, quando beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta sentiunt, declarante hoc ipsum Domino manifestissima voce. Scribæ inquit & Pharisæi super cathedram Moysis sederunt, quæcunq; dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere, dicunt enim & nõ faciunt. Si ergo dixit audiendos, qui super cathedram Moysis sederunt, quanto potius, qui super cathedram Petri residet audire debemus. Itaque siue per bonos, siue per malos ministros intra Ecclesiam dispensetur: sacramentum tamen est, quia Spiritus sanctus mysticæ illud viuificat, nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur, dicente Paulo. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit: quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Adeo autem non requiritur quis vel qualis prædicet, sed quid prædicet? qui nõ considerat merita personarum, sed officia sacerdotum, quorum precibus inuocatum promisit se affuturum, dum ait. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Cumque insisset Spiritum sanctum suscipi, continuo subiecit Si cui dimiseritis peccata, remittuntur ei, hoc est, Spiritus sanctus dimittit, non vos.

Nam Spiritum sanctum datorem gratiarum, non personam sequi digni aut indigni, sed ordinem, vel hinc colligi potest, quod de nequissimo Caipha interfectore Saluatoris scriptum est. Hoc autem à seipso non dixit, sed quum esset Princeps & Pontifex sacerdotum anni illius prophetauit. Et vt semel finiam, sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quo illa vel non sint, vel minus sancta sint, docet diuus Hieronymus asserens. Sicut sterquilinium seu stercorum immundities non inquinat solis radios, sic sacerdotis vinculum corporis Christi sacramentum minimne maculat.

Ex qui-

Ex quibus omnibus luce meridiana clarius satis superque monstratum est, sacerdotes in vniuersum omnes, tam bonos quam malos (si qui sunt) honorandos nobis esse, colendos atque adorandos, vel saltim Deum ipsum qui sua diuinitate officium eorum effectus complet.

Et vt ad gentiles redeamus. Sic tradunt Iosippus & ceteri, Alexandrum Macedonem inuictissimum regem, qui multa ac insignia sacratissimo illi Iudæorum templo munera contulisset, tanto honore, tantaque reuerentia Iaddum, eo quod summus illius templi sacerdos esset, prosecutum esse, vt etiam humi stratus eum adoraret. Iusseritque vt iidem sacerdotes templique ministri, quicquid vellent libere poscerent, quibus inter cetera ingentia dona libere contulit, vt genti illi perpetuo patriis liceret legibus vti, nec non, vt per septem annos vniuersa Iudæorum gens ab omni prorsus tributorum onere libera esset & immunis.

Quippe Alexandri in res sacras ceremoniasque diuinas liberalitas & munificentia ostendit, quod quum adhuc admodum iuuenis esset ætate, & inter sacrificandum vtraque manu thura ac pretiosa odoramenta pro ipsis sacrificiis diuinis exciperet. Tum Leonidas inquit: O Alexander quum terris ferentibus aromata imperitabis hoc pacto tam large tamque effuse euaporare poteris. Cui Alexander. O Leonida id à te potissimum expeto, vt si secunda peroptas, cum sacris numinibus parcus esse desistas. Vnde quasi diuina virtute communitus, incredibili celeritate Porrum illum potentissimum Indorum regem insigni victoria superauit.

Hoc pacto (vt auctor est Orosius, lib. 6. cap. quoque 6.) Pompeius Magnus in expugnatione Hierosolymitana templo pepercit, & à direptione militem prohibuit. Putat Sabellicus libro exemplorum quarto, cœli prouidentia non hominum concilio accidisse, quod duo cognomento magni Hebraicæ religionis cultum non modo non aspernati sunt, sed inofiensum etiam ab omni iniuria præstiterunt. Vnde Cneus non tantum apud Plinium de Mithridate & Tigrane regibus triumphauit, sed etiam iuxta Ciceronis sententiam tantum ei fauit atque arrisit secunda fortuna, vt nemo vnquam tam imprudens arbitrandus sit aut fuerit, qui à Deo immortali tot ac tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas ad ipsum plenissime Deus contulerit.

Et vt ad nostra veniamus. In commentariis Suitensibus (vel vt rectius loquar Confœderatorum) de Rudolpho comite Habspurgio, & Alsatiæ superioris Lantgrauio, maiore Maximiliani nostri memoratu digna narratur, & à propsito nostro minime aliena. Dum is anno salutis quinquagesimo primo, supra duodecies centesimum Habspurgam (arx est munita & vetusta, vnde familiæ nomen inditum, prope Bruggam non longe Künigfeldo, vbi gentilium sepulchrum, in finibus Ergoæ sita ad præsens à Turregiis occupata) adhuc incoleret, tradunt obequitantem sacerdotem, quem rum forte obuiam habuit cum venerabili Eucharista rogasse, quid pedibus iter faceret? Intellectaque beneficij tenuitate, equum cui insidebat muneri dedisse. Quo exemplo motus comes, qui vnus tantum aderat suum quoque edituo dono obtulit. Quumque præter morem pedibus ventum esset ad hæremitam quendam, responsum accepit Habspurgius: sibi ob reuerentiam quâ eo die summo Deo exhibuisset, triginta annos cuncta prospere euentura, altissimas quasque consecutarum dignitates, & tandem perpetua fœlicitate fruiturum.

Neque inanis vates fuit, quippe non ita multo post imperium, dum duobus & viginti annis vacasset, magno omnium assensu fortitus est, quod ita salubriter administrari posse iudicauit, si de Ecclesia Dei præclarissime meritus esset. Vnde Bononiam, quam vocant feracem, caput Æmiliæ & matrem studiorum, vna cum tota Flaminia, id est, Romandiola patrimonium fecit, & summo Pontifici perpetuo iure habendam permisit. Erat enim non modo religione, sed & pietate, clementia, humanitate, modestiaque insignis. Auctor est Speculator in titulo de rescripti præsentatione. Cui subscribit illustris Iurisconsultus Iason Maynus in ea oratione, quam ad diuum Maximilianum habuit, dum illi Blancam Mariam Mediolanensem, quæ his proximis diebus vitam cum morte commutauit, constituris in dotem quadringentis & sexaginta millibus aureum nummum (Itali ducatos vocant) nuptui traduceret, anno abhinc decimo septimo.

Regnante autem Rudolpho Ottocharus in tantum potentiæ euaserat, vt nõ modo Bohemiæ regio nomine, sed & Austriæ, Carinthiæ, Stiriæ, Carniolæ, Marchiæ, Scauonicæ portui Naonis, & præterea Veronensibus, Feltrinis, Taruisinis, & multis Foro Iulien sibus dominaretur, quo instinctu vxoris bellum indicẽte, & iuxta Danubium occiso, Habspurgius Austriam, & iure feudi ad imperium reuersam, & pacto dotali ad se pertinentem, filio Alberto hæreditarie habendam concessit, creauit ducem. Inde factum est, vt Habspurgij Comites Archiduces Austrij vocitarentur.

Rudolpho ad superos migrante, imperium quanquam modico interuallo Albertus filius accepit, tradiditque regnum Bohemiæ filio suo, sed dum in Gallos bellum parat, quippe Bonifacius, eius vocabuli octauus, auctor sexti, abrogato Philippo, regnum Franciæ illi assignauerat, pugione nepotis ex fratre mortem occubuit.

Fuit liberalitas, potissimum in rem diuinam genti Austriæ peculiaris semper, atque munificentia hæreditaria, quæ in hodiernum vsque diem abunde durat, vtpote in principe amabilissima ac summopere commendanda. Sicut econtra auaritia teterrimum vitium ac plurimum detestandum. Extima-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [384] - 360
PUBLIC DOMAIN

ſtimarunt ſemper Auſtrij eos, qui religionem coluerunt, veneratique ſunt, fœlices ſeruatos, auctoſq; fuiſſe. Econtra vero, qui lacerauerunt, & ipſos laceratos cladibus periſſe.

Quæ ſane res effecit, vt Auſtriam domum, non modo Leopoldus dux ſua ſanctimonia, quippe inter cœlicolas relatus eſt, illuſtrarit, verum etiam Romanum Imperium tanquam firmiſſimam ſedem ſibi delegerit, in qua ſeptuaginta cõtinuis annis habitauit. Ex qua præterea tanquã ex equo Troiano ſæpe Pannoniæ, ſæpe Bohemiæ, aliquando Poloniæ, ſicut & noſtra tempeſtate Caſtiliæ, Hiſpaniæ, Granatæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ reges prodierunt.

Taceo Burgundiam, Lotharingiam, Brabantiam, Holandiam, Selandiam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam. Prætereo Comitatum Tyrolis, magnam Laty partem & multa id genus.

Quum omnes ſciant nobiliſſimam domum Auſtriam hoc æuo à mari Adriatico ad Oceanum vſque Germaniæ inferioris, ob religionis cultum fœliciſſime regnare. Speramuſque indies longe maiora de Chriſtianiſſimo ac religioſiſſimo Cæſare noſtro Maximiliano, quem Deus ob ingenuam bonitatem nunquam deſtituet. Cuius laudes nulla vnquam ætas conticeſcet. Qui Alexandro Magno, Cæſari dictatori, Hannibali Pœno virtute imperatoria non immerito eſt conferendus: Qui milites ſuos (quod etiam ex Senatuſconſulto facere conſueuerunt Norimbergenſes mei) vbique ſacramẽto adſtringit, vt bello ab Eccleſiis & rebus ſacris abſtineant, & ſacerdotibus Deoq; dicatis bonis, manus contineant impollutas.

Quamobrem ſi hi, de quibus ante Conſtantinum & Maximilianum diximus, tam deuoti, tamq; religioſi, ſuperſtitioſe diis falſis obſequendo fuerunt, quanto magi nos Chriſtiani id agere debemus, qui veri & æterni Dei cognitionem tenemus. Si Pagani principes, qui verum Deum neſcientes, diis ligneis & lapideis ſeruiebant, & tamen eorum ſacerdotibus honorem maximum tribuebant, qua cura, qua diligentia honorandi nobis ſunt ſacerdotes noſtri Deique miniſtri, qui perpetuo ſtudio cultui diuino pro noſtra omnium ſalute vacant, qui peccata noſtra comedunt, & pro nobis in diuino examine reddituri ſunt rationem, quos Saluator ipſe modo chriſtos, modo reges voluit nuncupari, mandans & in veteri inſtrumẽto nolentes his obedire occidi. Quod ſi his olim, qui holocauſta & victimas tractabant tantũ tribui voluit, quid noſtris ſane tribuendum putemus, qui diuina ſacramẽta ore conficiunt, & fidelibus pabula æternæ vitæ diſtribuunt, qui vix ſuſceptos ab vteris matrum, à conceptionis labe mox proluunt atque purificant, Deoque initiant, qui poteſtatem deniq; claudendi cœlum & aperiendi ſuper homines habent, ſine quibus ne Chriſtiani tandem eſſe poſſumus, ſed nec vlla re ſacra lætari? Horũ quicquam nullus regum, nullus Imperatorũ poteſt efficere. Hinc apud Ambroſium, aurum non tam pretioſius eſt plumbo quã regia poteſtate altior eſt ordo ſacerdotalis. Soli ſacerdotes omnium digniſſimi hoc vt poſſint, electi prædeſtinatiq; cœlitus ſunt, quib. honor & deberur prope diuinitus, & qui ab aliis accipiant tanquam domini partem, decimas atq; primitias vero non ſoluant. Non agendi ſub iugum itaq; ſunt, aut muneribus, maxime ſordidis & perſonalib. grauandi, ſed primis honoribus collocandi, commodiſque iuuandi.

Si igitur ô ciues Wittembergenſes amici mei rem veſtram domi ac fori, publice priuatimque creſcere in animo eſt, mihi credite, non ſufficit Chriſtianos principes ex lutea vrbe lapideam facere, lapideam foſſa falloq; fortiſſimis munire, aut quæ maxima ſunt ornamenta veſtra ludum litterarium inſtituere, Eccleſiam collegiatam erigere, vndique litteratos comportare, aut multa vobis, vtpote præcipue dilectis priuilegia elargiri, niſi & vos quoque religionem colatis, ſobrie continenterq; viuatis, ſacerdotes honoretis, Dei miniſtros & eorum bona debita libertate & immunitate decoretis, & poſtremo tributa à maioribus veſtris dicata diligenter pendatis, & fideliter diuæ virgini rationem reddatis.

Quod ſi feceritis, profecto Deus Optimus Maximus nunquam deſeret hanc vrbem, quæ à Vitikindo, quem Carolus Magnus fidem ſuſcipere coegit, & ex ſacro fonte ſuſcepit, tempore lucis ſola condita nomen accepit, quæ tot ac tantis diuina & principum prouidentia, ſanctorum reliquiis & indulgentiis ornata ac munita exiſtit, vt nunquam adduci poſſim illam facile perituram tanquam ſummi Dei peculiarem. Sed ecce dum amphoram formare volo, vreeum finxere manus. Redeo igitur vnde digreſſus ſum.

Quo inquam conatu, qua pietate & obſeruantia, excolenda nobis eſt vera & indubitatã religio? qua verus ille cœli terræque creator & rector colitur & adoratur, qui non ſolum nobis cuncta hæc terrena ac temporalia bona, fœliceſque rerum euentus, ſine cuiuſquam adminiculo iugiter præſtat, verum etiam animis ipſis, quum è corporum cuſtodia exceſſerint, beatam immortalitatem ac æternam tribuit fœlicitatem, ſi tamen vitam hanc recte laudabiliterque duxerimus. Quæ quidem dij illi gentilium non ſolum cultoribus ſuis præſtare non poterant, verum etiam in nullo prorſus abſq; Dei nutu illis prodeſſe aut obeſſe valebant.

Si qua vero commoda aut etiam detrimenta eos aliquando hominibus legimus intuliſſe, id ſolius Dei, & eo quidem æquiori quo ſecretiore euenille permiſſione firmiter ſentiendum eſt. Neq; enim quicquam in hoc mundo fieri aliquando poteſt abſq; eius imperio, qui ſolus eſt omnium rerũ fons, origo, primumque principium, qui ſolus hunc mundum regit, moderatur & mouet.

Non possum profecto hoc loco Federicum & Ioannem Saxonios, nō summis extollere laudibus, quos inter ceteras illustres maximasque virtutes hac præcipua religionis diuinarumque rerum obseruantia reliquos ætatis nostræ principes antecellere constat. Qui exemplo Themistoclis splendidos sacrarum rerum apparatus diu noctuque cogitant, & Dei templis donaria offerunt. Qui omni diligentia, omnique cura inspectant, ne quid vsque desit quod ad Dei religionem & sacerdotum cultum optime norunt pertinere.

Qui diuino consilio (quod etiam in libello nostro, quem super ea re posteris edidimus, ordine & copiose monstratum est) in commune omnibus diuis domicilium in huius vrbis arce ita ex omni parte politum ac ornatum instruxerunt, vt si sanctorum reliquias, pontificum indulgētias, diuinum cultum, sacerdotum eruditionem, rotundum Ecclesiasticum, gemmas, aurum, argentum, sericum, picturam, sculpturam, fictiuram, architecturā simul respicias, in orbe Christiano fere nulli sit secūdum.

Et vt cetera taceām, in medio Basilicę optimorum principum iussu, & impensis columna marmorea tantæ pulchritudinis, vt Ænea putetur nuper erecta, erectū simulacrum Deiparę virginis ex vtraque parte, quippe duplicatum est, filiolum & sceptrum gestantis impositum conspicitur. Virgini hærent angeli seruientes ad quadraginta, duo illam coronant, quattuordecim candelabra lucentia tenent: alij dominam laudant in tympano, in cithara alij: opus in officina Chronachia arte & ingenio Conradi Vangionis sculptum & pictorum opera, ita suis locis deauratum exittit, vt præter spiritum parum deesse putes, Vt qui mores hominum multorum viderunt & vrbes, affirment longe lateque tam egregium non extare.

Regina cœli tota pulcra, tota amabilis, facie oblonga, vultu sereno & delectabili, crinibus expassis, oculis demissis. Hinc puero vnis alludit, illinc aue angelus applaudit. Quam die in noctem vergente clerici ordine circumstant, alta voce reuerenter cōsalutantes. Quod & ipsi religiosissimi principes his diebus instituerunt, quibus gloria, pax, victoria & sempiterna salus.

Hinc est quod præ ceteris Germaniæ ducibus monstrabiles existunt, opibus & potentia præstant, consilia & actoritate ita valent, vt magnam imperij partem suis manibus habere vulgo creda ntur.

Quippe munera placant Deos & homines. Hilarem datorem diligit Deus, neq; eleemosyna mihuit bona. Scriptum est. Honora dominum de tua substātia, & de primitiis omnium fructuum tuorum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt. Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam propter fratrem & amicum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurū tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis quam aurum. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillum conseruabit, & postea resurget, & retribuet illis retributionem vnicuique in caput illorum. Non apparebis ante conspectum domini vacuus. Hæc enim omnia propter mandata Dei fiunt. Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu altissimi. Sacrificium iusti acceptum est, & memoriam eius non obliuiscetur dominus. Bono animo gloriam redde Deo, & non minuas primitias manuum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Da altissimo secundum donatum eius, & in bono oculo ad inuentionem facito manuum tuarum, quoniam dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.

Hæc tamen à me dicuntur, non eo consilio, vt mihi persuadeam, passim omnes eleemosynarios esse sanctos. Scio quod Paulus Tharsensis ad Corinthios scripserit, quod si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Nam iniquorum dona altissimus non probat, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Et alio loco. Noli offerre munera praua, non enim susciput illa, & noli suscipere sacrificium iniustum, quoniam dominus vindex est, & non est apud illum gloria personæ.

Audiuistis viri ornatissimi, quemadmodū tam Christianis, quam gentilib. piis cultoribus ingentia præmia, fœliceſque rerum successus æquissimo Dei iudicio concedantur. Reliquum orationis in eo versabitur, vt ostendamus sacerdotū ac religionis contemptoribus, & rerum sacrarum exactoribus, graues vltiones semper inflictas fuisse. Quod dum transeunter à nobis fit, vobis molestū non sit audire, mihi molestum non erit dicere. Quippe video vos tantum silentium seruare, vt ne vnius quidem screatus, quasi dixissem respiratio, sentiatur, vt mihi iucundissimum foret. Neq; enim Dei benignitate aut ingenij, aut corporis vires deessent in tam honorata concione integrum diem dicere. Et profecto, si cuncta antiquorum exempla huic proposito nostro accommodata complecti vellem, prius me dies deficeret, quam orationis meæ finem inuenirem. Tot namq; sunt, vt præ eorum multitudine vix enarrati queant.

In Macchabeorum itaq; libris memoratur Antiochus, rex ille sceleſtus, qui tanta superbia, tantaque arrogantia se supra humanum modum extulerat, vt sibi etiam videretur fluctib. maris posse imperitare, & ipsa cœli astra contingere. & montium altitudines in statera appendere. Dum igitur contempta veri ac æterni Dei sacra religione, maximum illud ac celeberrimum Iudæorum templū sacrilegis nephandisque manibus expoliare non timet, subito tam dura, tamque horribili percussus est

plaga

plaga, vt de impiissimo corpore vermes scaturirent, & horrendo admodum cruciatu viuentes eius carnes effluerent, donec suum cruciatum ac fœtorem ferre non potens: Iustum est inquit subditum esse Deo, & mortalem non pari Deo sentire; promittens templum cuius paulo ante ornamenta ac pretiosissima vasa impie abstulerat, se multis optimis muneribus ornaturum. Ipsosque sumptus ad sacrificia pertinentes de redditibus suis se cumulate impensurum. Verum ob immania scelera maxima; sacrilegia sua misericordiam consequi indignus scelestam vitam digna morte finiuit.

Non multum dissimile est quod in eisdem libris legitur de Heliodoro Seleuci regis legato, qui dum à rege ad diripiendam templi pecuniam missus, iniunctum sibi negotium strenue perficere nititur, quicunque eius sacrilego imperio parere ausi fuerunt, extemplo diuina quadam virtute ruentes, in dissolutionem formidinemque conuersi sunt. Heliodorus autem è cœlo, quodam sibi nimirum apparente, & equo ornato cum impetu priores calces clidente subito in terram deiectus, flagellatus & variis est confectus vulneribus. Quamobrem omni salutis spe destitutus, ex eo ipso loco, quem paulo ante summa superbia, summaque iactantia ingressus fuerat, maxima satellitum stipante caterua, à paucis postmodum semianimis extractus est, donec reddita sibi, amicorum hortatu Oniæ summi sacerdotis orationibus, pristina insperataque salute, quum multa votiisset, infecto negotio ad regem cum exercitu remeauit. Vbi quum ea, quæ sibi apparuissent è cœlo, & quæ in seipso expertus fuisset opera magni Dei, vbique priuatim ac publicè vti iussus erat testaretur, à rege interrogatus est. Quisnam hac de causa Hierosolymam iterum mitti sibi aptus videretur? Si quem, inquit habes hostem, aut regni insidiatorem illuc eum transmittito: eum enim, si tamen viuus euaserit, flagellatum recipies, quod in eo ipso loco vere sit quædam virtus cœlestis atque diuina. Nam maximus ille cœli terræque creator, qui summo consilio, summaque sapientia omnia regit moderatur atque gubernat eiusdem loci custos, visitator & adiutor acerrimusque defensor existit. Quicunque igitur spreta religione vim aliquam eidem intulerint impiasve manus iniecerint, nequaquam sibi putent impune futurum. Tales etenim eo vsque insequitur, variisque calamitatibus & cruciatibus afficit, quoad perpetrati facinoris luant meritas pœnas atque supplicia. Huius veroreci ego ipse optimus testis existo, qui hac dita paulo ante in memetipso periculum feci.

Et ne longe vagemur. Quum illud idem Iudæorum templum vniuersa terra sanctius, Marcus Crassus diripuisset, atque sicut Iosippo placet, inter cetera auream trabem templi centum & quinquaginta minarum auri confregisset, & in militum sumptus impie conuertisset, adeo infœlici postmodum & infestissimo bello contra ipsos Parthos decertauit, vt inter maximas & grauissimas Romanorum clades ac iacturas non immerito connumeretur. Filio enim amisso legionibus vndecim, quæ totius Romanæ militiæ decus erant, miserabili strage confectis, ipse satis quidem iusto optimi Dei iudicio ab hostibus captus, ne in ditionem regis Aristonici perueniret, virgam, qua ad regendum vsus fuerat equum, in vnius Barbari oculum adeo direxit, vt illum excæcaret, qui vi doloris accensus latus Crassi sicca confodit. Sicque confossus duro mortis genere impiam animam efflauit. Quumque corpus inter permiscuas cadauerum strues, auium ferarumque laniatibus obiectum & perditum, caput vna cum dextra manu abscissum ad regem deportatum esset, summo hostibus ludibrio fuit, & vti viro auaritissimo, & de rebus sacris pessime merito aurum liquidum in rictum oris iustissimè infusum est, vt cuius animus nepharia sacri auri exarserat cupiditate, etiam eius mortuum & exangue corpus auro ipso aduretur, dicente Barbaro: Aurum sitisti, aurum bibe. Cuius etiam meminit Aurelius Augustinus ad Permenianum, & repetitum est in decretis Canonicis, prima quæstione primæ.

Verum ne perpetuo Hierosolymitano templo immoremur, Legimus apud Trogum Pompeium Brennum regem Gallorum, quum Macedones bello deuicisset, quasi terrena iam sibi spolia sordescerent, animum ad Deorum templa spolianda conuertisse, scurriliter iocatum, locupletes Deos hominibus largiri oportere. Quumque Delphos ad Apollinis templum diripiendum peraxisset, vbi maxima vis erat auri atque argenti, subito exorto terræmotu, montis non modica pars abrupta est, quæ vniuersum fere Gallorum strauit exercitum. Ipse vero Brennus vulneribus plurimis affectus, seipsum proprio pugione peremit, sicque ob ausum scelus debita supplicia digna morte persoluit. Sic enim humana consilia castigantur, vbi se cœlestibus præferunt.

Sic Xerxes Persarum rex, quum quattuor armatorum millia Delphos ad hoc ipsum Apollinis templum diripiendum misisset atque vastandum, tota illa multitudo imbribus atque fulminibus deleta est ac penitus consumpta, vt vel sic intelligeret Xerxes, quanto maior esset Deorum iniuria, tanto nullas esse aduersus Deos hominum vires atque conatus.

Quintus Fuluius Flaccus auctore Valerio, quia tegulas marmoreas ex Iunonis Locrinæ templo, in eam quam Romæ extraxerat ædem Fortunæ impie transtulisset, haud immerito aduersa mentis valetudine captus per summam animi ægritudinem paulatim contabuit, ac miserrime expirauit. Quum ex duobus filiis in Illyrico militantibus alterum audisset è vita migrasse: alterum vero crudeli morbo affectum grauissime torqueri. Quo quidem casu Senatus populusque Roma-

nus non mediocriter commotus, publico decreto censuit eas tegulas fore Locros referendas, vt eo pacto & impium Censoris opus emendaretur, & præclarum posteris exemplum præberetur immortali Deo semel dicata, haud vnquam esse absque nephario scelere submouenda, aut in alios etiam honestos & optimos vsus transferenda. Sic nos quoque monemur vitandas esse transplantationes.

Pyrrhus vero cum Locrenses ex thesauro Deæ Proserpinæ magnam sibi pecuniam dare coegisset, quumque hac nepharia præda onustus enauigaret, vi subitæ tempestatis tota cum classe vicinis Deæ littoribus totus illisus est, in quibus deinde reperta pecunia denuo thesauri custodiæ restituta est.

Carthago illa Romanis inimicissima, quum vi tandem ab eis esset oppressa, & Romanus miles quadam contempta religione, in ipsa vrbis direptione Apollinis, qui veluti Deus ab omnibus colebatur, statuam aurea veste nudasset, sapienti iustoque æquissimi Dei consilio sacrilegæ manus, inter fragmẽta vestis inuentæ sunt abscissæ, quo doctiores in posterum ceteri redderentur, quam maxime à rebus sacris atque diuinis abstinendum esset.

In hunc modum Lucullus, quemadmodum in vita eius quam Leonardus Iustinianus latinitate donauit, proditum est: Mithridatem dum pedestribus naualibusque coppis vrbem Lizicenorum populo Romano confœderatam, ingenti manu aggreditur, oborta illico tempestate, maxima exercitus sui parte in ea pugna trucidata atque consumpta, turpiter profligauit, ita vt dum saluti suæ sola fuga consulere nititur, relicta naui, quæ ob procellæ magnitudinem iamiam naufragium subitura videbatur, sese necessitate coactus piratis committeret. Tantam enim cladem, tantamque calamitatem ferunt non immerito illi intulisse Dianam: quia impiis manibus maxima cum religionis iniuria atque dedecore eius templum expoliare, eiusque simulachrum inde detrahere præsumpsisset.

Postremo quum Quintus Cepio Consul Tholosanum oppidum in terra Italia diripuisset, multumque auri atque argenti in templis compertum fuisset, quisquis in ea direptione aurum contingere præsumpsit, horribili statim dolore ac cruciatu è vita migrando perpetrati sacrilegij pœnas meritas dedit. Quippe in leges diuinas impie agere impune non cedit.

Scelus hoc non priuata solum, sed publica etiam clade quandoque expiatum, octoginta & amplius millibus hominum Cimbrico bello circa Rhodanum vnico prœlio amissis, quia Cepio, cuius ductu & auspiciis est tam infœliciter dimicatum, eiusmodi auro non abstinuisset. Hoc aurum admonet Strabo libro Geographiæ quarto Delphicæ pecuniæ partem fuisse. Brennus enim Prausus natione Tetosagis auxiliantibus Delphos incursauerat. Deinde (quemadmodum refert Iustinus, lib. 22.) Quum Tetosagi se in antiquam patriam Tholosam recepissent, pestilentia laborare cepe-runt, à qua non prius sunt liberati, quam Haruspicum responsis moniti, aurum argentumque sacrilegio quæsitum in Tholosensem lacum mergerent, quod omne magno post tempore Cepio Romanus consul abstulit.

Hinc ortum est Prouerbium. Aurum habet Tholosanum, quod in eum vsurpat Aulus Gellius, qui magnis ac fatalibus afficitur malis: nouoq; ac miserando exitio perit. Durat enim apud vulgus hæc opinio, vt existiment omnes misere perire, quicunq; à sacris rebus non abstinent manus violentas. Quippe creditum est, fatum instare ei, qui sacris rebus, ac Deo dicatis bonis manus iniecerit, aut qui pios homines, atit certe fungentes sacris ministeriis oppugnarit, veluti Pontificem Romanum, episcopos, abbates, etiamsi parum fuerint piis moribus, id quod prope modum olim dictum est ab Homero, & Erasmus Roterodamus nobilis Germanus Chiliade tertia sic interpretatur:

Cum deo certare viro simul atque cupit quis,
Cui Deus que bene vult, malum huic breui imminet ingens.

Talia sunt igitur munera, talia præmia, talisque mercedis retributio eorum, qui res sacras diuino cultui dedicatas diripere sibique vendicare, aut in alios vsus distrahere præsumuntur.

Sed dicet aliquis. Bene quidem ô Orator. Sed cur nobis gentilium, torque scelestissimorum Deorum, qui à vera erant diuinitate semoti, exempla proponis? Quid non potius adducis veri Dei in Christianos sacrilegos domesticas vltiones? Non solum enim antiquorum nobis exempla sufficere debent, si & nostra quoque commode afferre valeamus? Cui ego sic responsum velim. Me idcirco istiusmodi Deorum exempla commemorasse, vt facilius inde planiusque perciperemus, quam acerrimus suipsius vindex esse debeat noster, imo omnium Deus in eos, qui cultui suo dedicata bona impie diripere, & in alios vsus transferre præsumunt. Ex quo hi, qui falso dij vocitabantur & erant, tam sæuas vltiones, tamque pernitiosissimas clades ob spretam religionem, & sacrarum rerum impiissimam deputationem, imo vero magis Deus ipse per eos traditur intulisse.

Ceterum quum vobis vtpote Christianis, Christiana magis placere audio, percurram Italiam quam breuissime, quæ litterarum litteratorumque altrix ac parens, & vniuersi orbis domina & regina describitur. Incipiam à Venetis potissimum, qui nunc maxime per omnium ora versantur, & volitant: Mox vbi de Germanis, Gallis, Polonis, Brutenis & Pannoniis paucula verba adiecero. Complicatis velis instar boni nautæ in portum festinanter properabo & receptui canam.

Veneti

Veneti itaque (quod omnibus constat) donec iustitiam & rem diuinam summa obseruantia coluere, & imperium suum non modo integrum seruauere, sed etiam longe lateque propagauere. Cuius tanta erat auctoritas, tanta maiestas, vt toto orbe haud obscure celeberrimum vagaretur, non sine cunctorum populorum, regum atque principum formidine atque admiratione, verum (ita enim natura comparatum video, vt nunquam expleatur aut satietur regnandi libido, sed quanto maior imperij fuerit accessio, tantoque crescit & augetur dominandi cupido) dum miseri præ magnitudine victoriæ angustos se fines habere arbitrantur, dum sibi persuadent sese totius Italiæ imperio posse quandoque potiri, dum Rauennam, Ceruiam, & extincto Alexandro Ariminum & Fauentiam diuo Petro auferunt, dum in res sacras, & summi Dei ministros passim impias manus iniiciunt, & sacrosanctum Cæsarem sine honoris præfatione adire præsumunt, tum demum multa aduersa, multa incommoda ac maximas calamitates perpessi sunt, vtpote qui vno momento, pene vniuersum terrestre imperium, trucidatis prius Gallorum virtute 12. milibus turpiter ignominioseque amiserunt, & adhuc non est finis.

Tantarum calamitatum paulo ante causam attulit (sæpe enim, vt supra quoq; monastrauimus, principes prophetizant) diuinus Maximilianus in ea oratione qua prophetico spiritu afflatus aperte prædicit: compulsurum se Venetos in piscatoria cimba victum quæritare, quem cum regali luxu nauibus & vltimis orbis terminis conuectabant. Causam dico, quod non modo Iacobum Cypri regem opera vxoris Venetæ & plerosque Italiæ regulos. Item Pium Secundum arma in Turcos machinantem Anchone veneno necasse credantur. Verum etiam spiritualium & Deo dicatorum hominum bona diripuerint, quippe qui bona Ecclesiastica singulis annis bis decimabant, qui decemuiros creabant, qui vniuersum ordinem Ecclesiasticum ad sua subsellia Venetias euocarent. Ita enim in exigendo se austeros, rigidos & in humanos præstabát, vt nisi ad diem præfixum pecuniæ præsto essent, aderant sæui exactorum ministri in miseros sacerdotes (quod dolenter refero) impetum faciebant, conuitiis lacerabant, opprobriis onerabant, cõtumeliis variisque calumniis sauciabant, eorum substantiam ac supellectilem asportabant, diripiebant, auctionibus vendebant, plus fere in prædam quam solutionis sortem cedebat. Heu omnibus retro seculi inaudita impietas. O summa crudelitas omni supplicio vindicanda. Hæc ne Christiano nomini conuenire censenda sunt. Igitur non mirum si Deus tanta facinora contemnere amplius non potuit.

Sunt qui scribant Carrarienſium calamitatem ex insolita rerum sacrarum exactione tanquam è pestilenti quodam fonte manasse, quando non modo celeberrimam vrbem Padauinam adeo & natura & opere munitissimam, vt vix expugnari posse censebatur, facillime amiserunt. Verum etiam publico decreto in carcere Veneto necati sunt. Hi Carrarij sunt, ex quorum familia Ziliola Rodulpho Saxonio nupta apud vos cordigeros quiescit, quæ Zanam oppidum ad quintum lapidem ab vrbe nostra celebre reddidit, quod illi in donationem propter nuptias constitutum erat.

Quo tempore ego in Italia studiorum gratia Dei, Neapolitanum quod regnum adeo vertigine fortunæ circumactum est, vt fortassis octo reges habuerit, miraretur quiuis tantam mutabilitatem, nisi in promptu causa esset, quod Neapolitani Ecclesiæ Romanæ annuum tributum non pendent.

Quę etiam ratio assignari potest, quod Forum Cornelij Liuij Fauentia, Ariminum, Pisaurum, Cesenna, Fanum & reliquæ ciuitates per Valentinum Cæsarem bello vexatæ, non semel, sed sæpius captæ atque expugnatæ sunt.

Quid dicam de Ludouico Sphortia Insubrium principe, qui inter homines terrenus Deus colebatur, qui omnium Italorum facile sapientissimus potentissimusque habebatur. Cuius nutu Italia regebatur, in cuius manibus erat leges belli & pacis Italis præscribere, qui prouerbio iactitare audebat: vnum Deum in cœlis esse, vnum Ludouicum in terris. Nonne tamdiu secundos in rebus suis successus habuit, & omnia sibi ex sententia contigere, quamdiu religionem amauit, & sacerdotes veneratus est. Ceterum dum ad eam insaniam, eamq; dementiam inclinat, vt nõ modo clericos mutuum sibi dare coegerit, verum etiam indiscriminatim Ecclesiastica bona absq; Dei timore vendicare præsumpserit, ipsi scitis quam inaudito & nephando exemplo à militibus suum stupendium merentibus anno abhinc duodecimo traditus ac venditus, opulentissimo principatu excussus miseram mortem obierit, quum prius ad octo annos apud Gallos carceri mancipatus fuisset.

Alphonsi Ferrariensium principis calamitatem quippe anathemate notat⁹ Mutinam amisit, non desunt qui minus doleant quod Bononiensis præsulis bona in dotem accipere, & Lucretia filia Ecclesiastica Estensem domum alioquin illustrem turpiter fœdare non erubuerit.

Sed venio nunc in Germaniam. In recenti memoria habetis quemadmodum Baioaria igni ferroq; miserabiliter vastata sit, feruntur in id bellum expensa aureum nummum vltra duodecies centena millia. Nunc perpetuo incommodo, amissis rebus Baioarij pace inita, affinitate iunguntur, potuissent profecto hæc, cum sempiterna Baioarica salute principio fieri, ni Deus principes emendare voluisset, quorum alter cognomento diues (impleuerat enim turres argento) sacellum Othingense diripuisse, alter (vt Wissenbergam taceam) Martinum spoliasse creduntur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [389] - 365
PUBLIC DOMAIN

Ioannes vero Sagonum dux, quod abbatem suum possessione turbauerat, ad tantam mendicitatem redactus est, vt diuæ memoriæ Ernesto & Alberto Saxoniis, vniuersum principatum suum venire compulsus sit.

Dagobertus Francorum rex in collegiorum cœnobiorumque fundationibus confitetur sese Ecclesiarum Dei quandoque fuisse destructorem, & bonorum clericorum dissipatorem, sed à Deo per visionem pœnis atrocib. addictum, intercessione diui Dionysij patroni sui pœnæ dilationem & pœnitentiæ tempus obtinuisse. Vnde idipsum cunctis fidem Christianam profitentibus notum fieri dignum duxit, ad exemplum correctionis, vt quisquis fidelis audito suo periculo, ab Ecclesiarum Dei vastatione & clericorum iniuria sese contineret.

Animaduertimus etiam spatio paucorum annorum ex Poloniæ regibus re prius ad hostem pessime gesta, tres, vnum super alium absque hærede ob Perussiæ (ita enim latini Prussiam vocant) occupationem esse vita functos.

Experientia quoque didicimus, quod eo bello immaculatam virginem apud Mariæpurgios dituerunt, ad vnum omnes scelestam vitam cum scelesta morte commutasse.

Vnde puto te monendum ô Vladislae, qui Vngaris imperitas, qui orationi nostræ occasionem dedisti, eo quod à clericis tuis, si modo tui dicendi sunt, & non potius altissimi Dei, intolerabilia vndique tributa exigis. Scio hoc fieri non tua culpa, qui diues es, sed procerum tuorum insano consilio, qui nephariam prædam sibi partiuntur.

Satis enim compertum habes subsidia laicis à clero præstari, inhonestum & iniustum esse, non legitimum, sed legi contrarium. Audisti præterea prædecessorem tuum Matthiam, quum identidem rebus sactis, clericorum bonis, & potissimum episcopatui Vratislauiensi cognomento aureo inhiaret dum eum emungeret, & vt sanguinẽ eliceret, dum sic deplumaret anserem, vt clamorem extolleret pelle conuulsa. Sacerdotes exemplo Oniæ contra Heliodorum conuenisse, vnum annum Deus laudem orare, & nondum finito anno, negotio infecto, regem satis miserabiliter Viennæ periisse. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones exhibere, magni beneficij est indicium. Non arbitreris igitur id tibi magisque ceteris impune futurum. Lento enim quandoque gradu ad sui vindictam diuina procedit ira, tarditatemque supplicij pœnæ grauitate compensat.

Nam vt summatim dicam, quod sentire debet quisque bonus vir Ecclesiæ, Ecclesiasticæ personæ & res ipsorum, non solum iure humano, sed etiam diuino à secularium personarum exactionibus sunt immunes. Imperatores Honorius & Theodosius, item etiam Federicus Secundus, quum Romæ diademate insigniretur, publicis legibus sanxerunt, clericos & eorum bona ad extraordinaria & sordida munera, vel tributa soluenda minime teneri, quod si quis eos turbauerit, voluerunt tanquam sacrilegum perpetuo deportari, & tanquam bannitum, id est, hostem imperij resarcire triplum. Eam libertatem religiosissimus Constantinus, ad coniugia etiam clericorum liberos & ministeria extendenda putauit.

Inde apud Esdram (cuius librum vel potius rotulum propria manu scriptum vidimus quamque in archiuis Bononiensium apud diuum Dominicum loco magni thesauri asseruari) dicit rex Adageniis suis ministris. Vobis quoque notum facimus de vniuersis Sacerdotibus & Leuitis, cantoribus, ianitoribus & ministris domus Dei, vt vectigal & tributum & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.

Propterea summi Pontifices tantum honorem tribuendum statuerunt in commune omnib. clericis, id est, qui de sorte domini, vel domini partem habent, quales sunt episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, regularis canonicus, monachus acholytus, exorcista, lector, psalmista, ostiarius, conuersus, quod publicis decretis excommunicatos declarauerunt omnes reges, principes & quoscunq; alios, etiamsi priuilegiati existant, qui clericos verberant, aut quantumcunq; leui iniuria afficiunt, vtpote in eos expuendo, aquam fundendo, aut vestem lacerando. Necnon illos, qui quouis ingenio quicquam statuunt, aut statuentibus consilio fauoreve præsto sunt, contra libertatem Ecclesiasticam, quod Innocentius interpretatur contra priuilegia concessa ecclesiis per Imperatorem vel Papam. Et Bartolus intelligit, vnde clerici redduntur timidiores & laici audaciores. Item eos qui clericis, & eorum bonis tributa imponunt, aut quas vulgo dicunt, tallias, collectas, decimas, vicesimas, centesimas, aut pedagia seu pessagia exigunt, etiamsi sint Ecclesiastici. Vnde facile colligitur, quod nec sacerdoti sacerdotis bona inuadere impune cedit.

Platina in Calixto tertio scriptum reliquit, & refert Sabellicus Ænead. decima. item exemplorum, lib. 1. Repertum esse chirographũ in quodam libro ipsius Calixti nondum Pontifici in hæc verba. Ego Calixtus Pontif. Deo & indiuiduę trinitati voueo, me bello maledictis interdictis execrationibus, & demũ quibuscunq; rebus potero. Turcos Christiani nominis hostes sæuissimos persecuturum, & quanquam admirationi, q̃ dignitatem nondum adeptus Pontifici nomen chirographo adoptasset homo iam decrepitus minimeq; ambitiosus: indixisse tamen statim bellũ Turcis, suscepisseque Alphonsum regem Neapolitanum (ex cuius sorore neptis Leonora Cæsari Federico nupta erat) & Phi-

& Philippum Burgundiæ ducem, crucis signum quod professi erant, se quoque in hostem ituros: sed quia voluptatibus irretiti tantam gloriam omiserunt, sanctam expeditionem facile resedisse.

Fando audiuimus Burgundum rogatu vxoris & ceterarum mulierum, quarum mariti profecturi erant causantem valetudinem à pontifice indignabundo, vsque in tertiam generationem maledictam esse: ad quod crimen expiandum Philippum testamento mandasse, cor suum Hierosolymis apud Minores sepeliri: eisque in singulos annos, quamquam in præsenti non reddantur, legasse aureum numum quatuor milia.

Vtcunque sit, constat defuncto Philippo, eius filium Carolum multis cladibus acceptis in prælio Granensi à confœderatis misere occisum. Eius quoque filiam Mariam quæ paternam hæreditatem tot clarissimos principatus Maximiliano dotem fecerat, in venatione vterum ferentem æquo præcipitaram, & qui ex illa susceptus erat, Philippum Austrium regem Castellę non absque veneni suspitione mortem obiisse, anno ab hic quinto pręmonstrante hoc vt assolet cometę, quem nos quoque Bononiæ vidimus.

Quo terribili exemplo monemur: non solum ecclesiasticis rebus abstinendum, sed etiam ecclesiasticis fidem tenendum esse.

Iudicatur ergo non minus sacrilegus qui sacerdotes insequitur, aut eis fidem frangit, quam qui ecclesiam Dei deuastat, & eius prædia & donaria spoliat & inuadit, vt autor est Pius papa. & repetitur in decre. cano. xvij. q. iiij. c. sicut.

Et profecto si iusti rerum æstimatores esse volumus, in vniuersum omnes sacrilegi suo se mucrone conficiunt. Nullus vnquam non solum nostrorum, verum etiam antiquorum temporum inuentus est, qui Deo dicatis rebus impias quandoque manus admouerit, aut illas mercatus sit, cui longo tempore res suæ prospere fœlicique cursu successerint, si modo non statim meritas pœnas exoluit. Nemo vnquam extitit qui ecclesiasticos persecutus, finem suum attigerit cum honore. Hic aquis est obrutus, ille situ & squalore carceris interiit, alius equo delapsus subito interiit.

Quippe res sacræ nullum subsidium, nullum afferunt adiumentum, quin immo veluti lethale venenum, ac pestis quædam sæuissima, mortifera contagione sua vicina ac prima quęque inficere & maculare consueuerunt: Hoc est quod in commune omnes pecuniæ quotidie frustra dantur & incassum, quia partim ab ecclesiæ rusticis, qui ecclesiastica immunitate gaudere deberent exiguntur. Vnde Itali, prouerbio dicunt. Maledictam domum cui infertur lapis sanctus.

Tullius & Ouidius existimant parum arma foris valere nisi consilium præcesserit domi. Pectora sunt potiora manu vigor omnis in illis est. Nos vero arbitramur arma foris nihil valere penitus, nisi iusta causa & religionis obseruantia domi & foris, pace & bello custodiantur. Constituimusque duplicem militiam, vnam quæ ferro multoque milite continetur, alteram quæ pietate, lacrymis, ieiuniis, eleemosynis orationibus que depugnat, qua Moses Pharaonem, Iudith Holofernem. Ezechias Sennacherim & cœlum Iosue superauit. Sunt igitur milites mundi, & milites Christi, & in his porro (vt sentit apostolus) stipendiis nemo militat suis.

Quod autē temporalia arma sine spirtualibus inutilia sint, & religiosa militia seculari lōge præferenda sit, pulchertimum nobis argumentum præstat Exodi historia luculenta sane & miranda. Vbi dum Amalechitę filios Israel bello in Raphidim adorti cœpissent grauiter oppugnare, Moses vero conspicatus Israel premi, trepidare omnes, ad arma vndique conclamari, de vtraque militia mox cogitans, Iosua virum fide experientiaque clarissimum cum robustioribus aliis mandat esse in armis, & aduersus hostes quanta vi possunt dimicare. Ipse vero vna cum Aaron & Assur montis vertice occupat, dum in plano stringitur gladius, dum contrariis hastis concurritur, dū intorquentur in alterutros tela, & pugna graui marte committitur, euadit hostis longe superior. At Moses ratus arma ecclesiastica (quæ diximus plurimum valere) precari ardentius & iunctas manus in cœlum attolere, dum orat & manus regit immobiles, Israel vincit, dum orationem manūsque remittit fit rursum Amalechita superior. Tanta hae spiritualium virium Moses deprehensa virtute, neque à precibus cessat, neque manus demittit, donec ad solis occasum, Deo aspirante Amalechitę partim trucidantur, partim funduntur atque fugantur. Ecce quod arma manu facta & pugnantium robur non potuit, assecuta est pietas atque religio. Huius rei etiam mentionem facit Sabellicus in li. exemplorum. ti. de precum effectu.

In hunc maxime modum, ecclesiasticis sanctis magis quam humana ope, anno ab hinc xxxij. defensa est Rhodus insula contra spurcissimum Mahumetem. Nam mœnibus mille & tercentū bombardorum ictibus concussis, tenente obsidione vndenonaginta dies, quum Rhodii sua vi freti, tantis barbarorum conatibus haud dubiæ impares fuissent, ferunt crucem auream, media oppugnatione in cœlo conspectam ab hoste, cum simulachro Deiparę virginis hastam vibrantis vlam, & Ioannis Zachariæ effigiem cum numerosa manu vrbi præsidentem.

Probandum est igitur vehementer oraculum Hebræi poetæ dicentis: in Domino magis confidendum esse atque sperandum. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri victores erimus. Nisi Dominus custodierit ciuitatem frustra vigilat qui custodit eam. Et nisi Dominus exercicituum iuuerit: inuanum profecto laborat qui illum prudentia sua deducere nititur. Sic illa quoq; sancta Iudith, vt paulo ante etiam tactum est, cum insolentissimi caput Holofernis proprio eius mucrone detruncasset, egregie Domino præcinebat. Non in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua, sed humilium spiritus & mansuetorum tibi placuit deprecatio. Quemadmodum non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Hinc Titus Liuius putat, vbi causa iusta ibi fere semper victoriam stetisse.

Si itaque viri Christiani, si Deum omnium bonorum largitorem optamus habere propitium, curemus vt religionis & diuini cultus integritas accuratius obseruetur. Ne quid impium erga templa ac Deo dicata bona, ne quid à nobis erga sacerdotes Deique ministros peragatur indignum.

Cetera quidem peccata etsi grauia, veniam tamen aliquando placato Deo contritione merentur, sed vbi clericis iniuratus fueris, vbi rebus sacris violentas manus inieceris, tum denique Deum iratum expaueas, adest enim subito vindex impietatis, ac debitas pœnas illico districto & horrido iudicio reposcit.

Nam vt auctor est Gulielmus Parisiens. In ipsam quoque Christi matrem iniurii sunt, qui vel Dei ministros iniuriis afficiunt, vel loca Deo & sanctis dedicata violant, vel per quos bona temporalia ad sustentandos ministros, Deo & sanctis consecrata diripiuntur, aut quouis modo minuuntur.

Refert postremo diuus Augustinus, tutelaris & gymnasticus noster Deus, in eo quem de ciuitate Dei edidit libro, quod cum Romæ pestilentia quædam grauissima mulierum simul ac pecoris exorta fuisset, adeo vt præ morientium multitudine iam defecturum genus animaliũ crederetur. Hiems insuper illa (qualis est nostra) tam incredibilis frigoris immanitate sæuiret, vt horrendæ altitudinis niues, per dies quadraginta præter solitum in foro durauerint, & Tiberis (sicut nunc albis) plurima glacie constringeretur. Tum ferunt fuisse responsum, quod ea esset pestilentiæ causa, quia plurimas edes sacras multi priuati occupatas tenerent, quibus postmodum restitutis tum demum, tot clades, tot prodigia cessauere. Dixi.

REVERENDIS AC DEO AMABILIBVS SACERDOTIBVS, NEC NON IN COMMVNE VNIVERSO CLERICOrum contubernio Christophorus Scheurlus Doctor deuotionem filialem.

TAm etsi patres reuerendi sacerdotalis vestra dignitas tantæ excellentiæ existat, vt nullius præconio crescat, nullius vituperio minuatur, animaduertens tamen ego non absque summa animi molestia, plerosque mortalium, tanquam ad malum natos vobis Dei ministris, quibus tamen ipsi nihil vnquam dederunt, natura ita infensos esse, vt arbitrentur se obsequium crucifixo præstare, si vos aut bona vestra sub iugum miserint, tributum exegerint, munera imposuerint, libertatem impedierint, prædia igni vastauerint diripuerintque, aut quod horribile est dictu, insidias struxerint, ceperint, mutilauerint, occiderint, aut quauis alia iniuria affecerint. O miseros homines. O stulta capita. O insana consilia, per Deum immortalem cogitate obsecro; quid nobis faciant sacerdotes. Orti sacerdotum manu, in sacro fonte, quod Christianæ religionis fundamentum est, abluimur, adultiores ad baptismi confirmationem pontificibus præsentamur. Matrimonia sine solenni sacerdotum precatione infausta putantur. Enixis mulieribus turpe est nouæ sobolì operam dare, nisi sacerdotalem ante benedictionem acceperint. Prima semina multis in locis per sacerdotem lustrantur, quot annis sacerdoti crimina nostra confitemur & venerabili eucharistia cõmunicamur, morituri sacro oleo perungimur, & sacerdoti sepeliendi restituimur. Quid quod reges & imperatores regno atque imperio indigni iudicantur, quos religiose sacerdotes non vnxerint. Et in summa vobis sacerdotibus commissa est salus nostra, in vestris manibus est cœlos nobis aperire & claudere. Quamobrem si forte sacrilegos & nequissimos homines à tam nepharia temeritate non nihil auocare possem, compilaui libellum præsentem, in quo diligenter fideliterq; apertissimis historiis tam Christianis quam ethnicis, tam recentibus quam antiquis, doceo, manifesto, declaro eis qui vos clericos, etiamsi parum piis sitis moribus (vt par est) honorant, obseruant, adorant, cuncta prospera & fœlicia euenire. Econtra vero qui de vobis ac vestris id est Deo dicatis bonis male merentur, plerunque scelerstam & infœlicem vitam cum turpissima ignominiosissimaque morte commutare, & tam in præsenti quam in futuro seculo perpetrati sceleris dignas pœnas luere. Iuxta illos Hebræi poetæ versiculos. Omnes principes eorum qui dixerunt hæreditate possideamus sanctuarium Dei. Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes. Ita persequeris illos in tempestate tua, & in

in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine. Erubescant & conturbentur in seculum seculi, & confundantur, & pereant. Et cognoscant quia nomen tibi Dominus. Tu solus altissimus in omni terra. Quæ omnia si summatim, ieiune, debiliter & transeunter magis attigi quam vt debui, copiose, eleganterque tractaui, dabitis veniam ætati ac imbecillitati meæ. Qui dat quod potest, satis dat, & in magnis etiam voluisse abunde pulchrum æstimatur. Quod si qui vestrũ sunt qui has vigiliolas meas boni consulunt, quibus lucubratiunculæ nostræ probantur, eos amice benigneque oratos velim, vt nonnunquam apud vltramundanum Deum suis orationibus pro me & benefactoribus meis intercedere dignentur, quatenus diuina gratia assistente quandoque maiora scribere, & tandem vobiscum vita æterna frui liceat, apud eum qui est benedictus per infinita sæcula. Datæ Wittenbergæ ex Officina nostra litteraria, in festo Annuntiationis Dominicæ. Anno eiusdem vndecimo supra sesquimillesimum.

Finit libellus de Sacerdotum & rerum ecclesiasticarum præstantia, compositus in florida academia Wittembergia, per egregium virum dominum Christophorum Scheurlum Nurembergensem, Iuris vtriusque Doctorem. Ciuilis ordinarium, nec non Ducalem Saxoniæ Senatorem. Anno vndecimo.

APPEN-

APPENDIX
OPERVM PIRCK-HEIMERANORVM,
QVÆ SERIVS AD NOS PERLATA SVNT; QVORVM PLERAQVE POLITICA; CETERA Epistolica.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [394] - -
PUBLIC DOMAIN

DE ORANDI MODO EX D. BASILIO ET IOHANNE CHRYSOSTOMO SVMPTO.

QVoniam compertum habemus, excellentissimos quosq; apud omnes gentes sapientia viros Deum quotidie inuocare, precibusque placare consueuisse, maxime Christianos homines pure, feruide ac assidue Deum inuocare & deuote orare conuenit, docente nos saluatore nostro & dicente: *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur. Quis enim inquit, ex vobis amicum habens & ad eum nocte media veniens, dicat: Amice, commoda mihi tres panes, vt quendam peregre venientem nuper excipiam, & ille intus respondeat, ne sis mihi molestus iam clausa ianua & pueri mei sunt in lecto, nequeo surgere, dico vobis & si non sponte aut ob illius amicitiam, saltē ob importunitatem, ac molestiam surgit, & quod opus est dabit.* Quo sc. exēplo nobis ferme præcipitur, vt orationi pcibusq; assidue instemus, & omni studio perseuerātiaq; q̄ à Deo sancte petimus, cōsequi mereamur.

Est autem oratio mentis ad Deum aliquid petendo elatio. Illam Platonici ita definiunt, quod sit primum notio quædam eius, quod adorandum est, & qua sit ratione colendū. Secundum vero adsimulatio quædam vitæ nostræ, cum diuinitate, vitæ puritate, castitate, sanctitate, disciplina, ordine & diuina beneuolentia proficiscens. Tertium coniunctio quædam per quam diuinam attingimus essentiam ad ipsamq; ascendimus summitatem. Quartum, ingressio quædam in luminis diuini vestibulū. Quintum deniq; animæ coniunctio cum diuina voluntate, vt non iam amplius nostri, sed Dei sumus splendore obruti & circūfusi, qui modus vltimus est & perfectissimus adorationis. Sola igitur adoratio recta animos beatæ patriæ reddit, sola sanctimonia est plena virtus, solus vir bonus Deū feliciter precatur, sola cū Deo consuetudo beatos facit, ab hac n. flagitiosi omnino alieni sunt, & tanq̄ profani à votis & sacrificiis arcendi. Corā diuina igitur maiestate oraturus se ipsum colligat ac omnia negotia terrena ex animo deponat, vt libere mētem in cœlum attolere possit. Quo pacto enim qui mente errat, ac res alias agit, attente orare valet, quo pacto quis rite Deū placare & inuocare poterit, qui ante illum constitutus, in foro tamē, aut domi, vel etiam in rebus variis aut turpissimis vagatur, & quid ipse perat minime considerat, sed ore tantum orat, & incassum nugatur, cum cor ipsius longissime sit à Deo remotum. Etenim si ante Principem terrenū aliquem constitutus negligentius nos habeamus, nonne illum non solum non placabimus, sed potius ad maiorem iracundiā prouocabimus? Quanto igitur magis corā maiestate diuina orantes & veniā petentes attente nos orare decet, non ore solū, sed & corde, ac totius animi viribus, qui non solum quid nam postulaturi sumus longe antea cognoscit, sed conscientiam, cogitationes, & delicta nostra cuncta ex amussim percallet. Igitur precaturus omnem Deo honorem exhibeat ac ita oret, vt omnes cogitationes suas colligat ac cum animi dolore contendens, ipsum inuocet, & hoc solum reb. cunctis interim reiectis omni diligentia peragat, arbitreturq; se non cum seipso nugari, sed ipsius Dei maiestatem præsentem contueri.

Quod si adhibita pro virili parte diligentia mentis infirmitate tamen quadā alio traharis, fidelis est Deus, qui tuam respiciens infirmitatem, misericordia prosequitur, nec sine fructu relinquet. Proinde cum non in verborum multitudine, sed mentis solertia positū sit, vt exaudiamur, oportet orātem neq; longos extendere sermones, & tñ iugiter orare. Breues enim & frequentes orationes fieri Saluator noster Christus & Paulus præceperunt paruis ex interuallis. Non n. numero Deus, sed pondere animiq; ardore flectitur: Etenim si in longū sermonem extenderis in negligentiam frequenter lapsus multam diabolo subtependi facultatem dederis supplandādiq; & abducendi cogitationē ab his quę dicuntur. Si vero crebras ac interpolatas orationes facies, poteris facile modestiā exhibere & ipsas orationes cum multa solertia perficere. Igitur cum orare cœperis non confestim ad id quod petis descende; sed prius à summi Dei laudib. & gratiarum actionib. incipe, considerans quod impossibile sit creatorem rerum omnium dignis extollere laudibus, vel pro tot beneficiis accepris meritas gratias agere. Postquam vero laudes & gratiarum actiones perfecisti, ad vilitatem & humilitatē tuam descende ac considera, quod peccator sis infinitis delictis obnoxius; nullus enim homo sine culpa ac solus Deus omni vitio caret, sæpiusq; peccamus quamuis minime intelligamus. Nam quāuis Apostolus *nil sibi conscius esset, non tamen in hoc se iustificatum fatetur*, quasi diceret, valde quidem peccо, sed minime intelligo, vnde & Prophera ait, *delicta quis intelligit*, & alibi: *non intres in iudicū cū seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*, Ideo si tales te propter omnes alios peccasse, pluraq; admisisse fateberis. *Cum feceritis omnia*, Christ⁹ ait, *dicite serui inutiles sumus*, ideo semper oramus *vt debita nostra dimittantur, nisi enim illa semper essent, Superfluum foret orare vt dimitterentur.*

Ceterum

Ceterum non ſolum pro nobis noſtrisque orare conuenit,id enim neceſſe eſt,ſed etiam pro aliis, tam viuis quam defunctis, maxime vero ex Chriſti doctrina pro inimicis , id enim vera eſt charitas & perfectio. Sic Moyſes orabat,vt populo peccatum remitteretur, ipſe vero deleretur. Sic Paulus, vt pro fratrum ſalute futura gloria excideret.

Quæ vero à Deo peti debent, iuſta ſint,modeſta & ſpiritualia , quæ expectationi conueniant futuræ,non ſeculo præſenti.Non igitur petantur diuitiæ, non fragilis & fluxa gloria,non corporis valetudo proſpera,non parentum,filiorum,vxorum,amicorum vita longior,quin etiam nec propria, diuturnior,ſed melior. Etenim cum ea quæ ad corpus faciunt appendices ſint animæ, minime orationi commiſcenda vel ſaltem ita poſtulanda , vt diuina noſtra fiat voluntas. Iraſcitur enim Deus, ac vt vere munificus faſtidit,cum vilia poſtulantur. Hæc namque ipſo docente , citra nos præbet, *aſpicite* , inquit Chriſtus , *volutalia cœli, quæ nec ſerunt neque metunt,& pater veſter paſcit illa.* Quæ vero ſunt animæ & virtutũ,niſi nobis legitime certantibus, & inſtanter petentibus minime dabuntur. Quinimo ſi aliter quam decet rogamus,vel indigni ſumus qui exaudiamur, vel ſi etiam exaudiremur, nobis ipſis nociua imprecaremur: Illi igitur,qui nos ſemel creauit ac continuo tuetur & vegetat omnia permittamus,ſolumque vt noſtri miſereatur,& bona nobis tribuat noxiaque repellat oremus,probe enim nouit, quæ vnicuique ſint bona & expediant, vel nociua & officiant. Aſſidue igitur in ore noſtro ſit illud, *Miſerere mei Deus* , breue etenim verbum eſt & clementiæ pelagus continet,nam vbi miſericordia ibi omnia bona ſunt , vbicunque igitur conſtitutus es,ſiue in Eccleſia,vel extra, ſemper clama dicens: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam* ; ſiquidem neceſſe eſt,vt miſericordia ſit magna,vbi tot tantaque remittenda ſunt crimina.

Hæc igitur totis viribus & affectibus ſunt optanda,optata vero fide ac patientia quærenda. Credidit enim Abraham Deo & reputatum eſt ei ad iuſtitiam , quamuis non ſtatim compotes fiamus, non propterea deſperemus,neque dicamus quod Deus peccatores non exaudit: Chriſtus enim de induſtria verbum illud addidit , & ſi non ob amicitiam quis dabit , ſaltem illud propter moleſtiam faciet,non igitur quicquam mereri decet ob poſtulatorum dilationem , ſcit enim Deus quid nobis opus ſit, ac temporis dandi occaſionem longe melius quam nos , qui etiam in propriis negotiis, vt plurimum decipimur nouit. Si igitur diſtraheris vel deſtineris ,hoc tibi fortaſſe expedire Deus intelligit,fructus enim dudum deſiderati longe ſapiunt ſuauius,diligentuisque cuſtodiuntur. Subita impetratio rei conceſſæ contemptum parit; Durandum igitur nec vlla deſperatione aut animi triſtitia à cœpta ſupplicatione deſinendum. Si enim te minime petentem multis muneribus ornauit Deus,quid tibi petenti ſperandum ? & ſi fodienti talentum datur , quanto magis id minime fodienti augebitur. Si demum ante mundi conſtitutionem non adhuc exiſtentes dilexit, cur in lucem productos ac ſalutis cupidos repellet ? Quæ ſane ſigna clare oſtendunt,occulta illius diuinæ benignitatis conſilia,plus nobis in receſſu præbere,quam in fronte promittere,& quæ videntur humanæ cupiditati ſæpe contraria magnopere ad extremum prodeſſe.

Ceterum haud neceſſe eſt oranti ſemper ad Eccleſiam currere, ſed vbique ac omni tempore Deum inuocare & orationes ſuas offerre poteſt: Vbicunque enim es , poteris Deo altare conſtituere, ſiue ſis domi,ſiue in cubili,aut in foro,& tribunali affixus: nam & tacentes Deus exaudit & decumbentes,ſedentes ac deambulantes. Non igitur locus quærendus eſt, ſed loci principium. Ieremias erat in ceno & Deum exorauit , Iob erat in ſtercore & Deũ reddidit propitium, Ionas in ventre ceti & facilem habuit, non eſt enim Deus vt homo,vt locum petat , ſed ſemper prope eſt, adhuc te loquente adeſt,nondum orationem feciſti,& ipſe medicinam affert.

Verumtamen,non tam voce opus eſt, quam cogitatione,neq; manuum extenſione,quam animi intentione,neq; figura ſed intellectu,ideo ſi nec genua flectas neq; pectus percutias, nec in cœlum manus protendas,ſi mentem tantũ verendam exhibueris,orationis perfectionem conſeruaſti.Deus enim non tam exteriorem orantis habitum quam internam mentem conſiderat,quæ etiam orationem reddit perfectam:cum ſæpius externi geſtus potius ſimulatio quam animi ad Deum ſit elatio.

Vertit Bilibaldus Pirckheimerus.

BILIBALDI PIRCKHEIMERI EPISTOLA AD S. D. N. ADRIANVM P. M. DE MOTIBVS IN GERMANIA, PER DOMINIcanos,& horum complices excitatis,& de occaſione Lutheraniſmi.

QVum anteactam vitam tuam, Adrianæ Pontifex Maxime,conſidero, ac diligenter mecum reuoluo,qualiter illam ab ineunte inſtitueris ætate,ſemperque virtute & optimis excolueris literis,tandemque ad ſummum culmen rerum ſine malis euectus ſis artibus, plane diuinæ bonitatis in te gratiam exuberare perſpicio. Quo pacto enim hoc tam improbo, ne infœlici dicam,ſeculo eo pertingere potuiſſes,quo nec vnquam cogitationes tuæ peruenerant,niſi plane Deus,qui vniuerſas

vias tuas ab ineunte direxerat ætate, te etiam in summo fastigio collocare voluisset, præcipue nil tale cogitantem, minus vero ambientem aut solicitantem? Quum igitur solius Dei nutu adeo sis exaltatus, minime dubitandum est, te etiam quæ Dei sunt, & in suam tendant gloriam, velle, exoptare ac summopere desiderare. Quo pacto enim in publicis, & vbi de fide, pace, ac certissima animarum Christianorum agitur salute, non optima, & quæ in Dei gloriam & gregis commissi vergant salutem concupisceres? cum in priuatis etiam nil nisi quod rectum ac sanctissimum fuit, probaris, elegeris, ac sectatus fueris. Quod quum ita se habeat, consentaneum quoque est, te haud asperna turum, si quis in hoc tumultu ac rerum discordia consilium vtile, vel saltem haud contemnendum, in medium afferat, non quod tu consilio indigere videaris, in cuius pectore omnimoda inclusa videtur sapientia; sed vt recte de imminentium rerum mole instruaris, ad monearisque, quid tibi potissimum sectandum, quidque sit fugiendum: in qua re vel maxime huc vsque erratum fuit. Licet enim per te recte sapias, multisque ac sapientissimis abundes consiliariis: constat tamen, eos qui huc vsque sedis Apostolicæ negocium apud Germanos egere, non parum in eo fuisse deceptos, cum rerum & linguæ ignorantia, tum ob morum diuersitatem, ac nimiam adulatoribus fidem adhibitam: siquidem non omnes populi vno ac eodem modo conciliari aut tractari volunt, sed habet gens quæque peculiare aliquid, & à ceteris diuersum. Id nisi quis recte discernere, & aliter inter Germanos, aliter inter Italos, Gallos, aut Hispanos se gerere nouit, is præterquam quod vix aliquando voti compos euadet, in multis fallatur & aberret necesse est, etiamsi ipse sibi vel callidissimus videatur; vt obiter præteream, quod optimis ferme dominis pessimi vt plurimum ministri obueniant, qui quum sæpe perquam vtilia habeant in mandatis, iis tamen omissis deteriora sectari minime dubitant, quum sciant, non omnia ad dominorum cognitionem peruenire posse, partim quod maiorum rerum vrgeantur mole, partim quod mentem eorum præstigiis quibusdam obtenebrari posse confidant.

His rationibus, præcipue tamen patriæ motus amore, has litteras ad S. tuam dare ausus fui, non quod prudentiæ meæ, quam admodum tenuem esse non ignoro, multum tribuerem; sed quia longis iam annis & ab ineunte ætate in rebus versatus essem gerendis, mores quoque nostrorum perbelle noscerem; litteras vero non penitus ignorarem: ac ideo diuturno vsu edoctus longius mihi prospicere viderer, quam homines quidam temerarii, quos cernere est animi magis impetu quam certis rationibus, aut vlla moderatione præcipites ferri, & qui nihil pensi habent, dummodo voti sui compotes fieri, ac libidini, arrogantiæ, auaritiæ ac reliquis vitiis cunctis indulgere possint, ac interim verbis se spiritales appellare non erubescunt, cum re ipsa omnibus laruis mundaniores & peruersiores existant. Ceterum ni Sanctitas tua rite percipiat, vnde turbæ tam immensæ exordium sumpserint, vix vllum remedium adhibere valebit: quemadmodum nec medicus quispiam, etiam peritissimus, ægrotum aliquem curare poterit, ni antea morbum & illius causas plane intellexerit. Constat igitur, dolos, Sycophantias, ac omnes malas artes Fraterculorum illorum, qui Dominicastri vocantur, tam horrendas concitasse Tragœdias. Id enim cum longo rerum successu cristas in immensum extulissent, iamque nil humile animo volutarent, ac sibi ipsis persuasissent, omnia quæ luberent ac conducerent, confestim etiam sine vllo probitatis aut honestatis respectu licere, iamque ab egregio illo Bernensi excidissent molimine, alia via, quoniam illa minus successerat, grassandum esse censuerunt. Quo pacto enim quietem agerent, quos non solum victus & vestitus alienus irritaret, sed plane diuina exagitaret vindicta. Bonarum igitur litterarum odio flagrantes, ac omnes eruditos, tanquam machinationibus suis minus idoneos, deprimere, aut etiam è pedibus tollere satagantes, primum virum optimum & apprime doctum Io. Capinionem selegerunt, vt potissimum in illum inuolitarent, ac venenata arma sua sub pietatis prætextu distringerent. Eo enim deuicto vel etiam oppresso, nil sibi reliquum fore censebant, quod non ludibrii eorum expositum foret. Ceterum ne potius inuidia aut calumniandi gratia pronunciam, hanc susceptisse viderentur, neue, si res parum ex voto successisset, soli ipsi periculum sustinerent (iam enim Bernensi calamitate aliquantulum redditi erant cautiores) Theologos nonnullos, quos pari odio flagrare sciebant, in consortium sumpsere, ac Iudæum quendam male ablutum, in Capnionem immisere, ita instructum, vt quam primum ipse pugnam ciere incepisset, se cum vniuersis copiis subsidio venturos expectaret. At satelles ille sceleris rem gnauiter aggressus est, ac bonum Capnionem instructis conuiciis ac iniuriis lacessere cœpit, qui cum doli instructi pœnitus esset ignarus, ac sibi cum solo semi Iudæo rem esse censeret, totam tandem sceleratorum hominum aciem in se vnum explicari sensit. Porro quibus commentis, dolis, impostoris ac simulationibus egregii illi Dominicastri rem egerint, enumerare operæ pretium haud est, quum nemo bonus aut doctus tam Romæ quam per Germaniam vniuersam tantarum Sycophantiarum sit ignarus. Nec sat erat, Capnionem subdole circumuenire, nisi etiam Deum optimum ac maximum technis suis testem adhibuissent, ac nefandis periuriis maiestatem illius contaminassent. Securus enim Capnio, promissionibus & præstito fidebat iuramento, necrem aliquam nefandam illos moliturosve suspicabatur:

batur: cum interim Sanctuli illi clam omnẽ lapidem Romæ mouerẽt, ac pollicitationibus, fraudib. & muneribus fas & iura subuerterent, ac optimum virum omnium impietatum earum ignarũ circumuenirent. Quantum vero laudis aut dedecoris machinationes tam nefandæ illis peperierint, iam pridem, ni fallor, plane sunt experti. Hoc vero nemo ignorat, omnes; qui nondum ob execrandum Bernense facinus abalienati fuerant, plane ob illusiones tam abominandas ab illis desciuisse, & Vatiniano odio illos prosequi cœpisse: nec mirum, cum non solum tam perdite in Capnionem velitati fuissent, sed optimum quemque, quem tam nefandam rem molesse ferre, aut Capnioni amicum esse resciuissent, mordicus arripuissent, & omni cõuitiorum genere lenonum instar proscidissent, nulla ratione habita generis, conditionis, honestatis aut eruditionis, vt eo pacto tanquam furiis agitati omnes tandem exasperarent, & in caput proprium irritarent: quamuis & lucelli expectatio viros tam lepidos in tantam egisset rabiem. Iam enim spe haud penitus inani Iudæorum vorauerant aurum. Ceterum hoc hominum scelestorum scelus sceleratissimum, non solum Leoni Pontifici ac vibi Romanæ sempiternam notam inussit, Dominicastros in odium & abominationem omnium coniecit, sed & optimum quemque ac doctissimum in Lutherana castra propere migrare coëgit. Iam enim viri egregii, ne tantisper desiderent, Tragœdiam illam aliam & incendium nouum excitare incepetant. Quo pacto enim Satanas quiesceret? Nam cum indulgentias illas suas plus æquo extollerent, nefandissimis quibusdam contaminarunt blasphemiis, ita vt inter cetera detestanda homines sacrilegi palam obgannire audeient, si quis etiam Beatissimam Dei genitricem (proh scelus, etiam auditu horrendum!) stuprasset, se illum absoluendi potestatem habere, nec se Christo vllo pacto inferiores esse, &c. Quæ cum optimi cuiusque aures offendissent, nemo tamen libenter se mendicabulis illis palliatis opponeret, quæ non nisi litium & contumeliarum auidissima esse sciret, tandem Lutherum impulerunt, vt vel modestissime obuiam illis iret. At illi, lætissimi, occasionem perquam opportunam sibi oblatam esse putarunt, vt in virum bonum ac doctum venenatam ac solitam suam rabiem eumoere possent: quem etiam facinoribus suis impulerunt, vt longe maiora aggredi auderet. Ceterum quum iam viderent, temeritatem solam ad Lutherum debellandum haud sufficere, ac se doctrina & eruditione longe illo esse inferiores, ad solidas confugerunt versutias, nonnulloſque sollicitare cœperunt, quos nosceret non tam inuidia quam inanis gloriæ cupiditate flagrare: quos ita in illum instigarunt, vt tandem longe plus semetipsos & sedem Romanam quam Lutherum offendisse sentirent: vt interim sileam, quantis ludibriis propugnatores suos exposuerint. Aduenit tum forte fortuna (vel potius eorum infortunio) Cardinalis quidam Caietanus, olim hæresin eandem sectatus; cuius præsentia ita elati sunt, vt iam plane debellatum esse censerent. At vir ille bonus, cum potius modestia & ingenii dexteritate tantum incendium extinguere deberet, ita alere cœpit, vt etiam summa rerum fastigia comprehenderet. Porro quæ Prierias quidam cum complicibus suis scripserit ac egerit, nil attinet enumerare, præter id solum, quod mundo manifestum reddiderint, se neque fide, neque veritate, neque vlla doctrina sana præditos esse. Dominicastri interim, vt nil intentatum relinquerent, planeq; è fumo flammam excitare possent, præsultorem illum suum Eckium Romam delegarant, quem scirent omni facinorum genere pollere, ac iam Lipsica disputatione experti fuerant, temeritate & impudentia nil eis inferiorem esse. Ille igitur Romam properans, nugisque & clamoribus ac vanis promissionibus omnia complens, Bullis quam plurimis suffarcinatus in Germaniam rediit non solum Lutheranis infensus, sed optimum quemque, quem aut virtutis aut eruditionis gratia oderat, Bullis suis inf. stare cœpit, vt priuatam malignitatem suam sub publica vindicare auctoritate posset.

* *Cetera in autographo imperfecto deerant.*

EPISTOLA BILIBALDI AD PHILIPPVM MELANCHTHONEM, CONTINENS QVERElas de Monialium vexatione.

SAlue. Cogor ad te, mi Philippe, confugere, tuumque consilium & auxilium implorare: quæ ambo te benigne mihi impartiturum spero. Atqui nolo exigere quicquam, quod honestati aut conscientiæ aduersum videri possit, sed lubens tuis obtemperabo consiliis. Est apud nos monasterium S. Claræ, in quo binæ meæ agunt sorores, sed & filiæ totidem, quæ ante annos *** sunt ingressæ, cum amitæ exhortatione, quæ ibi Abbatissæ fungitur officio, tum permissione mea, nam, vt ingenue fatear, errabam tum cum ceteris, putabamque natis optime consultum, si religionem, vt vocant, ingrederentur. Fuere autem virgines illæ huc vsq; sub fratrum vere minorum

minorum obedientia. Verum cum ſenatus huius vrbis rationabilibus motus cauſis Iuſtitiarijs illis frænum impoſuiſſet, inter reliqua quoque à monialium eos cura abegit. Tulere id moniales perquam moleſte: ſed neceſſitati tandem parere coactæ ſunt. Ceterum quum alios aſſumere vellent confeſſores (vt appellant) eosque ſacerdotes laicos,& non monachos,prohibitæ ſunt à ſenatu, qui neminẽ admittere voluit,præter eos quos ipſe dedidiſſet aut probaſſet. Moniales vero confeſſionẽ liberam eſſe debere cenſentes,illos quos ſenatus nominauit reiecere. Et profecto tales erant,vt nec ego lubens delicta mea illis manifeſtaſſem.Per totam igitur quadrageſimam ad hũc vſq; diem confeſſione & Euchariſtia abſtinere maluerunt, quam eorum hominum opera vti,qui nec ſibi ipſis recte conſulere valent. Submiſere interim Concionatores ſuos, vt illis verbum Dei annuntiarent, quod illi adeo quidem contumelioſe & atroganter fecere, vt pauperculas illas contumaciores potius quam meliores reddiderint. Vult enim ſexus ille,vt noſti,perſuaſionibus duci, cogi vero minime. Accedit,quod concionatorum illorum facta haut quaquam dictis quadrent. Hinc fit,vt moniales fidem illis non adhibeant,ſed potius doctrinam eorum habeant ſuſpectam, quum cernunt, eos non ſincere ambulare, ſed & verbum Dei cauponantes, priuatum commodum magis, quam animarum ſalutem quærere. Id quum vident concionatores, ſe contemptos exiſtimant, clamant, maledicunr, imo inſaniunt, ac omnem lapidem mouent, vt omnium hominum indignationem contra pauperculas cõcitare valeant,aſſerentes,quum verba haut proſint, vi eas adigi deberi. Quaſi fides violentia potius quam perſuaſione aut Dei dono acquiratur. Nec ſurdis hominibus fabulam cecinere; ſed eo res deducta eſt, vt quicunque miſerandas illas offendere & inceſſere audet, obſequium Deo ſe præſtitiſſe arbitretur. Idque non ſolum à viris agitur,ſed & à mulieribus: & illis mulieribus,quarum liberis omnem exhibuere caritatem. Non ſolum enim viris, qui alios docere contendunt, ſe ipſos vero minime emendant,vrbs noſtra referta eſt, ſed & mulieribus curioſis,garrulis ac otioſis, quæ omnia potius,quam domum propriam gubernare ſatagunt. Et profecto miraculo haut eſt abſimile, quod monaſterium non pridem ſit direptum & euerſum. Adeo infeſtum contra calamitoſas ſuſcitatum eſt odium. Quotidie igitur & omni hora imminens præſtolantur exterminium,aſſiduoque timore, morte etiam acerbiori conflictantur. Verum an talia Chriſtiana pietas, aut vera fides, quæ ſine caritate mortua eſt,admittat,ture conſidera. Hoc profecto ſcio, ſi præſens eſſes,ac tot talesque cerneres ſycophantias,illuſiones,calumnias & machinationes,quibus miſellæ illę quotidie vexantur,oppugnãtur,vix à lachrymis tẽperares.Proinde non nego——ἀτελὲς.

BILIBALDVS CHARITATI ABBATISSÆ S. CLARÆ, SORORI SVÆ CHARISSIMÆ, NEC NON alteri ſorori ac filiabus dilectiſſ. eiuſdem monaſterii monialibus.

TAmetſi non ſim ignarus,ſorores ac filiæ chariſſimæ,quam male à quibusdam audiam,quod effrenem ac petulantem virginum quarundam ſacrarum defectionem minus bonis conſulam, facile tamen illorum fero contumelias, quum non ſolum opinionis meæ rationem ſufficientẽ reddere queam, ſed tot ſanctiſſimos Eccleſiæ Doctores habeam aſtipulatores,qui omnes vno ore caſtitatem ſemel Deo dedicatam violantes condemnant, ne dicam deteſtantur. Verumtamen non ita ſentio,vt omnia quæ in monaſteriis aguntur, recta aut laude digna eſſe cenſeam: quum non clam ſit, apud plerosque humanas conſtitutiones diuinis etiam anteferri præceptis,adeo, vt ſæpius plus hominum tribuatur operibus & meritis,quam gratiæ,ac iuſtitiæ,quæ eſt per fidem Ieſu Chriſti. Id quam impium ſit & abominandum,nequaquam præſentis inſtituti eſt enarrare. Hoc plane conſtat,quod ii qui ſalutis ſuæ ſummam in ceremoniis ac operibus potius quam in meritis Chriſti conſtituunt,tam extra quam intra monaſteria ad Gehennam ædificant,quamuis hoc haut ita accipi velim,vt opera reijciam, quum fides abſque factis mortua ſit; ſed quod diuinis nequaquam humana præferenda cenſeam,&c.

Cetera deſunt.

ORATIO APOLOGETICA, MONIALIVM NOMINE SCRIPTA A BILIBALDO, QVA VITÆ AC FIdei ipſarum ratio redditur, & æmulorum obtrectationibus reſpondetur, petiturq;, ne per vim è monaſterio extrahantur.

TAmetſi,Patres conſcripti, plerisque res factu videatur facilima, quempiam cauſam ſuam vtcunque iuſtam verbis defendere, ac cordis innocentiam oris tueri ſermone: ad eam tamen animi anguſtiam nos miſeras redactas eſſe ſentimus, vt nihil nobis difficilius exiſtat, quam in de-

fenſionem noſtram coram vobis verba facere, non quod vereamur, ne illa nobis ſint defutura, aut cauſæ noſtræ minus fidamus, ſed quia iam pridem expertæ ſumus, verba nobis non ſolum haud profuiſſe, ſed abfuiſſe etiam plurimum. Etenim ſi liberius nos quandoque proloqui contingit, arrogantes cenſemur & procaces: Sin humiliter & ingenua procumbentes, tanquam ſimulatrices & ſubdolæ irridemur: Si vero penitus tacemus, ſilentesque aduerſa tolerare conamur, obſtinatæ habemur ac pertinaces. Ita euenit, vt ſiue loquamur ſiue taceamus, ſemper reprehenſionibus ac culpæ ſubiacere videamur. Ceterum quum nos plane perituras cernamus, ſaltem prius quam funditus pereamus, denuo experiri cogimur, num indignationem veſtram, ſine illa noſtra culpa conceptam, verbis emollire, ac innocentiam noſtram veritatis ſubſidio tueri valeamus, ne penitus tacendo vos contemnere, ſeu noxam aliquam agnoſcere videamur, aut conſcientiam noſtram omni defenſione omiſſa, in futurum etiam degrauemus, ſemper ſuſpicantes, nos propria periiſſe taciturnitate, quum tamen loquendo ſaluæ eſſe potuiſſemus. Proinde, Patres honorandiſſimi, cum non paruum ſit calamitatum delinimentum, dolori frenos relaxare, ac iuſtæ indulgere anxietati, rogamus vos per Chriſtum, ne vobis vitio vertatur, ſi in rebus noſtris vltimis ac pene deploratis lacrymas effundamus, ac pectus exoneremus ſuſpiriis, quum vix vlla maior ſit calamitas, quam miſerum eſſe, nec id audere profiteri, vultuque ſimulare hilaritatem, quum animus vulnere ſaucius ſit altiſſimo. Deinde quum eam vobis conſuetudinem eſſe ſciamus, vt nec vltimo afficiendis ſupplicio audientiam denegetis, neque haud quaquam ſimus alienigenæ, ſed omnes ciuium veſtrorum filiæ, in hac vrbe natæ ac educatæ, magnaque ex parte vobis ſanguinis ac propinquitatis iure coniunctæ; ſummopere precamur, ac humiliter oramus, vt & nos miſeras omnique calamitatis genere oppreſſas, taciti ſaltem ac benigne audire velitis. Id ſi feceritis, plane perſpicuum erit, ſimus ne moribus tam improbæ ac vita adeo ſceleſtæ, quemadmodum aduerſarii noſtri clamitant; aut potius ipſi iniurii ac calumniis referti innumeris. Etenim niſi in omnibus, quæ nobis obiiciuntur, eam reddamus rationem, quæ honeſtas ac Dei timore conſtrictas decet virgines, nihil moramur, quin grauiora etiam (ſi poſſibile ſaltem ſit) patiamur mala & incommoda. Sin minus, ſaltem hoc rogamus, ne nobis innocentia noſtra obſit, nec aduerſariis calumniæ eorum, vt plurimum confictæ, proſint, quum ſciamus, has noſtras iniurias nequaquam vobis omnibus imputandas eſſe, ſed quam pluribus ſummopere etiam diſplicere: Alios vero ignorantia potius quam malitia errare, vtpote ab aduerſariis noſtris perſuaſos, nihil execrabilius eſſe in terris, quam virgines Deo ſacras, & quæ caſtitatem ſuam illibatam conſeruare ſtudent. Omiſſis igitur longioribus ſermonibus, quam breuiſſime fieri poterit, ſingula diluemus obiecta, ne vobis nimis moleſtæ videamur, nobisque ipſis ſuſpicionem aliquam ob nimiam in dicendo anxietatem, ac ornatus affectationem concitemus.

Accuſationis igitur capita, quæ nobis obiiciuntur, hæc fere eſſe videntur, Quod ſanctiſſimo Dei ſpreto Euangelio in operibus noſtris plus quam vera fide confidamus: Quod nimium Pontifici Romano, & illius tribuamus decretis, tenaciuſque humanis innitamur traditionibus: Quod non, relictis monaſteriis votisque contemptis, ad ſecularem conuerſationem reuertamur, ac nubamus: Quibus omnibus, cum appendicibus ſuis, breuiſſime, vere, ac ex ordine reſpondere conabimur.

Sub initium igitur, & quantum ad contemptum Euangelii pertinere videtur, nihil moramur, ſi vel minimum ſacræ ſcripturæ contemnamus apicem, quin omnium habeamur ſceleſtiſſimæ, quum plane ſciamus, credamusque firmiter, vniuerſam ſalutis noſtræ ſummam ab Euangelio, & tam bono ac læto pendere nuntio. Illud igitur quotidie in manibus habemus, ac perlegimus, non Germanice tantum, ſed etiam latine, quum eam linguam Dei dono non ſecus ac vulgarem intelligamus, vitamque noſtram omnem ad illud, tanquam ad amuſſim quandam, effingere conamur: Qua in re potiſſimum Dei gratiam imploramus, ſine qua vires & conatus noſtros nihil valere ſcimus, quo Chriſti iugum ſuaue, ac crucem eius ſanctam tollere, ac poſt tanti magiſtri veſtigia portare queamus. Ceterum nemo nobis vitio poterit vertere, ſi antiquorum & ſanctiſſimorum Doctorum interpretationi potius, quam obtortæ alicui inuerſioni fidem adhibeamus, quum proh dolor manifeſte conſtet, non minus diuerſos ſenſus quotidie à ſancto Dei Euangelio elici, quam hominum ſint mentes aç formæ, tametſi Deus nequaquam auctor ſit confuſionis, ſed pacis. Hinc omnium malorum ac tantarum turbarum ac ſeditionum fomes & exordium, quum vnuſquisque indoctus etiam ac rudis ſacræ ſcripturæ interpretationem tractare audeat, illamque potius ad vtilitatem ſuam & commodum proprium, quam ad ſalutem tam ipſius quam fidelium reliquorum, adaptare conatur. Ita fit vt Chriſtiana libertas, quæ plane ſpiritalis eſt, penitus in carnis vertatur occaſionem, delicias, & temeritatem. Teſtatur hoc ingens vtriuſque ſexus turba, nubentium & monaſteria ſua derelinquentium. Teſtatur hoc lacrymabilis illa

illa agricolarum strages ac tragœdia, nunquam satis deploranda, quam impii quidam, falsi ac dolosi suscitarunt operarii, qui Christi & Apostolorum personam subdolè assumpserunt, rusticisque, vt quam maximè insanirent, persuaserunt, Potissimum eos Euangelii defensores ac protectores: tametsi nemo iam videri velit tantæ calamitatis auctor extitisse. Testatur demum Euangelii peruersionem, quod ex tali doctrina nullus dignus fructus pullulare cernitur; sed quod omnia ruunt, linguę, disciplinæ, mores, instituta sancta & salubria, pax, concordia, Dei timor, omnisq; proximi caritas & amor. Nec mirum, quum verbis tantùm Euangelica extollatur veritas; operibus verò planè deprimatur & expellatur. Facile enim est, verbis abundare: at factis excellere, id demum operæ ac laboris pretium existit. Regnum enim Dei nequaquam in sermone est, sed in virtute. Nec quisquis dicit, Domine Domine, introibit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris cœlestis.

Considerate igitur, P. C. num justè ab æmulis nostris ob sanctissimi Euangelii accusemur cõtemptum, cum nihil magis ad salutem nostram pertinere censeamus, quàm veram & germanam illius obseruationem. Nemo enim despicit quod tantopere veneratur, nec reiicit, quod summo studio innitari studet.

Verùm hîc alia nobis ab aduersariis nostris impingitur culpa: nempe quod, licet vos, Patres conscripti, veritatis prædicatorem nobis publicis etiam nec paruis conduxeritis expensis, verbum tamen Euangelicum ex ore eius audire vel omninò contemnimus, vel minus illi animum adhibemus. Equidem quod opipare pauperum alatur eleemosyna, nitida eius cutis & petulantia plane ostendunt. Quod vero magnifice etiam donetur, argentea eius supellex & cultus nequaquam monasticus abunde indicat. Ceterum si vnquam Euangelium seu Dei nobis prædicauit verbum, paratæ sumus mendacii pœnas dare: nisi quis hoc Euangelium vocare voluerit, quod summo Pontifici, Cæsari, Episcopis, sacerdotibus, monachis, ac omnibus demum amarulenter & assidue maledicit ac nemini parcit, qui peruersæ eius doctrinæ minus adhærere dignum ducit. Nam quod nos virgines fatuas ac dementes appellat, quod vigilamus, quod psallimus, quod corpora nostra ieiunis maceramus, nihil nostra refert, quum ob conuicia talia potius exultemus, quam indignemur. Quod vero illum quandoque minus audiamus, aut surgentes discedamus, nequaquam culpa nostra, sed peruersa & detestanda eius accidit prauitate. Tam obscœna enim & impudica vt plurimum eructat verba, vt non solum virginum auribus sint detestanda, sed etiam coram impudicissimis mulieribus intoleranda forent. Sed quomodo aliter loqueretur, quam semper fecit? putat nos adeo leues, quemadmodum moniales illas quas blandis suis verbis è monasteriis elicuit, ac publice secum sub chirurgici prætextu circumduxit. Nec obscurum est, quid ipsum rursus ad Carthusianorum monasterium impulit. Hoc sane nemo ignorat. Herbipolitanæ seditionis illum præcipuum auctorem extitisse, ac miseros illos rusticos in extremã calamitatem impulisse, cuius rei profecto pœnas daret, si non in tam tuto lateret asylo. Talis igitur Euãgelista est noster. Et quid mirũ, si ab eius abhorreamus Euangelio, quũ haut quaquã vox sit clamantis in deserto, sed plane Satanæ verbum infernale, & nihil aliud conqueratur, quam quod nec minis nec conuiciis nos è monasterio extrahere possit: quod quidem parum ad nos spectat, dummodo à violentia tutæ remaneamus. Nam quod nobis regnum cœlorum promittit, quam primum relicto monasterio ad secularem vitam reuertamur ac nubamus; Inferni vero tormenta comminatur, si diutius sub regulari vita perduremus, suis id polliceatur apostatis, quas miserabiliter non solũ coram mundo ignominiosas reddidit, sed proh dolor coram Deo etiam abominabiles fecit. Nos enim nequaquam lupi verbis credimus, minus vero obtemperabimus, etiamsi omni Philomela caneret suauius.

Ceterum fidem in nobis aduersarii nostri requirunt, asserentes, nos potius in operibus mortuis, quam in nouitate fidei ambulare. Verum quam iuste id faciant, paucis P. C. accipite. Nos præ omnibus & ante omnia scimus, quod Iustus ex fide viuit, & quod ex operibus legis non iustificamur, gratis per gratiam diuinam ac redemptionem, quæ est in Christo Iesu, per quam remissionem præteritorum habemus peccatorum, ac ideo arbitramur, fide iustificari hominem, absque operibus legis, credimusque & plane nouimus, quod ex fide datur hæreditas, ad quam per sola opera nemo peruenire potest. Ore igitur confitemur, & corde credimus, quod Deus filium suum Iesum Christum pro redemptione humani generis in mundum demiserit, qui nos per passionem suam redemit, & morte mortem superauit, quem & Deus à mortuis suscitauit, quo in eo sepulti cum eo quoque resurgamus; quinimo & hoc firmiter credimus, quod omne, quod non est ex fide, hoc sit peccatum, ac ideo nouimus, quod infidelium siue non credentium opera, vtcunque specie bona videantur, nequaquam ad salutem sint vtilia, sed solum quæ ex recta fide procedunt, & charitate suscipiuntur, hæc esse quæ Deus à nobis exigit. Ceterum cum ita credamus, num ideo in peccato manebimus, vt gratia abundet? Absit. Quum enim nos peccato mortuas esse conueniat, quomodo posthac viuemus in eodẽ? Scimus enim, quod quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulare decere, vt quam minime peccatum in mortali corpore nostro regner, ne obediamus illi per cupiditates eius; sed quod accommodemus nosmetipsas, velut ex mortuis viuentes. Longe igitur à nobis abst, vt verbis fidem iactemus, operi-

bus vero manifeste illi contradicamus, quoniam non amplius simus sub lege, sed sub gratia. Ita enim nos in libertatē assertas esse scimus, vt seruæ factæ simus iustitiæ, ac ideo nos decere, vt membra nostra præbeamus seruia iustitiæ ad sanctificationem, quum autoramentum peccati mors sit, donum autem Dei vita æterna per Christum Iesum Dominum nostrum. Si igitur cum Christo resurreximus, conuenit vt superna cutemus, & haut quaquam terrestria, si saltem emortuę fuerimus, & vita nostra abscondita sit cum Christo in Deo, vt mōtificemus membra nostra terrestria ab omnibus immunditiis, postquam veterem exuimus hominem cum factis suis, & induimus nouum, qui renouatur ad agnitionem & imaginem eius, qui condidit illum. In libertate igitur, qua Christus nos liberauit, stare iubemur, & non rursus seruitutis iugo implicari, nec libertatem dare in occasionem carni, sed per charitatem seruire inuicem. Proinde postquam fide iustificatæ & Deo reconciliatæ sumus per mortem filii eius, & cum essemus oleaster, in arborem insitæ sumus fructiferam, decet etiam, vt illa fructum ferat in tempore suo. Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidditur, & in ignem mittitur, & paleam comburet ignis inextinguibilis. A fructibus enim arbor cognoscitur, nec de spinis colliguntur vuæ, aut de tribulis ficus. Bona vero arbor fructus bonos facit: Putris autem arbor fructus malos facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris fructus bonos facere. Quapropter necessarium ducimus, vt non solum nos, sed omnes, qui Christo nomina dederunt, fidem non verbis tantum iactitemus, sed etiam re ipsa & operibus illam in nobis viuere ostendamus. Nihil enim facilius, quam verbis fidem profiteri, quemadmodum nihil difficilius, quam illam rectis operibus exprimere. Nequaquam enim fides ficta & mortua, sed viuens ac vera à Christiano exigitur homine, quæ non nisi per opera bona ostendi potest, non quo nos operibus nostris, vt dictum est, iustificari arbitremur, sed quod iam iustificati nequaquam desidere otiosi, & (si recte credimus) sine bonis operibus viuere possumus: & si non ob aliam causam opera bona facienda essent, ob animi saltem gratitudinem essent præstanda, quo Deo optimo ac maximo filioque eius vnigenito ob redemptionem nostram & tot beneficia dignas gratias agere, & charitatem, quam nobis exhibuit, proximis etiam nostris retribuere possemus, maxime quum constet, gentilium quoque philosophos quosdam, in quibus non spiritus, sed carnis viguit imperium, eo naturali peruenisse instinctu, vt virtutis opera, honestatem vitæ, ac proximorum dilectionem, omnibus huius mundi prætulerint rebus. Id quum à gentilibus sit factum, quanto magis à nobis requiritur, qui iam fide sumus illuminatæ, & Iesu Christi sanguine à peccatis expurgatæ? Iubemur igitur, vt lux nostra coram hominibus luceat, vt videant bona opera nostra, glorificentque Patrem nostrum qui in cœlis est: Licet multi ex æmulis nostris negent, opera bona cerni posse, tanquam Saluator noster aberrauerit, dum ait: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Verum cur nam tam impie contra Christi doctrinam deblaterent, vestræ potius prudentiæ discernendum relinquimus, quam quod illorum figmentis quæramus respondere. Nam si & bona opera cerni nequirent, mala tamen nequaquam abscondi possent, ex quibus plane deprehendere liceret, num illa cum verbis conuenirent, aut potius illis essent contraria ac penitus à fide aliena. Quisquis igitur fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum, & non ille, qui dicit Christo, Domine Domine, introibit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris eius qui in cœlis est: Ille etiam frater eius est & soror & mater. Huc & illud quoq; pertinet: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & quod Christus iubet discipulos suos docere, quo omnia seruentur, quæcunq; ipse præceperit eis, & si hæc nouistis, ait, beati estis, si feceritis ea. Et, qui habet præcepta mea, & seruat ea, ille est qui me diligit. Vnde & Apostolus, Quæcunq; (inquit) honesta, quæcunq; iusta, quæcunq; accommoda, quæcunq; boni nominis, si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis & audistis & vidistis in me, hæc facite. Rursusq;, vt ambuletis digne Domino, vt per omnia placeatis in omni opere bono, fructificantes & crescentes in agnitionem Dei. Fides enim sine factis mortua est, quemadmodum & ex factis est perfecta. Nā sicut corpus absq; spiritu mortuū est, ita & fides absq; factis viua non est. Tenemur itaq; vt ex cōuersatione bona opera nostra cum mansuetudine ostendamus, & non verbis solum gloriemur. Qui enim dicit: Noui eū, & præcepta eius non seruat, mendax est, & in eo veritas non est. Qui autē seruat sermonē eius, in hoc vero charitas Dei perfecta est. Qui facit voluntatem Dei, manet in æternum, & omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est. Qui exercet iustitiam iustus est, sicut & ille iustus est. Qui cōmittit peccatum, ex diabolo est, quoniā ab initio Diabolus peccat. Non igitur verbis diligamus, neque lingua, sed opere & veritate. Nam qui seruat præcepta Dei, in illo manet, & ipse in eo. Hæc est enim caritas Dei, vt præcepta eius seruemus, faciamusque opera digna iis qui relipuere.

Ceterum hic nobis æmuli obiiciunt, Non omnia opera, sed solum ea quæ ex recta fide ac caritate proficiscuntur, meritoria esse, & à Deo exigi. Atqui nec hic contradicimus, quum certissimæ sumus, absque fide nihil perfecti esse posse. Vnde, vt prædictum est, nec infidelium opera, etiamsi optima esse videantur, vllius ad salutem esse momenti nouimus, cum haut quaquam ex recta fide procedant. Quæ vero ex charitate suscipiuntur, hæc sunt, quæ Deus à nobis exigit. Verum hic æmuli

nostri

nostri exultant, ac si confessæ simus, nos in operibus nostris confidere. Ceterum verbis Saluatoris edoctæ sumus, quod etiamsi omnia fecerimus, teneamur tamen nos inutiles seruos censere, quum solum id egerimus, quod debebamus. Verum quid prohibet, nos etiam in operibus spectare? ad quæ nos Deus non solum per remunerationis præmium prouocat, sed etiam per pœnæ commirationem deterret à contrariis. Tametsi nequaquam in illis, sed solum in gratia Dei nostri ac mentis filij eius vnigeniti confidamus, cum recte teneamus, quod filius hominis, quum in gloria sua venerit, mundum ex operibus sit iudicaturus, & quod ij qui bona fecerunt, prodibunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis: Et Apostolus nos doceat, vnumquemque reportaturum, quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum. Cur igitur non diligenter caueremus, ne nudæ reperiamur, nobisque accidat, quod fatuis illis virginibus, quarum lampades ob olei defectum exinguebantur: aut fici instar fructib. carentis, excidamur: quum sciamus laborem nostrum non esse inanem in Domino, nec Deum iniustum esse, vt obliuiscatur operis nostri & laboris ex charitate suscepti. Nã quid de operibus, quæ haut quaquam ex fide aut charitate procedunt, sentiamus, iam antea fecim⁹ manifestum. Spe igitur, fide ac charitate, diuina præterea promissione repletæ, illis etiam seruari credimus adoptionem, expectantes redemptionem corporis nostri, ac neutiquã veremur, ne vnquam spe decipiamur, frustremur aut cõfundamur: Tametsi nihil hîc discutere attineat, quur Deus fidelibus spem etiam ex operibus fecerit, neq; enim summi Dei secreta nimis anxie indagare studemus; sed satis nobis est, quod & operum nobis retributionem sit pollicitus, atq; ideo verbis & promissionibus eius, tanquam infallibilibus, plenariam fidem adhibemus, quę adeo bonitate & clementia sunt referta, vt etiam haustum aquæ frigidæ ex charitate præstitum Deus se remuneraturum spondeat.

Ceterum quod nobis Summi Pont. obiicitur veneratio, nequaq̃ negamus, & illi & omni potestati semper nos debitã exhibuisse obedientiam, quum omnis anima potestatib. excellentib. subdita esse debeat, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistat. Quænam igitur pauperculæ tandem sumus, vt tantæ potestati reluctari possemus, aut etiam deberemus, cui & Reges & Principes orbis colla subiiciunt? aut quid illius demit seu addit potentiæ, si ab eo deficiamus, aut diutius sub obedientia eius perseueremus, cum puluis existamus & vmbræ? Ceterum longe à nobis Deus auertat, vt ei in re aliqua impia, nefanda aut iniusta adhæreamus, aut fidem præstemus, quum diuina gratia inter bonum & malum non penitus diiudicare ignoremus. Quod si aliquando in rebus quibusdam lapsæ sumus, euenit nobis quod mundo fere vniuerso. Quis enim nõ aliquando seductus aut deceptus fuit? Nam quod Papa sit sanctissimus, aut potius scelestissimus, Christi vicarius aut Antichristus ipse, nihil ad nos, quæ à veri Dei gratia pendemus & misericordia, nec non à cruce filij eius vnigeniti, per quam redemptæ sumus ac liberatæ. Ita tamen sentimus: Satius interdum esse, potestatem, imo tyrannidem aliquam grauem ac molestam, non dicimus impiam aut saluti aduersam patienter ferre, quam per indignationem iugum reiicere, & adeo faciliter à longæua discedere consuetudine, præcipue quum ea nihil habeat, quod admodum conscientias possit degrauare: siquidem dum vulgus ad Pontificis & Episcoporum irritatur contemptum, interim etiã proprios despicere incipit dominos, ita vt tandem omnẽ contemnat potestatem. Testantur hoc clades innumeræ, sanguinis Christiani effusio miseranda, tot cædes, rapinę, ac monasteriorũ euersiones plusquã hostiles, quum interim pax fuerit altissima in iis locis, vbi populus in suo retentus est officio. At quanto melius fuisset, vel tyrannidẽ interim aliquã tolerasse, quoad Deus populum suum liberasset, aut saltẽ per Principum coeuntus & consilia res ad meliorẽ statum fuisset redacta, quam ita furenter insanire, & ima summis commiscere. Sed hoc fuit voluntas Dei, cui resistere nemo potest. Proinde q̃ aliquid humanis tribuamus institutis, non penitus nos censemus errare, quum impossibile existat, priuatã etiam domum quandam, nedũ monasterium aliquod, sine illis gubernari ac rite conseruari posse, Apostolusq; doceat, omnia decẽter & secundum ordinẽ fieri debere. Sed Deus prohibeat, vt humana statuta diuinis comparemus præceptis. Quantum igitur ad cibum & potum pertinet, recte nouimus, regnum Dei nec in cibo nec in potu consistere, sed potius id esse iustitiam, pacem & gaudium in Spiritu sancto. Omnia igitur pura puris esse credimus, nosque potestatem edendi & bibendi habere scimus, sed non omnia nobis licere, neque omnia conducere, nec omnium nobis potestatem esse, etiamsi sub nullius redigamur potestatem. Escæ ventri destinatæ sunt, & venter escis. Deus autem & hunc & illas abolebit. Quis igitur est, qui de alieno famulo iudicare audet? Proprio domino stat aut cadit: Imo fulcietur, vt stet. Potens enim est Deus efficere, vt stet. Qui igitur vescitur, domino vescitur. Gratias enim agit Deo. Et qui non vescitur, Domino non vescitur, & gratias agit Deo. Verum non ob vnam solam causam, sed varias & multiplices aliquando à licitis etiam abstinemus cibis: quamuis non tam rudes ac pertinaces simus, vt semper ac etiam exigente necessitate non carnibus quoque & reliquis minus consuetis vescamur eduliis. Fatemur, omne tempus Christiano homini æquale esse debere, hoc est, vt omni tempore Dei misericordiam ac suam agnoscat fragilitatem, ac nunquam à bonis cesset operibus. Ceterum negare haud possumus, nondum ad eam perfectionem nos peruenisse, vt semper & omni hora debito perfrui valeamus officio.

Quid igitur prohibet aliquando saltem à licitis etiam abstinere, & non semper indulgere edendi & bibendi desiderio, ne dum omni tempore ventri inseruiamus, nunquam mentem attollamus ad cœlestia, præcipue quum non postrema sit virtus sobrietas, ad quam nos Apostolus adhortans ait: Proinde ne dormiamus, sicut & ceteri, sed vigilemus & sobrij simus. Et ne inebriemini vino, in quo luxus est; sed impleamini spiritu, &c. Et beatus Petrus succinctis nos lumbis mentis nostræ sobrios sperare iubet. Quam quidem sobrietatem Apostolus in multis locis extollit, ac præcipue à mulieribus exigit. Non igitur in comessationibus & ebrietatibus ambulare nos decet, quibus cubilia & lasciuiæ adhærent, sed hoc potius, vt induamus Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne agamus ad concupiscentias. Quin & hoc constat, nihil magis ad vitæ diuturnitatē ac sanitatem pertinere, quam moderatum edendi & bibendi vsum, ex quo spiritus vitalis potius roboratur, quam suffocatur. Paucis enim natura humana contenta est, quam si plus quam necesse sit obruere velis, aut noxium erit quod ingurgitaueris, aut saltem iniucundum. Testantur hoc monachorum ac monialium exempla quotidiana. Illi siquidem ob abstinentiam ac sobrietatem vitæ ad æternam perueniunt senectutem: quod quidem foret impossibile, si edendi potius, ac bibendi assidue operam darent. Sane si etiam quotidie carnibus vesci vellemus, facultates nostræ haut quaquam tantis supperetent sumptibus. Sexaginta enim & vltra sumus, familiamque copiosam agri & pecoris causa alere cogimur, quam plane carnibus exaturare necesse est, quum interim herbis, lacticiniis, pulmentariis & reliquis viliorib. sustentemur eduliis.

Verum enimuero nobis hic obiter & orationes longiores ac vigiliæ obiiciuntur. Ceterum nec hîc nos aberrare credimus, licet quidā nos fatuas ideo ac stultas appellent, quod non secus ac rusticæ tota fere nocte clamore ac campanorum sono omnibus vicinis molestæ simus. Nam præterquam quod Christus nos semper orare iussit, licet etiam breues orationes esse voluerit, Apostolus nos multis in locis orare, psalmos cantare, ac vigilare iussit, inquiens, precationi instetis. Et iterum: Obsecrationi instate vigilantes in ea cum gratiarum actione. Rursusque vult, vt loquamur nobis ipsis per psalmos & hymnos, nec non vt cantiones spirituales in corde nostro cantemus, Dominoq; in omnibus gratias agamus. Et alio loco: Adhortor igitur, vt ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones. Et, docete commoneteque vos inuicem cantionibus & laudibus, & cantilenis spiritualibus, cum gratia canentes in corde vestro Domino. Porro de vigiliis Saluator ait: Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et ne id de animi cura tantum ac solicitudine, sed etiam de corporali vigilia dictum putetur, ait ad discipulos: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Rursusque: Vigilate, omni tempore orantes. Et Apostolus: Vigilate, state in fide, viriliter agite, estote fortes, omni à vobis cum charitate fiant. Et iterum: Ne dormiamus, sicut & ceteri, sed vigilemus, & sobrij simus. Et mox: Semper gaudete, indesinenter orate, in omnibus gratias agite. Et beatus Petrus: Sitis igitur sobrij, & vigilantes ad orandum. Ac rursus: Sobrij estote, vigilate, quoniam aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. Sane, patres conscripti, si ieiuniis, vigiliis ac orationib. corpus macerare & affligere peccatum esset, perquam facile à talibus abstinere possemus delictis, instar æmulorum nostrorum, qui se diu noctuque ingurgitare non desinunt, ac illud in ore habent: Edamus & bibamus, cras enim forsan moriemur. Verum quum sciamus, carnem aduersus spiritum concupiscere; spiritum autem aduersus carnem, & qui Christi sunt, eos carnem suam cum affectibus & concupiscentiis crucifixisse, necessarium ducimus, vt illam per inediam, labores, & vigilias domemus, spirituique reddamus obedientem, quo non semper in terrenis obambulemus, sed etiam mentes nostras ad cœlestia valeamus extollere. Vere enim si in hac vita tantum spem in Christo fixam habemus, maxime miserabiles omnium hominum sumus.

Ceterum quæ nobis de habitu ac silentio cum reliquis quibusdam minutiis obiiciuntur, digna non sunt, vt diluantur, quum omnis habitus, dummodo sit honestus, Christianas deceat mulieres: quæ etiam cum vt plurimum garrulæ censeantur, non melius quam silentij pœna plecti possunt, si saltem pax & concordia inter eas conseruari debeat. Contraria enim contrariis curantur. Nam quod in commune viuimus, & bona nostra inter nos publicamus, ex instituto facimus Apostolico.

Proinde iam ad virginitatis crimen deueniamus & continentiæ, quoniam ibi tota fere litis dependet cōtrouersia. Nam si illam abiiceremus ac conculcaremus, procul dubio bonæ ac fideles censeremur mulieres. Verum longe Deus auertat, vt, quod illi semel verbis promisimus, rursus re ipsa abnegemus, vtcunque ob vota male audiamus. Scimus, honorabile esse inter omnes coniugium, & cubile impollutum, quum & Christus ipse nuptias sua præsentia honorauerit. Ceterum diuina institutione edoctæ, virginitatem nequaquam posteriorem esse concedemus, quum regnum cœlorum spontanea castratione conquiri possit, & Apostolus omnes homines esse cupiat, vt ipse erat obscure ostendat, quid magis conducat, dum ait: Bonum est homini, vxorem non attingere: Et, de virginibus præceptum se non habere; Bonum tamen homini sic esse, & si solutus sit, vt haud nubere quærat, quoniam diuisa sunt hæc duo, mulier & virgo, quum nupta curet, quæ mundi sunt, & quomodo viro placere possit; Innupta vero, quæ sunt domini, vt sit sancta cum corpore & spiritu. Ac mox subiungit.

iungit: Itaq; qui elocat virginem ſuam nuptum, bene facit: attamen qui non elocat nuptum, melius facit. An hic obſcure oſtendit, quidnam ſit bonum, quidve melius exiſtat? Cęterum aduerſarij noſtri caſtitatem non omnibus à Deo eſſe datam, ac ideo nec ab omnib. ſeruari poſſe aſſerunt. Sed eſto: non ſit omnibus data; non tamen omnib. eſt negata. Verũ vnde repente hoc pro nobis ſolicitudo emerſit, cum in reliquis cunctis nulla noſtri cura habeatur? Scimus, in mortali noſtro corpore ac carne nihil niſi peccatum habitare, nec nos viribus propriis cogitare aliquid, imo nec velle, minus vero perficere poſſe, niſi gratia & dono Dei, qui quum nos prædeſtinauit ſecundum propoſitum ipſius, & vi eius fiant vniuerſa, poteſt etiam in nobis agere, non ſolum, vt velimus, ſed vt efficiamus pro bono animi propoſito. Omnia enim per Chriſtum, qui nos roborare valet, poſſumus, etiamſi ex nobis ipſis nequaquam idoneæ ſimus, vt vel quicquam cogitemus. Nam diues eſt ſponſus virginis, & omnium bonorum largitor, licet multis videatur abiectus & pauper, ac ideo nos inſtaurare, fulcire, roborare & ſtabilire valet, vt quod ore promiſimus, opere quoq; perficiamus, non ſolum quantum ad carnis pertinet integritatem, ſed & puritatem mentis. Nobis igitur curæ hæc ſuperuacua relinquatur. Quod ſi aliqua ex nobis nubere, aut monaſterium relinquere ſatius eſſe ducat, quoniam vos ita præcipitis, iubetis ac vultis, abeat, diſcedat, nubat, ſuaque carnali fruatur libertate: Sed hoc interim petimus, vt nulla inuita (ſicut iam factum eſt) abſtrahatur, aut nubere cogatur. Sed Lutherus, inquiunt, manifeſte oſtendit, nullius momenti eſſe caſtitatem, aut voti obſeruationem tam impij. Verum quid ille aliud diceret quam faceret. Nos autem haut quaquam in Lutheri iurauimus verba, præcipue vbi non ſolum contra manifeſtam pugnat ſcripturam, ſed omnes antiquos & ſanctos condemnat doctores. Lõge igitur magis nobis perſuadet Tertullianus, ille autor tam antiquus, Cyprianus martyr glorioſus, Hieronymus ſacer, Auguſtinus venerandus, Ambroſius celebris, Nazianzenus doctus, Chryſoſtomus aureo oris flumine excellens, Fulgentius pius, ac plures alij: qui omnes vno ore ex diametro cum Lutheranorum pugnant dogmate: nec ſolum opiniones ſuas ex propriis ac humanis confirmant rationibus, ſed plane cum diuina ac minime detorta corroborant ſcriptura, quemadmodum legere volentibus abunde patebit: nos enim iam breuitati ſtudere cogimur. Et profecto ſi matrimonij ſtatus tam perfectus fuiſſet, forſitan & Chriſtus ipſe, qui in omnibus extitit perfectus, à nuptiis haut abſtinuiſſet. At ille non ſolum cœlebs remanſit ipſe, verum etiam à pura virgine naſci voluit. Vnde & beatus Hieronymus inquit, virginitatem vouentibus non ſolum nubere, ſed & velle damnabile eſt, quum Apoſtolus manifeſte eas rẽiiciat viduas, quæ cum laſciuire incipiunt aduerſus Chriſtum, nubere volunt, habentes condemnationem, quod primam fidem (id eſt, caſtitatis votum) irritum fecerunt. Et ideo virgines, quæ poſt conſecrationem nupſerunt, non tam adulteras, quam inceſtas vocat. Si igitur Chriſti eſſe cupimus, carnem noſtram cum affectibus & concupiſcentiis crucifigere cogimur, & ſi ſpiritu viuere quærimus, contempta carne ſpiritu incedere eſt neceſſe, & haut quaquam dicere: Edamus, bibamus & ludamus, cras enim forſitan moriemur.

Veruntamen quod aduerſarij noſtri non ideo ægre ferunt, nos à nuptiis abſtinere, ac in clauſtris remanere, quia bene nobis velint, aut quod ſalutis noſtræ curam aliquam gerant, vel inde liquet, quod quam primum ſubdolis ſuis verbis ac cõſiliis moniali alicui perſuadent, vt relicto monaſterio ad ſecularem redeat vitam, non amplius de illa ſunt ſoliciti, aut aliquam ei opem afferre conãtur, ſed ſufficit eis, ſi tantummodo extrahatur à clauſtris, minime curantibus, quicquid inde ſequatur. Hinc miſerarum illarum querelæ, quibus ſe identidem deceptas ac circumuentas clamitant. Hinc deſperationes illæ horrendæ, ac corporum proſtitutio publica & nefanda, quam profecto non ſine amariſſimis lacrymis recolere poſſumus, quum audimus, vaſa Domini, Spiritu ſancto dedicata, ad eam peruenire immunditiam, vt publice omnium expoſitæ ſint ſpurcitiei & libidini. At interim Chriſtiani illi viri ſuauiſſime cauillantur & rident, aſſerrentes, quum ſatis ſuperque pergræcatæ fuerint, eas tandẽ vltro deſituras, peſſimamq; meretricẽ optima moniali eſſe meliorem. Hæc eſt vera hominum illorũ & Chriſtiana charitas, &, ſi illis credimus, ſacris litteris etiam confirmata & comprobata. Publicani enim, inquiunt, ac meretrices præcedent eos in regnis cœlorum. Sed interim de pœnitentia ſilent. Ac vtinam mulieres illi pœniterent! non amplius enim publice corpora ſua proſtituerent, & meretricio nomine eſſent indignæ. Sed non ignoramus, quid eos ad tanta impellat facinora, nempe malæ conſcientiæ reatus nequaquam obſcurus. Vellent enim, vt cuncti eorum veſtigia ſequerentur, ac omni Dei timore abiecto, honeſtateque publica conculcata, diſciplinaque ſeuiore contempta, eorum inſtar debaccharentur, quo vitia ſua, quæ nulla ratione excuſari poſſunt, multorum delictis contegere poſſent. Sed & illos præcipue cruciat, quod vident, ſexum infirmiorem longe viris tam præſtantibus eſſe fortiorem, ſtabiliorem, continentiorem. Quapropter alienam virtutem in ſuam ac propriam accipiunt contumeliam: Tametſi eos Mammon interea ſolicitare non deſinat, ſiquidem ſperant, ſe hoc pacto ad monialium expulſarum aut deceptarum bona aditum ſibi patefacere poſſe, quæ etiam ſpe iam deuorarunt, vt quæ illis per vim adimantur, eis nefande accreſcant, nulla habita ratione, ſitne hoc iuſtum aut honeſtum, necne. Nullum igitur maius vitium eſſe cenſent, quã quod nos bona monaſtarij nõ publicamus, ac quemadmodum ipſi fecerunt, ad pauperum conferamus vſum. Sed Deum immortalem, quænam eſt hæc

libera-

liberalitas? Tradiderunt monasteria nequaquam sua pauperibus,sed ea conditione, vt ipsi ab omni subleuentur egestate & inopia nõ solum victus & vestitus, sed etiam, vt pecunia immensa remunerentur,vt siue nubere velint,seu cœlibes remanere, habeant vnde lautissime viuere queant. Nũ hæc est in pauperes collatio,aut potius pauperum spoliatio, cauponatioque nefanda, si ea, quæ illorum non sunt,vendere,ac interim de donatione pauperibus facta gloriari audent? Etenim si pauperibus bona illa reliquerunt,quid ipsi, postquam habitum ac disciplinam abiecerunt monasticam, faciunt in monasteriis,diu noctuq; nihil aliud agentes, quam quod vino & gulæ indulgeant, vt de aliis turpioribus sileamus, præcipue ij, qui sani sunt,ac ad laborem adhuc validi: quum Apostolus eum, qui operari non vult,manducare quoque prohibeat. Si vero verbis tantum tradiderunt,re autem minime(quemadmodum & fecerunt)quid attinet, eos tantopere gloriari in facinore, quod nullo prætextu excusari potest? Etenim priusquã ipsi omnes vita fuerint functi, omnia illa bona deuorabunt ac dilapidabunt,ita,vt nihil tandem perueniat ad pauperes,ac interim esuriat egenus. Equidem,patres conscripti,non sine magno damno ac pauperum detrimento iam experti estis, longe satius fuisse, monasteria illa nequaquam sub tam illicitis conditionibus esse suscepta, quam tantis expensis, quæ longe reditus exuperant perceptos,turbam tam immensam alere & otiosam. Nec dubitamus, si hæc facta haut fuissent,quod nunquam essent euentura. Exitus enim docuit,contractus tales non solũ reb.publicis vtiles nõ fuisse,verũ etiam obfuisse plurimum. Sed nondũ finis. Nec satis illis erat, monasteriorũ bona dilapidasse,nisi vasa etiã sacra ac reliquiarũ receptacula cõfregissent, distraxissẽt, deuorassent:sacras præterea vestes in vsus profanos,ac præcipue in mulierum illarũ,quas vxores vocãt,abusum vertissent:quã recte ac pie,tempus fortassis ostendet. Quę cũ ita sint,cur tam vehementer à nobis miseris exigitur, & omni calumniarum genere id agitur, vt si non sponte, coacte tamen, monasterium cum bonis suis tradamus,&aliquando emigrare incipiamus.Sed quo tandem calamitosæ nos virgines,& omnibus ærumnis repletæ emigremus? Ad nubendum inquiunt aduersarij nostri,aut ad aliis inseruiendum hominibus.Sexaginta sumus,& amplius: ex quibus septem saltem septuagesimum exuperarunt annum; vltra quindecim vero quinquagesimum exegerunt: vt interim de inualidis & ratione læsis sileamus.Et quo pacto illæ nubent,quæ ad anilem senectutem peruenere? aut quo modo aliis inseruient? quum ipsæ potius aliorum indigeant cura & seruitute.Sed iuniores,inquiunt,emigrent,vbi vero reperient apostatæ viros? At quid de senioribus erit? Deus, aiunt, prouidebit. At iam prouidit. Ita enim inuicem inseruimus,vt nulla alterius ope careat. Sed non etiam iis(dicunt)qui in seculo degunt,opera vestra prodest. Atqui si etiam in seculo ageremus, numquid omnibus opera nostra sufficere posset? aut sorores illæ nostræ Christianæ nõ sunt, vt opera nostra sit inanis,aut eis minus debeatur? Facimus igitur quãtum possumus, & nequaquam minori charitate inuicem inseruimus,quam si omnes in mundo degeremus, nõ solum commonialibus nostris, sed & aliis pauperibus ac indigentibus, quibus quotidie, quantum tenuitas facultatum nostrarum patitur,subuenimus: nec melioris apud nos conditionis ea censetur,quæ mille intulit aureos,quam ea,quæ nihil præter animum attulit promptum & obsequentem: de qua re, patres conscripti, si lubet, eas interrogate sorores, quæ vi à nobis auulsæ, ac à monasterio sunt abstractæ: Et inuenietis, qua animi promptitudine,charitate,ac vnanimitate inter nos viuamus. Speramus enim eas omnia vere & quemadmodum se habent prolocuturas: nec vos illis fidem negare potestis, quum partim vestræ sint filiæ, partim vero sanguinis vinculo vobis propinquæ. Proinde si ideo pertinaces videmur & iniquæ,quia monasterium nostrum vna cum bonis suis tradere & publicare recusamus,nihil moramur,quin coram mundo habeamur sceleratissimæ,quum Deus,qui est scrutator cordium,mentis nostræ sit inspector,& recte inter prauum & bonum,iustum & iniquum discernere noscat: ac ideo potius perpeti valemus, vt per vim expellamur, ac cuncta nobis huius mundi bona eripiantur, quam vt sponte turpissimis pactionib. conscientias nostras degrauemus. Quid enim nobis prodesset,si totum etiam orbem acquireremus,ac interim animas perderemus proprias,stimulumque nobis ipsis infligeremus perpetuum, ac notam inureremus nunquam abolendam. Quo pacto enim, quod non ædificauimus,possemus demoliri,aut quod nostrum non est,proprij commodi gratia tradere? quum ea,quæ semel Deo sunt dicata,amplius ad humanos vsus redire nequeant. Ceterum si nobis per vim aliquid auferatur,secundum Saluatoris nostri institutionem paratæ sumus non solum pallium amittere,sed & tradere tunicam. Nihil enim in hunc mundum intulimus; nihil quoq; nobiscum efferre poterimus. Nec nostra refert, si propterea contumaces reputamur, aut arrogantes, quum nos hîc conscientia nostra nequaquam redarguat. Glorientur igitur aduersarij nostri fictitia illa donatione sua in pauperum vsus; Nos vero in Domino & nostra gloriemur innocentia,vtcunq; male audiamus.

Ceterum quoniam paulo ante prædestinationis incidit mentio,non ab re fuerit,proferre,quid de illa & libero sentiamus arbitrio,nam & id quoq; à nobis exigi videmus. Scimus igitur,quod non est volentis neque currentis, sed tantum miserentis Dei: & quod libertas arbitrij sibi sola sine præsidio gratiæ sufficere nequit. Omnia igitur ad diuinam referimus gratiam, siue inchoationis principia, siue consummationis extrema,ita tamen,vt post acceptam gratiam,sine qua nihil sumus,officiosæ seruitutis

tutis laborem asseramus, ac modis interim omnibus arrogantiæ crimen effugiamus, quoniam quantum detrimenti est non laborare, tantum periculi est de laborare præsumere. Semper itaque laborem gratiæ subiicimus, semperque laborem cum gratia sociamus. Qui enim orare iubet, nequaquam studium operandi excludit. Pulsare iubet, non vt fores claudantur, sed aperiantur. Qui vero solam gratiam sine operis & laboris exercitio, nec non affectum moderatione sufficere affirmat, nihil aliud astruit quam vt nemo oret, nemo vigilet, nemo ieiunet, nemo indigentibus succurrat, nemo misericordiæ opera perficiat, nemo luxuriæ repugnet, nemo spiritui carnē subiiciat, nemo vitiis bellum indicat, nemo humani generis hostē crucis armatura repellat; sed contra ignea inimici iacula nudum pectus exponet. Habeamus igitur thesaurū hūc in vasis testaceis, vt virtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis; ti tamen induti & nō nudi reperiamur. Ac ideo libertatē voluntatis humanæ non penitus ob transgressionem extinctā esse scimus, sed attenuatam ac infirmitatam, ita tamen, vt per gratiam diuinā haut difficulter resuscitari valeat. Nam quod scriptum est: sine me nihil potestis facere: & nisi Dominus ædificauerit domum, &c. &, Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum, cum similibus, contra Iudæos & Pelagianorum arrogantiam, nec non eos, qui solum in operibus eorum confidunt, dictum est. Ad Christianos vero hæ pertinent voces: Operamini bonum ad omnes. Et, stabiles estote, immobiles, abundantes in opere Domini semper, quum sciatis, quod labor vester non est inanis in Domino. Et, ne regnet peccatum in corpore vestro mortali; sed in nouitate spiritus ambulate, illud scientes, quod vetus ille noster homo cum Christo est crucifixus: Siquidem autoramentum peccati mors; donum autem Dei vita æterna. Et alio in loco: Mortificate membra vestra terrestria. Eratis enim quondam tenebræ; nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate, & abiiciamus opera tenebrarum, & induamur armis lucis, & carnis curam ne agatis ad concupiscentiam. Et, luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, glorificentque patrem vestrum, qui est in cœlis, &c. non vt de solo labore præsumant, sed conatibus suis assiduam & quotidianam Dei misericordiam & iugem gratiam implorandam esse sciant. Neminem enim Christus vult perire, sed omnes homines saluos fieri, quoniam pro omnibus mortuus est. Generalis igitur præscientia apud Deum de potentia nascitur absoluta; sed nequaquam in causa est, vt homines peccent. Aliud enim est præscire, aliud vero prædestinare. Præscientia enim ad potentiam, prædestinatio vero ad iustitiam pertinet. At quæ esset iustitia, hominem prædestinare antequam natus foret? multumque iustitiæ derogaretur & remunerantis gloriæ, si desides coronarentur, & laborantes condemnarentur. Nec vllam causam ad hurmanam carnem induendam Christus habuisset; minus etiam moriendi necessitatem, si alij ad mortem præordinati, alij ad vitam iam prædestinati fuissent. Quid enim nouum remedium agere potuisset, si ante cuncta secula res humanas definitio vetusta præfixisset? Vere enim Deus causa peccati esset, si præscientia sua ad peccatum compelleret. Quod vero scriptum est: Ego indurabo cor Pharaonis, &c. haut aliter intelligendum est, quam, Ego illum patientia & longanimitate mea in pessimum hominē euadere sinam. Nec illud: Iacob dilexi, Esau autē odio habui, de personis dictū est, sed de gentibus duabus, vt hoc exemplo Iudæorū comprimeretur præsumptio, qui improbe de legis intumescebant operibus. Verum hoc admiratione dignū est, quod quum aduersarij nostri omnia prædestinationi attribuant, penitus; liberum à nobis tollant arbitrium, interim tamen nos cogere volunt, vt contra voluntatem nostram è monasterio emigremus, ac omni voto contempto rursus nos seculi immisceamus negotiis. Si enim à Deo prædestinatum est, vt in monasterio, obseruato voto, remaneamus, nec totus mundus nos inde extrahere quiret, nec nos, si vel maxime vellemus, contra vim fati emigrare possemus. Si vero præordinatum est, vt relicto monasterio ad secularem vitam reuertamur: minime, etiamsi contra nitamur, in monasterio tandem remanere valebimus, sed omnino aliquando emigrabimus. Ne igitur accelerent, sed expectent, ac prædestinationi illi suæ totum committant negotium, quæ vltro & nemine adigente tandem ostendet, quid in fatis fuerit. *Nam vi quempiam ad rem aliquam cogere, non solum prædestinationi, sed fidei etiam contrarium existit, quæ quum donum speciale Dei sit, nulla violentia in hominum mentes penetrare potest. Si vero coacta fuerit, potius simulatio quam fides erit. Quicquid enim violētum est, durare nequit. Hypocritam igitur vis quempiam reddere potest; meliorem vero minime.*

Et profecto si videremus apud æmulos nostros fructus defectione eorum dignos, forsitan & nos desciscerемus, ac vltro monasteria relinqueremus. Sed quum operibus plane oitendant, qualesnam sint, & olim etiam fuerint, quamq; ob causam è monasteriis elapsi rursus se negotiis immisceant secularibus; nemo tam hebes est, quin intelligat, quid eas ad hanc carnis, & nequaquam spiritus, adigat libertatem. Ex operibus enim eorum, veritas inquit, cognoscetis eos.

Ceterum φ æmuli de nostra garriunt impatientia, reliquis adiungamus figmentis. Etenim si non omnia aduersa, quæ in homines cadere possunt, & æquanimiter quidem tolerauimus, nequaquā recusamus, quin cuncta iterum (si saltem possibile foret) sustineam". Sane tametsi nos in ærumnis nostris enumerandis ambitiosas esse haut deceat, rogamus tamen, patres conscripti, vt cum bona vestra venia tantorū malorum, vel breuiter meminisse liceat, non quo vobis quicquā exprobrare conemur,

mur, ſed vt manifeſtum fiat, an ea animi æquitate, quæ bonas ac Deo dicatas decet virgines, aduerſitates noſtras ſuſtinuerimus, aut contra ſtimulum calcitrare fuerimus auſæ. Sub initium enim quum confeſſores noſtri, vt vocant, expulſi ſunt, tolerauimus. Ablata eſt nobis facultas alios eligendi: Tolerauimus. Euchariſtiæ ſacratiſſimæ conuiuio nobis adempta eſt, ita vt quinque iam annis continuis ſanctiſſimo Chriſti corpore caruerimus: Tolerauimus, non ſine ingenti tamen animi noſtri dolore, quum apud Turcas etiam & nationes barbaras libera Chriſtianis communicandi facultas relinquatur. Prędicatorem nobis attribuiſtis, qui omiſſo Dei verbo nihil aliud egit, quam vt aſſiduis nos laſciuerit conuiciis: Tolerauimus. Sorores tres per vim ac contra voluntatem earum ſunt extractæ: quod quidem non ſolum tolerauimus, ſed & Deo egimus gratias, quod non etiam monaſterium totum ſit direptum, ſpoliatum, & penitus euerſum. Alia perſuaſa, à nobis emigrauit, cui omnia, quæ in communem vſum attulerat, reddere fuimus coactæ: Tolerauimus, & paruimus. Habitus conſuetus nobis prohibitus fuit: Tolerauimus. Feneſtrarum clauſuras contra longæuam & bonam conſuetudinem aperire coactæ ſumus: Tolerauimus. Sororibus cum omnibus, etiam ſolis, loquendi facultatem tribuere fuimus perpulſæ: Tolerauimus: vt interim prætereamus minas, iniurias, ſannas, calumnias, deciſiones, etiam dum ſacros decantaremus hymnos: quæ omnia ea qua potuimus tolerauimus æquanimitate. Impoſuiſtis nobis tandem grauiſſimum, tam ob vini quam ceruiſiæ potum vectigal, ita vt vnico anno plus quam cętum quinquaginta perſoluerimus aureos, ac vltra 400. ſoluere iubeamur, cum interim tamen nobis nec ad victum ſuppetant neceſſaria: Obediuimus, nec vnquam onus illud contra leges publicas eſſe proclamauimus. Et tamen, ſi Deo placet, impatientes, & rebelles appellamur, quia potius cum aquæ potu ac extrema victus penuria in monaſterio perſeuerare, quam contempta religione, neglectis votis & promiſſionibus degrauata conſcientia laſciuire, ac non ſecus quam ruſticæ fœminæ paſſim diſcurrere, ac omnia in carnis libertatem vertere nitamur. Verum quia nouimus, has tam ingentes aduerſitates non ſine Dei ſpeciali fieri permiſſione, in patientia animas noſtras poſſidere conabimur, quum tribulatio patientiam pariat, patientia vero probationem, probatio autem ſpem, quæ non pudefacit. Quem enim diligit Dominus, corripit, ac flagellat omnem filium quem recipit. Nondum talia perpeſſæ ſumus, qualia Dominus & magiſter noſter Chriſtus, qui innocens tot tantaſque ſuſtinuit aduerſitates ac pœnas, tandemque pro miſeris nobis peccatoribus crudeli etiam morte fuit peremptus. Is nobis concedat, vt in omnibus ſimus patientes, ac per tolerantiam curramus in propoſito nobis certamine, quo tanti magiſtri ſequamur veſtigia, ac crucem noſtram recte poſt eum portare valeamus. Nequaquam enim pares ſunt afflictiones temporis præſentis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos.

Quum igitur, patres conſcripti, totius vitæ noſtræ veriſſimam, licet breuiſſimam, reddiderimus rationem, accuſationique æmulorum noſtrorum, quantum temporis anguſtia perpeſſa eſt, reſponderimus, rogamus vos, ac per miſericordiâ Dei noſtri obſecramus, vt non tam grauitatis veſtræ quam innocentiæ noſtræ memores, aduerſariis noſtris aures haut tam benignas præbeatis, nec hortulum hunc noſtrę & Chriſtianę inſtitutionis adeo tenere plantatum per feras has ſilueſtres deuaſtari finatis: quandoquidem ſi vel minima charitatis ſcintilla, ſine qua vera fides conſiſtere nequit, in tam duris remaneret pectoribus, ab omni violentia, ne dum calumniis & confictis abſtinerent criminibus. *Quis enim vnquam audiuit, fidem per vim aliquam infundi poſſe? ac ideo ſi etiam in quibuſdam aberrauimus, deceret tamen eos placidos erga nos eſſe, ac propenſos ad docendum, quum malos etiam Apoſtolus tolerandos, & cum manſuetudine eos erudiendos, qui obſiſtunt, iubeat, ſi quando det Deus pœnitentiam ad agnoſcendam veritatem, quo reſipiſcant è Diaboli laqueo, capti ab eo ad ipſius voluntatem.* Sane, ſi quicquam aliter quam decet, à nobis actũ eſt, non recuſamus, quin duriſſime emendemur, ac graues delictorum pœnas expendamus. Habetis apud vos ſorores à nobis extractas, illas interrogate, ab illis explorate, annon cum Dei timore, proximi charitate ac omni ambulemus honeſtate. Non tacebunt, ſi quid turpe viderunt ſeu audierunt. Quum igitur neminem lædamus, multis etiam proſimus, nemini præterea vel mendicando vel degrauando moleſtę vel iniuriæ cenſeamur: per diuinam vos rogamus maieſtatem, vt omnem vim à nobis arceatis, nec nos immaniſſimis hominibus ludibrio eſſe ſinatis, vt ſine vlla culpa à monaſterio expulſæ per mundum oberrare, & panem mendicare, aut durius etiam nobis conſulere cogamur. Non decet hoc grauitatem veſtram, patres conſcripti: non maiorum gloriam, hęreditario iure acquiſitam, qua apud multas nationes eam tulere laudis gloriam, vt omnia iuſte, prudenter ac honeſte peregerint. Horum vos potius veſtigia ſequi decet, quam ſeditioſorum hominum voces impias. Quæ enim vos gloria manere poſſet ob tam debilis ſexus iniuriam? quæ vtilitas ex noſtris incommodis? quæ demũ laus ex tam violenta expulſione: cum etiam Iudæis & Saracenis inter Chriſtianos habitandi non denegetur facultas. Miſeremini igitur noſtri, patres, miſeremini, vt & Deus vobis miſericordiam ſuam in extrema mortis hora haud deneget. Miſeremini calamitatis noſtræ. Miſeremini imbecillitatis fœmineæ, memores, quod à mulieribus geniti eſtis, & illarum vbera ſuxiſtis. Indignæ enim ſumus, vt tam acerba patiamur. At longe vos indigniores, vt talia permittatis. Tandem ſi nihil preces noſtræ, nihil tot vos lacrymæ commouent, conſiderate ſaltem, vos Romano ſubditos eſſe Imperio, Cæſariſq; legibus ſubiectos, quas adeo conculcatas & contemptas,

temptas, nequaquam Imperator ipse boni consulere poterit: Ac ideo si nõ ob commodum nostrum procurandum, saltem ad incommodum vestrũ auertendum mitius nobiscum agite, & vim tam nefandam à nobis arcere. Quod si nihil horum vos mouebit, nec vlla rerum humanarum cura tanget, sed omnia contemnetis, spernetis ac ridebitis, ad diuinum tandem auxilium confugere compellemur, illudq; ob tam innumeras acceptas iniurias inuocare nõ desinemus: nec dubitamus, quin cœli numen, quum humana nos æquitas & auxilia destituunt, afflictis rebus nostris salutem aliquam sit allaturum, quum nunquam magis sit propinquum, quam quum longissime abesse videatur. Quem enim Deus vnquam firmiter in eum sperantem dereliquit, etiamsi ipsius animam ad infernum vsq; deduxerit? Quemadmodum igitur populum Israeliticum, Dei auxilium inuocantem è Pharaonis manu liberauit, Danielẽ ex lacu leonum, Ionam ex ventre Ceti, omnes deniq; ad eum cõfugientes, & spem certam in illius misericordia ponentes, ab omnibus aduersitatibus eripuit: ita illum & nobis calamitosis, miseris, & ærumnarum plenis virginibus opem suam diuinam haud penitus denegaturum certo certius nouimus ac scimus, non solum, vt ab omni violentia ac iniuriis cunctis liberati possimus, sed & sub vmbra alarum eius securẽ ac imperterritẽ in æuum delitescere valeamus. Quod si aliter diuinæ maiestati eius visum fuerit, aut peccata nostra nondum tot calamitatibus sunt expiata, fiat voluntas eius, cui subsunt omnia. Nudæ de vtero matris sumus egressæ: nudæ quoque in terram reuertemur. Dominus cuncta, quæ habemus, dedit. Dominus & auferre potest, cuius nomen sit benedictum in secula.

ORATIO *ad Deum Optimum Maximum, postquam precibus apud homines nihil impetrari potuit.* * * * *

DE PERSEQVVTORIBVS EVANGELICÆ VERITATIS, EORVM CONSILIIS ET MACHINATIONIBVS,

COMMENTATIVNCVLÆ BILIBALDI PIRCKHEIMERI FRAgmentum, scriptæ post conuentum Norimbergensem.

QVum olim Pontifices, Scribæ, ac Pharisæi Deo ac Saluatori nostro Christo varias & innumeras tetendissent insidias, quo eum aut verbis caperẽ, aut ementito aliquo prætextu morti tradere possent, cernerentq;, dolum ac fraudem parum procedere, rabie percíti in manifestam tandẽ proruperunt insaniam, palamq; vi grassari cœperunt. Proditione enim captum, ac falsis testimoniis conuictum Pontio tradidere Pilato, à quo & minis extorserunt, vt eum, licet innocentem cognosceret, vltimo ac crudelissimo afficeret supplicio, fore rati, vt veritatis magistro è medio sublato, nemo eorum vitia corripere aut detegere auderet, sicq; impune, quicquid luberet, omni abiecto metu, perpetrare possent. Non enim Dei honorem, non proximi quærebant commodum; sed solum id agebant, vt sub sanctitatis specie cunctis imponerẽt hominibus, obiterq; crumenam pecuniis, corporis vero affectus nefandissimis explerent deliciis. Per horum sceleratorum hominum vestigia Principes quidam Germaniæ, Scribæ ac Pontifices strenue ingredi pergunt, non quod Christum ipsum crucifigere possint, qui semel mortuus amplius non moritur, sed quod longe abominabilius est, æterni Patris verbum, ob humani generis salutem per vnicum filium mundo reuelatum, penitus excindere & abolere contendunt, non à fraude & dolo, vt Iudæi inchoantes, sed palam vim ac tyrannidem intentantes, in hoc à flagitiosissimis differentes Iudæis, quod illi dubij ac non penitus certi erant, Christum Dei esse filium. (Nunquam enim, si id cognouissent, Regem gloriæ affixissent cruci,) Nostri veró tametsi de verbo diuino haud quaquam dubitare possint, sed illud etiam inuiti ac nolentes agnoscere cogantur, veritatem tamen opprimere, ac totis viribus extirpare adnituntur, nulla nec Dei nec hominum, habita ratione, sed solum quæ sua sunt & mundi quærentes; tantum perfidis Iudæis deteriores, quantum res dubia à certa distat scientia. Si quidem quum nuper Principes ac Pontifices frementes & inania meditantes Norimbergæ aduersus Dominum & aduersus Christum eius conuenissent in vnum, multaque ac varia incidissent, quæ consilio prudenti ac matura ope indigere viderentur, quo aliquando fessis ac nondum penitus deploratis Germaniæ rebus succurri posset: omnibus tamen, post multos labores, contentiones varias, temporis & impendij iacturam, neglectis, Euangelica veritas sub Lutheri nomine adeo inique, acerbe & odiose tractari cœpta est, vt nihil præter gladios & ignem deesse videretur, non quod iis magnates illi carerent, sed quod arbitrio suo abuti nequirent: quæ res inprimis animum eorum male habuit, vtpote tyrannidi, crudelitati, ac cunctis malis artibus assuetum. Quod igitur solum permittebatur, calamo cum complicitati, ac cunctis malis artibus assuetum. Quod igitur solum permittebatur, calamo cum complicibus suis gladij loco vtentes, minasque, execrationes ac hæreses conscribentes, haudquaquam dubitabant, quin omnes sibi tanquam parti maiori aut fauore conciliari aut metu perterriti astipulaturi forent. Iam quod Epinicion etiam ante victoriam partum decantare cœperunt, mirumque in modum gestiebant, minime considerantes, Deum Optimum Maximumque etiam non vocatum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [409] - 385
PUBLIC DOMAIN

tam impiis cõsiliis interesse, ac verbo suo diuino opem ferre posse. Ceterum quum sacrosancta illa ac tanquam è Sybillæ foliis conscripta in medium deducerentur decreta, parsque Euangelicæ veritatis inimica ea magnis approbasset clamoribus: repente suorum corda Deus tetigit, surrexereque primum nunquam satis laudati Principis Federici Saxoniæ Ducis legati, qui palam eius nomine protestati sunt, se tam impiis, abominandis & detestandis scriptis non solum assentire nolle, sed etiam totis viribus obuiam ire velle. Hos Comitum & Baronum, nec non ciuitatum Imperialium cunctarum secuti sunt legati: qui etiam eandem ob causam, nec alia quidem acta sigillis suis, vt moris est, roborare voluere, nisi diserte protestatio eorum iis inserta foret. Sicque ille, qui habitat in cœlis, impios irrisit, & Dominus subsannauit eos. Ceterum quam ægre illi tulerint, quod consilia eorum ita elusa essent, nil scribere attinet. Palam enim tam insignem animi dolorem & verbis & factis præ se tulerunt, vtpote qui cuncta humanæ machinationi, & haudquaquam diuinæ accepta ferrent voluntati. Tenuit enim eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Transierunt in affectum cordis: cogitauerunt & locuti sunt nequitiam: Iniquitatem in excelso locuti sunt. Sane quum considerarent, nec machinamenta sua procedere, vim vero apertam intentare haud auderent, ad longe turpiora conuersi sunt consilia. Siquidem indicto conuentu Spiram mox soluto cœtu Principes ac reliquos dimiserunt Proceres, ad ciuitatemque Esslingensem pro instaurando Regimine & Cameræ iudicio conuenire iusserunt, vt inde absolutis negotiis illis Spiram migrarent, tamquam ad locum admodum malo proposito eorum idoneum, & vbi propter incolarum raritatem, cum vellent, vi etiam, si dolus parum processisset, vti possent. Iam enim sanctus ille Cardineus pater in hoc eos reprehenderat, quod Norimbergæ conuentum indixissent, vbi propter ciuium potentiam, vi, quum vellet, grassari nequirent. Caute enim asserebat à summis Pontificibus obseruatum esse, ne vnquam vel concilij etiam tempore in loco aliquo, vbi viribus superiores non essent, tanquam Leo in Cauea incluti detinerentur. Ibi enim tantum conueniri debere, vbi cuncta ex eorum arbitrio ac libitu perpetrari possent. Quum igitur Principes ac reliqui Germaniæ primates cuncti abiissent, rursus illi ad solitas conuersi sunt artes, ac non solum impia, nefanda & minis plena, sed & infinitis mendaciis referta conscripserunt decreta, eaque contra communis Germanici conuentus autoritatem & voluntatem emittere cœperunt. Quapropter operæ pretium non defuturum, imo summopere necessarium existimauimus, vt decipulæ & malæ eorum detegantur artes, & palam fiant, quo ignari admoneantur, pusillanimi consolationem capiant, omnes denique Christiani sciant, tam impia eorum dogmata non ex communi conuentus auctoritate, sed pessimorum quorumdam hominum, imo Sataneæ ipsius procedere consiliis. Si enim Propheta ille magnus reum se agit, ac labia se habere polluta clamat, non quod loquutus sit, sed quia tacuerit: iuste & ego miser ac minime tam sancto comparandus viro à Domino corripi mererer, si tot, quæ cognosco, N. & N. absconderem, & non palam cunctis annuntiarem Christianis: maxime quum Isaias populo tantum prophetauerit Israelitico: Ego vero vocem meam ad Germanos vniuersos, & aliarum quoque nationum Christianos homines peruenturam esse haud dubitem. Fiducialiter itaque agam, nec timebo quid faciat mihi homo, quia Deus Saluator meus. Hoc solum precor, vt æquis audiar auribus: & si cui amarulentior & vehementior videbor, cogitet, non de humana re aut causa aliqua profana, sed summi Dei ac Regis agi gloriam, quam Christianus quisque ad effusionem etiam sanguinis defendere est astrictus: animarum periclitari salutem, quam Christus ipse passione & morte sua nobis contulit: demum de veritate opprimenda, verbo diuino conseruando, libertate Christiana, qua nos Christus liberauit, retinenda tractari. Ac vtinam mundi huius potestates ita se gererent, vt eos iuste laudare, & non vituperare cogeret. Quum vero Deum ipsum blasphemiis suis contaminare non desinant, cur non & ipsi factis suis merita audirent præconia: Indignentur igitur vt velint, dummodo veritatem audiant: Et si lætantur quum malefecerint, exultantque in rebus pessimis, haud quaquam indigne ferre possunt, si ea mensura, qua ipsi mensi sunt, merito remetietur eis, &c.

Dialogvs
CONTRA INEPTAM ET INANEM AMICI PRO AMICO SOLICITVDINEM, ET NIMIAM CREDVLITATEM rumusculorum, & suspicionum vanitatem.

Interlocutrices

Charitas et Veritas.

C. Quod frater meus filiam, quæ ex quinque reliqua erat, viro collocauerit, gaudeo, Deoque gratias ago, quẽ precor, vt hoc connubium fœlix faustumq; sit: sed illud me angit, & nõ modicum vexat, quod nuper confidenter mecum locutus fuit, scilicet q. magis sit inclinatus affinitatem cum priuatis quam magni nominis hominibus conciliare: hujusque rei rationem non vanam assignauit. Qua-

Quapropter admodum timeo, ſi talia coram aliis ſit locuturus, ne in maximum ipſius vergat detrimentum, ſibique pro amicitia inimicitias, & non paruum odium pariat, ideo ipſum multis, & fraterne quidem, verbis rogaui, vt à talibus deinde abſtineat ſermonibus, ne æmuli ſui illas in opprobrium ſuum dictas eſſe interpretent. V. Voluiſti forſitan ne nimis ob contractam affinitatem exultaret, fragilitatis humanę eum admonere ac ita amaram reprehenſionē cum amicabili gratulatione tanquā fel aceto commiſcere. C. Non hoc, ſed quod frater eſt, eumq; vnice diligam, fraterne admonere. V. Magnum profecto prædicas amorem, cum inepta, ne dicam abſurda, cūcta de illo ſuſpicaris, vel relata certiſſime credis. C. Imo me amor cogit, vt & timeam ac illum corripiam, ſcriptū eſt enim: melior eſt manifeſta correctio, quam amor abſconditus. & iterum: vir prudens & diſciplinatus non murmurabit, correctus igitur frater meus benigne feret correptionem meam, imo mihi gratias aget, quod tam ſollicite pro illo vigilem. V. recte ais: nam ſi inſanit, moleſtas illas ſuſpiciones & quotidianas obiurgationes, quas nemo etiam patientiſſimus tollerare poſſet, benigniſſime feret. Sed dic mihi quæſo, nū eum talia aliis dixiſſe audiuiſti, vel à te ipſo ſimilia effingis ſomnia? C. Num aliis ipſe dixerit ignoro, ſed ego nihil audiui: tamen non poſſum pro ipſo non ſollicita eſſe, quod eum amo. V. Sed ipſe forſitan odium potius mallet, ſi hoc pacto ſemper amas. Sed & hoc reſponde: ſi ab aliis ſimilia audires, nunquid illud continuo crederes? C. Quid ni crederē, qui ex illius ore audiui? V. Nonne vt ingenia ſunt malorum quiſpiam ex veriſimili coniectura talia effingere poſſet. Sed ſi bene memini, te non temere crediturum præſtita ſecuritate permiſiſti, cum ipſe conquereretur quod adeo leuiter mala cuncta, & cunctis quidem de eo crederes: nam & ipſum primoribus huius vrbis pariter & mercatorib. cunctis odio eſſe, tibi pertinaciſſime perſuaſeras, quamuis poſtea aliter informata fueris, & iam opulentus quoq; mercator filiam ſuam filio expetierit. Quin mulierem quandam honeſtam, quam familiarius in domo ſua conuerſantem audieras, turpitudinis inſimulaſti, nec à ſemel cōcepta ſuſpicione, quamuis diſſimulare coneris, vnquam deſtitiſti. C. Crediderā equidem: nam multi quotidie ad me talia deferebant, & boni quidē viri & mulieres, quiq; amicitiæ cauſa talia faciebant. Cur fratri, quē amabam, talia non obiicerem? Sed iam bene promiſi, quod nō velim eo inaudito credere. Sed. V. Quid? Sed. C. Ego vero iam nihil audiui, ſed dubito cum mihi talia dixerit, etiā aliis dicere poſſet. V. Mihi credis, ſi talia diceret, maiori eum quam antea odio proſequerētur? cum noueris, potius occaſionem aliquam coloratam ab illis quam veritatem quęſitam eſſe, & quod beneficia, quę in eum conferunt, non amoris vel beneuolentiæ gratia, ſed vt ſuperbiam & malitiam eorum contegere poſſint, excogitata eſſe. Sed vt illa obmittamus, credis, vere eos, qui talia ad te detulerūt, bonos fuiſſe? C. Neſcio, ſed credo, quod boni fuerint. V. Quo pacto igitur poſtea mendacij conuicti ſunt? C. Quis hoc ſcit, an mentiti fuerint. V. Non ignorabam, te in fratris cauſſa ſemper vacillare, & nunc quoque dubitare, ac peſſima quæq; facinora facile de illo credere. Sed quo pacto amici fuerunt? cum tamen pleraque emendita fuiſſe, certiſſime cognouiſti, vt concedamus aliqua vera fuiſſe. C. Sed ego fratrem amo: ideo talia non celaui. V. Acerbus profecto amor, ob quem illum etiam mortem tibi inferre conqueſta es, cum in Nebulonis iſtius cauſa non quam primum ficticiorum quorundam conſilia amplecteretur. C. Sed iam promiſi, non tam facile dehinc hominibus fidem adhibere velle, nec hoc ab aliquo audiui, nec credo: ſed quod ipſe talia retulit, ſolicita eſſe cogor. V. Egregie pacta ſeruas, quæ cum aliis fidem amplius non adhibes, tu iam per te peſſima quæq; confingis. C. Atqui non fingo, ſed ipſe talia dixit. V. Verum nunquid, vt ais confidenter, ſermones hos tecum conſeruit? C. Sic dicebat. Sed quis ſcit, num & aliis talia credidit. V. Recte dicebam, omnia te mala de fratre ſuſpicari. C. Non ſuſpicor, ſed illi timeo. V. Nunquid times, ne ſe ſuſpendat. V. Bona verba, quæſo: tale ne quid frater ageret? C. Cum omnia mala de illo credis, ſuſpicaris, imaginaris, vel confingis, vix peius quid excogitare poſſes, quam illum vim ſibi manibus propriis allaturum. C. Ego non fingo vel ſuſpicor: Imo non vellem, vt ſibi quid mali eueniret. Igitur eum admoneo. V. Egregia hercle admonitio. C. At. V. At dic mihi ſi quotidie tuas obtunderet aures, ac detrahentibus fidem præſtaret, & peſſima quæque crimina tibi obiiceret, num tu talia ſemper tollerare poſſes? C. Sed iam antea dixi, quod non omnia amplius credo, nec illa audiui, ſed illum admonere volui. V. Noui, quod non omnia credas; ſed multa tamen. Quod ſi te admoneret; ne flagitium aliquod peſſimum committeres, vel relicto ordine ac contempta honeſtate cum Monacho quodam à clauſtro aufugeres, nunquid patienter talia ferres? V. Meliora quæſo: non tantum frater inſanit, vt in talibus me admoneret, quæ nunquam factura eſſem. V. Intelligo, tibi liberum eſſet, quid in mentem veniret illi obiicere: ſed ſi ille ſimile quid auderet, ſcio cœlum & terram commoueres. C. Scio, quod frater me diligit, ideo nunquam me de talibus admoneret. V. Bene igitur ſuum collocat amorem, quod nil niſi optima quæque de te credit. Tu vero peſſima cuncta ſuſpicaris, vel referentibus fidem adhibes. Atqui non ſunt hæc Charitatis opera, quæ amantem copulat cum amato, ſed potius odium, & timida puſillanimitas, non fidei, ſed diffidentiæ, non ſpei, ſed deſperationis, & tandem, niſi abſtineas, pro amore non paruum ſuſcitabunt rancorem & amaritudinem. Nam ſi omnino frater iniq; agere voluerit, nec tuis obtemperaret monitis, quid tu aliud efficies obiurgationibus, quam vt ſurdo fabulam decantes. Si vero recte viuere cupit, nil talibus opus erit correptionibus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [411] - 387
PUBLIC DOMAIN

nibus. Nam vel ipse sipit, & superflua tua cura erit, vel in hac ætate minus quod rectum est, peragit; & superflua erit monitio. C. Sed iam antea dixi, quod ipse solicitudinis meæ caussa est, à quo hæc audiui. V. At confessa es, tibi hæc confidenter dicta: considera igitur, num frater posthac facile tibi quid confidenter sit dicturus, cum intelligat, omnia quæ tecum ex animo loquatur, tantas concitare suspiciones, non faciet hercule, sed tacebit & dissimulabit. C. Sed curas abiicere nequeo, etiamsi mori deberem. V. Sed nec frater tantas importunitates & leuissimas tollerabit suspiciones. C. Quid igitur faciet? num naturæ & fraternæ amicitiæ iura dissoluet? cum tamen vere amore eum prosequar. V. Non opinor, sed vt dixi, vel tacebit, vel dissimulabit, vel si molesta esse desines, à congressu tuo abstinebit. C. Sed si ego illum adire nequeam, litteris tamen admonebo. V. Quid si illas legere noluerit? quid tum ages? C. Non faciet. V. Tu videris. C. Quid igitur, vt agam, suades? Nam solicitudinem nemo mihi nisi mors abstulerit. V. Si non alia via pusillanimitati tuæ succurrere poteris, vel fraternæ amicitiæ renuntiabis. Scio enim facilius verum tollerabit odium, quam tam molestissimum ferat amorem.

BILIBALDI RESPONSVM,
DE VI ET EFFECTV QVIETANTIÆ SEV APOCHÆ GENERALIS; QVAM NOBILIS DEDIT EPIscopo Wirceburgensi, &c.

In Christi ac Beatissimæ eius matris nomine, Amen.

IN der Sach / so sich helt zwischen Hansen von Veringen / als Anwalt seines Vatters vnnd Klägers / eins / vnd dem Hochwürdigen Fürsten vnd Herrn / Herrn Lorentzen / Bischoffen zu Wirtzburg / als Antworter anders theils / betreffend das Vngelt zu Arnstein / vor den Gestrengen / Erbarn vnnd Ehrnuesten dem Obmann vnd den Zusetzen im Anlaß bestimpt fürgewendet / ist die Frag / was dem Obmann vnd Zusetzen auff Verhör eyngebrachter Klag vnd Antwort zu sprechen sey.

Vnd stehet diese Frag / meins bedünckens / allein darauff / ob durch die letzten Quittantzen / etwann durch Eberhart von Veringen Bischoff Johansen geben / vnd was von wegen meines Gn. Herrn von Wirtzburg eyngelegt / sey auffgehaben die Verschreibung vnd Kauffbrieff / betreffend das Vngelt zu Arnstein / Oder ob dieselbig Verschreibung vnd Kauffbrieff noch in Würden vnd bey Kräfften sey.

Vnd damit der Grundt desto läuterer an Tag komme / wil ich diese Sach pro & contra disputiren / zu Teutsch vnd Latein / damit den Gelehrten vnd Leyen gnug beschehe. Vnd erstlich nim ich für mich partem affirmatiuam, / Nemlich / daß der Kauffbrieff noch bey Kräfften / vnd durch gegebene Quittantzen nicht auffgehaben sey / zeig ich also an:

Erstlich so mag nicht angezeigt werden / daß vmb das Vngelt zu Arnstein je gerecht sey worden / sondern die Anforderung / so die von Veringen zu dem Stifft gehabt haben / sind vmb Schuld vnd andere Anforderung beschehen / wie sich dann das lauter auß der andern Quittantzen erfindet / darumb die general Clausul / Nichts außgenommen / &c. wirdt eyngezogen vnd restringiert allein zu dem / darumb die Anforderung ist gewesen / vnd davon sonderlich meldung in der Quittantz beschicht / als zu der Schuld / videtur esse casus in l. si de certa. C. de transact. & text. in l. cum ex pluribus. in princ. D. de solut. & in l. si ita quis. §. fin. D. de verbor. oblig. vbi liberatio vel transactio facta per verba generalia, restringitur ad specificata tantum in instrumento: & hæc videtur esse generalis Regula, quod semper verba generalia ad specificata restringantur, l. quæritum. §. 1. de leg. 3. l. Aurelius. §. Sticho. D. de lib. leg. & l. fin. §. cui dulcia. D. de vino trit. oleo leg.

Zu dem andern / wo Quittantz oder Instrument mit gemeinen worten zwischen Parteyen auffgerichtet werden / sollen doch solche Wort verstanden werden / vm Sachen / die den Obligantzen sonderlich vorhin sind anhängig gewesen: Aber in dieser Quittantzen geschicht kein meldung von dem Vngelt zu Arnstein / casus esse videtur in l. emptor. §. Lucius. D. de pact.

Zu dem dritten / so ist das die Natur vnd Eigenschafft der Verträg vnd Quittantzen / daß die beschehen vmb Sachen vnd Spän / die sich zwischen Parteyen gehalten haben / l. 1. de transact. l. 2. C. eod. Dum mag abermals nit angezeigt werden / daß deß Vngelts halb gerecht sey worden / darumb kan sich die Quittantz nit dahin strecken / da nichts gefordert ist worden. Et istud est, quod videtur determinare Bart. & Io. de Imol. in l. de pupillo. §. si in plurib. D. de op. nou. nuntiat. & gl. in d. l. emptor. §. Lucius.

Zu dem vierdten / so soll diese Quittantz nicht anders verstanden werden / dann auff die Wort / so in solcher Quittantzen erstlich verfast sint: Dann auff die erzehlung der wort: Schuld / Anspräch vnd Forderung / &c. soll auch die Quittantzen verstanden werden / vnd kan sich nicht weiter strecken. Volo dicere, quod ea, quæ in narratione sunt expressa, videntur expressa & reperita in absolutione postea facta. l. Titia. §. Idem Iulianus. D. de v. o. l. item Iuliano. eod. tit. l. item quia. D. de pact. & in l. si ita stipulatus. §. Chrysogonus, de v. ob. Vnd wo anders gesagt solt werden / müst von nöten folgen / daß das Vngelt zu Arnstein stillschweigend /

gend/vmb sonst/oder schancksweise nachgelassen were worden/dann sich nirgendt befind/daß solchen Vngelts halben/was dem von Veringen sey entricht oder bezahlt worden/welche Vermuhtung aber kein statt hat/mag sich auch nicht leiden/l. tamen in dubio. D. de probat. l. si cum aurum. D. de solut. l. eleganter. §. qui reprobos. D. de pignor. act.

Fermer vnd zu dem fünfften/so ist es offenbares Rechtens/wo ein sonderlich oder special Klag wird fürgewendet/vnd gehet auff dieselben ein gemein oder general Vrtheil/so kan vnd mag doch die generalitet derselben Vrtheil nit anders verstanden werden/dañ vmb die specialia vnd sonderliche Ding/darumb dañ geklagt ist worden/l. licet. C. de iud. darumb so kan diese gemeine Entledigung sich nicht auff die generalia, noch weiter dann auff Schuld strecken/Aber das Vngelt zu Arnstein ist kein Schuld/ꝛc. Dann transactio & liberatio æquiparantur sententiæ, l. non minorem. C. de transl. 2. D. de iureiur.

Zum sechsten/so seind die wort in gemeldter Quittanzen tunckel vnd zweiffenlich/kan auch auß denselben nit lauter verstanden werden/daß sich die auff das Vngelt zu Arnstein erstrecken/oder verstanden möge werden/Demnach sollen die nach vnd für die meynung deß Quittirers verstanden werden/l. nepos Proculo. D. de verb. signif. & quod ibi notatur. l. in ambiguo. D. de rebus dub. So nun dem also/müssen die von noth wegen wider den/der quittiert ist/verstanden vnd außgelegt werden/soll auch demselben zu Nachtheil kommen/daß er sich nit baß verwart/vnd mit außgedruckteren worten quittiren hat lassen/l. si emptorem, in princ. D. de R. I. & plene in l. Labeo. D. de contrah. empt. l. quidquid stringendæ. D. de verb. oblig. & no. in c. ex litteris, de sponsal. c. contra eum, de reg. iur. in 6.

Aber vnangesehen dieser Argument aller/auch alles deß/so von wegen deß von Veringen fürgebracht ist/achtich das/so dem entgegen ist/die Warheit/vnd im Rechten gegründet seyn/Nemlich daß diese Quittanz sich nit allein auff Schuld/Dienstgelt/oder dergleichen/wie der von Veringen vermeynt/sondern in ein gemein auff alle Anforderung/wie die erdacht mögen werden/vnd also auch auff das Vngelt zu Arnstein/erstrecke/darumb dann mein G. Herr von Wirtzburg von dieser Klag billich soll ledig erkannt werden. Vnd das gründtlich anzuzeigen/nim̃ ich für mich l. plurib. D. de acceptil. das wil/daß ein gemeine oder general Erledigung oder Quietanzen sich vnverscheidenlich zu allen Klagen/Sprüchen vñ Forderungen erstrecke/gantz nichts außgenommen/secund. Iac. de Butr. & Salic. in l. age. C. de transact. & Salic. in l. si de certa. eo. tit. Vnd das ist auch also war/dz solch general Quietanzen begreiffen auch die Ding/Sprüch vñ Anforderungen/von denen/darvor gantz kein Span gewest ist/l. emptor, §. Lucius. & ibi gl. & Dd. D. de pact. vnd solchs beschicht/vñ ist darumb/damit nit not sey von der rechten vnd general Verständungen der wort abzuweichen/Dieweil nun in der letzten Quietanzen gantz gemeine wort/vnd nicht einmal/sondern offt verläubt sind/nemlich/aller Spruch vnd Forderungen/biß auff diesen heutigen tag/nichts anßgenommen/ꝛc. folget von nöten/daß solche general oder gemeine Wort ein general vnd gemeine Wirckung haben vñ bringen/aller vnd jeglicher Sach/gantz nichts außgenommen noch hindan gesetzt/l. 1 §. generaliter. D. de leg. præst. l. regula. §. fi. D. de iur. & fact. ignor. l. 1. §. cũ vrbem. D. de offic. præfect. vrb. Vnd diß ist der gantze Grundt dieses Handels/es werde gesagt vnd gearguirt was da wöll/so ist dz die Warheit/Wer vñ alle ding in gemein quietiert/der nim̃t nichts auß/d. l. 1. §. generaliter, de leg. præstan. Vñ ist wol war/daß die Quietanz in krafft eines Vertrags sich allein auff die außgedruckte wort/als Schuld/ꝛc. zeucht/Aber in krafft pacti der gemeinen Ledigzehlung vnd Quietanz/wirdt die generaliter vnd in allen Sachen verstanden/wie dann die Dd. an angezogenen orten lauter zu erkennen geben. Zu dem/wo ein general clausula oder liberation nicht mag allein verstanden werden in sonderlichen Obligationen/nach Vernunfft vnd Verständ, müß einer rechten vnd gewönlichen Rede/so soll die nicht restringiert vnd eyngezogen werden allein ad specificata vnd sonderlichen Dingen/sondern soll außgestreckt werden zu allen Sachen/per d. l. plurib. Dieser opinion Bart. folget auch nach Ant. de Butr. in c. de transact. Vnd als sie sagen/so irret nicht/objemand sprechen wolt/daß die Quietanzen vnd Erledigung allein beschehen vmb Sachen vñ Spän/so sich zwischen den Parteyen gehalten haben/wie dann hievor in dem dritten Argument gemeldt ist/Dann dem ist nit also/daß allein Quietanzen vñ Liberation vmb vergangen Sach auffgericht werden/sondern auch vmb zukünfftige/vnd vorkom̃nüß willen künfftiger Spän vnd Irrung/l. 2. C. de transact. & l. 1. D. eod. Darzu ist es ohn zweiffel/dem von Veringen/der quietiert hat/ist was geben worden/oder beschehen/darumb daß er sich aller seiner Sprüch vnnd Anforderung verziehen hat: Dann wo er nicht bezahlt/vergnügt/vnnd jhme sein Will darumb gemacht were worden/het er ohn zweiffel nicht quietiert/vnd sich seiner Anforderung verziehen: Zu dem/daß sich das lauter auß der Quietanzen erfindet/in den worten/Gütlich entrichtet/ꝛc. Dieweil nun dem also/so thut solche Vergnügung so viel/daß die gemeinen wort/in der Quietanzen verleibt/nicht anders verstanden werden/dann vmb alle Sach/gantz vnnd gar nichts außgenommen/l. si super possessione. C. de transact. & l. 2. secundum vnum intellectum, eod. Das wirdt auch gnugsam angezeigt per Bal. in l. pactum quod dotali. 14. 15. 16. quæstio. C. de collation. Daselben rather allen denen/so handeln/sich verzeihen/quietieren oder verschreiben/daß sie sich fleissig hüten/daß sie in Verschreiben oder Quietanzen nicht gemeine oder general Wort setzen/als nemlich/Vmb alle Sach/nichts außgenommen/vnd dergleichen: Damit sie solcher Wort halb nicht in Gefährligkeit fallen/vnd jhnen die zu Nachtheil kommen. Cod. de dot. prom. l. fin. in fin. Vnd das ist die Vrsach/als Baldus sagt/daß kein Gläubiger mit Recht genötiget kan werden/das er auff bezahlung der Schuld general clausuln in die Quie-

tantzen seze / adde Bartol. in l. Aquiliana. cum l. seqent. D. de transact. Zu dem allem / so wircken diese general clausul so fern vnd weit / daß sie sich nicht allein bedeuten oder erstrecken auff Gerechtigkeit oder Anspruch / so einer gegenwertig hat / sondern auch auff die erkünfftige zeit gewinnen möchte / so fern sich anders dieselben general Wort sonst zu nichten schicken oder reimen / als dann in diesem Fall nicht ist: Dann solte die Quittantz allein auff Schuldt vnd Dienstgelt verstanden werden / Warumb solten dann die nachfolgenden wort: Vmb alle Sach / nichts außgenommen / ꝛc. in die Quittantz gesezt seyn / so sie gar nichts wircken solten / das doch nicht seyn kan oder mag. Ita Bart. in l. qui Romæ. §. duo. D. de verb. oblig. l. si quando. D. de leg. 1. c. si Papa. de prou. in 6. Vnd das noch mehr ist / so strecken sich solche general clausuln nicht allein auff das / so vor Augen vnd wissentlich ist / sondern auch auff das / davon man nit weiß / vnd erst nachfolgend an Tag kompt. Darumb / ob der von Beringen gantz nichts von dem Vngelt zu Arnstein gewist / vnd erst nachfolgend erfahren / daß er deßhalb Sprüch vnd Anforderung gehabt hette / weren jme dieselben durch die general Quittierung benommen vnd abgestellt / viel mehr so er davon gewust / als sich dann auß der ersten Quittantzen erscheint / vnd darüber ein gemeine vnd general Quittantzen geben hat / l. sub prætextu specierum. & ibi Dd. de transact. & Bartol. in l. fin. §. idem. D. de cond. indeb. Vnd wiewol diese conclusion disputierlich / dannoch so wil vnd beschleust der meiste theil der Doctorn / zuvor Bald. in l. tres fratres. in 4. notabili. & in secunda oppositi. D. de pact. & in d. l. sub prætextu. Daß die general Clausuln sich auch auff vnwissende Ding ziehen / es were dann / daß der Quittierende betrogen were worden / vnd solches lauter sach / nemlich / daß die thörechten Wort vnnd die general Clauseln dem Widertheil nicht Schaden sollen bringen / sondern dem / der die so vnbedächtlich / vnd in ein gemein in die Verschreibung vnnd Quittierung gesezt hat / argum. l. quicquid adstringendæ. de verbor. obligat. Vnd ob das alles nicht were / vnd allein zweiffenlich were / oder nicht lauter köndt verstanden werden / ob der Kauff brieff oder Quittung in Würden vnd Kräfften bleiben solt / (das doch auß angezeigten Vrsachen nicht ist) dannoch so solte die Vrtheil für den Antworter vnd nicht den Kläger gegeben werden / vnnd das darumb / daß der Antworter in der Possession vnnd Gewehrist deß Vngelts zu Arnstein; Dann wo ein Sach zweiffenlich ist / soll die allwegen dem Antworter vnd Besitzer zu vortheil auffgelegt vnd verstanden werden. Textus est in cap. si à sede. in princ. de præbend. in 6. facit quod notat Specul. in tit. de oblig. & solut. §. 1. per Cyn. in l. exercendis. in 2. q. C. de fid. instr. Vnd damit wil ich die intention, als die im Rechten gegründet ist / für den Antworter sundirt haben.

Wiewol nun durch dieses Anzeigen vñ Fundament ein jeglicher Gelehrter oder Verständiger gnugsam Antwort erfindet / zu den hievor eyngebrachten Argumenten: Dannoch / damit die Sach keinen Zweiffel hab / wil ich kürtzlich vnd noch läuterer zu denselben antworten.

Vnd zu dem ersten Argument sag ich / wiewol regulariter die general Clauseln sollen gezogen werden zu den specificatas, &c. welche dañ gar ein weitläufftige materi ist / de qua in regula generali per speciem, de reg. iur. in 6. & Bart. in l. quælitū. §. ū quis fundus. D. de fund. instr. & Bald. in l. quotiens. C. de famhercisc. Dd. in l. Mæuius. §. tamen. de leg. 2. Aber so viel not ist zu dieser Rechtfertigung / antworte ich / daß solches war ist / wo das die Verständnuß gemeiner vnnd rechter Red erleiden mag: Wo aber das die Verständnuß der Red das nit erleidet / hat die Regel nit statt. Dañ solt sich die Quittantz allein auff Schuld vnd Dienstgelt zihen / warfür solten die andern wort / Sprüch vnd Forderung / nichts außgenoñen / ꝛc. verstanden werden: Darumb solle erstlich die Schuld für Schuld / vnd specialiter tanq̃ vigore transactionis verstanden werden / vnd nachfolgend die general Clausel generaliter, vnd für alle andere Sprüch vnd Forderung / tanq̃ pactum generale, vernommen werden / vnd leidet die Verständnuß gemeiner Red kein andere Außlegung / dañ der sich aller Sprüch vnd Anforderung / nichts außgenoñen / verzeihet / kan vnd mag jhme nichts vorbehalten / noch sagen / daß er sich allein sonderer Ding verziehen hab: Wie dann hievor gnugsam angezeigt ist / per l. plurib. de acceptil. & l. 1. §. generaliter. D. de leg. præstand.

Zu dem andern Argument antwort ich kürtzlich nach meynung der gl. in l. emtor. §. Lucius. D. de pact. Daß solches war ist / wo mit außgedruckten worten gehandelt wird / dz die general Clausul gezogen werd ad specificata tantum, oder nach dem gemeinen Verstand der Doctorn / daß die general Clausul möcht nach Vernunfft rechter Red allein auff die specificata gezogen oder verstanden werden / secus in casu nostro.

Zu dem dritten Argument / dz die Verträg vnd Quittantzen allein sollen verstanden werden vñ Spän vñ Irrungen / so sich zwischen den Parteyen gehalten haben / ꝛc. Darzu antwort ich / vt not. per Bart. in d. l. si de certa. de transa. wie dann oben gnugsam angezeigt ist worden: Darzu erfind sich auß den worten / Gütlich entricht / ꝛc. nit allein ein ledig zehlung / sondern auch daß solche Quittierung beschehen ist in krafft pacts, vnd darum̃ auß krafft vnd vermögung solcher Wort soll solch pactū auch gezogen werden zu Sachen / die hievor nit spänig gewest sind / facit l. h. C. de dona. l. materia. D. de seruit. l. cum pater. §. filius matrem. de leg. 2.

Zu dem vierdten Argument antwore ich / daß nit irret / ob gesagt wirdt / daß die vorgehenden wort in den nachfolgenden sollen für repetiert verstanden werden: Dann durch solches folget nicht / daß darumb / ob gleich die erstgemelden Wort auff Schuld / oder andere specialia, mögen verstanden werden / daß sie darumb nit auch in ein gemein vnd generaliter sollen verstanden werden: Dañ (wie vor auch angezeigt ist) solte die lezte Quittantzen allein in Schulden vnd Dienstgelt verstanden werden / Warinnen solten dañ die wort /

Nichts

Nichts außgenommen ꝛc. verſtanden werden? Darumb ſo mögen vnd ſollen dieſelben erſtlich auff das / ſo erſtlich geredt worden iſt / verſtanden werden / vnd nach folgend auff alle andere Forderung / ſie ſeyen genennt wie ſie wöllen / nichts außgenommen / vnnd daß nach vermöge einer jeglichen gemeinen vnnd rechten rede / vnd das noch mehr iſt / wann zu den vorgegehende die General Clauſul allein ſolt referiert werden / wirckten die gar nichts / darumb müſſen ſie auch zu den nachfolgenden gezogen werden. c quiad agendum, de procura. in 6. l. alimenta. §. Baſilicæ. l. Stichus. de ali. & cibar. leg. Darzu iſt das nicht eygentlich vnſer materi oder Fall / vt coligitur, ex notat. per Bart. & Dd. in l. ſi ita ſtipulatus. §. Chryſogenus. de V. O. cum concord. Es irret auch nicht / daß durch ſolchs ſich einer Schenckung zu vermuten were / dann ſich erfindt auß der Quittantzen ein anders / Nemblich das der Quittierer entricht ſey. Iſt er dann entricht / kan ſich niemandt einer donation vermuhten / ſonder daß jhme vmb all ſein Spruch vnnd Forderung ein vergnügung beſchehen ſey / ohn die er ſonſt quittiert hett / vnd ſich ſeiner Sprüch begeben. Bart. in l. Aurelius. §. Gaius. de liber. leg. Darumb ſo der quittierendt General Wort in die Quittantzen geſetzt hat / die er zu ſachen nicht ſchuldig geweſt were / ſolle jhme ſeiner vnbedächtigkeit nach / vnd ſeiner Erben zu nachtheil reichen. Zum Fünfften Argument irret nicht / ſo auff ſonder klag Gemein oder General Vrtheil gehen / daß dieſelben der klag nach allein ſpecialiter ſollen verſtanden werden / dann gar ein groſſer vnderſchied iſt / zwiſchen Vrtheylen vnd vertragen / gloſſ. Bald. & Salic. in l. ſub. textu ſpecierum. & in l. age. C. de Tranſact. & Io. Imol. c. 1. de Tranſact. Vnd das iſt die vnderſchied / das in der Vrtheyl gemeiniglich werden angeſehen die Mittel der beweiſung / dann nach fürbringen vnnd beweyſunge / ſol der Richter Vrtheylen. l. illicitas. §. veritas. D. de off. præſid. Aber in verträgen vnd Quittantzen kan kein Auffmerckung der Verträg halben ſein / dann man nicht Zeugnuß in denſelben führet / ſondern wirdt allein angeſehen / warumb die Spän oder Anforderung geweſen ſein. l. 1. de Tranſact. Vnd ob gleich gehalten ſolt werden / daß es eben ſey in den verträgen / als in derer Vrtheyl / (als dann helt Bart. in d. l. ſubtenta ſpecierũ,) Mag geantwort werden ad l. licet. de Iudic. daß da ſolchen nach rechten Verſtändnuß die gemeinen wort möchten verſtanden werden in ſpecificatis, quod ſecus in caſu noſtro. Zum Letzten irret nicht / da geſagt wirdt / als ſollen die Wort in gemelter Quittantzen Vnlauter ſein / oder zweiffenlich ꝛc. Dann darzu antwort ich / daß gar nicht geſtanden wirdet / darumb daß die Wort generalia ſind / ſie auch Dunckel oder zweiffentlich / dann gar ein groſſer vnderſcheydt iſt zwiſchen Gemeinen worten / vnd zweiffentlichen / Bart. & Dd in l. veteribus. D. de pact. l. quoties in ſtipulat. D. de Reg. Iur. Dann ſonſt folgt von nothwegen / das alle Generalwort dunckel oder zweiffentlich weren / könten die gemeinen Wort kein Wirckung haben / noch einige Quittantzen für gnugſam auffgericht werden / das dann wider alle Vernunfft vnd recht were / & contra l. pluribus. de Acceptil. & notatur in l. emtor. §. Lucius. de pact. cum aliis. Ambiguitas enim vel obſcuritas intelligitur de æquiuocatione, vt dicit Bart. in d. l. veteribus. Zu dem ſo iſt ein Regel / daß die zweiffentlichen Wort ſollen außgelegt werden wider den / der ſie Außſpricht / vnd alſo wider den der quittiert hat. l. veterib. l. Latro. D. de contrahen. emt. Vnnd damit will ich die Argument / ſo erſtlich dargethan ſind / verantwort haben.

Nachfolgendt zu Antworten auff etliche Gründ / darauff ſich der Kläger legt / ſag Ich / das dieſelben gnugſam von der Widerparthey verantwort ſind / darumb von vnnöten / ſich derhalb weyter zu muhen / zu dem das ſolche alle allein auff Vermutungen geſtellt ſind / welche Vermutungen gnugſam auß erzehlten Vrſachen / vnnd die gemeinen Wort in der Quittantzen begriffen / abgeleint ſind / zu dem wo auff Vermutungen ſoll geurtheylt werden / ſo were die Vermutung wider den Kläger. Dann durch den Kläger wird nicht vermeint / das mein G. Herr von Wirtzburg in der poſſeſſion ſey deß Vngelts zu Arnſtein / wie er aber vber Verkauffung deſſelben wider darzu / vnd in die poſſeſſion kommen ſey / kan Kläger nicht anzeigen / darumb ſich zu vermuten iſt / were das Vngelt nicht gelöſt / er were nicht in die poſſeſſion kommen / vnd das ſolches mit einem rechten guten Tittel vnd ankommen beſchehen ſey / Nam ex titulo poſſidentis præſumitur bona fides. l. pen. C. de euict. Es wolte dann geſagt werden / die antwortend Partey hett ſich mit gewalt zu ſolchem Vngelt gethan / das doch nicht angezeigt / noch zuvermuthen iſt / ſonder / wie gemelt / ein widerwertigs / vnd alſo / dieweil mein Herr von Wirtzburg in der poſſeſſion iſt / vnd alle vermutung für jhme. Es irret auch nicht / daß der Hauptbrieff noch in deß von Veringen Erben Händen iſt / dieweil der durch die General Quittantz iſt abgethon worden / wie dann das gnugſam von wegen meines Herrn von Wirtzburg verantwortet iſt worden / vil minder kan die Clauſul / in dem Kauffbrieff begriffen / die da wil daß der Hauptbrieff / nach erlöſung deß Vngelts wider ſoll geben werden / dem von Wirtzburg nachtheil bringen / dann ſolche Clauſul iſt nicht dem von Veringen zu Vortheil oder gute in den Brieff geſetzt / ſondern dem Stifft zu Wirtzburg / vnd nemblich darumb / wo das Vngelt erlöſt würde / das dann der von Veringen / ohn widerred den Brieff wider zugeben ſchuldig were. Iſt jhme nun der Lauen gelaſſen / kan er jhme darumb kein Gerechtigkeit geben. Es iſt auch von vnnöthen / der Verjährung halb zu diſputirn / dann das ein weitläuffige materi iſt / zu dem das ſolcher mein Herr von Wirtzburg oder ſein Anwaldt ſelbs abſieht / vnd nicht vnweißlich / dann dieweil derſelb gnugſam mit der General Quittantzen gegründet iſt / thut jhme nicht noth / ſich mit andern weitleufftigen exceptionem zubehelffen.

Dem allen nach beschleuß ich/das denn Schidsrichtern vnnd beysitzern zu sprechen gebürt / daß der Antworter dem kläger dieses spruchs halber nichts zuthun schuldig sey / sondern von solchem spruch ledig vnd loß erkannt werde. Daneben rath ich einem jeglichen/daß er nie weyter quittiere / dann vmb das/so er empfangen oder entrichtet wirdt/sich auch enthalte von allen General oder gemeinen worten vnd Clausuln/ er wölle dann gemeinlich vnd vmb alle sach quittiern / welcher aber solches verachten will / soll sich nicht beklagen / ob jhme durch sein Thorecht quittiern nachtheil komme / dann ob jhme vnrecht beschehe / vnnd der Richter deß nicht vnterricht möchte werden / müßt er die Vrtheil nach vermögen der Recht wider jhne ergehen lassen. Laus Deo, & matri eius benedictæ, Amen.

APPEN-

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [416] - 392
PUBLIC DOMAIN

APPENDIX EPISTOLARVM
FAMILIARVM.

BILIBALDI EPISTOLA PRIMA, CONTINENS ΑΠΟ-RIAS DE LVCE, QVÆ A DEO CONDITA SCRIBITVR, GENES. CAP. I. ANTE SOLEM ET LVNAM AC NESCIO CVIVS HOMINIS scioli: & arrogantis supercilium retundens.

SAlue. Cum nuper in prandio, cui & tu interfuisti, variis de rebus, vt fit, colloquerémur; inter alia ego quoq; nonnulla protuli, scitu, vt tum mihi videbatur, non indigna. Tu vero neq; à me interrogatus, seu vlla iniuria lacessitus, protinus intulisti quæstionem illam esse scholasticalem (illo enim verbo barbaro tum vsus es) & quamuis non ignorarem, id animo iniuriandi te protulisse, & forsitã vt te extolleres, meliusq; de te tum præsentes sentirent me vero illuderes, seu vt rectius dicam contemneres; modeste tamẽ, vt bonum decet virũ eam tuli contumeliam, placideq; abs te, qui tibi tam sciolus videbaris, quæstionis propositæ sensum petiui, præcipue, cum ea tibi tam facilis, mihi vero multum difficilis videretur. Tu vero bone vir priori non satiatus iniuria, respondisti: non esse tẽpus seu locum idoneum de his diserendi, tanquã tibi maledicere liceret, docere vero minime. Et quamuis hoc quoq; te mei scrutandi gratia dixisse intelligerẽ, me tamen continui ac tacui, non ob tui reuerentiã, qui aliter de me meritus fueras, sed cæterorũ hospitum, qui tũ aderant, quos te quoq; reuereri decuisset, cum optimates huius florentis Reipublicæ essent, si tibi, qui minimus ex his sum ludibrio dignus visus fuissem, quorũ honori si non detulisse superfuisset mihi mens ac animus taliter tibi respondendi, vt post hac non tam facile quempiã absque causa maledictis lacessere ausus fuisses, præcipue incognitũ; Ignotũ, dico, qui quantum scio, te numquam ante hac vidi, seu cognoui, nec si rursus te viderem, cognoscerem. Milii enim curę non est, ater sis an albus homo: Non tñ inficias eo, eam tuã arrogantiam ægre tulisse, nã & si pueriliter vt ais quæsiuissem, parcendũ fuisset ignorantiæ meæ, decuisseq; professionem tuã modestius verba facere, & si, vt tu, impudentia niti vellẽ, ita tecum agerem, vt neminẽ posthac tam facile contemneres, sed ne quod in te merito reprehẽdo, mihi imputari possit, quiescã, & si nulla re alia te vincam, saltẽ modestia, æquanimitateq; te superabo, iuuenis senioẽm, imperitus doctum, & vt tu dicebas, scholasticus magistrum, nilq; aliud à te exigã, nisi quæstionis huius nucleum seu intellectũ: qui tibi tam puerilis esse videtur, quãuis id non animo discendi faciã. Quam n. de te discendi spẽ concipere possem, plane inde intelligere licet, ϕ tu rem à summis & sanctis viris in controuersiam deductam, summopere hinc arq; illinc iactatã, ac pene indiscussam relictã, puerilem appellare ausus fuisti. Ne tamen tu aut tui similes, vt soliti estis inter mulierculas seu imperitos, de me tanquã aliquo egregio certamine victo, gloriari possitis, has ad te dare volui litteras, quamuis tardius ac constituerã, cum publicis tum priuatis impeditus negotiis. Appello aũt tui similes non doctos, cui peritos viros siue Theologos seu Philosophos, vel aliis optimis artibus instructos, quos non solũ non contemno vel paruipendo, sed vt optimos veneror & colo, quantumq; imbecillitati meę permittitur, semper & vbiq; pro his intercedo, tueor ac foueo, sed illos dico, qui summa nituntur impudentia, quiq; reliquos præ se contemnunt, solumq; conuitiis rem agunt; Indeq; sibi nomen seu famam, vel vt verius dicam infamiam quærunt. Ego vero quamuis multarum rerum me ignarum scio, sedulum tamen ac discendi cupidũ esse non ignoro. Quapropter primo quæstionem proponam, postea vero succincte breuiterq; quid hac de re summi sensere viri tangam, vt non adeo rudem me sentias, seu scholasticum, vt forsan tecum conceperas, demũ vero enarrationem quęstionis petam, vt videam, an facta ampullosis sesquipedalibusq; tuis quadrent verbis. fuit igitur quæstio talis: Cum Deus omnipotens in principio post creationem cœli & terræ fecisset & lucem, quarta vero postea die plasmasset solem & lunam, quæritur, quænam fuerit lux prima creata die, quæ separate à sole & luna ponitur.

Doctores tam Græci & Hebraici quam latini, qui hac de re scripserunt, multũ inter se dissidentes, varios dant intellectus: Aliqui n. ex ipsis lucẽ hanc spiritualem, reliqui vero corporalẽ fuisse volunt: qui spiritualem intelligunt, per lucem hanc intellectualem, cœlestem, & angelicã substantiam designari putant, distinctionẽ quoq; rei formatæ ab informi, &c. ϕ vero sensus ille litteræ minime congruat, plurib. posset demõstrari rationib. quas cõsulto breuitatis quoq; gratia præteo, præcipue cũ illa à Doct. abũde afferantur. Alii vero per hanc lucẽ notari volunt creaturæ informitatẽ, & imperfectionem antequã formaretur, quod ab aliis reprobatur: Alii vero credunt lucem hanc consummati operis terminũ fuisse, futuriq; indicationẽ, sed quia per intellectum istũ diuinæ detraheretur potentiæ,

non

non immerito reiicitur, prætermitto, quam plures alias opiniones tanquam vulgares minusque conuenientes. Ceteri vero qui lucem hanc corporalem fuisse volunt, dicunt hanc fuisse accidentalem, per quam reliqua cœli lumina illustrarentur, & sic prima die accidens, quarta vero substantiam creatam, quasi Deus ab accidente inchoasset, ac non vna die potuisset solem & lunam cum suo creare splendore. Addunt præterea ac quærunt cum corporalis fuerit hæc lux, quænam ea sit, quam cernere non possumus cum sol occiderit. In qua quæstione potius se inuoluunt, quam resoluunt, omniaque in dubio ponunt; dicunt enim forsan lucem hanc adeo soli iunctam, vt propter claritatem discerni non possit, vel potius in ea parte factam, vbi & Deus hominem facturus esset, quasi sol clarior luce illa fuerit, seu Deus hominem facturus absque lumine visurus non esset. Alii vero lucem hanc dicunt partes superiores illustrare, ideo minime obtuitum nostrum illac peruenire posse, solem vero ac lunam ad inferiorem factam illustrationem. Reliqui credunt lucem hanc factam temporaliter mutabiliter quoque, &c. quamuis forsan vox ista, *fiat lux*, temporaliter facta sit, verbum tamen Dei fuisse coæternum patri, & sic rursus non tẽporaliter, Græci vero qui ipsi multum inter se dissident, iam illam, iam aliam amplectuntur opinionem; quidam vero ex ipsis per hanc lucem signari volunt spiritum sanctum: alii vero verbum, quod in principio fuit, tanquam spiritum creatum & non procedentem filium quoque ac verbum factum & non genitum, quæ omnia cum ab fide nostra abhorreant prætereunda sunt ac contemnenda. Hinc enim exordia varia sumpserunt hæreses, de patre, filio, & spiritu sancto non recte sentientes: Alii vero aliam dant interpretationem, quæ non penitus litteræ incongrua esse videtur: Vbi enim nos habemus lucem aliqui Græci codices habent splendorem, alii lumen, ita vt non paruam faciant differentiam, inter lucem, lumen & splendorem, discutiuntque illud diligentius, quod Deus fecit die prima lucem, & quarta luminaria duo, & cur illa magna appellauerit, quasi maiora sint luce prima creata die: Alii vero subtiliorem rimantur intellectũ, de filio & spiritu sancto, examinãrq; ex amissim verbum fecit, q̃ in fieri insit esse, lumenque istud æternum æquale semper fuerit, ac sit primum vel patri. quamuis verbum: facta est lux, tẽporaliter, & sic non æternaliter sonuerit. Eliciunt igitur sensum abstrusum & penitiorem, quem nunc prætermitto. Nam nimis longum esset cuncta enarrare, & forsan intellectus tuus rerum harum subtilium minus capax; Cum ergo tot tantæque sint inter doctos hac de re disceptationes, quam tu puerilem appellas, & vnusquisque suam tueatur opinionem, eam veram credens, in qua tamen decipi potest. Credere vero vt tu dicis sit scire, quæ igitur verior sit, cum tu eam scias, ac in textu positam esse ais, nobis aperi, & cum sis magister in Israel, edissere nobis parabolam hanc, & credemus tibi; sin minus, vt videre licebit, ridebimus potius iactantiam vanamque illam præsumptionem tuam, quam te laudentes seu vituperantes. Si vero tibi aliqua ex his quæ scripsimus duriora videntur, tibi culpam hanc imputabis, à quo initium res hæc sumpsit, quodque materiam ac occasionem præstitisti, Vellem enim vt tibi scribere coactus non fuissem, & nisi de iactantia tua dubitarem, te litteris meis dignum non censerem, nec ad te scriberem. In tuo igitur arbitrio positum erit respondere, seu tacere. Non enim iniuria me aut humanitate vinces, sed potius si perges, vt cœpisti conuitiis contendere, & dicere quæ voles, quæ non voles audies, & non solum verbis scholasticum, sed contumacem me experieris, ac reipsa malum senties ephœbum. Vale.

S. P. 2.

VTinam sicut alter alteri συμπαθῶμεν, & alter alterũ consolamur, ita nobis inuicẽ mederi liceret: Quanquam mihi sane minima dolorum pars est corporis morbus. Ego mihi, teste Christo conscius, me nihil ambire eorum, quæ sunt huius mundi, volens emigrauero ex hoc domicilio, simul atque euocauerit ille noster Imperator, neque detrectem tamen interim vel immori piis laboribus, si modo fructum aliquem adferre liceat Iesu Christo. Sed videmus imbecillitatem, vel potius infelicitatem nostram, videmus hoc seculum prodigiosum, adeo, vt nesciam cui parti me addicam: Nisi quod conscientia mea satis confidit apud iudicem Iesum, qui sub nomine pontificis, nescio quod, agunt negotium, sic vrgent omnes laqueos veteris tyrannidis, vt videantur addituri citius multa, quam quicquam detracturi: Rursus, qui sub nomine Lutheri præ se ferunt vindicationem Euangelicæ libertatis, nescio quo spiritu rem gerunt, certe multi se admiscent, quos malim non admisceri, si mecum esset negotium: Interim exitialibus dissidiis vbique scinditur charitas Christiana: Interim in suspenso sunt hominum conscientiæ: Qui propensi sunt suapte natura ad licentiam, facile arripiunt occasionem è libris Lutheranis: Qui modestiores sunt, inter sacrum & saxum hærent, hinc vident argumenta probabilia, & sensum naturæ: illinc vident autoritatem principum ac turbam innumerabilem. Quorsum autem res sit euasura, nescio; ego coactam & extortam fidem non magni facio, grauis est autoritas bullarum, grauior diplomatum Cæsaris, sed ista fortasse cohibebunt ad tempus linguas hominum, an animos vertere possint, nescio. Vtinam Deus placatus nobis, hoc immittat animis principum, vt concordibus & synceris animis, nec alio spectantibus, quam ad gloriam Christi scrutentur huius mali fontes, & remedium aliquod efficax ac duraturum adhibeant,

ant,idq; quam minimo orbis tumultu,hoc est,quam minimum conuulso Reip. statu. Quid multis? Res eo delapsa est,vt omnino succurrendum sit populi Christiani libertati. Adeo multa irrepserunt paulatim in publicos mores, & ceu præscriptione vim legis in euitabilis occuparunt. De conciliis non ausim aliquid dicere,nisi forte proximum concilium Lateranense concilium non fuit. Multum scholasticor.theologor. auctoritas transsumpsit scholarum autoritas paulatim aucta,quæ nunc suas definitiones propemodum pro articulis fidei haberi postulant,iam, sub vmbra Romani Pontificis cauponantur,partim nimium sibi vindicarunt,partim eo insolentiæ progressi sunt,vt omnibus fuerint intolerabiles. Quæ paulatim collegere robur,non possunt subito conuelli,& magnatum autoritatem palam contemnere, nec tutum est, nec vtile; mea sententia, nunc ex vna parte res agitur bullis & edictis,minisque:ex altera litentiosis,ne dicam seditiosis libellis;Quod si principes aliis rebus occupati,non possunt his animum aduertere, demiror non existere bonos viros, qui prudenti consilio tantis malis occurrunt. Mea res non admodum agitur,instat vitæ meæ terminus; Sed morientis etiam est,bene velle rei Christianæ. Si modo recte persuasum est nobis, Christum esse caput immortale totius Ecclesiæ. Alius consulit suis priuatis commodis: Alius metuit,ne perdat quod habet; Alius abhorret à tumultu & quiescit,sed interim gliscit periculosum incendium. Me quorundam maleuolentia tanta grauauit inuidia,vt frustra sim conaturus, si quid tentem. Theologi quidam sentientes renascentibus per nos antiquis studiis suæ autoritat ipaulatim aliquid decidere,etiam priusquam Lutheri nomem audisset orbis nihil non moliebantur in me,his Lutherus telũ porrexit,quo nos conficerent:tametsi semper abstinui à Lutherano negotio,nisi quod hortabar sedulo, vt aliter scriberet, si vellet proficere,successit Alexander, & ante Lutheri nomen hoc faciens,quod figulus figulo,natura excelsus,ferox,iritabilis,cui nihil neque lucri,neque gloriæ satis est,hunc quidam implerunt falsissimis mendaciis,& sic instigarunt hominem,vt nihil haberet pensi,quid de me prædicaret,etiam apud summos viros, modo perderet. Et tamen apud me deierabat: non viuere quemquam amiciorem Erasmo quam esset ipse. Discedens reliquit organa sua probe instructa: duos theologos Louanienses,Dn. Carociolam Episcopum Leodiensem,hominem linguæ nimium facilis, & Hispanum nescio quem in aula Cæsaris,Suspicor esse episcopum Mortensem. Habet Romæ Stunicam,hominem omnium iudicio insanum, & ad maledicentiam natum. Is exhibuerat Leoni libellum,qui continebat sex myriades hæreseos decerptas è meis lucubrationibus. Et iam causa periclitabar nisi mors intercepisset Leonem: alioqui non infensum Erasmo. Lutherani mihi palam minantur libellos maledicos. Et Cæsari propemodum persuasum est, me fontem & caput esse totius Lutherani tumultus. Atque ita magnifice periclitor vtrunque. De omnibus bene meritis,decreueram aliquid scribere, non aduersus Lutherum, sed de concordia,verum video partes ambas sic ardentes,vt præstat quiescere. Quanquã vellem iam ante duos annos in me scripsissent Lutherani, leuassent me graui inuidia Consului doctissimos theologos, si quid esset in Nono capite Episto. ad Rom. negant quicquam esse mali,nisi hoc istis malum videtur, quod aliquid tribuam libero arbitrio,tametsi perpusillum. Bene vale vir Clarissime,nosque quod soles & facis,ama.

Erasmus.

IOAN. COCHLEI AD BILIBALDVM ETISTOLA. 3.

S Venerunt nuper ad me Egra (quod mireris) litteræ tuæ,obseruantissime ac perpetuo memorãde Domine Bilibalde, Patrone charissime,& eæ nõ solæ,sed comitatæ venerabili illo Theologo Greg. Nazianzeno. Deus bone,quanta fuit in viro illo dicendi vis, quanta & profanarũ & sacrarũ litterarum cognitio. Vehementer tamen miror,quod is Constantio,quẽ omnes,quos nouerim Catholici pro summo Arrianæ perfidiæ defensore condẽnant,tm̃ tribuit pietatem,sed facit id forsitan non simpliciter,sed in cõparatione ad Iulianum. Quid aũt dicemus de Constantino patre eius,quẽ Hieronymus quoq; sub finẽ vitæ Arrianũ factum fecisse cõmemorat,baptizatum ab Eusebio Nicomediense? Rogo itaq; Magnificentiã tuam,vt super iis duob. breue saltẽ rescribas aliquando respõsum,nõ ad contẽdendũ. Quis n. sum ego,vt tecũ contendã? sed ad instruendũ me. Mihi neq; otium est neq; facultas,ne libri quidẽ,vt exacte de istis Principibus certã sententiam definire valeã, quales ab Ecclesia haberi debeant,cũ variẽt scriptores; Ego certe à te discere nunquã erubui,neq; erubescã in æternũ: Quãuis in dogmatum contentione,quæ ad Ecclesiæ determinationẽ pertinent,animæq; salutẽ tangunt,non ausim per omnia tuã sequi sententiã, quando sic ab Ecclesiæ decretis longe alienus quando dissentis. Cedo quidẽ tibi de harena contentionis;scio n. te longe instructiorẽ omni armorũ genere,siue in Rhetoricis,siue in theologiæ alteriusue facultatis locis cõtendendum sit; Neq; tm̃ per omnia tibi assentior,qui captiuũ teneo intellectum meũ in obsequiũ Christi & Ecclesiæ Catholicæ, q̃ in conciliis vniuersalib. maxime agnosco. De Clemẽte VII. nihil opus est rescribere, quin aiunt eũ iam vita functũ,sub Dei stare iudicio. De conciliis credo Christo Matt. 18. De vna specie sacramenti

Laicis

Laicis danda, ſufficit mihi voluntas & poteſtas Eccleſiæ, quanquam & Chriſti atque Apoſtoli habemus exempla. De cœlibatu ſacerdotum gratias ago tibi plurimas, propter libellum, quem miſiſti; Tranſmiſi eum Lipſiam, vt edatur quam primum, ſub eo titulo quem adſcripſiſti, addi tamen pro clariori intelligentia adhæc verba: De Votiuo cœlibatu, addidi, inquã, ſeu voto caſtitatis, propter rudiores. Non modicum ex eo ſpero fructum apud eruditos; Quem vbi ſenſero, mox & Teutonice editurus ſum eundem, niſi aliud forſitan videatur tibi. De Bigamiæ vidi atroces veſtrorum Apoſtatarum propoſitiones, de quibus nihil adhuc reſcripſiſti mihi: Emeram aliquot exemplaria Francoforti: Nepos tamen meus aberrauit in tranſmittendo, pro illis enim alias miſit: Ego tamen in odium Apoſtatarum ad multos, dum ibi agerem, miſi, in Angliam quoque. Obſecro te Clariſſime ac Obſeruantiſſime Domine Bilib. vt fœturam illam 500. propoſitionum aut edas per te, aut per alium edi ſinas. Sed & ſannas in monachum matura, ſcio quam dextrum ad eas tibi ſit ingenium, & facile conicio, quantum autoritatis ei adempturus ſis eiuſmodi dialogo, præcurret ad eam rem ruſticum opiſculum meum Lutherus ſepticeps, cuius pars Tentonice his diebus Lipſiæ edita eſt, mihi tamen nullum adhuc exemplar eſt; Latine aũt exiet totus mox poſt Paſcha ad nundinas Lipſenſes: Ego autem gratiam ludendi & fingendi non habeo, retuli verba eius, quæ plerunque vehementer contraria ſunt, quod ipſe quoque & fateris & deteſtaris. De Scheurlino & Spenglero non opus eſt vt reſcribam, ſed grarias tibi potius ago propter conſolationes & conſilia quæ ſcripſiſti: Non credo equidem illorum potentiam diu duraturum. Illuſtr. Princeps meus te magnifacit, non fui tamen auſus totam ei exhibere epiſtolam tuam, ne forte hic noua excitaretur tragœdia, propter ſecreti proditionem, de qua ſcripſiſti. Mitto Magnific. tuæ libellum hic iam excuſum, indignum quidem qui à te legatur, niſi forte ob Principis mei amorem legere digneris, cupio tamen, ſi graue tibi non fuerit, tuam quoque intelligere ſententiam ſuper diſcordantiis in Latinis, Græciſq;, & Hæbraicis Bibliorum exemplaribus, de quibus non nihil in libello, Impreſſor Dreſdenſis pauper eſt, neque Latinas, neque Græcas, neque Hæbraicas habet litteras, boni conſule quæſo ruditatem. D. Eraſmus ſuum hic habet nuntium, cui & has trado litteras, qui ad te rediturus eſt. Obſecro te, vt ſeni placabilem te præbeas, nunquam profecto ex libris eius, quos legerem notare potui ſiniſtri quippiam in te; Deus longe auertat, ne vos duo in contentionem vllam publice deſcendatis, per quam totum Germaniæ lumen in tenebras abiret perpetuas, haud ſecus, atque fieri ſolet in mundo, dum in coniunctione fit deliquium, credentibus ruſticis, pugnam eſſe grandem inter duo lumina cœli, ſolem & lunam. Dolet mihi vehementer, tanto viro fieri negotium & moleſtias à iuuenibus illis vſque adeo imparibus & obſcuris.

Aiunt Lutheranos contra ſepticipitem meum depinxiſſe grande Cochlear Wittenbergæ, cui plurima adiunxerunt Cochlearia minora, vt par pari referant, ſed ego pictoras & ſannas eorum patienter ferre didici, Deo ſit laus & gratiarum actio.

Ad ea quæ copioſe contra ſententiam & opinionem meam ſcripſiſti, reſpondere non auſim, conſcius mihi probe, quanto ſim te inferior, ac viribus impar, nec decet, vt inepriis meis bonas tibi horas perdam, Ad vnicum reſpondeo ſyllogiſmum, bene conuictum & acre dilemma. Scribis ſi legerim vitas Pontificum, quorum plerique fuerint hæretici, depoſiti, condemnati & exuſti, quod videar te tentare, quod certe non feci. Sin vero non legerim officio meo non videar fungi. Ego certe longe facilius fatebor tibi culpam negligentiæ, quam improbitatis. Ex animo enim ad te ſcribere ſoleo, nec ſatis ſcio, an vnquam Platinam perlegerim totum, frequenter tamen legi, vbi opus videbatur, ſed non memini me vllum ex Roman. Pontific. reperiſſe, qui hæreſeos damnatus fuerit, niſi quod Liberius poſt exilium Arianis communicaſſe legitur, & ego pro mea ſimplicitate tribuere ſolitus ſum, eam fidei integritatem illi verbo Chriſti, Luc. 22. Ego pro te rogaui, Petre, ne vnquam deficiat fides tua; Legi quidem peſſimos in vita plerosque fuiſſe, ſed hæreticos fuiſſe non legi, & rem gratiſſimam faceres mihi, ſi quando per otium aliquot mihi breuiter commemoraueris. Scribis enim plurimos pro hæreticis haberi.

Hæc omnia confidenter ſub antiquæ in me beneuolentiæ tuæ fiducia ſcribo, plurimum rogans, vt ſi quæ te offendant, inſcitiæ tribuas aut ſimplicitati, Vix enim eſt alius quem minus offendere velim quam te. Si quando igitur offendo, errore fit, non ſtudio. Gratias tibi ago plurimas pro inſtructione ad ſeruandam ſanitatem. Bibo quidem vtrunque potum, ſed neuter naturæ meæ ſic conuenire videtur, ſicut vina ſolent Rhenenſia, vehementer timeo ne Chiragram afferant mihi vina patriæ huius. Habet enim & Albis (quod ſæpe miratus ſum) ſuas vineas. Bene vale obſeruantiſſime Domine Pater & Patrone, perpetuo memorande. Ex Dreſda 10. Martii.

Magnific. T. ſemel addictiſſimus
in perpetuum Io. Cochleus.

Lutherus Eraſmo. 4.

GRatia & pax à Domino noſtro Ieſu Chriſto. Iam ſatis diu ſilui, optime Eraſme, & quamuis expectarem, vt tu maior & prior ſilentia rumperes, tamen cum fruſtra expectarim tam diu, ipſa pu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [420] - 396
PUBLIC DOMAIN

puto charitas me cogit incipere. Primum nihil cauſor, quod alieniorem te erga nos habueris; quo magis tibi eſſet integra & ſalua cauſſa tua contra hoſtes meos Papiſtas. Denique non ægre tuli admodum, quod editis libellis, in aliquot locis pro illorum gratia captanda, aut furore mitigando, nos acerbiuscule momorderis & perſtrinxeris. Quando enim videmus nondum eſſe tibi à Domino datam eam fortitudinem, vel & ſenſum, vt monſtris illis noſtris libere & fideuter occurras nobiſcum. Nec ij ſumus, qui à te exigere audeamus, id quod vires & modum meum ſuperat. Quin imbecillitatem meam & menſuram doni Dei, in te tolerauimus, & venerati fuimus. Nam id plane non poteſt negare totus orbis, quod litteræ florent & regnant, per quas ad ſyncerum Bibliorum lectionem venitur. Donum etiam Dei in te eſſe magnificum & egregium, de quo gratias agere oportuit. Proinde ego quidem nunquam optaui, vt deſerta aut neglecta menſura tua, noſtris caſtris miſcereris, cui negotio, etſi ingenio & eloquentia multum prodeſſe poſſes, tamen cum non adſit animus, tutius erat in tuo dono ſeruire. Hoc ſolum timebatur, ne quando per aduerſarios adduceris, editis libellis in dogmata noſtra graſſari, & tum nos neceſſitas vrgeret, tibi in faciem reſiſtere. Compeſcuimus ſane aliquos, qui iam paratis libris, te in harenam trahere volebant, atque ea ratio fuit, vt & Hutteni expoſtulationem optarim non editam: multo minus tuam Spongiam, in qua niſi fallor, tu ipſe iam ſentis, quam facile ſit de modeſtia ſcribere, & in Luthero immodeſtiam arguere. Sed difficilimum, imo impoſſibile præſtare, niſi dono ſpiritus ſingulari. Credas igitur vel non credas, teſtis eſt Chriſtus, ex animo me tibi condolere, tot & tantorum odia vel ſtudia eſſe in te irritata. Quibus vt non mouearis (quod tua eſt humana virtus tantis molibus impar) credere non poſſum. Quanquam & illos forte moueat iuſtus zelus, vt ſibi videantur indignis modis à te prouocati. Et, (vt libere fatear) cum tales ſint, qui tuam acerbitatem, & ſimulationem, quam tu prudentiam, & modeſtiam velis intelligi, pro ſua quoque infirmitate ferre nequeant, habent certe ob quod merito indignentur, nihil habituri, ſi fortiores eſſent animis. Quamuis tamen & ego irritabilis, irritatus fuerim ſæpius, vt acerbius ſcriberem, tamen hoc non feci, niſi in pertinaces, & indomitos. Ceterum clementia & manſuetudo mea erga peccatores & impios, quantumuis inſanos & iniquos, arbitror non modo teſte mea conſcientia, ſed multorum experientia, ſatis teſtata ſit. Sic hactenus ſtylum cohibui, vtcunque pungeres me, cohibiturum etiam ſcripſi, in litteris ad amicos, quæ tibi quoque lectæ ſunt, donec palam prodires. Nam vtcunque non nobiſcum ſapias, & pleraque pietatis capita, vel impie vel ſimulanter damnes, aut ſuſpendas, pertinaciam tamen tibi tribuere non poſſum, neque volo. Nuncautem quid faciam? vtrinque res exacerbatiſſima eſt. Ego optarem (ſi poſſem fieri mediator) vt & illi deſinerent te impetere tantis animis, ſinerentque ſenectutem tuam cum pace in Domino obdormire; id ſane facerent, mea quidem ſententia, ſi rationem haberent tuæ imbecillitatis, & magnitudinem cauſæ, quæ modulum tuum iam dudum egreſſa eſt, perpenderent. Præſertim cum res eo peruenerit, vt parum ſit metuendum periculum noſtræ cauſæ, ſi Eraſmus etiam ſummis viribus oppugnaret, nedum ſi aliquando ſpargit aculeos & dentes, tamen rurſus tu, mi Eraſme, ſi illorum infirmitatem cogitares, & à figuris illis Rhetoricæ tuæ falſis & amaris abſtineres, vt ſi omnino neque potes, neque audes noſtra aſſerere, intacta tamen dimitteres, & tua tractares. Nam quod illi morſiones tuas iniquius ferunt (etiam te iudice) nonnulla cauſa eſt, ſcilicet, quod humana infirmitas cogitat, & male metuit authoritatem, & nomen Eraſmi, & longe aliud ſit ab Eraſmo ſemel eſſe morſum, quam ab omnibus Papiſtis ſemel eſſe commolitum. Hæc volo dicta, optime Eraſme, in teſtimonium candidi in te animi, vt qui optet tibi dari à Domino ſpiritum dignum numine tuo, quem ſi diſtulerit tibi Dominus dare, interim à te peto, vt ſi aliud præſtare non potes, ſpectator ſis tantum tragœdiæ noſtræ, tantum ne copias adiungas aduerſariis, præſertim ne edas libellos contra me, ſicut nec ego contra te edam. Deinde eos qui Lutherano nomine ſe peti quæruntur, homines eſſe tui meique ſimiles cogites. Quibus opus eſt parcere & ignoſcere, & vt Paulus ait: Onera inuicem portare. Satis morſum eſt, nunc prouidendum eſt ne conſumamur ab inuicem, quod eo eſſet miſerabilius ſpectaculum, quo certiſſimum eſt, neutram partem ex animo male velle pietati, & ſine pertinacia ſua cuique placere. Boni conſule meam infantiam, & in Domino bene vale. M. D. XXIV.

BILIBALDVS PIRCKHEIMER GEORGIO GEVDERO SVO. S.

SAlue, Georgi optime: litteras binas per fratrem tuum à te accepi, ex quibus intellexi, te ſæpius ad me ſcripſiſſe. Ceterum te non ignorare volo litteras penitus nullas abs te mihi conſignatas eſſe: neque Cuglerum, aut Sidelmannum, quos tu nominas vnquam vidi, aut quinam hominum ſint, ſcio. Non enim me adeo humanitatis expertem cenſeas, quamuis negotiis cum publicis

tum priuatis occupatissimus sim, vt scriptis tuis lectis non respondissem. Bonos enim omnes diligo, litteris vero deditos etiam summopere amplector. Negligentiæ igitur non me, sed tuos inculpare poteris, qui minus iussa tua exequuti sunt. Quod vero me (vt scribis) tam vehementer amas, tibi ago gratias, sed quod innumeris me effers laudibus, imolaberis in mei amore. Haud enim me latet illum non esse, quem prædicas, nec tali me dignor honore; malo tamen à te falso laudari, quam culpari. Quod vero te sacris initiatum scribis, tibi gratulor iuste, optoque vt res ea tibi honori ac saluti cedat. Mitto ad te prouerbia Tarrhæi & Xyphilini græca, quibus operam dare poteris, multa enim scitu dignissima his insunt, si vero quid agam scire desideras, audi, quod negotiis tempus (quod breussimum est) subtraho, litteris impendo, habeoque in manibus Τὰ τῦ Ξενοφῶντος παιγλεπτόμενα, ἅπερ καὶ ἰκλωκηὶ ἐκδίδοσεν, &c. Iamque libros quinque cum omnino septem sint, in latinum verti, breuique Deo dante historiam eam plane absoluam, quam tu forsan ac docti alii videbunt. Vale & me ama, &c. Nolo te ignorare Doctorem Hieronymum fatis cessisse. Sit ei terra lenis: vir enim fuit dignissimus. ***

BILIBALDVS PIRCKHERVS NICOLAO GERBELIO. S. P. 6.

BEne est, mi Gerbeli, si sceleratorum nebulonum conuitia tot mihi quotidie conciliant amicos; ac illos non vulgares, sed optimum quemque ac eruditissimum, equidem ignorabam mihi Gerbelium quoque amicum esse; verum impudentissimi blaterones illum vel amicissimum esse ostenderunt. Mihi itaque gratulor, quod tam feliciter Austrum pertulerim, ac res longe aliter procedat, quam diabologi illi existimarunt; ideo tantum abest vt ego sanctorum virorum concacationes ægre feram, vt etiam suauissime ridere coactus fuerim, quod me tam petulantissimis insectati sint calumniis: siquidem non aliter me laudare potuissent, nisi tam improbe culpassent. Pergant igiter, & mâl dicere non desinant, dummodo probris suis, etiam inuiti me quotidie ornent. Constitueram illis sub initium respondere, verum indigni visi sunt, quibus boni viri male, ne dum bene dicant. Valeant igitur vitiligatores, barbara turba, nos vero optimum ac amicissimum Capnionem minime derelinquemus, sed semper & vbique pro viribus tueri conabimur, quod eruditissimum quemque mecum facturum minime dubito, inter amicos meos. Ceterum etsi laudes tuas minime agnoscam, rem tamen mihi admodum feci gratam, cum te talem mihi amicum esse significasti. Poteris igitur amicitia ac opera mea dehinc non secus ac propria vti, Interim bene vale, ac doctos cunctos, quorum apud vos esse audio, ad parentis vti Capnionis hortatum non desine ***

GEORGIVS GEVDER BILIBALDO PIRCKHEIMERO S. 7.

EN tibi, obseruandissime auuncule, Alexandri nostri epistolam, cui certe vt animus est, tibi in amore non concedere, ita ob prouocatum abs te primũ, iam reponere aggreditur. Sollicitus est sane non parum ne tardiorem, tũ minus boni consulas; precatur ne eius tarditatem negligentiæ, magis quam summis attribuas negotiis! Absoluetur me quidem teste; si vero quis intercedet, non aptum me satis testem, innumeros adducet testes, qui te causa deiicient. Vix certe summopere te amat ac suspicit, nec quicquam tam habet in manu, dum negotia concedunt, quam tuam Rhetoricam, sed vereor, ne vxor eius propediem in ius te vocet, grauissimumque dicat diem. Media enim nocte consueuit è lecto ab ea surgere, atque in clarum vsque diem tua magis oblectari Rhetorica, qua tibi quoque opus erit, dum in iudicio ab ea accusabere, domum suam tua causa detrimentum habere, suppellectilem æruginem contraxisse. Sed nimium ioci: in aula, mi auuncule, quicquid iam noui est ex Alexandri epistola probe, quantum scribere licet, intelliges: Mihi perendie cum Cæsare & hero meo ad Regem Galliæ proficiscendum erit. vbi si quid comperero, quod te scire curare putauero ad te scribam sedulo. Interim me tibi totum dedo: atque adeo precor, vti ad nos frequentius scribas. De patria nonnihil ac communi apud vos tumultu, rogo non sit graue Albertum Durer, tuas & sorores duas & filias mihi salutare. Vale, Toleti XXII. die Ianuarii, Anno M.D.XXVI.

Præclarissimo Viro, Domino Bilibaldo Pirckheimero patricio Nurembergensi, auunculo suo opt. Nuremberg.

Tuus

Georgius Gevder, &c.

BILIBAL-

BILIBALDI AD IGNOTVM QVENDAM EPISTOLA DE PLATONIS DOGMATIBVS NON scriptis. 8.

SQuamuis me non eum esse putem, qui desiderio tuo, vir eruditissime, satisfacere possit, vt tamen petitioni tuæ περὶ τῶν τοῦ πλάτωνος ἀγράφων λεγομένων δογμάτων satis faciam, scias, Platonis non scripta dogmata frequenter apud Græcos citari, apud Latinos vero non ita. Sunt vero ea dogmata quæ Plato ex Pythagoricorum præcepto, quos secutus est, non libris, sed voce docuit, vel adeo implicite & obscure conscripsit, vt ab disciplinæ suæ ignaris, etiamsi legerentur, intelligi nequirent, ac pro non scriptis haberentur. Nosti enim, apud Pythagoreos in primis obseruari solitum, ne quid ex iis, quæ in eorum schola dicebantur, in vulgum emitteretur: neque auditoribus quinquennio integro quid interrogare, vel de iis quæ dicebantur, percunctari licebat. Audiebant duntaxat, quæ à præceptoribus legebantur, & taciti secum voluebant, quin & rerum diuinarum secreta per omnem vitam occulta tenebant, quæ non litteris, sed voce tantum tradere fas erat: cuius simile quid apud Iul. Cæsarem de Druidum institutis legimus, apud quos non erat fas quicquam litteris mandare; oportebat potius dogmata cuncta non scripto, sed viua voce perdiscere. Causam vero cur Plato tam implicite pleraque scripserit, in epistola, quam de natura primi entis ad Dionysium scripsit, manifeste ponit. Scribendum est, inquit, per ambages atque ænigmata, ne si forte mari vel terra iactari librum contigerit, qui legerit, intelligat, &c.

Cetera desiderantur.

BILIBALDVS CAPNIONI S. 9.

NOn ignoras, inuictissime Capnion, Medium quendam ex Alexandri olim adulatoribus fuisse, qui homines hortaretur, vt calumnias in optimum quemque audacter confingerent. Nam etsi vulnus, aiebat, linguæ gladio inflictum, obductum fuerit, nihilominus tamen cicatrix remanet. Pariter & vituperones tui non secus at diri alites gemitu, (quæ sola eorum vox est) ex tenebris & obscuro, dum Lucianus noster ederetur, interturbare conati sunt; existimantes, etsi morsum infigere nequirent, serpentina tamen lingua ac animi rabie innocentiæ tuæ notam aliquam inurere ac teterrimi veneni luridam tabem affigere posse. Verum, constantissime Capnion, caue sis, vt quadruplatorum illorum obscœna loquacitate mouearis, & à vera animi ratione decidas; sed libitinarum harum deliramenta generose, & vt virum bonum decet, feras, ne te Deo Optimo ac Maximo præferre videaris. Cum tu taces, pro te Veritas loquitur. Vale.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ BILIBALDI PIRCKHEIMERI AD NOB. VIRVM VDALRICVM HVTTENum, De morte Alberti Dureri, Appellis Germanici. 10.

STametsi, mi Vdalrice, longior ætas inter potiora hominum connumeretur vota, vix tamen aliud quid pernicioſius excogitari potest, quam vita diuturnior: quod ego quidem nunc vel præcipue experior quotidie. Nam vt reliqua senectutis omittam incommoda, morborumque variorum genus omne, quid molestius homini accidere posset, quam quod assidue fere non solum natorum ac propinquorum, sed & amicorum ac carissimorum suorum funera deplorare cogitur. Sane etsi iam sæpius dolorem, qui ex morte necessariorum suboriri solet, expertus fuerim, nescio tamen, an cuiusquam obitus talem mihi vnquam luctum attulerit, qualem nunc optimi ac amicissimi nostri Alberti Dureri abitus repentinus concitat. nec iniuria, quum neminem ex omni humano genere, qui mihi sanguinis saltem vinculo iunctus nō esset, magis dilexerim, ac pluris ob innumeras eius virtutes probitatemque singularem fecerim. Proinde, mi Vdalrice, quum sciam, calamitatem hanc communem mihi tecum esse, potissimum apud te dolori meo habenas laxare ausus fui, quo pariter amico tanto iustas persolueremus lacrymas. Obiit Albertus noster; Vdalrice optime, proh fatorum ordo inexorabilis! proh misera conditio humana! proh dura inclementia mortis! Vir talis tantusque nobis ereptus est, quum interim tot inutiles ac nullius frugis homines fortuna prospera perpetua, vitaque fruantur plusquam diuturna, &c.

EPISTOLA BILIBALDI AD CVNRADVM CELTEM PROTVCIVM, PRIMVM E GERMANIS poetam Imperatoriis manibus coronatum. II.

Βιλιβάλδ⊙ Πιρκχάιμερ Κονραίδῳ Κελτῇ τῷ ποιητῇ καὶ ἀγαπητῷ μου τῷ πρώτῳ. Σὺ μὲν δὴς πρὸς ἐμὲ γέγραφας· ἐγὼ δὲ οὐκ εἰσέπω ὑπέλημφα, πλημμελὴς ὢν ὅπως τὴν ἐπιστολὴν πέμποιμι, νυνὶ δὲ τάδε ἀγράφευς ἀνέγνωκα, καὶ τοῦτ᾽ μὲν ἀγάλλ⊙, οὗ σει χαίρω βασάνῳ πρὸς ἐμὲ γράφειν· καὶ πάνυ μοι δοκεῖ μετὰ γέλωτ⊙ ἄξιον εἶναι θαυμάσαι. ἀλλὰ πάντων τῶν ἐδίων γραφόντων ἐκείνη ἀπολογία. ἐγὼ δὲ σε ἰρεῖα πίστευσα, καίπερ ἀμέλειάν σου γινώσκω. πλευτεῖ τῷ Ἰωάννῃ δυσκολαίνω. ἀμὲ⊙ γὰρ καὶ γνωμονικὸς ἦν ἀνήρ. ἀλλὰ Μοῦσαι δ᾽ ἄτιτα φημὶ πεφυγμένον ἐμμεναι ἀρετῶν, ὃ κηκεῖν, ὃν μὲν ἐσθλὸν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται. ὡδὲ τοῦτο δ᾽ ἐμοὶ ἐπιφημίζεις τὸν πίνακα τὸν μιμαυδάλαιον, ἀπειρέσιμον. ἰδοὶ γὰρ ἄνδρα ἐυμενίτην καὶ φιλόστοργον ἐμοῦ εἶναι. καὶ ἵνα τόνδε ἀριθμὸν ἀμείνων δώσῃ, πέμπω σοὶ ἀντίγραφον ἐπιστολῆς ἣν ἄρτι γράφον ἐπιστολῆς, ἣν ἀπὸ πρὸς ἐμὲ γέγραφε. ὡδὲ δὴ τῶν βιβλίων περὶ τὴν ἐυσεβοκορδῶν, ἀρίσκειμοι σοῦ ἡ ἀκρίβεια. τῶν δὲ ἀρχηγῶν ὀνόματα βαρβαρικὰ καὶ κλάγγοι. Ἐπίσταλλέ τε Ἰωάννῃ Ῥεύχλιν ἐλληφα. ἃ δὲ ἐπιλέγκα. κίκρικες γὰρ πρὸς ἡμᾶς ἰλθεῖν. Ἑρμηνείαν τῆ Ὁμήρ πρὸς ἐμὲ ἀπέστειλε, ὡς ὑφίκηκε. Βιβλίων ἰλληνικῶν σύντεταχχαί μοι μεγάλη πλῆθος, οἷς πολὺ σχολάζω, καὶ οὐκ ἀχρεῖον ἴχω Θουκυδίδου καὶ Ἡροδότ ἱστορίας, ἄλλα τε πολλὰ, καὶ τῶ Δικιανῶ διαλόγους πεμπόλους εἰς τ Ῥωμαίων διαλεκτοὶ μετὰ τικοχα, ἄφιλον ὄντα καλῶς, ὥσπερ ἐυχερῶς. καὶ ὡς ἤλπιμαι πρόσθεν ὠφελήσειν. διὸ καὶ σοὶ ἱκανοῖσὶ γέγραφα, ἵνα ὁρμὴς τὴν μὲν ὠφελῆ ὄσῃ καὶ χωρὶς διδασκάλ⊙. Ἔρρωσο, καὶ ἀντίγραφι. ὲν Νερτινόργῃ. τῇ ι. μηνὸς --- ἔτει ἀπὸ τῆς θεογονίας χιλιοστῷ πεντακοσιοστῷ τρίτῳ.

EGREGIO AC DOCTISSIMO VIRO, VINCENTIO LONGINO P. LA. A. 12.

POst sui commendationem S. D. Scripsi ad te ante aliquot menses, nec vero Rhosinæ libellum ad te misi. Tu vero nihil rescripsisti, hinc arbitror, te neque litteras meas, neque libellum percepisse. Bene ergo egeris, si hac de re me certiorem reddes, vt si Eystetenses illi litteras amiserunt, libellus non perdatur. Interrogauit præterea Iohannes Im hoff nomine tuo, an ille Pollo aliquas mihi dedisset pecunias. Tu velim scias, me nunquam hominem vidisse, neque eum quidquam mihi consignasse, quod & in litteris meis, de quibus mentionem iam feci, ad te scripsi, non enim adeo tardus sum, vt si quid dedisset, non te quam primum certiorem reddidissem. Præterea scias, me hoc anno penitus immunem à repub. nostra esse: idque industria magnisque laboribus vix consecutum esse. Ne vero anno futuro, si superuixero, rursus cogar, atque in idem pistrinum detrudar, constitui autumno proximo Italiam petere, ac ibi gradum Doctoratus accipere, nisi me pestis impediat. ** Credo te institutum meum non culpare, cum te otii ac litterarum cupidum sciam, quas minime intermittam. Fateor tamen, nos multa reipubl. ac patriæ debere, nullumque laborem pro his renuendum, hoc verum existimo, si laboribus tuis prodesse quid possis, vbi vero laborando nil nisi odium quæris, extremæ id dementiæ est, in his amplius immorari. Tu vale, & me tibi commendatum habeas.

BILIBALDVS VINCENTIO, PRO BONIS LITTERIS RENASCENTIBVS, ADVERSVS Barbariem, eiusque satellites ac αὐθμάχους Sophistas. 13.

SMiraris fortsitan, cur ad te, quem nunquam viderim, cuique penitus incognitus sim scribam, imitatus Homericum illum Menelaum, qui, vt poeta ait, αὐτόματος δὲ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς μενέλα⊙. At ille ad fratrem; Ego ad penitus ignotum venio. Sed mirari desine. Nam te mihi non solum notum communis amicus noster Conradus Celtes, vir (vt nosti) doctissimus, reddidit, sed amicum penitus ac familiarem. Legi præterea carmina quædam tua elegantissima, quæ mirum in modum te mihi conciliauere. Nam ex his plane intellexi, tibi nec doctrinam, nec ardorem Poeticum deesse. Perge igitur, mi Vincenti, conceptumque spiritum minime suffoces, aut per desidiam frigescere patiaris. Nam vt Homerus inquit, αἶψα δ᾽ ὁμοτίρων ἀνδρῶν φρένες ἠρίθεντai. Spero enim breui fore, cum opera tua, tum reliquorum doctorum virorum, quorum magnus vndique emergit numerus, vt exposita tandem omni Barbaria, cultiores ad nos litteræ reuertantur, quibus tanquam sagittis confodienda sunt inertia ista pecora καὶ κάκιστα ζῶα, quæ nihil nisi fœnum rodere didicere, ac omnem cibum lautiorem aspernantur, quia eo vesci iam pridem desperauerunt. Eos dico, qui se Philosophos appellant, & vulgus esse putat: quos tamen rectius Philopompos, aut si mauis φλοσόφυς, quasi sapientes iuuenum deceptores vocabis, expertes non solum veræ Philosophiæ, quam sibi inter indoctos temerario nimis ausu vindicant, sed omnium bonarum artium ignari, quos si prudenter interroges, imperitos deprehendes, si loqui audies, plane barbaros cognosces

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [424] - 400 PUBLIC DOMAIN

cognoſces,qua lingua etiam Ariſtotelem eloquentiſſimum vti cogere: Si vero vitam ac mores eorum inſpicies, vituperes ac deteſteris neceſſe eſt. Hi ſunt,qui vere παῖδες γέροντες,& nihil niſi tenebras & inutilem fumum ſectantes,puerili, futilique argutiarum meditatione conſeneſcunt, & quid ſibi velint,penitus ignorant, quos merito Plato ille diuinus μοιχὸς Philoſophiæ καὶ μὰ ἀκούοντας nuncupauit,& Callicles apud eundem in Gorgia verberibus afficiendos recte putat. Ait enim: ὅταν ὁ δὴ ὅτιοῦν ξύνεγγυς ἰδὼν ἴῃ φιλοσοφοῦντα, καὶ μὴ ἀπαιδαγώγητον, πλημμῶν μοι δοκεῖ ἤδη δεῖσθαι, ὦ Σωκράτες, οὗτος ὁ ἀνήρ. Sed ego, mi Vincenti,dum in iſtos blaterones,καὶ τραύλους θαλαττίους, omniumque bonarum artium ac litterarum accerrimos hoſtes iuſte inuehor, quaſi epiſtolæ modum exceſſi. Abeant ergo πόρρω iſta καὶ κεφαλεῖ μορμολυκίου, in maximam malam crucem,& Atacis quandoque exemplo cum nullius eſſe momenti ſophiſticas ſuas argumentationes ac inanes captiones cauillationesque intelligent, propriis ſe iugulent manibus. Tu vero vale,& alacrem litteris operam da, tibique perſuade, me penitus iam tuum effectum.

BILIBALDI EPISTOLA AD AMICVM DE CONVICIATORIBVS ET CRIMINATORIBVS FERENDIS: & de Io. Reuchlini aduerſariis iniquiſſimis. 14.

SQuod me Reuchlinus pariter & Eraſmus, plus quam ego agnoſcam, laudent, amore decipiuntur,quamuis longe ſatius ducam,falſo laudari,quam vere culpari,præcipue à talibus viris ſeu potius Heroibus,quibus vix liuor ipſe inuidere poſſet. Quod vero quidam me ſcriptis ſuis laceſſere conatus eſt,nil mea refert, quamuis tibi gratias agam,quod pro me ſolicitus ſis. Reſpondeo vero,quæ & ceteris amicis meis, qui hac de re ad me perſcripſerunt; reſpondi, tantum abeſſe vt ægre feram,ſi Reichliniſta appeller, vt etiam maxime ob illius amicitiam glorier, viri quem nec improbi laudare digni exiſtunt,poſſem &ego contra inſanientes inſaniri ac non ſolum crimina,ſed & fulmina iaculari, vtpote Rhetoricis attritus exercitiis,nec alibi latior pateret campus,ſeu vberior daretur materia,ſiue in veteratorum iſtorum vitam ſceleratam,moresque peruerſos inuehi, ſeu craſſam ac ſupinam eorum ignorantiam carpere luberet,verum abſit, vt imitator eorum ſim, qui ob virulentã linguæ rabiem merito reprehenduntur. Illi loquantur ſpurcitias,qui & ſpurca committere poſſunt. Ego vero Chriſtianis & diuinis inſtitutis edoctus,ſcio,Saluatoris noſtri eſſe præceptum, ne maledicentibus maledicamus, gloriamq; eſſe viro,qui ſe à maledictis auertit; Stultum vero eum eſſe, qui talibus ſe obliget, quin imo ſi Chriſtiana pietas linguæ intemperantiam haut deteſtaretur, ſaltim gentilium Philoſophorum imitatione,à petulanti, teterrima ac effrenata illa verborum contumelia abſtinendum eſſe cenſerem. Sæpius cum Ioh. Reuchlinum viderem,affectu potius, quam ratione præcipitem ferri, eum reprehendi. Verum reſpondit vir bonus,& talibus contumeliis indigniſſimus, Hæreſeos crimen eſſe atrocius, quam vt vllius quamuis manſuetum ingenium id ferre poſſet,ſua cuiq; dolere;in alienis facile quemq; temperatum eſſe. Num igitur quod in amiciſſimo,optimo ac doctiſſimo viro diſplicuit,id mihi in longe diſpari homine placebit? Verum contra Euangelicam præceptionem,inquit crudeliter me damnauit. Ceterum quo pacto illũ damnare poſſem, qui iam à veritate diiudicatus eſt,vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergetur in profundum maris? Nunquid ſcriptum eſt,omnis qui detrahit fratri ſuo,homicida eſt? homicida vero partem in regno Dei non habet. Apoſtolus quoque contra illum ſententiam tulit,dum inquit, Maledici regnum Dei non poſſidebunt. Quod vero,quis ego ſim,ignorare ſcribit, etiam honori mihi duco,vtinam à ſimilibus nunqnam cognoſcar hominibus. Nunquid enim,dum ille neſcit, quis ego ſim,ideo Cæſareæ M. Conſiliarius,vel Senator Nurenbergenſis non ero? nunquid litteris carebo? vel fortunis ſpoliabor? quantum præſtat à ſimilibus non laudari? Antiſthenes cum aliquando ab improbis laudaretur,magna,inquit,anxietate maceror,ne forte mali quippiam fecerim. Deblateret igitur & ille,vt aſſueuit,quoniam nunquam tacere poteſt,quem morbus tener loquendi. Siquidem nil facilius,quam linguæ rabies & vilitas morum, & Apuleius inquit,talia quisque loquitur,qualia nouit & didicit,nã malæ mentis mala lingua eſt indicium: ac ex abundantia cordis os loquitur. Valeat igitur ille cum complicibus ſuis, non vt in æternum ingemiſcant(quemadmodum contra Chriſtianam religionem optimo viro Io. Reuchlino imprecatur)ſed vt conuertantur & viuant,ſaniorem induant mentẽ,pertinaciam exuant,ac rabioſam petulantiſſimamq; abiiciant maledicentiam,quominus quidquid in buccam venerit eblaterent,non enim dubito,bonis & doctis Colonienſis academiæ alumnis diſplicere, quod à nonnullis in tam multorum ſcandala, delirantium anicularum inſtar,fanda atque infanda euomantur,quinimo eos,qui mendicando victũ & veſtitum quæritant, publicaq; ſuſtentantur eelemoſyna,conuiciis velitari minus quam reliquos decere aſſero, in pariq; noxa eſſe,& illum qui caninam exercet facundiam,& qui non prohibet,cum prohibere poſſit. Sed longior ſum quam ſub initiũ conſtitueram. Verũ cum &ceteris amicis ſimilia ſcripſerim,tuis pariter reſpõdere volui litteris. Vale & mea opera,cũ indigueris vtere. Ex Nurenberga Kal. Dec. M.D.XVI.

STROMERO. IC. LIPSIAM. 15.

SAluus sis, mi Stromere. Accepi libellum tuum à Luthero conscriptum, sed quid nobis fiet, si legere non permittimur, si innocentes diris etiam execramur deuotionibus. Audio n. Eckium illum apud Misnenses nescio quas bullas publicasse, ac nomen quoq; meum publice traduxisse. Res plane Iustitiæ consona, vt cum in Norico habitem, apud Saxones tamen traducer. Ceterum quia inquietũ illum (ne aliter dicam) forsitan bullæ illius, cũi & meum nomen insertum est, copiam apud Lipsenses reliquisse suspicor, te per amicitiam nostram rogo, vt diligentiam adhibeas. quo describatur, ac quam primum ad me mittatur, vt sciam, quid mihi in hac re sit agendum, nollem enim per insidias & æmulorum criminationes ad inquietudinem & vanas perduci expensas, facies mihi rem gratissimam ac amicitia nostra dignam. Audisti procul dubio, Capitonem nostrum post initam concordiã ab aduersariis suis rursus molestatum & condemnatum esse, quod illi fore prædixi: Noui enim pessimorum hominum simulationes, & quã omni careant fide. Proinde audio nescio quas ineptias sub titulo Eckii dedolati apud vos circumferri, ac omnes, præcipue vero Mosellanum nostrũ, me illarum autorem asserere: tanquam nemo præter me ineptire sciret. Dolor ille S. seu mauis Doctor S. in quẽ multa contuli beneficia, primus me huius rei insimulauit. Vetũ cũ hoc illi per amicos, qui nos nuper in gratiam reduxerant, obiecissem, penitus negauit. Sed nil talia curo, tu vero credas, non solum me, sed & alios ineptos esse scire. Bene vale, mi Præstantissime Stromere, & si possibile est, fac vt voti cõpos, ac quam primum quidem, euadam. Ex Neopago. XVIII. Octobris, Anno Salutis. M.D.XX.

Carolus de Miltitz de Bulla hac me certiorem reddidit, sed illius copiam, quasi eam prius haberem, non misit, qua fide, ignoro. Sed hæc tecum.

Tuus Bilibaldus Pirckheimer.

BILIBALDVS ERASMO. 16.

Non omnium conuicia vel curanda vel responso digna iudicanda esse: Magnumque probitatis argumentum esse, improbis displicere ac vituperari.

SRecte fecit necessarius ille meus, quod te Antuerpiæ conuenit, & meo nomine salutauit. Probe enim nouit, quanta te beneuolentia prosequar. Poterimus & eius opera in mittendis litteris vti, quæ nescio quo fato aut tardissime consignantur, aut penitus intercidunt. Diu enim nullas à te accepi, quamuis aliquoties scripserim: & nisi ex Epistolarum tuarum farragine, te meis respondisse, deprehendissem, ne nunc quidem id scirem. Quam vero fideliter & meæ tibi redditæ fuerint, plane Alameri nostri diligentia ostendit. Ceterum inuectiuam Angli illius, nec non responsionem tuam legi. Scire cupis, quid sentiam? Vellem vt omnino tacuisses, aut ita homini, vt dignus erat, respondisses. Sed periculum erat, ne silendo obiecta agnoscerес? Quasi optimus ac doctissimus quisque non confestim intelligeret, cuncta hæc meras Sycophantias, & impudentissima esse mendacia. De improbis vero & ineruditis nulla cura habenda erat. Vtinam igitur, cum tibi haud silendum censebas, emenditæ & fictæ modestiæ immodestissime respondisses, ac iuncta Rhetorices spicula contra tam fœda ac teterrima distrinxisses conuicia. Sed voluisti tui memor esse, nec malum pro malo reddere. Sanum equidem consilium, & à nemine bono non laudandum. Verum si ita facere perges, quid tibi ab æmulis expectandum sit, cogita, cum impudentissimo cuique impune maledicere & capiti tuo illudere licebit. Te igitur hortor, ac ob amicitiam nostram obtestor, ne dehinc vnumquemque Nebulonem responsione tua dignum censeas: aut si omnino respondendum videatur, non per te, sed coquum aliquem aut stabularium id fiat. Maior tu es (etiamsi illi molestissime laudes tuas ferant) quam vt cum talibus in eam palæstram descendas, ex qua etiam victor, nihil nisi ignominiam referre possis. Etenim ni ita feceris, sycophantarum turba tandem obruaris necesse erit. Tot enim ac tales sunt Ἀλάστορες illi, vt nec vnquam quiescere valeant, sed semper contra optimum quemque ac veritatem ipsam debacchentur. Quapropter longe præstat, ab illis vituperari quam laudari, ac male quam bene audire, qui ad tacendum sunt impotes, ad loquendum vero penitus inepti. Quid mirum igitur, si tandem hominem iuxta cordis sui desiderium inuenerunt, qui perditam eorum improbitatem ac detestandam dicacitatem teterrima nugarum colluuione ac nefando verborum lenocinio fucaret? Quis enim tam insulsus esset ac hebes, qui non cerneret, venerandos Magistros nostros calceum hunc consuisse; probum vero illum virum induisse? Vnde non immerito maiori excandescit indignatione, cum egregios illos Magistros aliquanti sper durius tractas, quam cum Scripturam sanctam (vt illi volunt) peruertis. Et hoc facit caritas illa non ficta, quæ sub religionis & modestiæ prætextu etiam lenonibus turpiora audet. Et tu obiter mitatis, inuenire, qui insanienti Euge illud accinant?

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [426] - 402
PUBLIC DOMAIN

accinant? cum ego maiori admiratione ducerer, si non multos sui similes, ac eiusdem farinæ reperiret. Nam per immortalem Deum, cui boni Nebulones isti vnquam perpercerunt? Atque vt vetustiora prætereamus, quis ignorat quam peruersis technis & sceleratis machinationibus optimo & doctissimo Capnioni illuserint? vt interim sileam probra & conuicia, quæ in Generosum Nouæ Aquilæ Comitem, Huttenum, me, & omnes Capnionis amicos eructauerint. Quinimo inuidia exagitati nec à sui ordinis abstinent hominibus. Nam præter cetera quid intentatum reliquere, vt diuam Mariam Magdalenam assertori suo Fabro eriperent, ac cum turpissimis scortis in olidum lupanar detruderent? cum tamen potius deceret in re tam dubia eam sequi opinionem, quæ ad pietatem accederet propius. Quæ vero contra Lutherum ausi sunt, forsitan tacere præstat, ne nos quoque sub amicitiæ illius prætextu in ius rapiant, ac de crimine hæresis causam dicere cogant. Id enim iam pridem machinati sunt. Verum hoc nemo ignorat, eo temeritatis illos progressos esse, vt & Pontifici summo, ad quem præcipue huiusce rei cognitio spectat, causam, quam tamen eum in manibus habere sciebant, extorserint, & priusquam ille sententiam tulerit, autorem de hæresi condemnauerint. Ceterum per immortalem Deum, quid aliud tot sycophantiis, probris & conuiciis effecere, quam quod semetipsos traduxere, & Deo pariter ac hominibus reddidere odiosos. Eo siquidem illorum culpa res deducta est, vt non solum vulgo præclarum Theologiæ vocabulum ludibrio habeatur, sed & Theologi ipsi (de personatis loquor) quibusvis scurris & nebulonibus improbiores censeantur, ac is optimus esse videatur, de quo ipsi pessime sentiant. Macte igitur virtute, qui dignus visus es, in quem impurissimi halucinatores spurcissima sua effutirent maledicta. Haud enim maiori laudi afficipoteras, quam dum tam sceleste vituperaris, nec vnquam bonis & eruditis placeres, nisi tam indoctis & pessimis his displiceres hypocritis: qui & optimum Capnionem longe magis virulentis ornarunt conuiciis, quam si eum vel ad cœlum vsque contumeliosissimis suis extulissent laudib. Ne igitur, Erasme optime, mouearis, si inuidi & vere miseri homines se ipsos torqueãt, & suo fungantur officio, quodq; semper facere consueuerũt, assidue faciant. Nam talia veræ virtutis tibi iacta sunt fundamẽta, vt illa nec Liuor ipse euertere queat: Talem probitatis & eruditionis consequutus es existimationem, vt eam nec omne ævum abolere valeat: Tales deniq;, ac tantos tibi vndiq; peperisti amicos, vt etiam tacentem te defendere, & à sceleratorum rabularum iniuriis & cõtumeliis vindicare possint & audeant. Quemadmodum nuper à me factũ memini. Cum enim in multorum doctissimorũ conuentu tui mentio incidisset, ac pleriq; te tuaq; summis extulissent laudibus, sanctissimus quidã, qui tunc aderat, Theologus ex mendicorũ & eo ordine, qui vulgo perdocti habentur, sibi ipsis vero nihil videtur ignorare, admodũ molestè has laudes ferebat, ac quassato capite, nescio quid secũ submurmurabat. Tũ ego, nunquid esset, φ in te minus probaret, quęsiui. At ille vultu ad seueritatẽ compositio, multa esse respõdit, quæ quis merito reprehẽderet: Inter cetera vero pessimo & haud ferendo flagitio te esse obnoxium. Cumq; ego vehementius instarem, vt tam horrendum scelus elicerem, ille vero pertinaciter negasset, forsitan vt detractoris culpam euitaret: tandem importunitate mea subactus, tametsi tacere, inquit, ac tam immane facinus occultare institueram, cum tamen ita me vrges, haud vltra silere, sed veritatem dicere compellor: Erasmus libenter comedit gallinas: Idq; non aliorum relatu didici, sed cum hominẽ Basileæ cognouissem, gemino hoc obtutu conspexi. Tum ego, suffuratus ne, an coemptas? At ille, emptas ait. Longe igitur inquam deterior est vulpecula illa scelestissima, quæ mihi quotidie ex villa gallinas rapit, nec vnquam pretium persoluit. Sed ad hoc respondes, obsecro, Num inter peccata censetur, gallinis vesci? Et ille: Maxime, cum à deuotis fit hominibus, idq; assidue. Forsitan dieb. prohibitis, intuli. Imo & cõcessis, respõdit. Sacrũ enim virum ab tanta epularum lautitia abstinere decet. Atqui bone Pater, ni fallor, inquam, nec fatre nec hordeo talem saginasti aqualiculum (nam obesior erat) & gallinæ, quibus ventrem farsisti, si pipare possent, etiam tympanorum & tubarum strepitum multitudine sua exuperarẽt. Risere qui aderãt, quod tam strenue ὀρνιθοφαγίαν defendissem. Sed tu me forsitan nugas agere existimas. Ego vero tibi etiam per sanctam Hypocrisin, me vera scribere, iurare sum paratus. Ceterum ne cuncta tua laudare, aut nimium tibi tribuere videar, habeo etiam, quæ non iniuste reprehendam, nempe quod tali viro impedimento fueris, quo minus litteras Græcas & Hebræas tantum non somniando, aut pastoris illius instar bibendo hauserit, ac Magistris-nostris operam nauando, tametsi conuiciando longe melius pessimas horas collocauerit.

Quod vero in superiorem Germaniam te venturum polliceris, laudo. Præterquam enim quod minus ibi à Theologicis infestaberis vespis, non sine ingenti animi tui oblectatione conspicies, quales quantosque tibi vndique conciliaueris amicos. Inuitarem te, vt nos accederes, nisi pestis hic gliscere inciperet, quam tamen breui desæuituram spero, ita vt cum Serenissimo Rege nostro, quem indies expectamus, secure ad nos venire possis. Nam ex veteri Cæsarum instituto primus noui Regis conuentus Norimbergæ celebrari solet. Ostendi Alamiræ nostro cubicula, quibus te excipiam luculenta: Ipse Regia dicebat. Quin & hoc polliceor, non solũ gallinas me tibi abunde appositurum, sed & illarum sobolem, filios ac filias, nec non gallos gallinaceos, & de omni genere mutico cuncti, quæ manducari solent, volatilia cœli. Tu interim bene vale, Erasme optime, ac iterum memines,

te fœlicem inuidorum contumeliis esse, qui nunquam laudes tuas tam moleste ferrent, nisi certa certius cognoscerent, de eruditione ac probitate immortalitatem, & quidem viuentem, induisse. Gulielmus Nesenus tibi Læti scripta misit. Iterum vale.

BILIBALDI EPISTOLA AD PRÆLATVM QVENDAM, GRÆCARVM LITTERARVM STVDIOSVM. 16.

Inuectiua est in Barbaros morosophos.

SAlue Pater Venerande. Legi litteras tuas, &, quemadmodum desideras, interpretationem Græcorum ad te mitto, quamuis elegantius aliqua verti potuissent. Sed volui verbum verbo reddere. Non mirum cum dictionario careas, si ea minus intellexisti: Imo potius admiratione dignum, quod tantum sine illo præstare possis: nam ego quoque illo duce ingredior; absque eo vero claudus sum. Quod vero de dictione αὖ quæris, scias illam esse coniunctionem *si*, vt plurimum tamen nil significare, sed solum esse syllabicam adiectionem. Recepi insuper nomine tuo orationem seu λόγον Luciani, quam in latinum verteram, nec non picturam illam egregiam: quæ quamuis grata sit, aliquantulum tamen me molestat: suspicor enim, te arbitrari, humanitatem meam (si qua est) venalem, ac retributionem exigere. Vtcunque est, tamen tibi gratias ago: sed sola mihi amicitia tua satis est, ac semper amplectenda. Vtinam plures tui similes haberemus Prælatos! non equidem ita bonarum artium essemus expertes, nec tam pulchra ac egregia corrumperentur ingenia; sed omni explosa Barbarie cultiores ad nos tandem reuerterentur litteræ, quibus tanquam sagittis confodienda essent inertia ista pecora, καὶ πάνυ ξῶα, quæ nil nisi fœnum rodere didicere, ac omnem cibum lautiorem aspernantur, quia eo vesci iam pridem desperauerunt: Eos dico, qui se tempore nostro Philosophos appellant, & vulgus esse putat: quos tamen rectius philopompos aut si mauis φλοσοφῦς, quasi sapientes iuuenum deceptores vocabis, expertes non solum veræ philosophiæ, quam sibi inter indoctos temerario nimis ausu vindicant, sed & omnium bonarum artium ignaros: quos si prudenter interroges, imperitos ac plane Barbaros deprehendes, solumque inani fastu superbientes, ignorantiamque simulatione morum sanctioris vitæ opinione protegentes, vere πῶλοις χαίρουσι. & nil nisi tenebras & inutilem fumum sectantes, doctioresque contemnentes, puerili futilique argutiarum meditatione senescentes, & quid sibi ipsis velint penitus ignorantes: quos merito diuinus ille Plato philosophiæ μοιχοὺς καὶ μὴ ἀκόλους nuncupauit, & Callicles apud eundem in Gorgia verberibus afficiendos putat, dū ait: ὅταν δὲ δὴ πρεσβύτερον ἤδη ἴῃ ἐπὶ φιλοσοφίαν, καὶ μὴ ἀπαλαὸν ἄνδρα, πολλοῦ μοι δοκεῖ δεῖν δεῖσθαι, ὦ Σώκρατες, εἴ τῳ ὁ ἀνὴρ, sed ego, Pater Reuerende, dum iustos Blatarones καὶ πεπαιδευμένους ἀλαζόνας, inuehor, quasi epistolæ modum excessi. Abeant igitur in malam crucem, ac Aiacis exemplo cum iam elegantiores contempserunt litteras, propriis se iugulent manibus.

BILIBALDVS PIRCKHEIMER HELIO EOBANO HESSO S. D. 17.

NOn sum tam inhumanus, ne dicam barbarus, mi Hesse, vt immemor sim libellorum, quos ad me misisti. Sed nec valetudo mea aduersa impedimento fuit, quo minus ad te scripserim: verum aliæ taciturnitatis meæ fuere causæ: quas etsi premere silentio statueram, quum tamen ita me vrgeas, nihil dissimulans expediam. Nosti tu optime, antequam huc venires, quod te in amicorum albo statuissem. Postquam vero aduenisti, amice te excepi, & operam meam qualemcunque tibi obtuli, adhortans, vt quotiescunque tibi commodum foret, me conuenire non dubitares, quo interdum de bonis studiis colloqui possemus. Quid vero impedimento fuerit, quo minus id feceris, tute præ ceteris nosti. Ego vero quum scirem, nonnullos, in quos multa contuleram officia, familiares quosdam meos admonuisse, vt à congressu meo abstinerent, quoniam haut sincere de religione sentirem, te quoque veneno tali afflatum esse, non iniuria suspicari cœpi. Auxit suspicionem hanc, quod à fide dignis accepi hominibus, quum aliquando ad Forenheym accessisses, ac ibi forte fortuna mei mentio incidisset, te parum amice, imo infestissime de me verba fecisse. Id licet mihi haut parum fuerit molestum, quoniam mihi conscius eram, quod te nulla in re vnquam læsissem: potius tamen iniuriam illam tacendo dissimulare statui, quam expostulando aliquam suscitare Tragœdiam, præcipue quum pietas Christiana ab omni me detereat contentione; ætas vero ac rerum vsus longior talia prohibeat certamina. Verum postquam tu ita coegisti, rem tibi ingenue aperire volui, non quod tibi iniuriam aliquam obiicere quæram, quum talia potius contemnere quam vindicare soleam, sed vt silentij mei rationem reddam. Scio enim, quod nemo me offendere poterit, nisi me ipsum lædam. Extorsisti itaque, mi Hesse, silentij mei rationem, vt arbitror, haut inanem. Quid enim scriberem, quum taliter te scirem affectum? Verum tantum abest, vt

tibi

tibi irascat, vt quam optime euenire cupiam, & culpam, si qua est, potius fato meo quam vlli homini acceptam feram. Sum enim amicorum delectu parum fortunatus, adeo, vt omnes fere, quos multis demeruí officiis, malam mihi quotidie referant gratiam. Verum nõ ideo à benefaciendo desistam. Quapropter, nisi tu renueris, me potius amicum quam inimicum habebis. Bene vale.

HVTTENO SVO BILIBALDVS S. 18.

Ridentem dicere verum, quid vetet?

AVlam tuam legi ac relegi quidem: ἀκμὴ μὲν ἀγέλας. Sed tu me iudicem statuis, & ex animo iudicare imperas. Quid igitur faciam γελασῖν ἢ κλαυσῖν; Num πρὸς ἀλήθειαν, ἢ πρὸς χάριν δικάσω; πρὸς ἀλήθειαν, sat scio, inquies. Parebo igitur: sed tu videbis, qualem tam iudicem constitueris. Ἄρξω γοῦν: verum tu ne mouearis. Immatura res mihi tua videtur Aula. Ἀτέχνον nondum dixi verum. verbo rem appellare nolui, scilicet vt non nihil amicitiæ tribuerem. Quid enim si intempestiuam nominassem? Vt interim procaciam omittam, veluti θρασύτλων, λαμύξεμαι & reliqua id genus verba. Sed non nimis aspere cum amico agere volui. Si blanditias καὶ κολακείαν expetis, alium dehinc quærito iudicem, ὃς κίρνᾳ σαυτῷ, tantum illud ingeminet, Ἰὴ παιᾶν, ἰὴ παιᾶν. Sed λῆρος λαρεῖς, inquies. Tandem quod agis, agas. Atqui num solus φλυαφῶν prohibeor? καὶ τίνα ἐμοῦ ἄλλον ἀδολεσχίαν. At nimium te detineo. Audi igitur. Tunc aulica describere audes incommoda, nondum aulicas expertus συκοφαντίας? Quid ageres, si (vt nos) millies deceptus, circumscriptus, delusus, iniuriis, calumniis, & innumeris affectus contumeliis, exclusus, reiectus, vel potius eiectus esses? Ταῦτα πάσχειν καὶ ἔτι δεινότερα experiri oportebat, ac lustra quatuor detestandæ, ingratæ & perfidæ inseruire Aulæ. Tum demum perbelle ac veris lacrymis egisses fabulam, rem expertam potius, quam ab aliis auditam enarrans, ὥσπερ γὰρ πιφόντες ὀφθαλμοί. Hæc causa fuit, mi Vlriche, quare Aulam tuam immaturam vocarim. Proinde tu quoque deiudica, num rem suo nomine appellarim, nec ne. Verum iam tecum nugari desinam. Vtinam tu, mi Vlriche, minime aulicis insenescas ærumnis; sed potius ea fœlicitate, qua rem tam affabre depinxisti, etiam Cyclopes, Centauros, Sphingam, Chimæram, Scyllam, καὶ εἴ τι μυσαρώτερον, καὶ φοβερώτερόν ἐστιν, effugias, ἐξαμαρτεῖν γὰρ ἴσον, si alieno periculo sapies. Id vt tibi eueniat, etiam atque etiam opto. Etenim dignus es, cui omnes ob ingenium & eruditionem tuam innumeram bene precemur: dignus cui digna respondeat fortuna: dignissimus tandem, qui ab omni aulica præserueris peste, Tibi, Amicis & Musis viuens ζηλῶτα.

BILIBALDVS HVTTENO S. 19.

NIhil aliud in causa fuit, Huttene optime, quod tam diu nihil ad te scripsi, quam certi nuntij penuria: nam incertis nihil committere volui. Nosti enim maleuolorum insidias, quorum improbitate non solum litteræ intercipiuntur, sed & interceptæ deprauantur, deprauatæ vero traducendi gratia circumferuntur. Accedebat, quod ignorarem, vbinam à facie tanti inimici delitesceres, aut quo tandem litteræ essent mittendæ. Sed dubia hæc Bucerus (iam & noster) sustulit: cuius opera pristinam negligentiam reparare possumus. Quod vero mihi ob Romanenslium iniurias comperis, ac me tam amice solaris, gratias humanitati tuæ ago. Omnem mouerunt lapidem, vt mihi obesset. Sed Deus me huc vsque ab eorum fraudibus custodiuit, ac dehinc (vt spero) plane liberabit. Proinde tametsi in ciuitate libera sim natus, non tamen penitus mei iuris sum. Senatui igitur nostro me obedire oportuit, qui rem hucvsque prudentius quam virilius egit, nec sine impensa tamen. Nec mihi tam Lutheri quam Capnionis amicitia nocuit, cuius inimici præcipue me infestarunt. Sed cuncta hæc mihi laudi duco. Quin & Eckius dedolatus non paruas mihi suscitauit turbas. Nam me ineptiarum illarum auctorem asserunt. Ita vndique inimici in me impetum fecerunt, & talem quidem, vt etiam vir constans terreri posset. Sed adhuc viuo, & vitali perfruor aura, quamuis illi me adhuc infestent. Sed valeant. Quam prudenter in omnibus egere, ostendet exitus. De litteris nihil, nisi podagras podagræ scripsi laudes, quas, si iusseris, ad N. mittam, qui ideo mihi carus est, quia me carum habet. Vale.

VENERANDO AC CLARISSIMO PATRI, AVGVSTINO LVPF, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI, PRIORI H. amico suo præcipuo. 20.

Renouans veterem amicitiam, inuitat ad rescribendum, & significat, se cupere negotiis R. P. liberatum ad studia litterarum redire.

VT plurimum salue. Quemadmodum herbæ nuper plantatæ, nisi rigentur, subindeq; ablaquentur, aut languent, aut penitus intermoriuntur: Ita amicitia nisi frequentetur, assiduisque cele-

celebretur officiis, aut tepet, aut omnino euanescit. Id ne nobis quoque eueniret, has breues ad te literas dare constitui, quibus & amicitiam olim inter nos contractam, ac ferme inueteratam renouarem, tibique pariter occasionem darem, vt & tu prouocatus aliquando ad me scriberes, familiaritatemque nostram, iam ferme sepultam, resuscitares. Ex quo enim primum consuetudine tua vti cœpi, non destiti te & ob doctrinam, & ob vitæ probitatem diligere, obseruare ac vehementer amare. Nec factum muto, potiusque summopere volo & cupio oportunitatem mihi offerri, vt quæ verbis polliceor, re ipsa præstare possem. Sentires equidem, ex amussim dictis facta quadrare. Si vero, quid agam, tu quoque certior fieri cupis, scias me summa niti ope, vt publicis rursus liberer negotiis: idque breui me consecuturum spero. Quod si fiet, nihil mihi iucundius accidere potest. Quantam enim dulcedinem, sepositis molestissimis * * * * curis, litterarum afferant studia, tu qui earum teneris desiderio, optime nosti. Ideo & me libertati disciplinisque restitutum iri, etiam atque etiam non solum desidero, sed etiam importunitate ac violentia extorquere posse spero. Vale, & me, vt semper fecisti, ama. Audio te calculi laborare morbo. Id si ita se habet, assuescas vti vitro cui ruta sicca (quam Weinraute appellamus) indita sit: in prandioque & cœna parumper ebibito, senties in re leui non leuem, vt spero, vtilitatem.

BILIBALDVS ANONYMO CVIDAM, A QVO PRÆCLARIS ORNATVS FVERAT LAVDIBVS, QVAS MODESTE recusat, & ab se remouet. 21.

SAlue. Quamuis longe satius esse ducam, falso ab amicis laudari, quam iuste ab inimicis culpari: non tamen adeo hebes sum, vt quempiam (dummodo sapiat) arbitrer, laudanti amico potius, quam sibi ipsi de se credere oportere. Quamuis igitur tu laudes haut modicas in me congesseris, quibus me forsan præditum potius optasti quam existimasti (nec enim mihi persuadeo, cum te virum bonum esse iudicem, quæ scripsisti, subsannandi causa excogitata esse) non tamen maiorem me hac in re tibi, quam mihi ipsi, fidem adhibere decet. Non enim ignoro, multas non solum deceptos, sed & funditus pessundatos esse, dum se temere aliis potius quam sibi ipsis excutiendos tradiderunt. Gratum tamen fuit tuum de me iudicium. Quis enim tam agrestis esset, vt non à viro bono, à docto laude dignum se censeri cuperet? At non propterea, cum te nimio mei amore prolapsum, ac (pace tua dixerim) penitus à vero aberrasse sentiam, diutius te hoc errore duci patiar. Imo ingenue fateor, has tantas virtutes non solum, vt minus legitimam sobolem me non cognoscere, sed tanquam notham & subdititiciam exponere, abiicere, & longe repellere, & ita à me alienas existimare, vt te etiam atque etiam rogitem, ne dum incautius progredieris, eodem facto pergas, & tibi inuidiam fusci-
tare, & mihi stultitiæ vanæque gloriæ crimen impingere. In reliquis vero tuis negotiis, cum id res postulat, non vulgarem, quemadmodum hucusque expertus es, me amicum senties.
Vale.

INDEX

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [430] - 406
PUBLIC DOMAIN

INDEX AVCTORVM QVORVNDAM, IN OPERE HOCCE PIRCKheimeriano citatorum, ordine Alphabetico digestus.

A.

Albertus Krantz. 8
Aldus Manutius. 14
Ambrosius. 38
Ammonius. 314
Andreas Alciatus. 25
Andreas Osiander. 347
Archelaus Tragœdus. 52
Arrianus Nicomediensis. 37
Aristoteles. 10.37.112.118
Asinius. 99
Augustinus. 368
Augustinus Lupsius Theologus. 27
Aulus Gellius. 364
Ausonius Burdegalensis. 253

B.

Bachylides. 22
Bartolus. 366
Basilius Magnus. 14.37
Beatus Rhenanus. 271.281
Benedictus Chelidonius. 34
Bonifacius Amerbachius. 281

C.

Capito. 293
Cato maior. 21
Carolus Hirstius. 293
Celtes. 314
Cæsar. 107.108
Cicero. 6.14.16.22.24.227.250
Claudius Ptolomæus. 14
Cratetes Thebanus. 6
Christophorus Schenrlius, IC. 3
Chrysippus. 15.249
Chrysostomus. 17.37.44
Cunradus à Lichtenau. 8
Cunradus Celtes. 2.14.23.139.140
Cunradus Cordatus Theologus. 27
Cunradus Gesnerus. 15
Cunradus Peutingerus IC. 25
Cunradus Rittershusius. 63

D.

Dauid Rex & Vates Sanctissimus. 11
Demosthenes. 228
Diogenes Laertius. 250

E.

Emserus. 294
Eppendorpius. 293
Epictetus. 37
Epiphanius. 17
Erasmus Roterodamus. 14.43.201.238
Euclides. 14
Eusebius. 37.252

F.

Fabius. 149
Fœlix Petantius. 257
Franciscus Guicciardinus. 34
Franciscus Irenicus. 34.38
Fridericus Nausea, IC. 34
Fulgentius. 3

G.

Glareanus. 291
Gregorius Haloander. 322
Gregorius Nazianzenus. 14.15.17.22
Guilielmus Parisiensis. 368

H.

Hartmannus Gaudanus. 277
Hedio. 293
Helias Eobanus Hessus. 27.141.142.& seq.
Henricus Glareanus. 25
Henricus Stromerus. 246
Hereshachius. 293
Hermannus Nonæ Aquilæ Comes. 281
Herodotus. 37.59.60.249.313
Hesiodus. 12.127
Hieronymus. 3.17.118
Hieronymus Baumgartnerus. 168
Hieronymus Emserus Theologus. 34
Hymelbergius. 293
Hogostratus. 24
Homerus. 2.11.66
Horatius. 37
Huttenus. 201

I.

Iacobus Vimphelingus. 352
Iason Maynus, IC. 4.351
Ignatius, 17
Ioachimus Camerarius. 1.25.279

Ioachi-

INDEX AVCTORVM.

Ioachimus Vadianus Theologus & Cosmographus, consul Sancti Galli. 27
Ioannes Emmeus Iuliacensis. 317
Iohannes Alexander Brassicanus I C. Historicus & Poeta. 27
Iohannes Baptista Egnatius. 308
Iohannes Capnio. 24.373.374
Iohannes Cochleus Theologus. 24.247
Iohannes Cuspinianus. 24.252
Iohannes Damascenus. 14
Iohannes de monte Regio. 126
Iohannes Greningerus. 133
Iohannes Franciscus Picus Comes Mirandulanus.
Iohannes Iacobus Boissardus 15. (15.23
Iohannes Ludouicus Viues. 3.
Iohannes Paulus Lancelotus, I C. 4
Iohannes Stabius. .24.62
Iohannes Trithemius. 24.274
Iohannes Vlattenus. 281
Iornandes. 314
Iosias Simlerus. 15
Iosippus. 360
Irenæus. 37
Isaacus Casaubonus. 22
Isocrates. 16.37.228
Iulius Cæsar. 93.94

L.

Lactantius. 43
Lampridius. 18
Leonhardus Iustinianus. 364
Lonicerus. 293
Lucianus. 24.15
Lucius Apuleius. 117
Lucretius. 24
Ludouicus Berus. 281
Luitprandus. 314

M.

Marsilius Ficinus. 251
Martinus Lutherus. 25.272
Maximus. 3
Melchior Pfintzinger. 62.355
Michael Humelburgius Theologus. 34
Michael Ritius. 314

N.

Nicolaus Reisnerus. 15
Nilus Episcopus & Martyr. 3.16

O.

Oecolampadius. 280
Oppianus. 11
Orosius. 370
Ouidius. 2.10.117

P.

Papinianus. 6
Pannonius. 38
Paulus Barnefredus. 313
Paulus Iouius Nouocomensis, Episcopus Nocerensis. 39
Paulus Prachtbechtius. 246
Paulus Rizius Historicus. 27
Pausanias. 313
Pericles. 249
Petancius Ragusinus. 253
Petrus Bembus Cardinalis. 34
Petrus Mosellanus. 34.280
Philippus Decius. 4
Philippus Melanchthon. 8.25
Pythagoras. 4.358
Platina. 366
Plato. 15.37
Plinius. 94
Plutarchus. 3.16
Pomponius Mela. 99.104
Procopius. 107.314
Posidippus D. ibid.
Ptolomæus. 99.104.107.108.124

R.

Adenicus. 314
Reuchlinus. 246
Robertus Wimphildus. 272

S.

Abellicus. 360.366
Salustius. 16.51.248
Scipio Aphricanus. 250
Sebastianus Serantius. 62
Simon Lazius Historicus. 27
Sixtus Olhasius, I C. 3
Sixtus Sacherus I C. 351
Sybeius Ægrarius. 275
Synesius Episcopus. 209
Solinus. 107
Solon. 22
Strabo. 94.97.99.108.364
Sultonius. 251

T.

Tacitus. 15.16.94.99
Terentius. 10
Tertullianus. 17
Theopompus. 61
Theophrastus. 15
Titus Liuius. 368
Thomas Morus. 272
Thomas Venatorius. 14.34.248
Thucydides. 249

V.

Valerius Maximus. 17
Vegetius. 350
Vdalricus Zasius. 25
Vincentius Opsopæus. 34
Virgilius. 37.227
Vrsinus Velius. 291

W.

Arnefredus. 314
Wenceslaus Linckius Theologus. 27

X.

Xenophon. 6.59.62.63.249.359

Z.

Zasius. 43.288
Zeno Philosophus. 19
Zonoras. 253

FINIS.

SEQVI-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [432] - -
PUBLIC DOMAIN

SEQVITVR NVNC RERVM AC VERBORM INDEX LOcupletissimus.

A.

ABbas Sancti Galli à Constantiensibus implorat auxilium, sed à Suitensibus fœderatis vincitur. 67

Abbatissa Monasterij Vallis, cõbusto monasterio, à Cæsareanis abducitur. 75

Abderitæ tempore & imperio Lysimachi quem in morbum ridiculosum inciderint, & quo pacto pristinæ suæ sanitati restituti. 52 (spuch. 100

Accipiter cur ab Ægyptiis victoriæ præfiguretur. 203

Accisburgium ciuitas nunc Adamas ducis Burgundi maximo pretio æstimatus in Suitensium peruenit manus. 71

Aduersariis nihil terribilius quã aduersæ partis subitaneus aduentus. 71

Adulamons. 75

Affectus paternus secundum Papinianum, semper melius consilium pro liberis capere præsumitur. 6

Ager Bernensis ab Anglis instar tempestatis deuastatur. 66

Agesilaus Imperator clarissimus, templa etiam hostium, summo studio veneratus est. 359

Alba Regalis vrbs Nobilissima, Regibus Hungariæ locus inaugurationis & sepulturæ. 191

Alba Regalis à Maximiliano vi capitur. 74

Alani & Roxolani vbi olim habitauerint. 105

Albertus Comes Hasburgensis filius Rudolphi, à parente, dux creatur, & Austria potitur. 360

Albertus Durer, iudicio pictorum Bononiensium, pictorum princeps. 352

Albertus Durer pictor Noricus Excellentissimus. 6. Apelles dictus Germanicus. 16

Albertus Dux Austriæ Basilea, quam obsederat, pellitur. 69

Albertus Dux Bauariæ inclutus, Ioannem Pirckheimerum, Bilibaldi parentem, ex aula Episcopi Areatini siue Eustatensis, in numerum consiliariorũ suorum adscribit. 2

Albertus Dux Bauariæ Ratisponam occupat. 74

Albertus Dux Bauariæ Bilibaldum Imhofium ad κειμήλια celebratissimi armarij meliorem in ordinẽ redigenda citat Monacum. 36

Albis magnus Germaniæ fluuius vbi oriatur. 109

Albis vbi, secundum Tacitum, oriatur. 103

Aldus Manutius Romanus, decus & ornamentum Typographiæ. 14

Alexander Macedo, humi prostratus, Iaddum summum Sacerdotem, adorat. 360

Alexander Magnus, Homeri carmina quanti fecerit. 335

Alexander Magnus librum Aristoboli, sibi adulantis, in Hidaspen fluuium proicit. 54

Alexander Magnus post mortem cur modicũ duntaxat tempus reuiuiscere voluerit. 59

Alexander Schweis, Cæsar. Mai. Secretarius. 24

Almonus fluuius in tota Germania pisculentissimus. 109

Alphonsus cognomento ornamentum Hispaniæ. 183

Alphonsus princeps Ferrariensium amittit Mutinam. 365

Alta palus Regio. 99

Amasius fluuius. 100

Ambrosius quibus laudibus Imperatorem Theodosium Maiorem euehat. 38

Ambitus murorum vrbis Norimbergensis. 146

Amici viro politico in reb. secundis vel aduersis magnum & ornamentum & præsidium. 23

Amicitia quæ vera ac diuturna. 351

Amicitiæ ex virtute ortum trahẽtes constantes ac perennes. 37. secus illæ, quæ lucri aut voluptatum gratia susceptæ. ibid.

Amisus insignis fluuius Westphaliæ. 101

Amor suiipsius siue φιλαυτία vnicuique officit. 1

Anna fluuius iuxta Reualiam erumpens. 104

Andreas Imhofius quando natus. 35

Angli, tum temporis per Frãciam grassantes à principibus & nobilitate contra Suitenses vocantur in auxilium. 66

Angra die Hanger, fluuius Hangerhordt Rheno sese commiscẽs. 100

Anguis semisectus quid Ægyptiis. 203

Antiochus Rex scelestissimus, tragica morte, occumbit. 362 363

Antonius Fuggerus Erasmum donat inaurato poculo, cum quo eundem simul Augustam vocat. 288

Antonius Kressus mittitur Ingolstadium 351. à pueris & æqualib. dicitur plebanulus, idipsum quid postmodum denotauerit. ibid.

Antonius Seleuci filius. 58

Antiquitates variæ prope Treuerim. 93.94

Antwerpia, periculosissimo tumultu fernet. 325

Appellatio Bilibaldi Pirckheimeri & Lazari Spengleri ad Leonem X. Pontificem Maximum, contra Ioannen Eckium. 199. 200.201

Apelles Alexandrum pinxit, ob id centum talentis donatus est. 208

Appencellenses à Suitensib. in tutelam recipiuntur. 67 neglectis excubiis opprimuntur. ibid.

Aphramius Rhetor. 57

Apollo Musarum ductor ac vniuersæ eruditionis Princeps. 55

Ara fluuius velocissimus. 108

Aranei viroſi natura ac proprietas. 1. Quis eidem assimilatur. ibid.

Arar fluuius vnde exoritur. 108

Arces Hegeuensium impugnabiles quo pacto in manus Heluetiorum peruenerint. 80

Archelaus Tragœdus cur media æstate in calore vehementissimo Abderitis Andromedam vecitanerit. 52

Arcis imperialis Norimbergensis descriptio. 147.148
Architriclinia, Aleæ, Taxilli cur Norimbergæ non concedantur. 134
Arcus triumphales in vrbe Roma quidã collapsi, quidã vero adhuc integri conspiciuntur. 176
Argentina olim quidem potentior, sed ne nunc quidem cõtemnenda. 202
Argentoaria an à quibusdam recte Colmar nuncupetur. 98
Arriana hæresis, vbi potissimum locorum grassari cœperit. 337
Aristides pictor tabulam suam quanti vendiderit. 228
Ἀεσσονησίαι Norica. 134
Aristoteles libros Speusippi quanti emerit. 227
Arlenius mons. 12
Arma foris parum valent, nisi domi præcedat consilium. 367
Armamentaria Reip. Norimbergensis instructissima. 132
Armamẽtarij Norico-publici descriptio. 154
Armel castrum. 104
Armele siue die Memel fluuius. 104
Armeni magni mercatores, nam Ægyptum Persiam & Indiam vsque mercaturas suas exercent. 106
Arnhemium primarium Geldriæ oppidum in gratiam Imperatoris Maximiliani recipitur. 192
Arnolphus S. Episcopus Metensis, familiæ Imperatoris Maximiliani consecrator. 179
Ars res ardua ac difficilis non nisi naturali industria prædito communicatur. 58
Artis musica cum animis humanis cognatio. 4
Artobria nunc Veltenburg monasterium. 96
Astrologia in quanta olim existimatione fuerit habita. 208
Astuta puella Heluetica astuta responsio ad Cæsareorum quæstiones directa. 86
Athesis fluuius. 81
Audacia cuiusdam architecti pollicentis Athon in imaginem Alexandri Magni formaturum exposita. 54
Augst pagus à Basilea quantum distet. 97
Auaritia præsidis sylua Nigræ grauissime animaduersa. 91
Augusta Vindelicorum quantum ob Monopolia creuerit. 202
Aulæ diuersimoda incommoda. 6
Auro loquente nil potest quauis oratio. 91
Aurum habet Tholosanum quale prouerbium. 364

B.

Bacenis sylua infinitæ magnitudinis. 108
Balthasar Scipio dux Venetorum acerrimus. 192
Baro de Brandis à Suitensibus capitur. 76
Baro de Castelwardt nouissimus illius familiæ interimitur. 88
Barones de Fürstemberg & de Nidau principũ aduersus Suitenses, Duces exercitus. 65
Baro de Saxo à Cæsareanis magno detrimento afficitur. 76
Bartholomæus Liuianus excelsi nominis Dux cum magnis Venetorum copiis à Cæsareanis fugatur. 192
Basilea ex Augustæ ruinis creuit. 97
Basilea fulmine grauissimo atque pernicios issimo tacta. 322
Basilienses à Delphino regis Gallorum filio grauissimis copiis cinguntur. 68 69
Basilienses à Ducissa Burgundiæ Friderici Vidua obsidentur. 67
Basilienses exorto tumultu ad munitiora vrbis loca conuolant. 91
Basiliscus vitæ pariter ac mortis dominus. 202
Basilius Seleuciæ Episcopus Chrysostomi coætaneus. 17
Basilius vbi & quando vixerit. 337
Batani quid olim obtinuerint. 99
Batauodurum nunc excisum penitus. 100
Battemberg arx. ibid.
Batini populi. 102
Beyersdorfius & Pirckheimerus pretiosis equorum tegumentis donantur. 90
Beyreyt. 107
Bella à Burgundo, dum adhuc in flore gesta. 73
Bellinzona à Suitensibus empta proditione à Duce Mediolanensi illis subtrahitur, ob id ab vtraque parte bellatur. 68
Bellorum ingentes miseriæ. 10
Bellum cruentum ac difficile Heluetiorum cum Imperatore Maximiliano. 7.64
Bellum Helueticum geminum. 63
Bellum Heluito-Cæsareanum funestissimum cum vtriusq; partis calamitatibus non exiguis & multorum optimorum militum amissione simitur. 92
Bellũ inter Maximil. I. Cæsarem ac Regem Gallorum in inferiori Germania maximum. 4
Bellum rerum omnium pater. 52
Benochema vbi locorum degerint. 102
Bergen principalis Norwegiæ ciuitas & emporium. 104
Bernenses cum Suitensibus fœdus ineunt. 65
Bibliotheca Pirckheimeriana vbi conseruetur. 2
Bilibaldi extremum votum & ænea quasi cantio ex Erasmo desumpta. 38
Bilibaldus Imhofius ab Alberto duce Bauaria muneratus Norimbergam patriam suam repetit. 36
Bilibaldus Pirckheimerus Maximiliani I. & Caroli V. nepotis eius, Imperatorum Augustissimorum Consiliarius. 36
Bil. Pirck. oratione apud Cæs. maiest. locum tenentem generalem intercedit pro Rep. Norimberg. aduersus eandẽ infestantes. 189
Binda ingens fluuius. 104
Blanca Maria Mediolanensis cũ maxima dote nubit Rudolpho Comiti Habspurgico. 360
Blanca Maria principis Mediolani filia Imperatoris Maximiliani I. coniunx. 192
Bohemi qua lingua vtantur. 103
Bohemi prope Ratisponam à quo profligati. 192
Boiochami magna olim Bohemorum gens. 113
Borysthenes fluuius Lithuaniã. 105
Brauis mons. 10
Bregentum ab Appencellensibus obsessum. 67
Bregitz oppidum. 78
Brennus Asiam quomodo inuaserit. 313
Brennus rex Gallorũ, ob nimiam ac intolerabilem auaritiã, punitur diuinitus. 363
Briel & Dorderacum portus Batauorum famosissimi. 100
Brisacienses Petrin Hugenpachium tanquam

tanquam tyrannum crudelissimum in vincula coniiciunt ac capitis damnant. 69
Brisgoienses à Basiliensibus grauissima agri sui iactura & depopulatione affecti. ibid.
Brixia auxiliaribus Gallorum copiis expugnatur. 192
Bructeri à Druso nauali prælio victi. 101
Bucephalus Alexandri Magni tribus talentis constitit. 227
Busalaura mons Italiæ excelsissimus. 12
Burckhardus de Knoring eques auratus senex ac rei militaris peritissimus. 79
Burgundia vnde sic dicta. 101
Burgũdi denuo pecorum ritu mactantur, & in præterfluentem præcipitantur. 73
Burgundus denuo, amissa maxima clade nobilium & ignobilium à Suitensibus fugatur. 72
Burgundus se orbis fore speras dominum Italiam inuadit. 69
Burgundus Dux confoditur. 73
Busacteros maiores populi vbi resederint. 101
Busacteri an rectè Bructeri. 100
Butorgio qualis existimata ciuitas. 102

C.

CAlixtus Pontifex Romanus Burgundiæ duci Philippo, vsque in tertiam generationem cur maledixerit. 367
Calumniatores, facta obtrectatione quod ledant. 37
Cambyses rex Persarũ potentissimus ab Æthiopib innumerabili exercitu in fugam versus. 358
Canis apud Ægyptios, stola decoratus, quid denotarit. 202
Captiuus quidam Heluetius à Cæsareanis intercipitur & suspendio punitur. 87
Caracciola Episcopus Laodiensis. 274.
Carrary à Venetis necatur in carcere. 365
Charitas & Clara Bilibaldi Pirckheimeri sorores non tantum latinæ linguæ, sed & diuinarum litterarum gnarissimæ. 3
Carmen Sapphicum Cunradi Celtis ad Charitatem Abbatissam S. Clarę in Norico. 343
Caroli homines & mercatores Barbari. 104
Carolus Burgundus multis in prælio Granensi acceptis cladibus à confœderatis misere occiditur. 367
Carolus Campegius Cardinalis recipit se in Italiam. 325
Carolus Dux Geldriæ à Maximiliano I. Imperatore capitur. 192
Carolus Dux Burgundiæ princeps potentissimus ac bellicosissimus. 69
Carolus Dux Burgundiæ amisso opulentissimo in castris auri, argenti ac gemmarum pretiosissimarum thesauro, à Suitensibus in fugam vertitur. 71
Carolus Dux Burgundiæ in omnibus bellis nunquam laborauit inopia. 73
Carolus Magnus Imperator fossam in Almonem ducere frustra attentat. 109
Carolus Magnus regem Witekindum ad fidem Christianam suscipiendam cogit. 361
Carolus VIII. rex Gallorũ fœdus sancit & pacem constituit cum Imp. Maximiliano I. 192
Carolus V. Maximiliani Imper. nepos. 13
Carolus rex Gallorum duci Mediolanensi exitium parat. 88
Castitatis elogium. 22
Casuarij, Nertereani & Danduri quales populi. 102
Catalogus omnium & singulorum Comitatuũ ac Baronatuum, penes omnem nobilitatem, à Suitensibus euersorum & funditus deletorum. 68
Cathę & Catti Cheruscorum propinqui. 102
Catti pedestris disciplinæ periti. 100
Cato maior & Pirckheimerus quomodo inter se inuicem comparentur. 21
Chalusius fluuius. 109
Cauchi populi cognomento parui. 100
Causa cur homines hodierno seculo maiores priscos vitæ longæuitate non adæquent. 5
Causa quamobrem auctor bellum Helueticum descripserit. 64
Causæ cur sexus muliebris, à litterarum studiis incolendis, excludatur. 3
Cecius mons Norici. 108
Celsus Canonicus Veronensis. 357
Censura Bilibaldi Pirckheimeri, de Germaniæ Rebuspublicis ad Baptistam Egnatium Pium Venetum. 201
Ceremoniæ Academiæ Paduanæ in creandis Neo-doctoribus. 41
Ceremoniæ & ritus in auguratione sacræ virginis Norimbergæ adhibiti. 130
Cereuisiarij Norici eorundemve auaritia à Senatu castigata. 131
Certamen singulare Cæsareani cuiusdam & sacerdotis Suiceri. 75
Cæsar, composito bello Geldrensi, auxilia à statibus Imperij ad conterendam Heluetiorum potentiam postulat. 78
Cæsar ignauiæ ducũ indignabundus succenset. 82
Cæsar in exoneratione tormentorum, ad præfixum aliquem scopum omnes magistros eorundem præcelluit. 90
Cæsar opes Imperij mittit contra Burgundum. 70
Cæsar per Pirckheimerum à Republica Norica supplementum petit. 185
Cæsar Reginæ ex Germania inferiore aduentanti magnificũ instruit conuiuium. 89
Cæsareani magis de fuga quam de pugna cogitantes summa cum ignominia reuertuntur ad suos. 81
Cæsareani post factas cum Heluetiis inducias domus quasdãm rusticas incędunt & pecora abigũt. 75
Cæsareani licet Heluetiis numero multo maiores nihilominus tamẽ rursum in fugam vertuntur. 78
Cæsarum Romanorum catalogus. 253. 254. *& seq.*
Chamanni & Angriuarij vbi habitent. 101
Chati quas in sedes ob seditionem transgressi sint. 99
Chemæ populi. 101
Chersonesus Cymbrica hodie ducatus Holsatiæ & Schlesuicensis. ibid.
Cheruscorum antiqua sedes. 102
Christianismus ob grassantẽ Arrianismum grauissime concussus. 337
Christophorus Scheurlus & Christoph. Gugel Reipublicæ Noricæ à consiliis. 25
Christoph. Scheurlus, I. V. D. & Academiæ Wittenb. Rector. 350

Chrysostomus Basilij vitæ socius & Achates. 44
Churienses, Engadinenses & Grisenses à Maximiliano multis vexantur iniurijs. 74
Cicero è patria fugiens à Pomponio Attico ducentis quinquaginta sesterciis donatur. 227
Circinna Insula in qua Fulgentius vitam suam finit. 247
Ciues seruare & hostes cõciliare, nõ dumtaxat est clementia sed excelsi & magnanimi quoq; spiritus argumentum. 248
Ciuitas in qua Dux Moscouiæ residet tota lignea excepto castro & arce Ducis ex lapidibus constructa. 105
Ciuitas S. Galli quo pacto è manu hostium liberata. 67
Ciuitates Imperiales quo pacto in manus Episcoporũ, & aliorum Tyrannorum peruenerint. 202
Ciuitatum supra Rhenum descriptio. 98
Ciuitatũ Vindelicię antiquarum enumeratio. 95
Clades Burgundi ob arrogantiam & hostium contemptum potissimum acceptæ. 72
Clades Cæsareanorum ex non seruato ordine exorta. 77
Clades Romanis à Germanis illatæ sicco pede prætereuntur. 94
Claustra templorum cur leonibus exornata. 203
Clemens Septimus Pontifex Maximus fœdus aduersus Gallos renunciat. 276
Cleopatræ Gemma quanti æstimata. 228
Clitus ab Alexandro Magno in conuiuio transfossus. 58
Cnidius Architectus nomen suum quomodo æternitati commendauerit. 61
Collatio auctoris cuiusdam cum seruo ex domini sui, substantiis ditato. 56
Colonia quo pacto ingo Episcoporum sit subiecta. 202
Columna marmorea in Basilica Wittembergensi, à quib. principibus erecta. 362
Commentarius de vita & obitu reuerendi patris Antony Kressen, I. V. Doctoris, & in Collegio S. Laurentij Norimbergensi, Præpositi. 250
Comes de Fürstenberg collecto exercitu quatuordecim millium peditum, equitũ vero duorum millium hostium Heluetiorum fines inuadit. 87
Comes de Pitsch in bello Heluetico interemptus. 88
Comes Remondi cognita Burgũdi domini sui fuga, relictis omnib. tormẽtis & instrumẽtis bellicis in pacatum abire festinat. 72
Comes de Toggenburg & comes de Werdenberg amisso ingẽti numero nobilium & præda magna à Glareanis fugantur. 67
Comes de Toggenburg seminibus discordiæ satis Suitẽses inuicem adeo irritat, vt funestissimũ inde bellũ intestinum exortũ. 68
Cometæ vt nõ subito existunt sic nõ illico euanescunt. 35. eorundem differentia & præsagia. 35
Comites Habspurgenses, quo pacto facti sint archiduces Austriæ. 360
Comites Kyburgenses, Neuburgenses & de Fallendis principum, aduersus Suitenses bellantium, Duces exercituum. 65
Comites de Sulz Taregensium ciues. 78
Comitia celeberrima Coloniæ celebrata. 18
Conflictio quid Theophrasto. 216
Confœderati à Delphino regis Gallorum filio grauissimam cladem patiuntur. 69
Confœderati Cæsareanis longe inferiores vincuntur. 75
Confœderati Heluetiorũ ex quib. populis oriundi. 65
Consilia Ducum Suitensium de commode aggrediundo Burgundo. 71
Consily officium duplex. 53
Constantia fortitudinis Magistra. 173
Constantia Heluetiorũ in seruando ordine militari. 77
Constatia Heluetiorum in propaganda ac dilatanda maiorum suorum gloria. 86
Constantienses cur à Suitensib. pacem quinq; millibus aureis redimere coacti sint. 69
Constantienses quo pacto iurisdictione Turegetensiũ ad hodiernum vsq; diem sint priuati. 91
Constantinus sacerdotes ac monachos in adulterio deprehensos, chlamyde cooperire cupit, ne ab alio videantur. 359
Contraria cõrariis curantur. 380
Controuersiæ inter operarios Norimbergæ exortæ quibus remediis tollantur. 134
Controuersia ducum Bauariæ sublata. 62
Consuetudo laudabilis Suitensium in bellum proficiscentium. 70
Consul Basiliensis fuga sibi vitæ salutem comparat. 291
Consules Norimbergenses quamdiu regnent. 134
Consultatio Cæsaris cum reliquis belli ducibus de accepta cladis vltione. 82
Conuenticula siue occulta, siue publica in Republica Norica cur non tolerentur. 134
Copenhagia caput regni Daniæ quot gradus in longitudine & latitudine contineat. 104
Cordis non verba oris Deus respicit. 35
Cornelia mater Gracchorum, liberorum suorum in studiis litterarum ipsa informatrix. 3
Cor regis in manu Dei est, qui istud diuino suo nutu dirigit. 173
Corinthij aduentante Philippo, in quibus rebus occupatissimi desudauerint. 52
Coriouallũ an ad Vbios recte pertineat. 99
Cornu bouinum ab Heluetiis inflatum Cæsareanis timorem incutit. 82
Cornus ab Augusto quanti emptus. 228
Cosmas Cõtareno I. V. D. Cancellarius studij Paduani, & in spiritualib. Vicarius generalis. 40
Cracouia regia ciuitas Polonię, à Moscouia quod milliaribus distet. 105
Crescentia Bilibaldi Pirckheimeri coniunx quando demortua. 16. eiusdem monumentum sepulchrale à marito post se relicto positum. ibid.
Crudelissima crudelitas Suitensium in Turegetensium cadauera. 69
Crudelitas erga ciues pusilli & omnia timentis animi signum est. 248
Cula vicus prope Voradium ciuitatem Hungariæ. 352
Culmbach. 107
Cultus muliebris quã stricte Norimbergæ

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [436] - -
PUBLIC DOMAIN

rimbergæ obseruetur ne contra leges ac statuta Senatus peccetur. 135
Cunradi Rittershusij de Bilibaldo Pirckheimero Parodia. 39
Cunradus Celtes primus in Germania Poeta laureatus Cæsareus. 3
Cunradus Episcopus Herbipolensis. 37
Cunradus II. Romanorum. Imp. quando Norimbergam ad Imperium traxerit. 114
Cunradus Vangionensis egregius sculptor. 362
Cura omnium, quæ prima esse debeat. 358
Curiæ Noricæ descriptio. 131
Currus falcati siue præliares quo tempore necessitatis à Noricis conquirantur. 134

D.

Dagobertus rex Francorũ intercessione Dionysij pœnæ dilationem impetrat. 366
Dantiscum Emporium celeberrimum. 101
Dantiscum, quã ob causam, à magno Prussiæ magistro obsidionem pertulerit. 202
De annona & victualibus vrbis Norimbergensis. 137
Decem millia aureorum in vnico castro Hoburg reperta ex multorum hominum spoliis inique corrosa. 80
Decem millia rusticorũ & supra, tempore necessitatis à Noricis colliguntur. 134
De domib. Noricorũ frumentariis publicis, de fame itidem & generibus panum insolitis. 130
De duobus augustiorib. templis & hospitalib. Noricis, eorundemve opibus & reliquiis. 129
De imagine & descriptione Norimb. de insulis eius ac thermis, vt & de prato Hallerio. 123
Delphinus regis Gallorum filius ingentibus copiis fines Basiliensium ingreditur. 68
De magistratib vrbis Noricæ. 134
Demosthenes quantum ex hæreditate patria receperit. 228
Deneper fluuius qui & Boristhenes dicitur. 105
De nouem vrbis Norimbergensis monasteriis, & eorundem sanctis probatisq; moribus. 130
Deorũ ac heroum capitib. cur Basilisçus apud priscos, impositi. 202
De pœnis apud Norimbergicos, sontium. 135
De pietatè & eleemosynis vrbis Noricæ, vt & de leprosis. 132
Descriptio crudelissimæ famis Noricæ. 131
Descriptio currus triumphalis in honorem Maximiliani Primi inuentus. 173
Descriptio studiorũ ac vitæ rationis Pirckheimerianæ elegãtissima ac suauissima. 233.234
Descriptio Treuirensis vrbis antiquissimæ. 93
Deuisa vel Liurea quid sic dicatur. 179
Deus omnium rerum fons, origo primumque principium. 361
Deus quomodo superbiam ac temeritatem punire soleat. 87
Deus vni homini non dat omnia, sed aliis alia partim concedit, partim denegat. 2
De vniuersali vrbis Norimbergicæ iustitia, legib. conuiuiorum, nuptiarum, Indæorum & vini corruptorum. 136
Dies apud Rigenses, viginti, & amplius, horis longiores. 202
Dietmarsi gens indomita. 109
Dietmarsi quasi populosi Marsi, vnde sic dicti. 103
Dietenhofen *regia Caroli Magni.* 98
Diligentia sola quã plurimas alias virtutes complectitur. 22
Diogenis factum ridiculum. 52
Disciplina militaris ab Heluetiis diligẽtissime obseruatũ nec quicquã nisi ex præscripto agunt. 76
Discordia inter Suitenses seritur. 68
Dissenhofen & Frawenfeld *quo pacto in Suitensium potestatem peruenerint.* 69
Disputatio Badensis. 280
Disputatio Theologorum Germanorum, cum papicolis, Lipsiæ habita. 324
Diuersa suppliciorum apud Noricos genera. 135.136
Diuinitas quomodo apud Ægyptios præfigurata. 203
Diuitiæ rebus sunt ornamenta secundis. 6
Diuitiæ Crassi quãti æstimatæ. 228
Diuitiæ tam malis quam bonis hominibus communes. 173
Doctrina vim promouet insitam. 37
Domus Senatorio-Noricæ descriptio. 156
Dorderacum portus famosissimus. 100
Dorneck *castrum.* 87
Draco Parthorum, signum multitudinis. 57
Drusus Rhenum cum ponte vbi coniunxerit. 98. *vbi oppetierit.* 102
Ducatus Burgundiæ Ludouico Francorum regi, per dominum de Alebert, traditur. 73
Duces Bauariæ, qui tum potentes, Cæsaris contemptores. 74
Duces Saxoniæ magnam tenent partem Imperij. 362
Duces Zeringiæ magnam partem Suetiæ olim possederunt. 65
Duna fluuius. 104
Dux Burgundiæ cum Suitensibus hostibus suis hæreditariis fœdus sancit. 69
Dux Cæsareanus coram Cæsare obiecta crimina ignauiæ diluit. 82. *nunquam tamen postea ad propria redire ausus est.* ibid.
Dux Geldriæ contra Philippum à rege Gallorum concitatur. 74
Dux Mediolan. ab Heluetiis, non sine exigua Germanicæ nationis ignominia, Gallis proditur. 92

E.

Ecclesia Constantinopolitana maximis agitata procellis interuentu & opera S. Gregorij sedatur. 240
Eccij in disputando impudentia ac militaris clamositas. 324
Eckij petulantia, quosvis pios ac eruditos viros infestando, taxatur. 374
Edicula corporis Christi ciuitatis Norimbergensis descriptio. 163
Egle villa prope Treuerim. 93
Ægyptij quem, per pictum Leonem, subintellexerint. 203
Ægyptij vectigalia sua tres in partes diuidunt, primam sacerdotibus impertiunt. 358
Ægra fluuius vbi cum Alba misceatur. 103
Eduardus Leius scriptor virulentissimus & seditiosissimus. 227
Eychistadium vrbs à quo sic dicta. 122.
Elbing ciuitas. 104
Elcebus an recte dicatur Schlettstatt. 98
Elegia de morte Alberti Dureri

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [437] - -
PUBLIC DOMAIN

pictoris Norici & Apellis Germanici scripta à Bilibaldo Pirckheimero. 26
Eleemosyna absque charitate nulla est. 362
Elicurt ciuitas ducis Burgundiæ, Cæsaris iussu à Sigismundo duce Austriæ obsessa. 70
Elisabetha regina Angliæ singularis exempli fœmina. 3
Elogia aliquot in honorem Bilibaldi Pirckheimeri à diuersis conscripta. 45.46.47.48.49
Eloquentia quibus modis acquiratur. 58
Embden. 100
Emblema Pirckheimeri paulo ante obitum à se conscriptum. 19.
eiusdem cuolutio. 20
Engadinenses fuga salutē sibi quæritant. 84
Ennius Episcopus Verulanus. 325
Enumeratio & consignatio maiorum siue antecessorum Maximiliani Primi Romanorū Imperatoris. 180
Eobani Hessi Idyllion ad Hieron. Baumgartnerum de ciuitate Norimbergica. 168.169.170
Epictetus philosophus probissimus & sanctissimus. 37
Episcopi ciuitates dolo acquisitas opibus ex haustas ac cultoribus oppressis ita obtinent, vt Turcarum iugum longe videatur esse leuius. 202
Episcopus Brixiensis Romanæ Ecclesiæ Cardinalis à Sigismundo duce Austriæ capitur. 69
Episcopus Colonienſis dux Angriuariorum. 101
Episcopus Churiensis moritur, post cuius mortem arces quædam ad Episcopatum pertinentes, à Cæsareanis occupantur. 75
Episc. Eystadiensis bello tentatus & in eo opera Bilibaldi Pirckheimeri plurimum adiutus. 4
Epistola Alberi vel potius secundum Erasmi iudicium, Buschij omnium stultissima. 278
Epistola Bilibaldi Pirckh. ad Adrianum Pontific. Maximum de motibus in Germania. 372. 373.374
Epistola Bilib. Pirckheimeri ad Franciscum Irenicum. 113
Epistola Bilibal. Pirckheimeri ad Iacobum Cæsareæ Maiestatis à secretis & consiliis. 62
Epistola Christoph. Scheurli studij Bononiensis Syndici ad Charitatē Pirckheimerin diuæ Claræ Abbatissam in Norico. 340
Epist. Des. Erasmi Roterodami ad Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum. 289
Epistola Des. Erasmi Roterodami ad Georgium ducem Saxoniæ. 43
Epistola Ducis & Senatus Venetorum ad Remp. & communitatem Norimbergensem. 197
Epistola Maximiliani Romanorū Imperatoris ad Bilibald. Pirckheimerum. 172
Epistola Pirckheimeri scripta ad Andream Imhosium. 35
Epistolæ amicitiarum pararia. 24
Epistolæ aliquot Ioh. Francisci Pici comitis Mirandulani ad Bilib. Pirckheimerum. 212
Epitaphia super obitū Alberti Dureri Apellis Germanici. 33
Epitaphium Bil. Pirckheim. quod conspicitur in Cœmiterio Norimbergico ad S. Ioannem. 44
Equites apud Rheinfeldiū in præsidio constituti cuncta Heluetiis absentib. & de pace tractātibus, igne & ferro vastant. 91
Equites Cæsareani ab Heluetiis cū ignominia ad pugnam prouocantur. 89
Equites Cæsareanorum impetrata salute, armis ac vestimentis à Suitensibus spoliantur, sicq; retentis tamē primoribus, dimittuntur. 78
Equus generosus freno potius quā calcaribus indiget. 248
Erasistratius sanato rege Antiocho, centum donatus est talentis. 228
Erasmi Roterodami iudicium de versione Ptolemaicæ Geographiæ Pirckheimeriana. 238
Erasmus accusatur tanquam causa totius Lutheranismi. 274
Erasmus Roterodamius Pirckheimeri amicus fidelissimus. 14.
phœnix litterarum dictus. 22
Erasmus Melanchthoni ingenium candidissimum attribuit. 278
Erichus Comes de Leyningen. 25
Ermetingen vicus occupatur. 77
Error in Iconibus clarorum virorum Basileæ & Francofurti impensis vbi commissus. 3
Error in prophanis tolerabilior, quam in rebus diuinis. 220
Æthiopes, sacerdotes templorumque cultores, in quanta existimatione habuerint. 358
Eruditi morbo Abderitico laborantes. 52
Europius vrbs Syriæ. 56
Euangelium solum, amussis regula & lapis quasi Lydius. 338
Excursiones Cæsareanorū & Heluetiorum diuersimodæ. 78
Excusatio Tribuni pro suis militibus grauissima & falsorum obiectorum in ipsos aduersarios retorsio cordatissima. 90
Exercitia iuuentutis Norica in diebus festis. 128
Exercitia Maximiliani Imperatoris, in quib. Cæsarea sua Maiestas, ab ineunte ætate se exercuit. 178
Expers coniugij est vita onerosa minus. 6
Explicatio veteris Germaniæ cur difficilis. 94
Expositi liberalissime à Republica Norica fouentur, tuentur ac nutriuntur. 132
Exemplorum in vtramq; partem quanta vis & efficacia. 1
Exemplum codicillorū D. Erasmi Roterodami ad Iohannem Oecolampadium. 289
Exemplum famis ingentis memorabile. 10

F.

FAber Vicarius Constantiensis. 276
Fabula accolarum Treuirensium de desponsatione Constantini & Helenæ. 94
Fabula Francorū de fabulosa suæ gentis iactatione exposita. 100
Fabula in oratione quomodo applicanda. 61
Fabula scriptoris cuiusdā de morte Seueriani. 56
Facta & res gestæ vetustissimorum Germanorum minus digne & fideliter, sed maligne ab exteris scriptoribus posteritati relictæ. 64.
Fama sempiterna siue immortalitas qua forma animalis ab Ægyptiis expressa. 202
Fames ingens in castro Cæsareanorum. 85
Fames ingens Norimbergæ quo tempore grassata sit. 130

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [438] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

Familia Kressiorum quamdiu Norimbergam incoluerit. 351
Fatalis & innata propensio inter Venetos & Norimbergeses. 201
Fatuus ob animi simplicitatē Leupoldo duci Austriæ charus, euentum belli Heluetici hero prædicit. 65
Ferdinandus ex agro Wirtenbergico rediturus, Friburgi expectatur. 325
Fœminarum aliquot Romanarum eruditissimarumque enumeratio. 3
Fœminæ Norimbergenses Andromedæ & in maritos imperia exercentes. 128
Fœmine præcipue gaudent garrulitate. 239
Ficta & simulata breui tempore durant. 220
Ficus, ficus, scapha scapha dicenda. 59
Φιλαυτία oculos impedit, quo minus, quid in se desideretur deprehendatur. 1
Filij, secūdum Isocratem, vt in paterna substantia, sic vicissim in paterna amicitia succedat. 232
Finis historiæ vtilitas. 54
Finis Sueuiæ quis. 104
Flandria & Brabantia, ni Cæsaris filius Maximilianus nomine interuenisset, in regis Galliæ ditionem peruenisset. 73
Flumina Germaniæ quamplurimā. 108
Fluuij in Pontum Euxinum fluentes. 110
Fœdera, Confœderatorum Suitensium renouantur ac augētur 66
Fœderati Burgundum naso suspēdunt & hostem inscium a tergo adeunt. 77. victoriam confosso ipso Burgundo reportant. ibid.
Fœderati Heluetiorum auxilium implorant & cōsequuntur. 75
Fœderati Suitenses qua occasione copiosam nobilitatē Ergau vel honoratum pagum in suam potestatem redegerint. 68
Fœderatio Suenica arrogantiam eam quam Bauariæ dux Georgius exuerat, induit. 74
Fœdus nouum inter Suitenses, Vrienses, Vnderwaldenses, Lucernenses, Turegenses & Zugenses. 65
Fontis Norimbergensis pulcherrimi descriptio. 158
Fori maximi Norimbergensis descriptio. 157
Fortitudo vera sine bonitate non consistit. 173
Franci a Sycambris orti. 100. per Franckofordiam Galliam inuadunt. ibid.
Franciscus de Sickingen. 262
Francones, subactis equis, ab acie declinant, & ad locum vnde egressi, digrediuntur. 80
Fraterculi Dominicani, apud Adrianum Pontificem Maximum a Bilibaldo Pirckheimero accusantur. 373
Fribochi Mediomatricum successores. 97
Friburgenses & Bernenses inducias ad viginti annos vsque prorogant. 67
Friburgenses Erasmum magna cum humanitate excipiunt. 286
Friburgenses principum & nobilium Suitensibus aduersantium receptatores. 65
Friderici & Johannis ducum Saxoniæ laudes & encomia. 362
Fridericus dux Bauariæ cur a Sigismundo Imperatore omnibus bonis suis exutus sit. 67
Fridericus dux Saxoniæ cognomento sapiens. 37
Fridericus dux Saxoniæ Imperij Elector, studiorū & musarum Cunradi Celtis amicus & patronus maximus. 117
Fridericus III. Romanorum Imperator, vnde genus suum maternum ducat. 123
Frisij, Holandi, Seelandi, Flandri, &c. Imperio parent, quando placuerit. 202
Fuga Burgundorum plus quam ipsum prœlium assumpsit. 72
Fulgentius Apher, patria Carthaginensis vir nobilis & eruditus, Episcopus Rupensis. 247
Fumo suo tingitur, qui aly fumum offundere conatur. 19
Fumus Heluetiorum signum quo a suis implorare solent subsidium. 76
Fürstenbergum a Cæsareanis occupatum. 75

G.

Gabreta sylua. 107. pars sylvæ Bohemicæ. ibid.
Gabriel de Schaumberg. 263
Galeatius Vicecomes legatus Mediolanensis. 91
Galli ad vicum Guynegatam, insigni prœlio, a Cæsareanis, & Angliæ Regis adiunctis viribus rursum profligantur. 192
Galli natura Germanis infesti sunt & coronam Imperij Romani gestiunt. 197
Galli trium horarum spatio Heluetiis murorum deiectionē pollicentur. 91
Gallus Maximiliano tum apertas tum clandestinas struit insidias. 74. post multas acceptas clades a manifesto bello desistit. ibid.
Garrulitas quid Theophrasto. 214. 215
Gelb pagus prope Linem arcem Episcopi Colonienſis. 99
Genealogia Maximiliani Primi Romanorum Imperatoris. 180. 181. 182. 183
Genosia oppidum. 98
Gens Pirckheimeriorum multis ab hinc seculis clara & nobilis. 2
Genuenses, a Danorum regibus, strenue defenduntur. 202
Georgius dux Bauariæ ditissimus & potentissimus. 74. ciuitates Sueuorum vicinas assiduis iniuriis lacessat, nec earum legatos admittit. ibid.
Georgius dux Saxoniæ. 14
Georgius Sibutus orator & poeta laureatus. 350
Germania vix vnquam sine bellis quieta extitit. 64
Germania olim pluribus ac potentibus ornata cur hodierno tempore maior illarum pars sit pessundata. 201
Germani Mercurio & Isidi antiquitus sacrificarunt. 127
Germani olim sylvæ Hercyniæ inhabitatores. 107
Germani, secundum Cæsarem, & legibus a Gallis differunt. 95
Germaniæ ex variis scriptoribus explicatio. 94
Germanis Gallis Gallia pulsis, vbi postmodum consederint. 122
Geroltzeckium arx munitissima a Maximiliano Primo Romanorum Imperatore subiugata. 192
Giraffigens bellicosissima. 106
Glareani nobilium iniurijs vexati fœdus confœderatorum implorant, ac in eorundem societatem recipiuntur. 66

Glarens oppidũ ab Heluetiis combustum. 82
Gotlandia Daniæ insula. 104
Gothi multipliciter diuisi. 313
Gothi vineariũ cultores inde enim vocitant. 106
Gracchi ex institutione liberali materna, & sublime Senatus fastigium euecti. 3
Granson vrbs à fœderatis ducisse Sabaudiæ tumultu ademta. 70
Græcarum litterarum imperitia omnium disciplinarum πανολεθρία putata. 22
Græci de Germania nil nisi fabulas scripserunt. 94
Græcia nõ solũ his temporibus, Imperij & gloriæ, sed & nominis & famæ ruinam patitur. 93
S. Gregorius vbi Ecclesiæ præfuerit. 240
Gregorius quo tempore & loco vixerit. 337
Grõningen *ciuitas insignis.* 100
Guilhelmus Roggendorffius Cæsareanis submittit commeatum & subsidia. 192
Guynegata vicus Gallorũ triginta millia hominum continens. 191

H.

H*Absburgenses & Nobiles post Anglorum in auxilium vocatorum discessum, Suitenses vexare non desinunt.* 66
Hagenpach *decollatur.* 69
Hamasia quid Straboni. 101
Hãnonia cũ magna Picardiæ parte à Ducatu Burgundiæ deficit. 75
Harpyarũ descriptio Virgilij. 178
Hartenberg *arx.* 25
Hartzwald. 107
Hebetudo à Theophrasto explicata. 217
Hegeuenses ab Heluetiis iqui & ferro inuaduntur. 80. *vltro cedentes hosti castra munitissima hosti spolianda post se relinquunt.* ibid.
Heydelberg vnd Bergstraß. 100
Heliodorus regis Seleuci legatus, vna cum ceteris suis sacrilegis punitur diuinitus. 363
Heluetiis ab externo hoste quieti in semetipsis arma conuertunt. 67
Heluetij à tumultu bellico, ob interemptum & sublatum Burgundum paulisper quiescũt. 73
Heluetij de fœdere ineundo cum à Gallorũ rege Carolo, tum à duce Mediolanensi creberrimis legationibus molestantur. 88
Heluetij maiorum suorum ac proprij decoris tam multis ac periculosissimis bellis parti, propugnatores strenui. 64
Heluetij non nisi implorato nomine diuino bellũ exordiuntur. 70
Heluetiis non nimium fidendũ. 92
Henricus Dux Bauariæ Ecclesiæ Norimbergensis fundator. 114
Henric. Epphendorpius & Huttenus vnius Gallinæ filij. 276
Henr. Greningerus monachio Norimbergã vocatus primus ibidem professor Romani stipendij. 133
Henricus III. Romanorum Imperator Norimbergam grauissima obsidione quando cinxerit. 114
Henr. Wolleben Heluetius magna audacia & virtute sanguinem pro patria profusit. 79
Hercinia sylua vnde sic dicta. 121
Hercules ac Dionysius, toto orbe peragrato, cur Æthiopes intactos reliquerint. 358
Hermannus Comes Nüenarius sive Nouæ Aquilæ. 23
Hermiones secundũ Pomponium Melam vltimi Germaniæ populi. 104
Herodotus & eius dẽ scripta quantam existimationem fuerint. 59
Herzberg. 102
Hillige fluuius Rubonis. 104
Hymnus Conradi Celtis Sapphicus in vitam S. Sebaldi. ibid.
Hieronymus Ebner Senator & Duumuir Norimbergens. 350
Hieroslaus Baro, regis Poloniæ orator. 278
Hispana Insula quantũ ab Hyspali distet. 113
Historia testis temporum, lumen veritatis, cõseruatio memoriæ, magistra vitæ & vetustatis nuncia. 64
Historia iuxta Ciceronem, nuntia vetustatis. 248
Historia an recte in duas partes, oblectationem videlicet & vilitatem, à quibusdam diuidatur. 53.54
Historia belli Suitensis siue Helvetici à Bilibaldo Pirckheimero descripta. 63
Historia de Friderico Imperatore & collectis pueris totius Reip. Norimbergensis. 128.129
Historia de furto necessitate ingentis famis commisso Norimbergæ. 131
Historiarũ vtilitas maxima. 15
Historiæ quo pacto conscribendæ. 52.
Hochrũg *ditio Comitum de Nassau, &c.* ibid.
Hof *ciuitas Foytlandiæ.* 107
Holfeld *ciuitas.* 107
Homerus vatum maximus. 2
Homerus de Achille multa fabulosa retulit. 59
Homines in cernẽdis ac obseruandis aliorũ vitiis & delectis lynceos, in suis autẽ ipsis, talpæ cæciores, habent oculos. 1
Honores quamplurimis ex podagra oriundi. 207
Honorius & Theodosius Romani Imperatores sacerdotibus secularium personarum exactiones, dimittunt. 366
Horreorũ Norimbergensium publicorum descriptio. 155
Hospitalij siue Xenodochij maximi intra Norimbergam descriptio. 159
Hostium numerus nõ quantus sed vbi consistat quærendum. 71
Horti Cæsaris Friderici Norimbergæ pensiles. 126
Horti extra vrbem Norimbergensem descriptio. 165.166
Hugualdus rebaptizatur. 207
Huldricus Varenbuler regiminis Cæsareani Cancellarius. 24
Hulge fluuius. 109
Hulstus vix capitis periculum euitat. 278
Hungari & Moscouitæ in quantum differant. 104
Hunni quicquid ad ortum possederunt Oesterreich *vocarunt.* 97.

I.

I*Acobus Ceratinus Græcarum litterarum peritissimus.* 280
Iacobus de Bannissis Cæsareæ Maiestatis à secretis consiliis Decanus Tridentinus. 62
Iacob. rex Cypri opera vxoris Venetæ, à Venetis veneno tollitur. 365
Iaddus summus sacerdos, ab Alexandro Macedone humi prostrato, adoratur. 360
Iagellus Magnus Lithuaniæ princeps fidẽ Christianorum quando susceperit. 105

Iason

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [440] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

Iason Mainus Iurisconsultorum Italorum princeps. 351
Ioachimus Camerarius Varro Germanicus. 25
Ioannes à Bayersdorff vir strenuus & multarum palmarum Bellatorum. 7
Iohannes Baro Schwartzenburgicus. 23
Iohannes de Beyersdorff eques auratus Bilib. Pirck. in bello Heluetico adiunctus. 81
Iohannes comes Sabandiæ in bello occumbit. 66
Ioh. Capnio ἀλεξικάκος & Hercules Germanicus & monstrorum innumerabilium domitor. 24
Iohannes Cuspinianus præstantissimus Cæsareæ Maiestatis Historiographus. 24
Iohannes Dalburgius Wormatiensis Episcopus. 138
Iohannes de monte Regio Astronomorũ & Mathematicorum suo tempore princeps. 126
Iohannes Hessus I C. Episcopatus Vratislauiensis Episcopus. 27
Iohannes Hofmannus Pictor Noricus & Alberti Dureri imitator sedulus. 36
Iohannes Imhof patricius Norimbergicus. 2
Ioh. Ludouici Viuis libri de disciplina Christianæ fœminæ. 3
Ioh. Picus Mirandula Comes habitus pro miraculo. 23
Iohannes Pirckheimerus Bilibaldi atauus ante ducentos annos cũctos Norimbergenses diuitiis Cunradus vero proauus omnes eosdem doctrina & sapientia superauit. 2
Iohannes Pirckheimer. stipendij Romani in Republica Norica fundator. 133
Iohannes Pontifex Maximus ex Concilio Constantiensi elapsus. 67
Iohannes Syluagius Cancellarius Burgundiæ. 268
Iohannes Stabius Mathematicus clarissimus portæq; honoris Maximiliano I. sacræ inuentor. 24
Ila, nõ longe à Feldkirchio, fluuius insignis. 108
Ilingi vbi habitauerint. 102
Ilsing magnæ existimationis vir & audax quo pacto vna cum famulo suo vitæ consuluerit. 79
Imago sedens super papyri fascicu-
lum, quid Ægyptiis. 202
Imperator cur Reipublicæ Norimbergensi aquilam virgineo vultu ac capite deformatam concesserit. 128
Improbi cur leges bonas improbẽt. 205
Impudentia à Theophrasto descripta. 216
Incendium grauissimum & perniciosissimum Viennæ exortum. 252
Indi, vniuersum populum quot in tribus diuiserint. 358
Inducia inter ducem Austriæ & confœderatos. 66
Inducia inter Cæsareanos & Heluetios. 75
Ingenium humanum in cernendis aliorum vitiis quomodo comparatum. 1
Iniuria à præfectis affecti Suitensibus se adiungunt & à nobilibus deficiunt. 65
Insolentia nimia morbum nõ exiguum generat. 59
Instituta ciuilia ex quo studiorum genere petenda. 15
Instrumenta armamentarij Norimbergensis diuersissima. 132
Insula quædam trans columnas Herculis à mercatorib. Chartaginensium inuenta. 112
Insulæ Saxonum à quibus populis inhabitentur. 103
Insulæ inter Rheni ostia duæ. 99
Integritas vitæ cũ timore Dei coniuncta, vera prudentia. 351
Interpretatio quorundam litterarum Ægyptiarum, ex ore Niliaco. 202
Inuidia virtutis comes indiuiduus. 13
Inuiti non ambientes in Rempubl. collocandi. 18
Iocus in imperiosas Andromedas Noricas. 128
Iodocus orator regis Poloniæ. 275
Iordanus Cardinalis Vrsinus, Papæ Summus Pœnitentiarius. 318
Ironia à Theophrasto definita. 214
Isaacus Casaubonus maximus ætatis nostræ philologus. 22
Isera fluuius rapidissimus. 109
Islandia quot gradus in longitudine habere credatur. 104
Italia litterarum, litteratorumque altrix ac parens. 351
Itali in laudes suas effusissimi. 68
Itali Gothorum & Longobardorum gentem, Germanis conantur eripere. 313
Italorum ciuilitas, temperantia & eruditio. 5
Italorũ, de sacrilegis, prouerbium. 367
Judæi cur è Norico expulsi. 125
Judæi septem annorum spacio, tributorum onere ab Alexandro Macedone, eximuntur. 360
Juliani I C. dictum de amore litterarum. 22
Julij Cæsaris ac veterum Historiographorum de vrbe Treuiri iudicium. 93
Julij Cæsaris error. 94
Julius Cæsar gladium suum tanquam spolium in Aruenorum templo suspensum, detrahi prohibet. 359
Jura ciuitatis Norimbergensis, quando in patriciorum manus peruenerint. 114
Jurassus mons. 75
Jurisprudentiæ vtilitas. 4
Jus Noricorum summum apud quos repositum. 134
Justitia, Fortitudo, Prudentia & Temperantia, vbi hæ virtutes desunt, ibi etiam nullum regnum stabile ac firmum esse poterit. 174
Justitia non nimis rigida, sed clementia permixta sit. 173
Justitia Regentis, secundum Aristotelem, vtilior subditis quam temporis fertilitas. 350
Justitia vniuersalis aliena vtilitatis speculatrix. 136
Justus ex sanctæ linguæ idiomate quis denotetur. 37

K.

Katharina Lösselholtzia Anthonij Kressij, ʃ. V. Doctoris, & ad sanctum Laurentium in Norico præpositi, mater. 351
Kiltanus de Rebdorff. 263
Kleckau prouincia. 91
Kosam castrum. 104
Kuefstainium arx inuictissima à quo expugnata. 192
Kunigsfeld monasterium in quo Leopoldus dux Austriæ amissa clade maxima, sepultus. 66

L.

Lacobardi & Dulingi vbi sedem suam fixerint. 102

Lais

INDEX.

Lais quantum pro concubitu, à Demosthene petierit. 228
Landeckum. 12
Landeck *castrum.* 67
Landsknecht *vocabulum vnde originem traxerit.* 73
Lapidicinarum ex quibus vrbis Noricæ ædificia construuntur descriptio. 152
Lasla potentissimus Rex Christianitatis. 183
Latrocinia nobilium & depræda-tiones viatorum culpantur. 80
Latrocinia qua diligentia à Noricis præcaueantur. 121
Latrones & parricidæ qua morbis pœna à Noricis adficiantur. 135
Laudantes circa quam curam potissimum sint occupati. 53
Laudare quo tempore conueniat ac deceat. ibid.
Laudes & encomia amplissima Caroli Ducis Burgundiæ. 73
Laudes & præconia Heluetiorum rei militaris & veræ virtutis flagrantium. 92
Lauffenberg *oppidum Rheneſe.* 75
Lauffenberg *oppidum ab incursione Heluetiorum munitur.* 90
Laupheim *oppidum ditionis Bernensis obsidetur, sed virtute & auxilio Suitensium defenditur.* 65
Laurentius Behaim Iuris Doctor & Canonicus Bambergensis. 27
Laurentius Tucherus Doctor S. Laurentij in Norimberga præpositus. 351
Laurus apud Priscos victoriæ attributa. 177. *semper viresci.* ibid.
Laus & encomium Friderici Electoris Saxoniæ propter institutam Academiam Wittenbergensem. 246
Lazaretum Noricum à quo extructum. 177
Leberden. 100
Legati Cæsaris in magno Basileæ constituto periculo. 91
Legati Churienses à Cæsareanis cũ ignominia dimittuntur. 75
Legatus Mediolanensis Norimbergens. copias in sui ducis præsidium à Pirckheimero postulat. 92
Legatus Mediolanensis frustra pacis conditiones expectat. 90
Legatus Pontificis, de sedãda principum discordia, in Anglia nihil proficit. 228
Leges bonæ cur ab improbis contemnantur. 205
Leges Cæsareanorum sub pœna capitis promulgatæ contraria iisdem facientibus. 75
Leges Noricorũ contra delicta diuersimoda diuersimodæ. 136
Leges vnde originem suam duxerint. 249
Leo, apud Ægyptios, quem denotet. 203
Leopoldus S. princeps Austriæ mitissimus. 179
Leprosorum numerus maximus quo anni tempore à Republica Norica reficiatur. 133
Leprosoriorum quatuor extra vrbem Norimbergensem descriptio. 161
Letitia in humana vita tam absoluta non existit, vt omni careat tristitia. 71
Leopoldus Comes Habspurgensis Dux Austriæ ingenti collecto exercitu Suitensium fines inuadit. 65
Leupoldus II. Dux Austriæ vna cum quadringentis Comitibus Baronibus & Nobilibus, & alia turba innumera, prope Sempach oppidum cõfœderatorum, in bello occumbit. 66
Lex gregis flamma pastoris. 355
Liberalitas in viro principe amabilissima, ac summopere commendanda. 360
Libri Herodoti musarum nomine appellati. 59
Libri Philolai à Platone quanti empti. 227
Lycus fluuius ingens ac rapidus. 108
Liechtstall *oppidum.* 87
Lymacia flumen rapidissimum. 108
Lindauium ciuitas. 12
Lingones nunc dicti Burgundi. 75
Lingua Græca, futuro Iurisconsulto & politico non plane inutilis, vt imperiti quidam clamitant. 5.
Litteræ commendatitiæ Alberti Ducis Bauariæ datæ Iohanni Pirckheimero suo & Imperatoris Consiliario. 42
Litteræ Heluetiorum ad Cæsarem transmissæ in quibus omne belli ac effusi sanguinis culpam à se reiiciunt. 86
Litteræ Senatus Norimbergensis ad Egidium de Viterbio, Theologiæ Doctorem, & Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, priorem generalem. 199
Luthuania quomodo Moscouiæ coniuncta sit. 105
Liuonia quo fluuio à Moscouia disterminetur. 104
Locus ambientium vocationem & dignitatẽ quampiam, secũdum Gregorij præceptum, negandus & fugientibus offerendus. 351
Lona insignis Hassiæ fluuius. 100
Lona iuxta Lonstein *oppidũ, Rheno se adsociat.* ibid.
Lonstein *oppidum.* ibid.
Loquacitatis definitio Theophrasti. 216
Lotharingus à Suitensibus petit & impetrat auxilium. 72
Lotharingus Caroli Ducem Burgundiæ confossum Nanseij honestissima sepultura adficiurat. 75
Louenburg *ditio antiquorum Ducum Saxoniæ.* 101
Lubeca per coniecturam Müllheim *vrbs insignis & nouiter condita.* ibid.
Lubecenses soli ex aliis potentioribus, Imperio parent. 202
Lucatan Insula nuper reperta. 113
Lucianus Auctor, vt suauissimus ita & acerrimus, grauissimus. 51
Lucius Apuleius eiusdemve fabula commendatur. 117
Lucullus naufragium faciens turpiter profligatur. 364
Ludouici Sphortiæ principis Insubriæ prouerbium de seipso iactatum. 365. *eiusdem fatum miserabile.* ibid.
Ludouicus Aurelianensis Dux Ducatum Mediolanensem ad se pertinere contendit. 88
Ludouicus Comes Sabaudiæ inuitus & quasi coactus contra Suitenses militat. 65
Ludouicus Berquinus Lutetiæ exustus. 292
Ludouicus Comes de Nidau Ioannis Ducis Sabaudiæ filius vna cũ Patre & Comite de Fallendis bello Heluetico occumbit. 66
Ludouicus de Hutten. 25
Ludouicus rex Francorum ingentem vim auri ad compescẽdum Burgundum, Lotharingo dat mutuo. 73

Ludouicus Sforcia dux Mediolanensis.10. Cæsareanis promittit commeatum ibid. sed nō stat promissis. 11
Lumburg & Eckenburg ducatus. 99
Luna sylua. 103
Lupia Castellum. 100
Lupia siue Diclypp flumen. 100
Luppia apud Wesaliam Rheno commiscetur.100. vnde nomen trahat ibid.
Lutherū multos euehit & docet plurimos, velint nolint. 276
Lutherus scribit ad Erasmū. 278
Luti Biuri quam terram incoluerint. 102
Luti Diduni populi. 102
Excelsicum locus montanus & angustus. 76
Luxuria sola podagram culpat & accusat. 206

M.

Madera Insula. 112
Magistratus summus apud Romanos, sacris inseruire, non erubescit. 359
Maiores Heluetiorū vnde quondam egressi, & vbi demū sedem fixerint. 64
Malairreparabilia cito oblivioni tradere non infima fœlicitas. 88
Malus oppidum comburitur. 82
Malum punicum externa forma sapore ac dulci odore caret. 179
Malus neminem nisi similem laudare consuevit. 205
Mammea mater Alexandri vbi casa & sepulta sit. 98
Mancipia vilia & hisce pretiosiora quanto pretio olim venditā. 227
Mankup castrum à ducibus Gothorum contra vim & incursionem Tartarorum strenue defensum. 106
Maranum oppidum a Cæsareānis æstu capitur. 192
Mare glaciale pigrum. 103
*Marcomannorū sedes antiqua.*103
Marcus Crassus propter Hierosolymis commissum sacrilegium, infœlicissime pugnat cōtra Parthos. 362. *à Barbaro quodam cōsodieur, eidemue ob nimiam auaritiam, aurum liquidum mortuo infunditur.* ibid.
*Margarita quedā à Cæsare Seruilia emta quantū constiterit.*228
Maria Burgunda Maximiliani Imperatoris cōiunx in venatione equo præcipitata. 367
*Maria Caroli potentissimi ducis Burgundionū filia, vxor Max. I. Romanorum Imperatoris.*191
Mariæ virginis Deiparæ in Basilica Wittembergensi, extructæ descriptio. 362
Martinus Geuderus ab Heroltsperga Reipub. Noricæ Duumuir. 36
Mart. Schön Columbariensis, an Alberti Dureri, Apellis Germaniæ præceptor fuerit. 352
Matthæus Langus Cardinalis Gurcensis. 115
Matiaci populi exempti & duntaxat ad bellorum vsus reseruati. 103
Matthias Coruinus Rex Hungariæ. 191
*Matthias Rex Hungariæ, Maximiliano absente vniuersam fere Austriā & Metropolim Viennā parenti Friderico adimit.*74
Musakas. 57
Mausolum D. Maximiliani I. vbi conspiciendum. 191
Maximiliani Imperatoris dictum de veteranis militibus. 8
Maximilianus Friderici Cæsaris filius cur maximis agitatus sit procellis. 74
Maximilianus Imperator post Alexandrū Magnum & Iulium Cæsarem, princeps litteratissimus & bellicosissimus. 51. eiusdem in Bilibaldum Pirckheimerum liberalitas ac munificentia. ibid.
Maximilianus Pirckheimero Ioannem Monachum è Græco in latinum sermonem transferendi prouinciam imponit. 93
Maximilianus I. Romanorū Imperator, quo pacto posteris suis ad amplissimorum regnorum Hispaniæ successionem præparauerit aditum. 192
Maximilianus Imperator diuitias suas amplissimas & voluptates honestissimas non ex transuerso coluit. 179
Maximilianus Sforcia, tot iam annis exul, paterno Insubriæ principatui restituitur. 192
Mediolanensis à Gallorum rege solio Imperij ejicitur. 91
Mediolanum, sine profusione sanguinis, ad Romanū Imperium, à quo translatum. 192
Meyenfeldt oppidum à Cæsareanis occupatur. 75
Melanchton cum Erasmo cupit colloqui. 278
*Melchior Pfintzing D. Sebaldi Præpositus & Cæsari à cōsiliis.*355
Melibocus mons, appendix Abnobiorum montium. 107
Menapij populi eorundemve fines & territoria. 99
Mendacium, etiam momentaneum, ex professione Historiarum excluditur. 53
Mercatorum Noricorum numerus maximus. 114
Mercurius primo è solo Norico progressus creditur. 127
Michael Ritius vbi erranerit. 314
Miles quidam Romanus punitur diuinitus. 364
Mildenburgum oppidum Franciæ Orientalis. 122
Milites Burgundi in arboribus salutem sibi quærentes à Suitensibus instar auium pyxidib. deijciuntur. 72
Milites cruciferi, adiunctis copiis Christianorū principum, Liuoniam, Prussiam & Poloniam obtinent ac defendunt. 105
Milites Lotharingici inuenta ingente vi mellis adeo eo sese præ nimia inedia ingurgitarunt, vt quidā inflati ægrotarint, quidā vero prorsus extincti sint. 73
Milites quidam Cæsareani ob fumem maximam ad insaniam redacti. 84
*Militis cuiusdā fœderati magnanimū respōsum ad superbā ducis Burgundiæ cōminationē.*70
Militum Norimbergensium, color & ornatus rubeus. 81
Militum ordo duplex. 367
Minoritæ & Dominicani, monasteriis suis excipiuntur. 325
Mirtus Veneri, stellæ lætitiarum, sacra. 179
Mœnus vel Moganus fluuius nauigabilis. 108
Modus laudando Historico obseruandus. 53
Moguntia prima sculpsit solidos ære characteres & versis litteris docuit scribere. 122
Moguntia quomodo potestati episcoporum subiugata sit. 202

Monu-

Momi & Zoili poetarum taxantur. 117
Monachæ Hollandæ relinquunt monasteria ac nubunt. 278
Monasteria in vrbe Norica à Senatu reguntur. 130
Monetarij qua mortis pœna à Norimbergensibus adficiantur. 135
Montes ac Sylvæ Germaniæ licet diuersis appellentur nominibus ab Alpibus tamen omnes incipiunt. 108
Monumentum antiquum prope Treuerim. 94
Monumentum constans ex sex imaginib. lapideis in monasterio ad radices Pinifera. 133. Earundem imaginum explicatio. ibid.
Monumentum Crescentiæ coniugis Bilibaldi Pirckheimeri ab Alberto Durero depictum. 16
Morabudus dux Romanis bellis clarus. 103
Morbus Abderitarum ridiculosus. 52
Mores à conuersantibus trahuntur. 351
Morini Vicini Menapiorum populi. 99
Mors ærumnarum finis & paradisiaua. 354
Moschi vnde deriuati. 105
Moscouia cui subiecta. 104. quâ late se extendat. ibid.
Moscouitæ gentes Barbaræ & extremæ seruituti subiectæ. 105
Mulhusium cur fœderatis se adsociauerit. 69
Multa male parta male periere. 80
Multitudo ingens Cæsareanorum in lacuna suffocati. 76
Multitudo Norica qua arte & ingenio sine seditione & tumultu à Senatu regatur. 134
Muncerus Anabaptista, inuisit Oecolampadium. 207
Munitiones à Cæsareanis relinquuntur. 82
Muri ciuitatis Noricæ. 147
Murton Oppidū à Burgundo obsessum à cofœderatorum præsidio egregie defenditur. 72
Musicæ dignitas & excellentia. 208

N.

NAbus fluuius. 103
Namurcus comitatus. 99
Nanseum caput prouinciæ Lotharingicæ à Burgundo deficit, & ad Lotharingum redit. 72. à Duce Burgundo obsidetur. ib.
Narua fluuius. 104
Natale solum nemo relinquit, vt deteriorem terram occupet, sed vt ab informi ad pinguiorem commigret. 64
Natura populo tam maligna non est, vt si pauca negat neget omnia protinus vni. 144
Naturæ sequitur semina quisque suæ. 5
Naus vbi cum aliis fluminibus in Rhenum incidat. 102
Nazianzenus scriptor grauissimus ac difficillimus à quo translatus sit. 22
Nellemburg arx. 80
Nemeti an recte Spirenses dicantur. 98
Nemo nisi à seipso læditur. 37
Neoburgum oppidū à præterfluentis Rheni impetu fere absorptū. 89
Neopagranum Geuderorū ab Heroltsperga prædium. 36
Neumburg oppidum cinctū eiusq; incolæ, qui se dediderant omnes à Burgundo arboribus suspensi. 70
Neussa insignis fluuius prope Camerum ciuitatem episcopalem. 101
Nicerius siue Necarus fluuius celebris. 108
Nigra vrda fluuius. 100
Nobiles à Turegensibus vocantur in auxilium vnde septennale bellum grauissimum secutum. 68
Nobiles & agricolæ tumultuantur. 325
Nobiles Suitensium paucitatem irridentsed vna cum peditatu & equitatu trucidantur, & qui superstites in fugam vertuntur. 66
Nobilis de Erlach Bernensium copiarum Dux. 65
Nobilis de Rechberg Sueuus Dux Sagittariorum. 80. Pyxidis ictū magnum in brachio vulnus accipit. ibid. Francones timidos ad præliandum adhortatur, sed frustra. ibid.
Nobilitas ex Heluetia expulsa & funditus deleta. 68
Nominati qui apud Noricos sic dicantur. 134
Nominis Christiani decus, & religionis Christianæ ratio quomodo præcipuè ustodiatur. 358
Norici à Romanis expulsi quem in locum conesserint. 110
Norici delinquentes vltra quatuor flumina & toidem syluas proscribunt. 135
Norici nouarum rerum Cupidi. 126
Noricum vbi incipiat & vbi desinat. 96. ciuitates in eodem comprehensæ. ibid.
Norimberga tres in partes distributa. 134
Norimberga periculosissimi ac iniquissimæ obsidione obsessa. 34
Norimberga quando & à quo Cæsare ad imperium translata. 14
Norimbergenses denuo apud Cæsarem negligentiæ & conspirationis accusantur, quos Bilibaldus Pirckheimerus certis rationibus defendit. 89
Norimbergenses apud Carolū V. Romanorum Imperatorem intercedunt, vt secundum statuta aureæ Bullæ, primum conuentum sacratissimū Norimberga, non autem alibi, celebret. 198
Norimbergenses nō vt ceteri mortales terra cœlo aut aere sed solo nummo victitant. 137
Norimbergenses variis linguis exculti. 127
Norimbergicæ ciuitatis Encomiū amplissimum Franciſci Irenici. 113
Nohaienses Tartari septentrionales Moscouiam quotidianis incursionibus infestant. 104
Normanni Galliæ afflictores vehementissimi. 101
Nonagradia ciuitas Mediterranea. 104
Nulla tam modesta est felicitas, quæ malignitatis dentes euitare queat. 18
Numismatum quorundā ad Norimbergensis monetæ valorem æstimatio. 223, 224. & seq.
Nummus apud Francos Druidensis cur & vnde sic dictus. 123
Nuptiæ secundæ secundum Chrysostomum reprehensionibus obnoxiæ. 17
Norimbergenses in bello Heluetico societatæ Ducū Bauariæ vtuntur. 81. falsorum multorum accusantur. ibid.

Nüs vrbs circa Rheni ripas sita à Sigismundo duce Burgundiæ obsidetur. 69

O.

OBrincus qualis sit fluuius. 98
Obtrectatio in obtrectatoris calumniando quot personas ledat. 37
Octoginta millia hominum in bello Cimbrico circa Rhodanum delentur. 364
Oculi certiores auribus. 57
Odera amnis insignis. 101
Odiũ inter Heluetios & Hegeuēses indies auctum & dilatatum. 80
Odoacer cur occupata Italia omnes fere Romani nominis incolas in Italiam reduxerit. 59
Oenus fluuius miræ pernicitatis. 109
Officinæ Ferrariæ Norimbergensis descriptio. 163.164
Omen adolescentiæ M. Tullij Ciceronis. 351
Oppida & arces quorundam nobilium cur à Suitensibus expugnatæ, & nobiles inde eiecti. 66
Oppida ab Heluetiis non facile oppugnantur. 78
Oppidũ S. Nicolai ducis Burgundi à Lotharingo occupatum. 73
Oratio ad Deum mentis est elatio. 371
Oratio Bilib. Pirckheimeri ad D. Carolum V. Romanorum Imp. in legatione pro Republica Norimbergensi. 197
Oratio Bilib. Pirckheimeri Apologetica scripta pro monialib. 375.376. *& seq.*
Oratio Isocratis quanti vendita. 228
Oratio nobilis de Erlach *ducis præstantissimi & rei militaris peritissimi, ad milites suos Suitenses.* 65
Orbis terrarũ amore ortus & absolutus est. 118
Ordo Toison, siue aurei velleris, à quo inuentus. 179
Ostphali & Bestphali. 101
Ostrogothi & Visogothi. 105.106
Ottenwald. 107
Ottocharus rex Bohemiæ à Rudolpho Comite Habspurgico, iuxta Danubiũ profligatur, quo occiso Austria ad Imperium refertur. 360
Ottomannus quando à Tartaris se iunxerit, & nomen Turcarum assumpserit. 106
Ouatio qualis apud priscos Romanos honor. 179. *paulo minor triumpho.* ibid.
Ouium, eiusque liber Metamorphoseon miris extollitur laudibus. 117

P.

PAdua omnium scientiarũ mater gloriosa. 40
Pasnonia superior vbi originem & finem sortiatur. 96
Papa vna cum suis in arce S. Angeli, grauissime à Cæsareanis, Romæ obsidetur. 333
Paues cum paribus facilime congregantur. 23.351
Paietonia pelagie Ægyptiaci locus periculosissimus. 61
Phanum diuæ virginis à Carolo IV. opere magnifico extructũ. 125
Pharao, licet diuinæ legis inscius, sacerdotes in magno honore ac existimatione habuit. 358
Piscitur in vnius lunæ, post fata quiescit. 2
Phasmatum apparitio & præsignificatio soli Deo cognita. 35
Patauium sedes ac magistra studiorum. 4
Patauium vna cum magna Fori Julij parte, in potestatem Imperatoris Maximiliani redigitur. 192
Patria vtilitas commodo priuato anteferenda. 21
Paupertas tacito tutior ipsa viro est. 6
Paulus de Liechtenstein & Gossenbrat olim mercator Augustensis. 75
Paulus Manfronnus dux Venetorum. 192
Pauzen & Gerlitz oppida. 102
Pax inter Cæsareanos & Heluetios quibus conditionibus pacta. 91
Pecora Heluetiorũ multis morbis obnoxia nisi iisdem salis remedio large subueniatur. 92
Pegnesi fluuij descriptio. 148
Pegnesius & Regnesius amnes Norici non ignobiles. 120
Pelles animalium & dẽtes magnorum piscium Barbararum gentium tributa. 104
Periculum maximum scriptori Historico præcipitanter euagari & in furorem poeticum præcipitari. 59
Peritia naturæ duntaxat munus & addisci nequit. 58
Permeska regio Moscouitica. 104
Persona magnifica scriptori historico, in describendo quocunque istius vitæ genere & rebus bene vel male gestis, non respicienda. 59
Pestis & annonæ caritas maxima Stutgardiæ. 318
Pestis in Germania quot euolutorum annorum spacio redire soleat. 127
Pestis maxima Romæ quomodo sedata. 368
Petantius Ragusinus, Vladislai regis Hungariæ, Cancellarius. 253
Peter ab Hagenbach à Carolo duce Burgundiæ præfectus generalis constituitur. 69
Peucini & Bastarni populi Dacis contermini. 103
Pfung *vicus.* 58
Pigritiæ definitio Theophrasti. 215
Philippus ab Astero Amphipolitanus sagittarius in obsidione Olinthica exaculatus. 58
Philippus Austrius rex Castellæ non absq; accepti veneni suspicione, vitam cum morte commutat. 367
Philippus, cognomento bonus, inuentor aurei velleris. 179
Philippus dux Burgundiæ, cur cor suum Hierosolymis sepeliri voluerit. 364
Philippus dux Mediolanensis Suitensib. magnam cladem infert. 68
Philippus Melanchton à Charitate Pirckheimeriana Abbatissa ad S. Claram, egregiis exornatur laudibus. 348
Philippus Rheni Palatinus, Straspurgenses itidem ac Basilienses bellum sedare conantur sed frustra. 77
Philippus rex Hispaniæ Imperatoris Maximiliani filius & nepos Imperatoris Friderici. 181
Pirckheimerus de obtrectatorum suorum calumniis conquestus, easdem in præsentia Cæsaris, ac aliorum Principum constanter diluit. 85
Pirckheimerus Cæsarem ad iaculandi certamen inuitauit. 90
Pirckheimerus Friburgi milites

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [445] - -
PUBLIC DOMAIN

suos numerato stipendio, dimittit. 92. Norimbergensi Senatu aurea donatur patera. ibid.

Pirckheimerus quando vixerit. 1. vltimus suæ familiæ masculus extitit. 2

Pirckheimerus Xenophon Germanicus. 63

Pyrrhus, vi quadam subitæ exortæ tempestatis, cum tota classe illiditur & quasi diuinitus punitur. 364

Pistorum Noricorum nequitia, durante calamitosissimo fumis tempore à Senatu correcta, atque apertis domibus frumentariis propriis sublata. 131

Pythagoras primus philosophiæ nuncupator. 358

Placentia propria à Theophrasto definita. 215

Podagra à Pirckheimero descripta. 15

Podagra quibus hominibus delectetur. 205

Podagræ laus seu Apologia, ad Iacobum de Bannissis, Decanum Tridentinum. 204

Podolia frumenti ac mellis fertilissima. 105. per Tartaros ac Turcas misere vastatur. 106

Poeta non quotannis nascitur. 39

Poetis lex & libertas una præscripta iisdem siquidem, & pictoribus omnia licita. 53

Pomerania ducatus & ditio antiquorum ducum Saxoniæ. 101

Pompeius Magnus in expugnatione Hierosolymitana, templo parcit & militem à direptione ac spolio arcet siue detinet. 360

Pœna Camilli à populo inducta quanti æstimata sit. 227

Pœna Heluetiorũ, ob proditionem ducis Mediolan. grauissima. 92

Pœna ridicula mulieribus delinquentibus à Norimbergensibus imposita. 135

Pons quando supra Rhenum ædificatus sit. 97

Populi sub Rhetiæ nomine comprehensi. 95

Portæ Honoris, quondam Maximiliano I. erectæ, descriptio Iohannis Stabij Cæsaris Historiographi. 176

Porus potentissimus rex Indorum, ab Alexandro rege Macedonum, insigni victoria superatur. 360

Posteritas imitationis exemplum vnde sibi capiat. 1

Prati Alterij descriptio. 149. 150

Pratum Norico-Hallerense amœnissimum. 114

Præda inclyta à Suitensibus parta. 66

Præda ingens rursum à Suitensibus reportata. 73

Præfatio Bilibaldi Pirckheimeri in sexorationes Gregorij Nazianzeni ad Wenceslaum Linium Theologum ac Austriacensium vicarium. 231

Præfecti ac nobiles Heluetiorum inimici, capiuntur, trucidantur, munitiones eorundemve arces destruuntur. 65

Præfectus syluæ nigræ contra rusticos quosdam à Bilibaldo Pirckheimero petit auxilium & impetrat. 91

Prælatorum prauitas causa magni casus in subditis. 351

Præmium centum aureorum propositum si quis Heluetium captiuum posset adducere. 85

Prætor Arualis quale apud Noricos officium. 134

Princeps iuxta præceptum Vegetij, quomodo debeat prodesse subditis. 350

Princeps quidam Bauariæ cognomento diues, turres argento impletas possidet. 365

Principes ac ciuitates Imperij in subsidium properare denno à Cæsare iubentur. 81

Principes aliquot de titulo Rugorum contendentes. 103

Principes Austriaci portam Honoris, perambulare volentes, quomodo debeant esse adfecti. 178

Principes de titulo Rugorum contendunt. 103

Principes & nobiles Suitensium hostes, Bernensibus indicunt bellum. 65 (361

Principum Christianorũ officium.

Prisenses, Engadinenses & Churienses quos Rhætiæ montes occupauerint. 75

Priuilegium doctoratus Iohanni Pirckheimero Bilibaldi parenti concessum. 40

Proba Falconia poetria. 3

Proceres de leuicula causa exorta ad prædam inuitantur. 325

Procopius descriptor belli Gothici. 314

Professio poetices & historiæ vbi differant. 332

Protestatio & excusatio obiectorum, Ducis & Senatus Veneti ad Rempublicam Norimbergensem. 197

Prouincia inferioris Austriæ vniuersa a Maximiliano I. trium mensium spacio recuperata. 191

Prudentia ciuilis & peritia, duo optime cõscribendæ historiæ fundamenta. 58

Pruteni ex gente Effluorum oriundi. 104

Pseudohistoricorum quorundam corrupta peruersitas. 56

Pueri cur magistros suos odio habeant. 205

Pugna & victoria Suitensium quo anno obtenta. 65

Pulchritudo & elegãtia vrbis Norimbergicæ. 145

Q.

Quatuor duntaxat, alicuius potentiæ, Respublica in Germania. 202

Quatuor millia cæsorum corpora inter spoliandum à Heluetiis inuenta. 66

Querela super homines leues, rudes ac imperitos, populum Christi erudire ac docere attentantes. 239

Querimonia Pirckheimeri de Germanicæ gentis infortunio & scriptorum historicorum penuria. 64

Quæstores summus apud Noricos magistratus. 134

Quinquaginta viri ac viginti tres mulieres Norimbergæ aqua absorptæ. 114

Quinqueviratus Noricus quibus in casibus ius dicat. 134

Quintilij vari & legionum interitus a quo recenseatur. 94

Quintus Fulvius Flaccus ob surreptas, ex Iunonis Locrinæ templo tegulas marmoreas cõtabescendo expirat. 363

R.

Radiantia & Tramaricus fluuius. 108

Rha fluuius. 104

Rainaldus Vrsinus Archiepiscopus Florentinus. 318

Raurici vbi habitent. 97

Reditus Reip. Norimbergicæ quis quotãnis in subsidiũ pauperum ciuium à Senatu elocantur. 132

INDEX.

Reges Æthiopum omnes, vsq; ad Ptolomæi secundi tempora, solo ex præcepto suorum sacerdotum mortem oppetiere. 358
Regionum & ciuitatum quarundam nomina. 110.111.112
Regna & ciuitates magis fide & clementia, quam vi & armis tuentur. 248
Regnum Dei in quibus consistat. 377
Regnum Hungariæ olim Sicambria, vnde suam traxerit originem. 179
Regnum Neapolitanum à Carolo Octauo rege Gallorum subiugatũ, quo pacto redditum. 192
Rhenus fluuius dines Concharum Margaritas producẽtium. 109
Reipublicæ quales prasi. iendi. 18
Rheinfelden *oppidũ Rhenense.* 75
Reinhardus dux Lotharingiæ à Burgundo omni ditione spoliatus, fœderatis se adiungit. 71
Religio atque iustitia duo firmissima fulcra Reipublicæ. 359
Reliquiæ quænam à Noricis in hodiernum vsque diem asseruentur. 129
Renalia ciuitas. 104
Rheni, secundum Strabonem, duo ostia. 99
Rhenus cum ponte vbi & à quo coniunctus. 98
Respublicæ Germanæ Episcoporum auaritia & insolentia vexatæ. 201
Res gestæ Germanorum cur tam paucæ litteris notatæ reperiantur. 94
Res gestæ cum veritate congruentes posteris relinquendæ. 59
Res humanæ sursum deorsum, voluuntur ac reuoluuntur, in morem Euripi. 288
Responsum Senatoris cuiusdã Norimbergensis ad Fridericum Imperatorem. 134
Respublica Norimbergica Aristocratica. 2
Respublica Norica nulli vniuersæ Germaniæ conferenda. 113
Respublicæ, secundum sententiam Platonis, quando beatæ. 350
Rhetiæ nomine qui olim comprehensi. 95
Rex Angliæ & Archiepiscopus Cantuarensis, Erasmum vocãt in Angliam. 290
Rex Galliæ cum Heluetiis fœdus percutit. 77
Rex Scotorum præcedẽte phasmate ab Anglis occisus. 35
Riga ciuitas. 104
Rigodolum, secundum Ammianum, oppidum. 98
Rigol pagus. *ibid.*
Robertus à Moßheim. 279
Robertus Sanseuerinus dux Venetorum à quo profligatus sit, ib.
Rhodus Insula cõtra spurcissimum Mahumetem, diuino prorsus auxilio protegitur. 367
Roma à Cæsareanis occupatur. 333
Romani & Iliensis cur maxima lætitia accensi. 356
Romani propriæ gloriæ admiratores incommoda à Germanis sibi illata callide tegunt. 94
Romani Imperatores, qui & qua de causa, myrto coronati. 179
Romani quamdiu Rhetiam, Vindeliciam & Noricum possederint. 95
Rosach oppidum. 86
Rostochium siue Rostock *ciuitas, à quibus condita.* 101
Roueretum oppidum à quo expugnatum. 191
Rusiniana quæ vrbs. 98
Rura, siue die Roer *fluuius.* 100. *vbi exoriatur.* *ibid.*
Rusia fluuius perniciosissimus. 108
Rustici ex alta quapiã templi turri magnifice se defendunt & Cæsareanis ex eadem admodum sunt molesti. 89. *tandem vase pulueris sulphurei subiecto & incenso in aerem dissipantur. ib.*
Rustici quidam, qui à Comite de Sultz defecerant copiis Pirckheimeri castigantur. 91
Rusticitas à Theophrasto descripta. 215
Ruteni ac Moscouitæ qua lingua vtantur. 105

S.

Sacerdotes vicarij Dei & Apostolorum locum tenentes. 358. *apud Indos & Ægyptios in magna existimatione habebantur.* *ibid.*
Sacrilegi, grauissime ab Agesilao Imperatore puniti. 359
Sacrilegi Romani, sub Quinto Cepione cõsule Tholosanum oppidũ diripiente, mirabili ac diuina quasi pœna plectuntur. 364
Sacrilegi quo mortis genere Norimbergæ puniantur. 135
Sala fluuius ab Albi excipitur. 103
Salisburgium Archiepiscopatus obsidetur. 325
Salis penuria in bello Heluetico. 92
Samancãda Tartarorum Metropolis. 106
Sametz vicus à Cæsareanis incensus ac combustus. 75
Sarmatia Europæa à quibus populis inhabitata sit. 104
Saus, siue die Sauw *amnis maximus iuxta Taurum in Danubium influens.* 109
Saxartes maximus Sagdianæ fluuius in mare Caspium prolabitur. 106
Scala arx ducis Mediolanensis. 11
Scafhusen cur amicitiam & fœdus cum fœderatis inierit. 69
Scaneu vicus. 84
Sclaues Sorabes ac Vilci gens hodierno æuo misera & ab omnibus contempta. 101
Sclauini populi. 105 (*tur.* 98
Schletstatt *an recte Elcebus dicatur.*
Schleuini gens multitudine sua numerosissima. 104
Schanoia vel Scania Insula hodie Schonlandia dicta. *ibid.*
Scopus scriptori Historico qualis præfixus. 59
Schola nuper Norimbergæ instituta descriptio. 166.167
Schonlandia Insula Daniæ. 104
Scripta à Pirckheimero edita diuersimoda. 15.16
Scriptio hæc quem in finem suscepta sit. 1
Scriptor quid potissimum in scribendis historiis obseruare debeat. 59
Scriptores exteri cur erga gentem Teutonicam tam iniqui, rigidi falsiue censores. 64
Scriptorum priscorum negligentia & incuria. 94
Schwaderloch *silua.* 77
Sebaldus Clamosus Extructor Lazareti Norici. 127
Sebastianus Sperantius præpositus Brixensis. 62
Seckingen *oppidum Rhenense.* 75
Seditio & tumultus populi Basiliensis. 291
Seditio inter ipsos Suitenses exorta, Bernensium intercessione sedatur. 67
Seditiones, factiones & discrimina popularia vnde plerumq; pullulent. 134

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [447] - -
PUBLIC DOMAIN

Sedulitas nimia à Theophrasto descripta. 217
Sempach oppidum confœderatorum à Leopoldo II. duce Austriæ obsidione cingitur. 66
Sedunenses cõtra dominum suum insurgentes & postmodum arma in confœderatos conuertentes graui numerata pecunia deuincuntur. 68
Senatorum Norimbergensium descriptio. 113
Senatus Basiliensis cur Lutheranis fauere inceperit. 278
Senatus Basiliensis ad Comitem de Fürstenberg legationem instituit quam cauillis Comes lacessiuit. 87 *sed superbiæ huius mox pœnas dedit, nam milite Heluetico confossus periit.* ibid.
Senatus Norimbergensis ex sex & viginti viris constat. 134
Sententiæ & dictiones quales in historico scriptore requirantur. 59.
Septennale bellum Suitense quo pacto & medio solutum. 69
Sepulchri D. Sebaldi descriptio. 161
Serpentum quot genera. 202
Serui lectores quanti constiterint ementem. 227
Sideni populi ad Viadrum fluuium. 101
Sidones cuius terræ incolæ. 102
Sigismundus Archidux Austriæ, suo tempore princeps potentissimus. 3
Sigismundus dux Austriæ de retentione prouinciarum & ciuitatum suarum desperas eas Carolo duci Burgundiæ, per Hypothecas tradit. 69
Sigismundus Imperator omnes finitimas ciuitates in excidium Friderici Ducis concitat. 67
Sigismundus Maximiliani patruus, Dux Austriæ inter omnes istius ætatis duces, princeps optimus, humanissimus & liberalissimus. 74
Signa militaria quot à Suitensibus & Bernensibus, finito & fœliciter confecto bello, recepta. 66.
Similia similibus lætantur. 351
Simplicitas voluntatis Deo plus grata & accepta quam diuitiarum opulentia. 51
Sylua Hercynia suam vnde trahat originem. 107
Sylua Semana siue Turingorum. 107
Sylua Ottonis vnde sic dicta. 122
Sylua vrbi Norimbergæ circumfusæ laus & descriptio. 151
Sirenes maris tempestatiũ & clandestinarum calamitatum prænunciæ. 178
Sitones vltimi populi Sueuiæ. 104
Situs vrbis Norimbergicæ. 144
Sixtus Tucherus Imperialis consultus & Professor Ingolstadianus celeberrimus. 351
Solodorenses ac Bernenses Comiti de Fürstemberg copiis suis obuiam procedunt. 87
Somnium de Alberto Durero Apelle Norico-Germano. 32
Sophi rex Persarum quo in loco à Selymo Turcarum Imperatore victus. 106
Speculatores Suitenses de Burgundi copiis ac apparatu certiores reddunt. 71
Speßgart. 102
Spes afflictorum solatium ac refugium. 19
Sportulæ eleemosynariæ Noricorum diuersimodæ. 132
Steygerwald. 107
Steyn oppidum. 80
Stipendia stipendiariorum Noricorum quinquennalia. 133
Stirps Pirckheimeriana inter gentes patricio-Noricas quondam clarissima cum ipso Bilibaldo inuentos recessu ac penitus extincta. 63
Stokach oppidum, præsidio ab incursionibus Heluetiorum strenue defenditur. 80
Stockholma ciuitas Suetiæ præcipua quot gradus in longitudine & latitudine contineat. 104
Strabo corrigitur. 109
Strabonis error. 94
Stratagema Helueticum. 87
Studia litterarum armis & togata vita militari præstantiora. 4
Studiosi iuris quot annos, secundum Iustinianum, in studio iurisprudentiæ terere ac consumere debeant. 5
Stunica homo insanus omni indicio, & duntaxat natus ad maledicentiam. 274
Subditi Suitenses grauissimis tributorum oneribus pressi ac intolerandis præfectorum iniuriis affecti excusso isto iugo, in libertatem sese vindicarunt. 65
Succinum vbi colligatur. 104
Sueui & Cæsareani clamore ferocissimi, manibus vero in bello ignauissimi. 76
Sueui cur Norimbergensib. in bello Heluetico infensi. 81
Sueui Seranones vbi resederint. 101
Sueuorum Angillorum, & Sueuorum Seranorum differentia. 101
Sueuus fluuius vbi se in mare Germanicum exonerat. ibid.
Suitenses à Suetia Balthici maris peninsula exorti. 64. *cunctis vicinis gentibus adeoque ipsi Cæsari repugnare ausi sunt.* ibid.
Suitenses ex multibus pauperrimis subito facti sunt ditissimi & locupletissimi. 71
Suitenses immensum in modum augentur, adeo vt principibus sint formidabiles. 65
Suitenses opima præda & pyxidum numero amplissimorursum victis Cæsareanis locupletãtur. 78
Suitenses pedites hostes equitantes prælio excipiunt, vincunt, prosternunt ac reliquos in fugam vertunt. 66
Suitenses Turegensium cadaueri dentibus lacerant ac illorum cruorem potant. 69. *à Constantiensib. male tractãtur, id quod vlciscuntur.* ibid.
Superbia Georgij ducis Bauariæ, numerata prius ingenti summa pecuniæ finita. 74
Supplementũ Norimbergense Cæsari in conspectum producitur. 90.
Sutzium oppidum ab Engadinensibus ipsis incensum. 84
Suum cuique pulchrum. 38

T.

TArtari Kosanenses ducis Moscouiæ subsunt Imperio. 104
Tartari nõ amplius in campis, sed ciuitatibus lapidibus constructis habitant. 106
Tartarorum aliquot differentiæ. 104
Taurus animal calidissimum ac castissimum, nam vaccam post conceptionem, nõ ascendit. 203
Telina vallis. 10
Templi D. Petri, quod vulgo Sebaldinum

baldinum vocant Norimbergæ, descriptio. 161
Templi virginis matris in FORO NORICO *descriptio.* 158.159
Templi Xenodochio iuncti descriptio. 160
Tenchteri & Visipij quibus populis proximi. 103
TENE MEDIOCRITATEM, *Imperatoris Maximiliani symbolum.* 179
Tengeri & Tugriones vbi habitarint. 100
Theodoricus de Blumeneck *antiquus & peculiaris Heluetiorum hostis oppido Thüngensi à Cæsareanis occupato præficitur.* 78
turpem deditionem facit noctu cum aliquibus egressus. ibid.
Theodosius Maior Imperator, moribundus plus de Ecclesiæ statu quam de propriis suis periculis solicitus. 38
Theopompus cur culpandus. 61
Terra Deorum parens an extiterit. 127
Terrlipp castellum. 100
Teronanna Morinorum & Tornacum Neruiorũ ciuitates fortissimorũ populorum leui oppugnatione in fidẽ accipiũtur. 192
Thersites omnium, qui ad expugnandam Troiam venerant, ignauissimus. 248
Terungi pars Gothorum. 314
Teterang oppidum & castrũ Cæsareum. 81
Tettenaugia oppidum. 7
Tiburina Metropolis Norici. 96
Timor maior minorem vincit. 70
Tiras siue der Nester fluuius. 110
Titulus siue inscriptio Friderici III. cognomento deuoti Romanorum Imperatoris. 182
Thomas Venatorius Bilibaldi Pirckheimeri amicus suauissimus. 14
Tormenta Cæsareazorum, prædanimia, oppleta nihil contra Heluetios irruentes præualent. 78
Tormenta & signa bellica quamplurima à Suitensibus victoria obtenta. 66
Tragœdia exorta in Anglia & qua de causa. 277
Transsyluania adhuc hodie reliquias Germanorũ ostendit. 103
Trebera Ninus ac Semiramis filius à matre ad stuprum allectus. 93
Treueris à quo exructa sit. 93
Treueris quomodo in manus Episcoporum peruenerit. 202
Tribuni ac Centuriones peditũ apud Cæsarem sibi ab aduersariis obiecta crimina diluunt. 90
Tribuni militum frustra milites à fuga retrahere conantur. 86
Triginta millia Burgundionum à Suitensibus cæsa. 72
Triuigei quibus secundum Strabonem adiaceant. 97
Tubera amnis non parui nominis. 108
Thucydides. 53.57.59.60
Tumuli Argẽtinæ in Senatu. 278
Tumultus leuissima de causa Norimbergæ exortus. 130
Thungen oppidũ Comitũ de Sultz à Cæsareanis occupatum. 78. *à Suitensibus comburitur.* ibid.
Turcæ Croatia & Sclauonia, solius auspiciis Maximiliani Imperatoris Romani eiiciuntur. 192
Turcæ & Mahometani cur à mercatoribus Armenis nullum vectigal exigant. 106
Turegenses clancularijs nobilium à bello Heluetico superstitum, artibus technis ac latrocinijs vexati, Bernensium implorãt auxilium. 66
Turegenses & Suitenses funestissimo bello inter se inuicem conflictantur. 68
Turegium obsessum & ager vitibus ac arboribus frugiferis consitus, fœde deuastatur. 68
Turres Norimbergenses. 146.147
Turris Norimbergica veneranda antiquitate conspicua. 126
Turones & Martunges quam terram olim tenuerint. 102

V.

VAllis Engadinensis tota à Cæsareanis combusta. 75
Vandali deuastata Gallia, Hispanias inuadunt. 314
Vangiones an recte Wormatienses dicantur. 98
Varisburgum arx à fœderatis cingitur. 68
Varus vbi cum legionibus Romanis cæsus sit. 202
Vaticinium Pirckheimerianum de Papæ ruina ac orbis terrarum diuersa mutatione veritati non absonum. 35
Vberlingen oppidum. 80
Udalricus Zasius, idem Germanis quod Iason Italis profuit. 25
Vectigalia Ægyptiorum tres in partes distributa. 358
Veltenburg olim Artobria, monasterium supra Ratisponã. 96
Velum insigne matronale. 128
Veneti à Sigismundo duce Austriæ bello tentati. 74
Veneti denuo tota fere Italia depulsi & tum temporis, ad summam desperationem adacti. 192
Veneti per omnium ora versantur ac volitant. 364
Veneti vna cum copijs suis ad vicũ Collianum à quo deleti. 191
Venlo & Kempen oppida. 99
Verda oppidulum Noricum vnde sic dictum. 125
Verdæ suburbis descriptio. 165
Veritas historiarum mater quæ amissa in fabulas & anilia exeũt deliria. 64
Veritas & vtilitas publica inimicitijs anteponenda priuatis. 59
Veritas quo magis impugnata & oppressa est, eo magis nitet & elucescit. 226
Veritas vbi exulat iustitia ibidem consistere nequit. 174
Verona opera Marci Antonij Columnæ aduersus Gallos & Venetos strenue defenditur. 192
Verona ac Vicentia, insignes Venetorum vrbes, in potestatem Maximiliani Imperatoris rediguntur. 192
Vestu ciuitas Gotlandiæ in insula Daniæ sita. 104
Vestitus Norimbergensium varius ac diuersicolor. 127
Veterani milites Cæsareani, Comiti de Fürstenberg negligentiam militaris indecẽtem ac plenam periculi obiiciunt, qui cum indignatione eosdem ad locum suum remittit. 87
Veteres Germani bellis plus quam litteris operam dederunt. 94
Veteres non solummodo aliorum bonorum auctorum, sed & sui ipsius vitæ curriculi descriptores. 1
Veteres scriptores in descriptione fluuiorũ Germaniæ plurimum impingunt. 94
Victoria cur accipitre notata. 203
Victoria Suitensium cur in ingenti existimatione sit habita. 66
Vidrus fluuius. 100
Vidua Friderici ducis Austriæ Basilienses bellum infert. 67

INDEX.

Vilna à Cracouia, Regia ciuitate Poloniæ, quot militaribus distet. 105
Villæ cunctæ ad Letzium vsque comburuntur. 82
Vindelicia Rhetiæ inclusa quousq; terminetur. 95
Vinum ex colore, sapore & odore constet. 136. *eiusdem adulteri grauissime puniendi.* 137
Vires confœderatorum in immensum dilatatæ. 69
Virgilius quot sestertia, pro singulis versibus, ab Octauio receperit, & quantum in vniuersum possederit. 227
Vir honestus à bono proposito non deterreatur. 1
Viri boni officium. 21
Virtus interire nescit. 37
Virtus nullũ habet inimicum nisi ignorantem. 18
Virtus sola nobilitatis verum simulacrum. 113
Virtutes cum omnes res reliquæ euanescunt, solæ firmæ manent ac constantes. 173
Visipij & Tencheri secundum Tacitum, Cattis proximi. 103
Visogothi qui sic dicti. 105
Vistula fluuius. 102
Vitia paruis & magnis ciuitatibus sunt communia. 18
Viuitur ingenio, cetera mortis erunt. 37
Vladislaus à Clericis intolerabilia tributa exigit. 257
Vlma vbi Augusta Vindelicorum cedat, & qua in re eandem superet. 202
Vlricus Comes Helfensteinius. 23
Vnda nigra vnde oriatur. 109
Vnderwaldenses à Comite Straspergensi obsidione cinguntur. 65.
Vogtey von Geldern. 99
Vratislauia vrbs nobilis ac potens, Silesiorumque caput. 357
Vrbium Rhetiæ vetustarum enumeratio. 95
Vrbs Metensis, inter ceteras Lotharingiæ potentissima. 202
Vrbs Norimberga carmine heroico illustrata per Eobanum Hessum. 141
Vrienses & Vnderwaldenses libertatum suarum vindicatores acerrimi. 65
Vtilitatum & voluptatum mansio non perennis & incerta. 37

W.

Walgeuenses vallem fossa ac vallo muniunt. 78
Waltzhut oppidum Rhenense. 75
Wandali per totam Aphricã cædibus Christianos persequuntur eorundem templa claudentes. 247
Warthauß arx. 104
Weissenburgk. 108
Westerrich à Hunnis quid sit dictum. 97
Westerwald. 100
Wildlappmanni cur sic dicti. 104
Wilhelmus dux Bauariæ, Reuchlino annuum constituit Ingolstadij stipendium. 263

X.

Xenodochia siue hospitalia Noricorum quatuor. 129
Xenodochij ad D. Sebastianum descriptio. 160
Xerxes rex Persarum ingentem armatorum militũ numerum perdit, paulatim diminutus. 363

Y.

Yla fluuius. 79
Ymbst oppidum. 67

Z.

Zana oppidum Saxoniæ prope Wittembergam. 365
Zarmis Gethusa domus Venationis regis Zarmidis. 97
Zelandia & Holandia, ni Maximilianus Cæsaris natus præoccupasset, Gallorum regi cessisset. 73
Zeysolphus de Rosenberg. 25
Ziadus fumen quomodo hodie dicatur. 109
Ziliola vxor Rudolphi Saxonici. 365
365
Zoilorum naturæ pranitas ac peruersitas. 1
Zugenses in confœderatorum societatem recipiuntur. 66
Zuina fluuius maximus. 104
Zwinglius. 275

FINIS.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [450] - -
PUBLIC DOMAIN

ERRATA QVÆDAM TYPOGRAPHICA SIC CORRIGANTVR.

Fol.40.linea 9.lege Comitis.ibidem lin.ead.dele ſtudij.f.84.lin.36.leg.obſeruaſſet.f.113.lin.1.leg.horarum.f.176.lin.9.leg.condecoratur.ib.lin.12.adde pronomini noſtrá perſoná.fol.177.lin.6.leg.Landgraconatuum f.185.lin.23.leg.incipit.f.197.lib.17.leg.obturate.f.202.lin.16.leg.maritimis.f.206.lin.31.leg.me eſſe.f.208.lin.55.leg.aquiſſimi.f.231.lin.42.leg.veneremur.f.241.lin.3.leg.COMITI f.246.lin.19.leg.iuſtiſſimè.f.264.lin.34.leg.temerariam.f.272.lin.36.leg.diurno.f.290.lin.32.leg.Angliam.f.298.lin.7.leg.euitandam.f.301.lin.9.leg.Euangelij.f.317.lin.vlt.leg.exſculpſit. f.323.lin.vlt.leg.annotationes. f.324.lin.29.leg.diſputaturos.f.325.lin.42.leg.Wirtembergenſes.f.326.lin.5.leg.Ellebori.f.336.lin.30.leg.commentabaris.f.342.lin.26.leg.perenni Soſpitate.ib.lin.33.leg philoſopheq;. ib.lin.5.à fine leg.vantatum.f.350.lin.36.leg.Reſpublicas. f.351.lin.21.leg.Ingolſtadium.f.352.lin.8.leg.intermiſit. f.353.lin.13.à fine leg.patrone.f.372.lin.11.leg.volatilia.f.360.lin.à fine leg.Sclauonica.

Cætera obreptitia, Lector Candide, pro candore tuo facilimè emendabis, fieri enim, (propter diuerſiſſimas, eaſque paſſim corruptas ac deprauatas, amanuenſium deſcriptiones) non potuit, quin opus prorſus, ſine mendis, æderetur. Tu boni conſules. &, ne, in numerandis iiſdem ſicubi vacilles, etiam lineas minutiſſimas connumeratas eſſe ſcito. Vale.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [451] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [452] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [453] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [454] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [455] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [456] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 829 099


Niedersächsische Landesbibliothek Hannover

H. Germ. 2 VI. 27

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [457] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [458] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 114, Stück 2, [459] - -

PUBLIC DOMAIN